


DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS XXXIX

OPERA MINORA

VII

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCCX

DOCTORIS ECSTATICI
DIONYSII CARTUSIANI
OPERA OMNIA

IMPRIMI POTEST

in festo S. Anthelmi episcopi, ord. Cart., anno 1910.

Fr. Renatus-Maria, Prior Cartusiæ.

IMPRIMATUR

Tornaci, 24ª Junii 1910.

V. Cantineau, Canonicus, Censor librorum.





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

OPERA MINORA

VII

TORNACI

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCCX





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA MINORA

TOMUS SEPTIMUS

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

SIGILLATIM IN VOLUMINE ANNUMERATIS.

OPUSCULA
HUJUS VOLUMINIS

SUMMA DE VITIIS ET VIRTUTIBUS

SIVE ILLUMINATORIUM SALUTARIS SCIENTIÆ

LIBRI DUO

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. GERARDO ZULRE, RELIGIOSO IN PRIMIS ABBATI MONASTERII S. LAURENTII APUD LEODIUM, F. THEODORICUS LOER A STRATIS, CARTUSIÆ COLONIENSIS VICARIUS, S. D.

QUEMADMODUM multis jam olim magnisque viris familiare est, ut vel suas vel aliorum lucubrationes in lucem ac publicum emissuri, eas prævia commendatione cujuspiam haudquaquam vulgaris nomini consecrent, sub cujus veluti umbraculo ab invidorum æstu protectæ, piis lectoribus tutum accessum præbeant; ita non desunt quibus hujusmodi commendationes displicent, satius existimantes, si opus et auctor operis qualis qualis relinquatur arbitrio lectoris : quandoquidem id quod per se bonum est, aliena commendatione non eget. Neque enim vino vendibili opus est suspensa hedera, et proba merx facile emptorem reperit; malum vero quanto magis occulitur, tanto præsentius venena diffundit. Fitque interim ut ubi frontispicia mirum in modum adblandiantur aureosque montes polliceantur, in progressu operis montes ipsi parturiant nascaturque ridiculus mus. Cui nimirum sententiæ, jam ab amico quodam commonefacti, facile possemus subscribere, præsertim hoc nomine quod sit innixa veritati, modestiam præ se ferens et humilem interioris hominis custodiam; si tamen isti quibus præliminaris commendatio minus placet, vel modicam jacturam pro re tam pia facere non formidarent, aut suos humeros tanto nobiscum oneri submitterent : in cujus plane decursu, sive laborem spectare libeat, sive sumptus, et Herculeæ vires et opes satrapæ non sufficerent, nisi gratia Dei, quæ nunquam pios conatus destituit, vires pariter et opes subministraret, excitando videlicet utriusque status proceres, qui tum favore, tum impensis, operi jam fesso et præ nimia magnitudine periclitanti prospiciant, manus porrigendo adjutrices. Non solum ergo commune bonum aut gratia amicorum ad præmittendum hujusmodi commendaticia nos invitat, verum etiam quadam necessitate constringimur, ut excusso ingratitudinis malo, simus non immemores beneficiorum, et quantum in nobis est, rependamus saltem operam et animi nostri benevolentiam, eos nimirum qui verbo et opere bene cupiunt patri nostro Dionysio, tanquam duplici honore dignos, ipsius Dionysii piis lucubrationibus afferendo : ut qui decreverunt cum eo vivere, et alios quamplurimos ad hoc inducere quo tanti Patris adjuti monitis vivant cum eo in æternitate, incipiant et ipsi jamjam cum eodem vivere etiam in tempore. Hæc est merces, hic fructus justitiæ, quæ mortem nescit, quæ suos cultores mori seu in oblivionem venire non permittit. Ipsa magis perpetua et immortalis, suorum gaudet memoria perenni ac immortalitate.

Itaque, quum jam paulatim complura Dionysii nostri opera a diversis typographis in Agrippina Colonia excuderentur, quæ magnorum virorum veluti munita clypeis, orbem christianum pro magna sui parte occupaverunt, magna profecto laude, sed majori cum fructu ; grandior tamen adhuc portio eaque præcipua remansit nobis reliqua, quæ tandem in publicum per vestigia præcedentium exire

gestit, modo ducem seu patronum feliciter nacta fuerit, cujus adjuta beneficio, temporum nostrorum versipellem astutiam possit vel declinare vel elidere. Nihil enim tam peculiare in Dionysii nostri scriptis reperias, quam absque omni fuco et quæsito colore germanam puramque interpretationem, ex sacræ Scripturæ penetralibus erutam ; quam institutionem vere Christiano dignam, ex arcanis rerum divinarum recessibus presso lucidoque sermone coram exhibitam. Jactent se, quantum velint, alii eloquentia, alii argumentorum subtilitate, alii linguarum copia : Dionysio unica fuit et mens et lingua, scilicet repleta multiformi Spiritus Sancti gratia, qua sacram Jesu Christi et servorum ejus philosophiam, non plus quam oportet, sed usque ad sobrietatem sapere didicit ; eamdem quoque pari modo expressit, ubique sui similis, templum Dei et organum Spiritus Sancti, convocans universum cœtum Christifidelium ab infimo usque ad summum, a summo usque ad infimum. Quibus usque adeo in omnibus sese attemperat, exhortando, monendo, docendo, corripiendo, illuminando, inflammando, rapiendo, ut nulli offendiculum ponat, nulli fastidium generet, neminem ignorantem, dubium aut desolatum relinquat: unus instar multorum sufficiens, qui tantam multitudinem probe sustineat. Quod Reverenda Paternitas tua non ignorans, quum mentio dudum fieret Dionysianæ impressionis, simulque quantæ molis esset eamdem usque ad finem continuare, pro tua pietate quæ tecum succrevit ab infantia, statim petis elenchum omnium Dionysii librorum, petis et libros aliquot jam impressos, offers subsidium pro his qui vel prælo madent, aut imprimendi adhuc domi latent. Et ne cuipiam in aliena munificentia largus videri possis, dando videlicet non tua, sed ab aliis olim donata, usibus fratrum seu filiorum tuorum magis adaptanda, edisseris quonam pacto hoc tibi liceret. Unde profecto non parum ædificationis sibi sumebant, qui tum forte circumstabant auditores, utpote haud ignari quam nihil curæ sit plerisque hoc tempore qui Abbatis antistitisve nomine censentur, quibus mediis Christi patrimonium expendant. Tu vero non quævis tibi licita continuo admittis : tantum abest ut ausu temerario velis quidquam præter decorum profundere ad libitum, sciens quia non quod libet, statim licet, nec omnia quæ licent expediunt, sed est in ipsis rebus electio et modus.

Hinc videmus Reverendam Paternitatem tuam multos sibi antecessores longo intervallo præcellere, tam celebritate nominis quam professione religionis. Non expedit hic commemorare divitias auctas, templa ædificiaque innovata, ministeria, cultum, varium denique apparatum, quæ tantopere solet mirari vulgus. Quibus quidem etsi pro temporis ratione uti contingat, nullam tamen in te morum faciunt mutationem. Ita es singulis obvius, comis, affabilis, benignus, exiguis et pauperibus haud secus atque divitibus et magnis, fastum (quantum in te est) semper et ubique fastidiens. Ovis revera suum sequens pastorem, discipulus audiens magistrum docentem : qui quum totius hominis curam gereret, omnes simul virtutes
Matth. XI, 29. summatim complectens : Discite (inquit) a me quia mitis sum et humilis corde. Atque hæ inter ceteras sunt peculiares animi tui dotes, quibus quondam armatus, concordi et canonica electione ad fastigia dignitatis provectus es, nunc vero eisdem omnibus carus domi ac foris. Aliquot abhinc mensibus mors sustulit e medio virum : virum, inquam, singulari morum observantia conspicuum, columen omnis

probitatis, religiosorum denique patrum ancoram et asylum, Reverendum D. Gerardum de Loen, Abbatem Averbodiensem, Ordinis Præmonstratensium, laborum nostrorum ac vigiliarum Dionysii patronum præcipuum, si quidem longior illum vita comitata esset. Hunc ipsum videor mihi velut e phœniceo pulvere renatum, dum illius virtutes meritasque laudes passim regeri in te animadverto, dum non minora per tuum accessum adepti sumus, quam per illius decessum amisimus. Nam præter ea quæ præmissa sunt officia, requiris in unum colligi, collecta transmitti omnia opera Venerabilis Patris D. Petri Dorlandi, Ordinis Cartusiensium professi, ac Vicarii quondam in Zeelem, haud procul ab oppido Diestensi, viri sine controversia juxta pii ac docti : ejus, inquam, requiris opera, daturus operam ut castigate ac lucide imprimantur, idque medio ac diligentia D. Paschasii Bersellii, professi domus vestræ, viri tam varietate linguarum quam eruditione multijuga celeberrimi : qui quidem ipsi Dorlando quondam fuisse individuus studiorum comes, certis litterarum monumentis ultro citroque missis dignoscitur. Dorlandum olim ad scribendum excitavit Averbodiensis ille antistes ; tu vero ejusdem scripta ex angusto in latum orbem paras diffundere. Ille apud Dorlandum, dum viveret, Mæcenatem egit ac patronum ; tu ab oblivione vindicans utrumque, amborum efficeris et Mæcenas et patronus. Illi in vita tum carmine, tum prosa, Dorlandus gratiam retulit ; tibi gratias debet non modo Dorlandus, verum etiam quotquot sunt aut in posterum erunt illius instituti professores.

Nimium igitur ingratus sim oportet, si tantis provocatus beneficiis, tot rationibus devictus, inter tam multos heroicos viros ac primates in favorem Dionysii nostri nominatim tanquam ad illius convivium accitos, tui unius Reverendam Dominationem veluti silentio prætercam. Quin magis pro tua dignatione et benevolentia unum quempiam librorum ex ipsius Dionysii thesauro depromam, quem protinus ad manus hominum in tui gratiam exire permittam. Esto, Dionysius jam urbi et orbi notus est, securus potest quocumque velit incedere ; at non parum profuerit sciri ab omnibus, adventum Dionysii tam multis acceptum, Dionysium amari, venerari, tueri in dies magis magisque a viris et maximis et optimis, et nunc demum abs te Patre laudato modis omnibus. Verum quoniam importuna benevolentia plerumque est ingrata, ideo prospiciendum gnaviter quid cui dones. Itaque, quum intelligam te præsidere non solum tuo monasterio, neque tantummodo habere potestatem ut ampla conferas opulentaque sacerdotia, et ea non pauca, potissimum quibus annexa est cura animarum, sed insuper in tam præpotenti vastaque Leodiensi diœcesi judicem agere omnium (ut vocant) secundarum Ecclesiarum, in quarum administratione tametsi virum juris peritissimum tibi assessorem habeas, plurimum nihilo minus conducat si tu ipse, quum sis judex tantus, probe noris discernere dextrum a sinistro, rectum a curvo, verum a falso, a pretioso quod vile est, virtutem a vitio, et quonam pacto inter aulicos et curiales modernos nihil non ad suum quæstum libitumque vertentes, virtus deserta jaceat, vitiaque virtutis pallio contecta sint : hunc Reverendæ Paternitati tuæ librum dedicamus, cui Summa vitiorum et virtutum, sive Illuminatorium salutaris scientiæ, titulus est ; eique adjecimus alios duos, quorum alter est de Passionibus animæ, alter de Felicitate et puritate animæ : idque vel ob hoc potissimum, quod omnia quæ jamjam

recensuimus, in his mira brevitate ob oculos ponantur. Hos igitur tuo nomini dedicatos, Reverende Pater, grato suscipias animo ; Dionysium vero, et eos qui Dionysio præstant obsequia, benigno favore complectere, ac vale. Coloniæ, ex Cartusia nostra, anno MDXXXII, ipso die S. Barbaræ, monasterii nostri patronæ.

SUMMA

DE VITIIS ET VIRTUTIBUS[1]

LIBER PRIMUS

PROŒMIUM.

QUI converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum. Jacob. v, 20.

In his verbis gloriosus apostolus Jacobus docet quam magnum meritoriumque consistat peccatorem convertere. Nempe qui facit hoc, eo ipso quo id agit, curat et eripit « animam » peccatoris « a morte » culpæ in vita præsenti, atque a morte damnationis æternæ ac infernalis miseriæ in futuro. Operit quoque « multitudinem peccatorum » : quoniam inducendo peccatorem ad conversionem, contritionem et emendationem, cooperatur ad hoc, quod peccata conversi, quantumcumque sint multa et magna, dimittuntur eidem ; sicque teguntur et obruuntur, ita quod ei non imputantur a Judice summo, nec inspiciuntur ab eo ad ulciscendum per condemnationem perpetuam. Ideo ait Psalmi-
Ps. xxxi, 1, 2. sta : Beati quorum tecta sunt peccata ; beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Denique, qui alium sic convertit, non solum operit multitudinem peccatorum illius, sed etiam propriorum. Nam alium convertendo, meretur a propriis venialibus quotidianisque culpis purgari, imo et a reatu seu pœna præteritorum vi-
A tiorum suorum, etiam mortalium, partim aut omnino absolvi, secundum quod ex majori aut minori caritatis fervore converterit peccatorem, et item prout in hoc laboraverit magis aut minus : quia, ut Salomon protestatur, universa delicta operit *Prov.* x, 12.
caritas. Ecce quam magnum ac saluberrimum opus est peccatorem convertere : quia videlicet, sicut nunc tactum est, per hanc conversionem iniqui removentur duo maxima mala, utpote malum totius culpæ, et malum damnationis æternæ.

B Præterea, qui peccatorem convertit, non solum salvat animam ejus ab hac duplici morte et a duobus his maximis malis, sed insuper ei acquirit duplicem vitam et duo præcipua bona, hoc est, vitam gratiæ, virtutes ac dona Spiritus Sancti in via, deinde vitam gloriæ omniumque bonorum beatificam possessionem in patria. Non enim dimittuntur peccata sine gratiæ ac virtutum infusione. Rursus, qui peccatorem convertit, Christo omnium Salvatori virtuosissime ac fructuosissime cooperatur.
C Ad hoc equidem unigenitus Dei Filius incarnari, in mundo conversari, evangelizare et acerbissimam mortem pati dignatus est, ut peccatores salventur. Qui ergo peccatorem convertit, fructum passionis et sanguinis Christi parit in alio, et simul cum Christo fructificat. Amplius, qui pec-

[1] Ex editione Coloniensi Joannis Soteris, 1533.

catorem convertit, Deum potissime veneratur : quoniam invisibiles hostes Dei ab eorum vase, castro ac servo ejicit et expugnat, et prædam ab eorum ore evellit ac Deo restituit ; nec se tantum, sed alium quoque a Creatoris avertit inhonoratione atque injuria : sicque fidelissime militat Omnipotenti. Deinde, qui peccatorem convertit, sanctos exhilarat angelos, nisi (quod absit) quis ambigat de veritate verborum
Luc. xv, 10. dicentis : Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Ecclesiam quoque nutrit, auget et confortat, et Christo parat hospitium exhibetque convivium.

Quod si vel unum convertere peccatorem adeo magnum est tamque beatum, quanti meriti exstat ac præmii, plurimorum conversioni indesinenter intendere, Dei verbum undique disseminare, ac multos errantes a suis revocare erroribus ac
Jer. xv, 19. mancipare virtutibus ? Nonne qui sic separat pretiosum a vili, quasi os Domini exstat ? Nonne qui Deo ita reconciliat trans-
Matth. v, 9. gressores, audire meretur, Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur ? Nonne ad eorum pertinet numerum de quibus illu-
Is. LII, 7. strissimus loquitur Isaias, O quam pulchri pedes evangelizantium bona ?

Præterea, si juxta philosophos, motus aut actio nomen speciemque ac dignitatem sortitur a termino *ad quem*, quis mente concipere aut ore queat profari quantæ dignitatis ac meriti, quantæ deificationis ac christiformitatis sit motus seu actus iste quo aliorum conversioni studetur ? Verissime ergo divinus Dionysius dixit :
De Cœlest. hier. c. III. Omnium divinorum divinissimum est Deo cooperari in reductione animarum ad ipsum. Sanctus item Gregorius sacrificium Deo gratissimum, zelum perhibet animarum. Imo, sicut devotissimus pater Bernardus rite disseruit, nonne tibi videtur Christus graviorem sustinere persecutionem ab illo qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione, ab ipso avertit animas quas redemit, quam a Judæo qui sanguinem ejus fudit ? Sic dicere possumus, quod gratiorem Christo obsecutionem reverentiamque impendit, qui exhortatione benigna, virtuoso exemplo, documentis idoneis, ad ipsum revocat animas diabolica fraude deceptas, quam Martha, quæ Christum adhuc ambulantem in Luc. x, 38.
terris corpore pavit, vel Nicodemus et Joseph, qui corpus ejus exanime tradiderunt venerabili sepulturæ. Joann. xix, 38-42.

Hinc demum doctoribus ac prædicatoribus datur aureola : de quibus archangelus Gabriel locutus est Danieli : Qui multos Dan. XII, 3.
erudiunt ad justitiam, quasi stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Verumtamen hoc eisdem vigilantissime est pensandum, quoniam nisi vita eorum concordet prædicationi ipsorum, non solum non promerentur, sed potius demerentur in prædicando, et peccant mortaliter eo ipso quo prædicare præsumunt indigni. Quemadmodum enim actus sacrorum ordinum privilegiati sunt, ita quod mortaliter peccat quicumque cum mortalis conscientia culpæ eos exercet, ita et actus prædicandi, prout S. Thomas super quartum magis declarat. Ideo prædicatori indigno seu male dist. XIX.
viventi ait Judex cœlestis : Ex ore tuo te judico, serve nequam ; et Apostolus : Qui Luc. XIX, 22. Rom. II, 21.
alium doces, te ipsum non doces. Etenim peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas ? Ps. XLIX, 16.
Qui namque agit contraria propriæ sermocinationi, ipso facto seu opere pravo ostendit sermones suos non esse curandos, imo nec veros, quum magis sit aliquid affirmare facto quam solo verbo. Propterea prædicatori verbi cœlestis, quo a pluribus auditur, commendatur, prosequitur, eo plus necessariæ sunt profunda humilitas, mortificatio plena, reformatio fixa : ne vel modicissima gloriatio vana, complacentia stulta, reflexio improba inquinet mentem ejus ; ne etiam plurima sermocinando, quasi justificatum se arbitretur. Verum est equidem quod Salomon loquitur : Lætatur homo in sententia oris Prov. XV, 23.
sui. Idcirco nonnulli propriis sermocinationibus delectati, sibi in se applaudunt ac blandiuntur, arbitrantes se tales esse in

factis quales exsistunt in verbis, nec discutiunt miseri efficaciter semetipsos. Porro prædicator veraciter sapiens, quidquid aliis evangelizat, applicat sibi, ne forte aliis prædicans, ipse inveniatur iniquus; et quanto plus ab aliis reputatur, tanto amplius in divino judicio reprobus apparere veretur, potissime quum ignoret an amore sit dignus, an odio. Sicque cum sanctissimo viro Bernardo alloquatur ubertim se ipsum : Heu, quot verba otiosa, iniqua, mendosa, illicita per hoc os meum spurcissimum sum locutus, per quod nunc verba sacra tractare et proferre præsumo! Numquid fons ex eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam?

I Cor. IX, 27. — *Eccle.* IX, 1. — *Jacob.* III, 11.

Itaque, quum tam deiforme, salubre ac meritorium sit alios prædicando instruere, exhortari, corripere, convertere et salvare; ego qui ex religione quam professus sum, clausus sum nec egredi valeo, nec prædicandi privilegium habeo, quanto minus hæc facere queo loquendo, tanto plus ea agere opto scribendo, colligendo, dictando. Quod equidem utcumque pro viribus jam effeci, compilando sermones per annum de Tempore et de Sanctis, tam pro sæcularibus quam pro religiosis : attamen ista adjicere quasi compellor, utpote instantissime ad hoc rogatus a viro erudito, religioso ac fervido Ordinis S. Francisci, secundum carnem propinquo, atque secundum spiritum multum propinquiori, sperans particeps inveniri fructus labiorum illius, si forte ex isto opusculo potuerit aliquantulum adjuvari, ad laudem et gloriam Dei altissimi. Amen.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia et processu hujus tractatuli.

Is. XXVII, 9.

ISTE *omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Juxta conceptum et petitionem ejus cujus rogatu hæc conscribuntur, intendo de ratione et enormitate, divisione et effectu peccati in primis aliquid tangere, deinde de peccatis mortalibus et eorum speciebus ac filiabus parum disserere; deinceps de virtutibus contrariis illis, et qualiter omnis Christianus semper habere se debeat in divinæ præsentia majestatis, qualiter etiam omnis creatura clamitet contra iniquos ultionemque exigat contra eos. De quibus omnibus ac consimilibus incidentibus loqui propono non secundum scholasticam subtilitatem, sed (quantum Spiritus Sanctus dare dignabitur) secundum religiosam simplicitatem, monasticam devotionem, et sanctæ dilectionis fervorem, prout amplius poterit deservire ad audientium laicorum communisque populi informationem, emendationem, inflammationem atque profectum.

Et quoniam primo oportet a malo recedere et vitia (si insunt) ejicere, deinde ad bonum accedere virtutumque opera exercere, quemadmodum ait Propheta, Declina a malo, et fac bonum, quæ duo sunt quasi duæ integrales justitiæ partes; hinc juxta prætactum nunc ordinem, primo de peccatis, deinde de virtutibus loquar.

Ps. XXXVI, 27.

Denique, quoniam nihil impedit nos a gratia et virtute nisi peccatum, merito locutus est Isaias, hunc esse omnem fructum, ut peccatum tollatur : non quod sola peccati ablatio sufficiat ad salutem, quum beatissimus Joannes Baptista testetur, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur; sed in quantum in ipsa peccati ablatione includuntur gratia ac virtutes, sine quarum infusione mortale peccatum non tollitur, nec anima a vitiis emundatur. Hinc et Joannes apostolus in sua prima fatetur Canonica : Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis.

Matth. III, 10. — *I Joann.* II, 1.

ARTICULUS II.

Cur omnis rationalis et intellectualis creatura ex se prona sit ad peccatum, et gratia Dei virtutibusque indigeat.

Job IV, 18, 19.

ECCE *qui serviunt* Deo, *non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem : quanto magis hi qui habitant do-*

mos luteas consumentur velut a tinea? A Quanta sit fragilitas omnis intellectualis rationalisque creaturæ, constat ex casu Luciferi : qui quum esset inter angelos summus, tamen statim post suam creationem irreparabiliter lapsus est; nec suffecit ei iniquitas propria, sed innumerabilia angelorum millia ad suæ impietatis consensum imitationemque traxit.

Itaque, secundum Augustinum libro de Civitate Dei in pluribus locis, omnis mens creata, tam angelica quam humana, eo ipso quo ex nihilo facta est, ex se habet B quamdam innatam ac naturalem fragilitatem, defectuositatem et pronitatem ad malum culpæ; et nisi per supernaturalia dona gratiæ aut gloriæ roboretur, adjuvetur ac conservetur, cito labitur in peccatum : idcirco virtutibus indiget.

Præterea, quum omnis intellectualis creatura ordinetur ad finem ea sublimiorem et a se distantem, potest ab illo fine deficere, si ipsa secundum se ipsam consideretur : ideo potest peccare, quum peccatum non sit nisi obliquatio ac recessus ab C ultimo fine, secundum Bonaventuram super secundum Sententiarum. Et ex hac (dist. xxxv.) consideratione ostendit Thomas in Summa contra gentiles, libro tertio, qualiter in (cap. 109.) angelis potuit esse peccatum. Hinc omnis creatura rationalis et intellectualis virtutibus eget, ne peccet : quia, ut super tertium scribit Albertus, virtus est retinaculum mentis creatæ, ne per ingenitam (dist. xxxiii.) pronitatem ad malum ruat in illud, et robur ejusdem adversus ruinam.

Amplius, nulla creatura est essentialiter D sancta aut felix : idcirco gratia atque virtutibus indiget, quibus ad beatitudinem tendat ac perducatur.

Rursus, liberum arbitrium mentis creatæ secundum se consideratum, ad utrumque vertibile est : idcirco gratia ac virtutibus opus habet inclinari ad bonum et stabiliri in eo. Et quia ad supernaturalem finem, qui est beatifica Deitatis fruitio, ordinata et condita est rationalis creatura, supernaturalibus mediis (hoc est gratia gratificante virtutibusque infusis ac donis Spiritus Sancti) est indigens, per quæ finem illum attingat, quoniam media fini proportionari oportet. Propter quod ait Apostolus : Gratia Dei vita æterna. (*Rom.* vi, 23.)

Ex præhabitis innotescit cur solus Deus ex sua natura sit impeccabilis. Sanctus namque est, ens independens, non ordinatum ad aliud; estque essentialiter sanctus atque beatus; nec ejus libertas mutabilis est, quippe qui purus est actus, et qui per Malachiam ait : Ego Dominus, et non mutor. (*Malach.* iii, 6.)

ARTICULUS III.

Quid sit peccatum.

V*IRTUS tua,* Domine, *justitiæ initium est.* (*Sap.* xii, 16.) Quemadmodum juxta doctrinam Philosophi, in omni ordine ac genere rerum primum est mensura ac regula quædam inferiorum ac secundorum; sic juxta theologos, Deus gloriosus et benedictus est omnis bonitatis et æquitatis, omnis virtutis et perfectionis, omnis rectitudinis, sapientiæ ac beatitudinis, invariabilis et infallibilis regula, sapientissima inobliquabilisque mensura : ita quod eo ipso quo mens divina et increata dictat et judicat aliquid esse bonum et rectum, virtuosum, perfectum aut justum, sapientiale aut sanctum, infallibiliter tale est; et quanto quid magis concordat, conformatur seu consonat legi æternæ seu dictamini mentis divinæ, et increatæ justitiæ ac sapientiæ Dei, eo melius, virtuosius, rectius sapientialiusque consistit. Itaque quidquid a lege æterna, quidquid ab increata justitia, quidquid a sapientia Creatoris discordat, stultum, obliquum atque iniquum est; et tanto stolidius vitiosiusque censetur, quanto plus inde recedit, discordat, avertitur.

Quid igitur est peccatum, nisi aversio et recessus mentis creatæ a lege æterna, a sapientia Creatoris, a dictamine seu recto judicio primi ac summi Legislatoris? Qui sapientiæ suæ dictamen et voluntatis suæ

decretum, itemque suæ censuram justitiæ, nobis in sanctis patefecit Scripturis, dando præcepta rectissima, saluberrima documenta, sapientissima quoque consilia : quæ omnia sunt quædam expressiones ac splendidi radii et signa præclara legis æternæ, increatæ justitiæ infinitæque sapientiæ Omnipotentis. Ideo recte dixit Ambrosius : Peccatum est prævaricatio legis divinæ et cœlestium inobedientia mandatorum.

Præterea constat ex introductis, quod omne peccatum sit quædam fatuitas, et quod omnis peccator in mortali jacens peccato sit stultus. Quumque innumerabiles sint hujusmodi peccatores, recte Salomon protestatur : Stultorum infinitus est numerus. *Eccle.* I, 15.

Denique, quum Deus sublimis sit universorum ultimus finis, ad quem cuncta sunt referenda ac ordinanda, summumque bonum, quo solo fruendum seu cui soli propter se inhærendum est ; recte Augustinus disseruit : Peccatum est, spreto seu relicto summo et incommutabili bono, rebus caducis ac mutabilibus inhærere. Et denuo : Peccare, inquit, non est aliud nisi utendis frui, fruendisque uti.

Insuper, quia peccatum est quidquid legi contrariatur divinæ, ideo rursus Augustinus affirmat : Peccatum est dictum vel factum aut concupitum contra legem Dei. In qua descriptione peccati, per dictum et factum, non solum intelligenda est prava locutio et operatio mala, sed etiam bonæ locutionis virtuosique actus omissio; per concupitum quoque, non solum inordinata affectio, sed et cogitatio illicita, imo et virtuosæ appetitionis ac bonæ cogitationis omissio, rite intelliguntur. Ideo dici potest, quod peccatum non sit nisi omittenda committere, et committenda omittere.

Amplius, prout divinus Dionysius contestatur, peccatum est recessus ab ordine, hoc est a recta ordinatione atque ab habitudine convenienti ac debita, qua rationalis creatura cohærere et subdi debet proprio Creatori. Hoc nempe rectus ac condecens ordo requirit, ut inferius suo subdatur superiori, ut ad suam causam convertatur effectus, ut media reducantur in finem, intellectualisque creatura suo innitatur atque adhæreat Conditori tanquam effectivo principio ac beatifico fini, sicut in libro de IV Coæquævis, tractatu de Angelis, pandit Albertus. Verum hoc totum per peccatum subvertitur : imo ordinationis tam justæ subversio est formaliter ipsum peccatum. Propter quod discipulus quem diligebat Jesus, in prima sua fatetur Canonica : Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit, et peccatum iniquitas est. Etenim per peccatum mens creata suo efficitur Creatori rebellis, ejusque voluntati dignissimæ propriam præfert voluntatem vilissimam, et quasi dorsum suum vertit ei in faciem. Propter quod Dominus per Jeremiam ait : Verterunt ad me dorsum, et non faciem ; itemque per Zachariam : Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes.

(Margin: *De Divin. Nom.* c. IV. — I *Joann.* III, 4. — *Jer.* II, 27. — *Zach.* VII, 11.)

Præterea advertendum, quod prætactæ descriptiones peccati dantur de peccato mortali. Quumque peccatum dicitur esse prævaricatio legis divinæ atque cœlestium inobedientia mandatorum, per legem divinam et mandata cœlestia, non tantum intelliguntur lex et mandata a Deo immediate collata, sed etiam lex positiva humana, ecclesiastica quoque præcepta, quibus Deus vult obediri tanquam legi ac jussioni divinæ, quoniam ipse ait suis vicariis : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Imo et rectæ rationi obedire necesse est. Nam recta ratio est legis æternæ participatio, signaculumque lucis vultus divini, juxta quod scriptum est : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

(Margin: *Luc.* x, 16. — *Ps.* IV, 7.)

At vero, quemadmodum juxta Avicennam et Algazelem in Metaphysicis suis, res creata dicitur vera veritate rei seu entis, in quantum habet naturam secundum institutionem, conceptum exemplaremque formam altissimi Creatoris, hoc est, in

quantum conformatur ideæ quam habet in A mente divina, prout Anselmus in libro de Veritate plenius docet, et Thomas in Summa, de veritate diffusius tractat; sic rationalis creatura dicitur virtuosa ac sancta, in quantum conversatio seu actio ejus concordat et assimilatur dictamini seu judicio legis æternæ, quæ universæ justitiæ, sanctitatis ac virtutis fons, causa, institutrix, mensura ac regula perhibetur. Propter quod Dominus ait : An non licet mihi quod volo facere? Enimvero ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Qui ait B ad sanctum Job : Numquid condemnabis me, ut tu justificeris? Hinc octavo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Celebriores Platonici disseruerunt, quod in Deo invenitur causa subsistendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi : quorum primum ad naturalem, secundum ad rationalem, tertium ad moralem philosophiæ pertinet partem.

1ª part. q. XVI, a. 1. — *Matth.* XX, 15. — *Rom.* XI, 36. — *Job* XL, 3.

Postremo, quum Deus sit primum, summum, purum, incomparabile et incircumscriptibile bonum, constat quod ipse sit primum amabile, summum honorabile, C plenarie contentativum omnis appetitionis objectum. Idcirco peccatum, quo creatura propriam voluntatem præfert divinæ, et bonum creatum, caducum ac vile, imo et ipsam iniquitatem delectationemque pravam, superdignissimo Creatori, est gravissimus Dei contemptus, vilipensio altissimæ bonitatis, divinæ majestatis injuria, divinæ jussionis incuria, divinæ sanctitatis offensio, omnipotentis Creatoris relictio, insipientia mentis se a Dei sapientia avertentis, interemptrix gratiæ ac virtutum, summi D boni privatio, æternæ felicitatis amissio, obscuratio intellectus, subversio voluntatis, venenum diaboli, viscus inferni, via damnationis perpetuæ, causa totius miseriæ, mors peccantis, germen dæmoniorum, janua tartarorum, infatuatio hominum, rete ac laqueus tentatorum, gloriatio ac imitatio malignorum spirituum, detestatio angelorum, horrenda caligo, maxima turpitudo, gravissimus fœtor, vilitasque extrema, ferocissima bellua, pravissima fera, vehementissimum damnum, vitandissimum nocumentum, ac maximum malum.

ARTICULUS IV.

De nocumentis effectibusque peccati.

NISI *timueris nomen ejus gloriosum et terribile, augebit Dominus plagas tuas.* Quum Deus sit essentialiter et incircumscriptibiliter bonus, et ipsum peccatum separet peccantem a Deo, patet quod peccatum infinitum et prorsus incomparabile damnum inferat peccatori, quoniam privat eum bono hoc infinito. Hoc ergo est primum et maximum nocumentum peccati, et odibilissimus ejus effectus. Unde Isaias asserit : Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum. Et Salomon ait : Longe est Dominus ab impiis.

Deut. XXVIII, 58, 59. — *Is.* LIX, 2. — *Prov.* XV, 29.

Si ergo, o homo, tam diligenter caves temporalia damna, si thesaurum pecuniæ tam vigilanter custodis : cur tanta cæcitate mentis deciperis, cur tanta insipientia obscuraris, quod mortale peccatum incidere non vereris, quod summo bono, vero et amabilissimo Deo privari, quod ab eo separari non metuis nec abhorres? Cur Deum majestatis immensæ sic vilipendis, ut magis formides parvum denarium, capitium aut caligam perdere, quam eum peccando amittere, quam mentiendo, fallendo, torpendo separari ab ipso? Imo cur ita festinas ad mala agenda? Cur gloriaris in malis, et in pessimis rebus exsultas? Audi, inique, intimorate, ausculta quid exclamet Propheta : Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Redite ergo, prævaricatores, ad cor; et quanto Deus creator melior, dignior ac amabilior est omnibus rebus creatis, tanto formidolosius sollicitiusque cavete pro posse ne ipsum peccando perdatis.

Ibid. II, 1[4]. — *Ps.* IV, 3. — *Is.* XLVI, [8].

Secundum nocumentum peccati est, quod peccatorem facit Deo odibilem, aspernabilem ac displicentem, sicut Psalmista loquitur Deo : Odisti omnes qui operantur

Ps. V, 7.

iniquitatem. Propter quod in libro Sapien- A
Sap. xiv, 9. tiæ scriptum est : Odio sunt Deo impius et impietas ejus. Peccatum namque est pura ac summa malitia : idcirco summe odibile est. Est quoque peccatum maxime Deo contrarium ac difforme, vile ac turpe. Ex quo patet quam ineffabiliter et infatigabiliter sit peccatum omne vitandum. Quemadmodum enim nihil appetibilius est quam esse amabilem Deo, et ei placere et ejus amicum consistere, atque in ejus conspectu dignum pretiosumque consistere, ei quoque uniri ac quietari in ipso ; ita nil B odibilius, fugibilius aut horribilius exstat, quam esse odibilem Deo, displicere eidem et ipsius exsistere inimicum, coram ejus præsentia vilem et contemptibilem esse ac separari ab ipso.

Ecce quantum conantur milites ceterique satellites regum ac principum mundanorum, dominis suis terrenis esse dilecti, familiares, propinqui et collaterales. Denique qui obtinent hoc, quantum a suis conservis ac commilitonibus reputantur? Quæ est ergo ista insania nostra, quod C tam parum aut nihil curamus, satagimus, affectamus Domino Deo nostro, regi cœlorum ac principi universorum, esse amabiles, complacentes, amici, pretiosi ac digni ; quod item tam parum veremur ejus odium, displicentiam inimicitiamque incurrere? O quam vilis creatura es, o transgressor, qui Creatorem tuum sic parvi
Deut. xxxii, 29. pendis! Utinam saperes ac intelligeres, atque novissima provideres. Quid dices,
Soph. ii, 3. quid ages, ubi latebis in die furoris Domini Dei, quando consurrexerit de solio sancto D suo, vel potius quando pro tribunali resederit, ut in furore suo arguat contemptores, et in ira sua corripiat et condemnet perversos ac reprobos?

Tertium nocumentum ac opus peccati est, quod facit peccatorem esse servum et membrum, captivum quoque filiumque diaboli, imo et servum propriæ iniquitatis et corruptionis. Peccatum equidem dominatur peccanti, quoniam superat rationem ipsius, et subjicit eum diabolo, ejusque corpori, hoc est impiorum congregationi et ecclesiæ malignantium, incorporat peccatorem. Nam improbus ac privatus amor sui in se crescens usque ad Dei contemptum, omnes connectit iniquos, et eos in unum corpus commassat : quemadmodum amor Dei crescens usque ad contemptum sui, virtuosos conjungit, et unum mysticum Christi corpus efficit eos. Hinc apud Joannem ait Salvator : Omnis qui facit Joann. viii, 34.
peccatum, servus est peccati. Princeps quoque Apostolorum in sua secunda testatur Canonica : Iniqui sunt servi corruptio- II Petr. ii, 19.
nis ; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Talibus rursus loquitur Christus : Vos ex patre diabolo estis, et desi- Joann. viii, 44.
deria patris vestri vultis perficere. Joannes quoque apostolus in prima sua fatetur epistola : Qui facit peccatum, ex diabolo est, I Joann. iii, 8.
quia ab initio diabolus peccat. Porro quod tales sunt captivi ipsius diaboli, constat ex eo quod Paulus scribit apostolus : Resi- II Tim. ii, 26.
piscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Sed et Salomon protestatur : Iniquitates suæ capiunt Prov. v, 22.
impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.

Nunc ergo, o peccatores, vim horum verborum solerter videte ; et si est in vobis ullus sensus, horrete. Ecce quid peccata vestra vobis faciunt in præsenti. Servos utique ac captivos, membra ac filios vos reddunt diaboli. Quid tam vile ac miserum ut esse diaboli servum et captivum, membrum ac filium? Nonne qui talis est, omni bruto est vilior? Ideo Jeremias propheta ait ad eum : Leva in directum oculos tuos, Jer. iii, 2.
et vide ubi non prostratus sis, hoc est, ad quantam deveneris ruinam, quam viliter sis dejectus, quam infeliciter superatus. Vere, ut Salomon dicit, via impiorum te- Prov. iv, 19.
nebrosa, nesciunt ubi corruunt : nesciunt, inquam, id est, non advertunt. De quibus ait Psalmista : Fiat via illorum tenebræ et Ps. xxxiv, 6.
lubricum. Nempe, si casus sui calamitatem adverterent, nequaquam se ita conculcari, ligari ac vinci ab hostibus suæ salutis permitterent. Quid autem est hæc via im-

piorum tenebrosa, quæ etiam tenebræ lubricumque vocatur, nisi conversatio eorum vitiosa, omni luce veræ sapientiæ carens, nec aliquo virtutum splendore refulgens?

Quartum peccati nocumentum ac opus est, quod peccantem spoliat omni gratia ac virtute, omni profectu ac merito, omni dono ac fructu Spiritus Sancti, quibus ante peccatum fuerat decoratus, ditatus ac sublimatus. Ex quo alii multi consequuntur effectus, videlicet quod peccantem denudat, deturpat, vulnerat, spiritualiterque interimit : ita quod coram Deo et angelis sanctis est quasi fœtidissimum turpissimumque cadaver, nec aliquem facit meritorium actum, quia nec spiritualiter vivit.
Luc. x, 30. Quod totum designatur per hominem qui ab Jerusalem in Jericho descendens, incidit in latrones, etc. Quocirca narrari potest exemplum illud in Vitaspatrum, de angelo qui in specie pulcherrimi juvenis ambulavit cum quodam sancto eremita in eremo. Quibus quum occurrisset quidam adolescens equester lætus ac cantans, angelus sanctus se ab illo avertit, et nares obstruxit, etc. Hinc in Apocalypsi loquitur summus Judex ad peccatorem :
Apoc. III, 17, 18. Tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus : suadeo itaque tibi emere aurum ignitum probatum (id est caritatem ferventem), ut locuples fias (opulentia spirituali in anima), et non appareat confusio nuditatis tuæ, hoc est erubescibilis, fœda et inhonesta tua interior nuditas, quæ est virtutum carentia.

Quintum peccati nocumentum ac opus est, quod privat hominem beatitudine æternali. Per quod ostenditur summa et infinita fatuitas transgressorum, quod propter tam viles ac breves vitæ præsentis ac sordidæ carnis delectationes amittunt beatitudinem illam æternam, tutissimam, plenissimam, omni opulentia ac cunctis deliciis inæstimabiliter supereffluentem, beatificam Deitatis fruitionem, splendidissimam divinæ essentiæ fruitionem, omnium civium supernorum jucundissimam societatem. Quæ plane beatitudo æterna A talis ac tanta est, tam præstantissima, abundantissima ac deliciosissima, quod propter eam una die habendam, rectissime despicerentur universæ divitiæ, deliciæ et honores vitæ præsentis quantumlibet diuturnæ.

Sextum peccati opus ac nocumentum est, quod peccantem trahit deorsum, et efficit eum tardum ac debilem, durum atque insipidum ad bona agenda. Comparatur enim peccatum gravissimo ponderi, quoniam deprimit mentem ad intuendum, B appetendum et appretiandum inferiora, carnalia et terrena, in tantum quod ea præponit altissimis, spiritualibus ac divinis. Sicque peccatum assimilatur gravitati lapidum ac lignorum, et comparat hominem porco, qui talem habet oculorum effigiem, quod nunquam adspicit sursum. Propter quod hortatur Apostolus : Deponamus omne pondus et circumstans nos peccatum. Hebr. XII, 1 Unde apud Zachariam habetur : Misit massam plumbeam in os ejus. Zach. V, 8 Ubi per plumbeam massam designatur ad C litteram enormitas vitiorum Israeliticæ plebis. Hinc de peccatore in libro Sapientiæ terribiliter legitur : Cor iniqui cinis est, Sap. XV, 10, 11. et terra supervacua spes illius, et luto vilior vita ipsius, quia a Deo recessit mens ejus.

Idcirco peccatum est simile febri, et frigido, corrupto superfluoque humori. Nam sicut febricitanti dulcia videntur amara, sic peccatori spiritualia exercitia virtuosaque opera, ex sua natura vere suavia, apparent acerba, molesta et pene D intolerabilia. Rursus, quemadmodum febris corrumpit judicium gustus, et facit eum nociva appetere ; ita peccatum inficit et evertit rationis judicium, facitque eam illa desiderare, approbare, amplecti et intra se retinere quæ maxime nocent. Ideo recte loquitur Spiritus Sanctus per Isaiam : Væ Is. V, 20 qui dicitis malum bonum, et bonum malum ; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras ; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Insuper, sicut humor frigidus, superfluus et corruptus corpus

gravat, debilitat, atque a motu ac opere impedit; sic peccatum obruit animam, et naturalem ejus inclinationem ad bonum aptitudinemque ad virtutes, ingenitam quoque probitatem ac indolem, inficit, minuit ac retardat.

Septimum peccati nocumentum ac opus est, quod suo pondere ac demerito mox trahit ad alia vitia, et sæpe ad graviora. Nam quanto quis frequentius ac enormius peccat, tanto plus meretur a Deo relinqui, diabolo subdi, obtenebrari et intimoratior fieri. Certumque est quod quanto amplius a Deo relinquitur, tanto ad plura ac enormiora peccata delabitur. Idcirco Osee asserit : Judicium Domino cum habitatoribus terræ : non enim est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra ; maledictum et homicidium et mendacium et furtum et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. In Sapientiæ quoque libro fertur : Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, corruptio et infidelitas, turbatio et perjurium, tumultus, bonorum Domini immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ et impudicitiæ.

Osee IV, 1, 2.

Sap. XIV, 25, 26.

Octavum peccati nocumentum et opus est, quod mentem peccantis indurat et quasi congelat, ac pessima consuetudine afficit, ita quod emolliri et aperiri vix potest ad pœnitentiam, nec receptiva de facili est compunctionis et gratiæ, sed insensibilis exstat ad ea quæ sunt suæ salutis, nisi benignissimus animarum medicus, Deus omnipotens, per pietatem et misericordiam suam immensam præveniat, compungat atque emolliat mentem. Propterea in Proverbiis Salomon loquitur : Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Et in Jeremia de impiis dicitur : Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. De quibus ad Ezechielem loquitur Deus : Filii indomabili corde sunt, omnes attrita fronte. Unde et per Isaiam Dominus habituato in vitiis ait : Scio quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea.

Prov. XVIII, 3.

Jer. V, 3.

Ezech. II, 4; III, 7.

Is. XLVIII, 4.

Nonum peccati opus ac nocumentum est, quod peccatorem facit inferno consimilem. Quemadmodum enim infernus est habitatio dæmonum, profundissimus locus, tenebrosa mansio ; ita iniquus homo est subjectum iniquitatum, habitaculum dæmoniorum, barathrum vitiorum, et qui esse deberet templum Dei pulcherrimum, domus est errorum ac pravitatum caliginibus plena. Et sicut infra seu intra terram non est turpior locus inferno, sic supra terram non est res turpior peccatore. Iterum, sicut in inferno sunt ignis et frigus, caligo et fœtor, vermis, sitis, confusio ; sic in peccatore est concupiscentiæ ignis, iracundiæ fervor, impatientiæ ac avaritiæ flamma, acediæ torpor, invidiæ gelu, infrigidatio caritatis, sitis cupiditatis, fœtor luxuriæ, vermis conscientiæ, inordinatio animi, detestatio boni et honesti.

Decimum peccati opus ac nocumentum est æterna damnatio, quæ sola merito omnem induceret hominem ad diligentissimam peccati vitationem.

Sunt autem et alii multi effectus ac damna peccati. Et breviter, ex hoc solo potest perpendi inæstimabilis gravitas peccati mortalis, quod quamvis homo centum annis Deo in omni sanctitate servisset, imo et beatissimo Joanni Baptistæ in sanctitate par esset, tamen si vel unam mortalem incideret culpam, protinus efficeretur Deo odibilis, diaboli servus ; et si absque contritione decederet, æternaliter esset damnandus secundum divinam justitiam.

Denique, si unum mortale peccatum ita deturpat, condemnat, subvertit, ignobilitat hominem, quam turpes et condemnabiles, quam perversi atque ignobiles sunt, qui peccatis peccata quotidie addunt, qui sine timore perpetrant mala, quorum corda implentur malitia ? Ideo primo Regum ait Altissimus : Qui contemnunt me, erunt ignobiles ; et item per Jeremiam : Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas ! Ideo

Eccli. V, 5.

Eccle. VIII, 11.

Ibid. IX. 3.

I *Reg.* II, 30.

Jer. II, 36.

Eccli. XXI, 2. quasi a facie colubri, quasi a veneno ac A morsu diaboli, quasi a morte æterna atque infernali incendio fugiamus peccata, resiliamus a vitiis, abhorreamus Dei offensam.

ARTICULUS V.

De abominabili enormitate peccati, ex verbis Guillelmi Parisiensis.

Is. I, 2. FILIOS *enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Hæc sunt verba Dei B apud Isaiam, de ingrato vitiosoque populo Judæorum : cui quanto majora et plura ac specialiora beneficia Deus contulerat in veteri Testamento, tanto ejusdem populi vitia erant tunc graviora. Et istud nunc multo plus dici potest de populo christiano impio et ingrato.

Porro, ut in libro de Pœnitentia scribit dominus Guillelmus Parisiensis episcopus, doctor valde profundus et unctus, sex sunt causæ propter quas homo debet se ipsum totaliter Deo. Primo, ratione ac jure cre- C ationis : quoniam totum quod habet et est, totum quod vivit et movetur, corpus et animam, vires et membra, a Deo accepit. Ideo omnium horum est debitor Creatori, a quo indubitanter cuncta recepit, sive mutuo sive dono accepit. Magis quippe obligat liberalitas doni, quam justitia in mutuo ; magisque delinquit ingratus contra benefactorem, quam fœnerator contra commodatorem. Itaque jure creationis debet homo se totum cum omnibus suis Deo et ejus obsequio ac amori. D Secundo, jure conservationis. Nam si omnia illa ab alio essent data et ab alio conservata, etiam omnia ipsa deberentur conservatori ; nec majus videtur ea largiri, quam largita tueri. Certum est quoque cuncta creata in tantum dependere a Creatore et ejus manutenentia indigere, quod nec ad momentum possent sine ejus conservatione subsistere aut durare. Propter quod libro secundo Damascenus fatetur : Omne creatum vertibile est. Tertio, jure redemptionis : quia hæc omnia homo amisisset et æternis fuisset plectendus suppliciis, nisi subvenisset ei Redemptor. Quarto, ratione seu jure reformationis, videlicet propter dona gratiæ ac virtutum a Deo collata, quæ sunt naturalibus donis multo præstantiora. Quinto, propter eorumdem donorum conservationem : quæ nisi Deus custodiret ac conservaret in homine, protinus perderentur. Sexto, jure glorificationis, hoc est propter felicitatem æternam et dona gloriæ homini in cœlestibus repromissa ac præparata : quæ tantæ sunt dignitatis, quod quamvis ea quæ habet homo sibi infinities multiplicarentur in vita præsenti, tamen nullius essent momenti aut comparationis ad bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in *I Cor.* II, 9. cor hominis ascenderunt. Ideo, si venalis exposita esset illa beatitudo, et omnia tibi concessa, essent omnino tua, non tamen reputares ea comparatione felicitatis illius, nisi cæcus æstimator exsisteres, instar canis, de quo vulgariter ridiculoseque dicitur : Dum tenet os ore et avide rodit illud, non pro eo acciperet centum marcas. Sic plane excæcatus est peccator et com- *Ps.* XLVIII, 13. paratus jumentis insipientibus, qui temporalia ista vilissima quibus inhæret, ita appretiatur, quod non vult ea relinquere propter præfata gloriæ bona incomparabiliter meliora.

His ergo ex causis in tantum te totum et omnia tua debes Deo, quod nihil tui neque eorum quæ tua sunt, poteris tibi licite usurpare, nisi in quantum concesserit ille. Et quidquid amplius inde usurpas aut facis, expendis sive consumis, illius raptor es, furtique reus. Quod si aliquid esset divinis usibus consecratum, nec tamen illud violare aut polluere formidares, nonne sacrilegii crimen incurreres? Memento igitur baptismalis consecrationis, qua templum Dei sanctum in Baptismate factus es, et in honorem divini nominis consecratus. Nonne ergo coram Deo sacrilegus es, si templum istud, puta te ipsum, infernalium porcorum volutabrum fecisti

per luxuriam? aut si istud fecisti fanum idolorum per avaritiam, quæ (teste Apostolo) idolorum est servitus? vel si illud fecisti arcem seu turrim diaboli per superbiam, aut cavernam reguli per invidiam, aut infernalium vulpium latibulum per dolositatem, vel cubile leonis, qui circuit, quærens quem devoret, per iracundiam? Sicque aliorum pestibus vitiorum considera te polluisse templum istud sacrilege.

Ephes. v, 5.

I *Petr.* v, 8.

Præterea, quid de apostasiæ crimine loquar, cujus tam manifesta est perpetratio in te, quam manifesta est fidei confessio divinique cultus promissio, diaboli quoque negatio et omnium pomparum ejus abrenuntiatio in Baptismo, quando a Deo aversus, te ipsum diaboli servitio mancipasti et servituti diabolicæ subdidisti? Quid dicam de adulterio, id est de violatione spiritualis matrimonii quod cum Deo in Baptismate contraxisti, cujus fidem fecisti irritam, quoties te vitiorum fornicationibus polluisti, hoc est, quotiescumque peccasti mortaliter? Fides quippe spiritualis hujus conjugii est abdicatio vitiorum. Qui ergo ad torum conscientiæ tuæ quodcumque mortale vitium admisisti, torum maritalem procul dubio violasti, et crimen adulterii incidisti. Nam animam tuam, quæ Dei exstitit sponsa per fidem, caritatem et gratiam, fecisti diaboli adulteram per culpam mortalem, in qua ei admixta est per consensum et unionem.

I *Tim.* v, 12.

Insuper, quum non dubites regem te esse, quod te docet unctio baptismalis (non enim sacra unctione unguntur nisi reges et sacerdotes), et omnia tua sint quasi regnum quoddam, quod Deus fidei ac sollicitudini tuæ tradidit et commisit, tamen sub onere certi tributi : si ergo contra Imperatorem illum universalem ac summum, in cujus manu sunt omnium jura regnorum, rebellasti, et alium (puta diabolum) præsumpsisti constituere dominum regni tui, ac illi tributum solvere quod soli Deo debebas, ipso vero Domino ejecto, cui te omnem debere fidem dubitare non potes; palam est te incurrisse crimen proditionis et læsæ majestatis. Denique, si cum capitalibus Dei inimicis fœdus et amicitiam inire non timuisti, imo cum illo quem manifestum est ab initio fuisse reum læsæ majestatis divinæ, atque damnatum esse pro crimine illo, hoc est, si consensisti diabolo, qui regnum Dei in cœlo sibimet voluit usurpare : nonne eidem reatui læsæ majestatis te involvisti?

Eodem modo cogitare debes te esse constitutum a Deo custodem castri quod tu ipse es. Si ergo te ipsum diabolo subdis, nec hostibus Dei rite resistis, aut ante eorum impugnationem peccatis succumbis : nonne proditor es infidelisque custos, et totus infirmus, stultus, negligens? Amplius, clavis castri istius est cogitatio cordis. Toties ergo tradis diabolo clavem istius castri, quoties pravam cogitationem admittis, per quam patet diabolo aditus ad superandum ac possidendum te ipsum.

Iterum, Isaias docet te esse vineam excultam et ornatam diligentia providentiæ Dei. Quid ergo, si te spoliari et deturpari a dæmonibus permisisti, atque pro uvis profers labruscas? Rursus, omnia tibi a Deo collata sunt, ut per ea tanquam per arma atque stipendia milites Deo contra hostes divini honoris et contra hostes tuæ salutis. Quam culpabilis ergo es, qui per arma et stipendia illa militasti seu deservisti diabolo contra Dei honorem ac tuam salutem, et membra tua exhibuisti arma iniquitatis peccato?

Is. v, 7.

Ibid. 2.

Rom. vi, 13.

Adhuc autem, persecutores justorum sunt baculi ac gladii dæmonum. Si ergo consensisti et deservisti atque cooperatus es diabolo justos persequendo, fecisti te ipsum dæmonum ensem ac baculum. Similiter, si alios traxisti ad vitia, factus es laqueus et sagena infernalibus venatoribus et piscatoribus.

Postremo, quoniam Deus est veritas, debetur ei fides; et quoniam ipse est judex justus, debetur ei timor; et quia est Pater misericordiarum, debetur ei spes; quia Altissimus, debetur ei diligens cultus;

I *Joann.* v, 6.

Ps. vii, 12.

II *Cor.* i, 3.

Ps. xci, 9.

Ps. XLIII, 22. quoniam omnia etiam intima intuetur, de- A betur ei castus sapientialisque pudor, ut in ejus præsentia erubescamus nos inhoneste turpiterque habere, de pristinis quoque turpitudinibus nostris coram eo jugiter verecundemur. Et quoniam totus Marc. x, 18. bonus ac dulcis est, debetur ei amor; quo- Gen. xv, 7. niam Dominus est, debetur ei obedientia; Luc. xix, 15. quoniam dona ejus tanquam pecuniam et Matth. xxv, 15. talenta ad negotiandum et lucrandum ab eo accepimus, debemus ei rationem nostræ villicationis seu computum nostræ Act. xiv, 16. negotiationis; quia beneficus est, gratitudinem ei debemus; quoniam medicus et curator est errorum ac vitiorum, patientiam ei exhibere tenemur : impatientem namque inobedientemque ægrum impossibile est curari. — Hæc Guillelmus.

Itaque ex præhabitis elucescit quam multæ et magnæ deformitates itemque enormitates possint in omni mortali considerari peccato, et qualiter nos ubique et semper habere debeamus ad Deum.

ARTICULUS VI.

De duodecim stultitiis universorum peccantium, ex Summa virtutum et vitiorum.

Prov. I, 22. USQUEQUO *stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient?* Omne peccatum stultitia est, nec aliquid est tam stultum sicut qui mortaliter peccat, et quanto quis gravius peccat, eo stultior esse probatur : quoniam peccatum summæ et infinitæ sapientiæ Dei contrariatur, doctrinæ sacræ D repugnat Scripturæ, et maxime nocet peccanti. Nempe quod Dei sapientia reprobat, impius approbat; quod Deus judicat fugiendum, peccator amplectitur; quod incomparabiliter lædit et obest, peccans eligit et assumit.

Prima ergo peccantis stultitia est, quod excæcat se ipsum, imo oculum suum interiorem, videlicet rationem seu intellectum, quo nihil dignius in naturalibus habet, secundum Augustinum libro de Civitate Dei in pluribus locis. Si ergo stultus reputaretur, qui oculos suos exteriores ac corporales calce, fumo, pulveribus, pugione aut consimilibus excæcaret : nonne multo insipientior est censendus, qui oculos suæ mentis spirituales ac interiores peccando excæcat, ita ut nihil salubriter ac meritorie videat, juxta illud Sapientiæ, Excæcavit eos malitia eorum? Unde de Sap. II, 21. peccatoribus ait Salvator : Cæci sunt, du- Matth. xv, 14. ces cæcorum.

Secunda peccantis stultitia est, quod diabolo se ipsum illaqueat, et in ejus capti- B vitatem se redigit sponte, dicente ad Timotheum Apostolo : Iniqui a diabolo II Tim. II, 26. captivi tenentur. Idcirco apud Job fertur de peccatore : Immisit in rete pedes suos. Job XVIII, 8. Si ergo stultus judicaretur, qui voluntarie, sine obligatione et rationabili causa, daret se captivitati letalis adversarii sui, crudelis tyranni : nonne incomparabiliter invenitur stolidior, qui ferocissimorum dæmonum laqueis se innectit, captivitati se ingerit, servituti submittit? Denique laquei isti C sunt peccata, deceptiones quoque et occasiones atque tentationes quibus diabolus inducit homines ad peccandum : quibus iniqui stolidissime semetipsos irretiunt, imo multi cum omni festinatione ex infelici cordis amentia currunt ad eas. Propter quod scriptum est in libro Sapientiæ : Injustitia, mortis acquisitio est; impii au- Sap. I, 15, 16. tem manibus et verbis accesserunt ad illam. Ab his laqueis vir sanctus ac sapiens erui cupiens, ait in Psalmo : Ipse (scilicet Ps. XC, 3. Deus) liberabit me de laqueo venantium.

Tertia peccantis stultitia est, quod manus sacrilegas injicit in se ipsum, et propriam lædit perimitque personam. Etenim in libro Sapientiæ scriptum est : Homo Sap. XVI, 14. per malitiam occidit animam suam. Unde qui venialia frequenter committit, similis est ei qui cum cultello multa parva vulnera corpori suo infligit. Porro qui peccat mortaliter, ei assimilatur qui cultello aut gladio transfigit corpus suum, sicque corporaliter necat se ipsum. Si igitur talis insensatissimus reputatur, nonne stolidis-

simus esse convincitur quicumque mortale A vitium operatur? Nempe, si mortale peccatum non esset mors animæ, privans eam vita gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro, imo et gratiosa ejus præsentia qui essentialiter vivens ac vita est et omnis vitæ fontana origo, Christus in Evange-
Matth. VIII, 22. lio non dixisset : Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Nec in Apocalypsi diceret
Apoc. III, 1. negligenti : Nomen habes quod vivas, et mortuus es. Quum itaque vita gratiæ ineffabiliter præstantior amabiliorque consistat quam vita naturæ, vitaque gloriæ seu B beatitudo æterna utrisque incomparabiliter desiderabilior exstet : nonne mortaliter peccans ineffabiliter et incomparabiliter insipientior atque amentior reperitur eo qui corpus suum interimit, quantum ad hoc quod corporale nocumentum sibi infligit? Idcirco per Jeremiam Dominus lo-
Jer. IV, 22. quitur de iniquis : Filii insipientes et vecordes. Apud Osee quoque Deus testatur
Osee VII, 11. de perfido populo Ephratæo : Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.

Quarta peccantis stultitia est, quod præclarissimas divitias et pretiosissimas merces vel res quas vel habet vel habere potest, abjicit ac repellit, destruit et contemnit, virtutes videlicet omnes, dona et fructus Spiritus Sancti et octo beatitudines, omnia quoque opera bona quæ unquam commisit, beatitudinemque æternam quam meruit : nam omnia ista perdit peccando. Propter quod Salomon in Eccle-
Eccle. IX, 18. siaste fatetur : Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Jacobus quoque asserit : D
Jacob. II, 10. Quicumque totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium
Osee VIII, 3. reus. Ideo Osee dicit : Projecit Israel bonum. Nonne fatuus diceretur, qui merces suas ex navi in mare projiceret, tempestate non imminente? Quanto magis fatuus perhibetur, qui in mari hoc magno seu in sæculo isto nequam, sine necessitate, imo et sponte omnino, præfata pretiosissima a se rejicit bona? De quibus in exordio secundæ suæ Canonicæ sacratissimus scribit princeps apostolici chori : Maxima et II Petr. I, 4.
pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ. Hinc in Apocalypsi Deus recidivanti improperat : Habeo adversum te pauca, quod Apoc. II, 4, 5.
caritatem tuam primam reliquisti : memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age ; alioqui venio tibi cito.

Quinta peccantis stultitia est, quod se ipsum pretiosissimo Christi sanguine emptum, pro pretio vendit vilissimo, puta pro delectatione spurcissima aut re terrena seu nummo malitiæ se tradens diabolo, quemadmodum tertio Regum Elias ait ad Achab : Venundatus es ut faceres malum III Reg. XXI, 20.
coram Domino. Unde per Isaiam loquitur Deus : Ecce in iniquitatibus vestris ven- Is. L, 1.
diti estis. Hæc est prava ac falsa humilitas, imo infelicissima cæcitas, qua homo sic parvi pendit propriam dignitatem et negligit suam salutem, non attendens nec implens illud apostoli Pauli : Empti estis I Cor. VI, 20.
pretio magno ; glorificate et portate Deum in corpore vestro.

C Sexta est, quod a fidelissimo suo amatore, scilicet Deo, avertit se. Ideo mox impletur vitiorum miseria, de qua loquitur Salomon in Proverbiis : Miseros facit po- Prov. XIV, 34.
pulos peccatum. Et vir pœnitens ait in Psalmo : Miser factus sum, et curvatus Ps. XXXVII, 7.
sum usque in finem. Quum enim Deus sit fons totius salutis, quid potest esse in aversis ab eo, nisi vera miseria, et fallax prosperitas, quæ non est vera felicitas, sed detestanda calamitas? Nam qui habet et agit quod sibi non expedit, præsertim quod a summa salute impedit eum, quanto plus abundat et occupatur in illo, tanto infelicior exstat. Ideo Dominus per Osee testatur : Væ eis, quoniam recesserunt a Osee VII, 13.
me ; et denuo : Væ eis quum recessero Ibid. IX, 12.
ab eis.

Septima est, quod Omnipotenti resistere et contrariari præsumit, a quo si juste relinqueretur, protinus a diabolo strangularetur. Quum enim quis peccat mortaliter, meretur non solum damnationem æternam, sed temporalem etiam mortem :

imo meretur statim a Deo relinqui, dia- A bolo tradi, et suffocari ab eo, omnium quoque creaturarum privari obsequio, ut ait Thomas in Summa contra gentiles. Et tamen iniquus tam omnipotenti Domino audet non obedire; tam misericordissimo Creatori ac Salvatori irreverentiam et ingratitudinem rependere non exhorret. Hinc

Job XXII, 21. in libro Job præcipitur : Acquiesce Deo et habeto pacem, et per hoc habebis fru-

Ibid. IX, 4. ctus optimos. Quis enim restitit ei et habuit pacem?

Octava est, quod atrocissimo ac pessimo B adversario suo diabolo servit, a quo tanto graviora sortietur supplicia quanto plus nunc ei obsequitur.

Nona est, quod etiam in præsenti vita se affligit multiplici pœna, atque indignum se facit omni consolatione divina, spirituali, interna. Non enim habet peccator pacem, nec conscientiæ tranquillitate lætatur : imo remorsum synderesis multoties patitur. Nam, ut asserit Augustinus, animus inordinatus sibi ipsi est gravis. Ideo

Eccle. II, 26. scriptum est in Ecclesiaste : Peccatori C dedit Deus afflictionem et curam super-

Jer. II, 19. fluam. Et in Jeremia habetur : Scito et vide quia malum et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. Idcirco qui peccat, sarcinam gravem sibi ipsi imponit, qua et modo gravatur, et paulo post in infernum præcipitatur.

Decima est, quod aditum sibi facit ac portam ad tartarum, ad quem peccata mortalia portæ sunt. — Undecima, quod viam sibi obstruit regni cœlestis: imo quo- D tidie magis ac longius inde recedit, peccatis adjiciendo peccata. Et tamen fatue dicere solent : Ego promisi iter in regnum cœlorum. Imo facto testantur se promisisse viam in profunda ac tristia tartarorum.

Duodecima est, quod scienter ac sponte transit ad suspendium infernale : quia per hoc vere differt sapiens ab insipiente, quod sapiens pergit ad vitam beatam, insipiens vero ad infelicissimum terminum.

Eccle. VI, 8. Propterea in Ecclesiaste scribitur : Quid amplius habet sapiens a stulto, et pauper a divite, nisi ut pergat illuc ubi est vita?

Quum ergo in omni mortali peccato tot ac tantæ considerentur ac inveniantur stultitiæ, merito vitare debemus cum extremo posse omne peccatum mortale : quia nil stultius, nil vilius, nil periculosius ac damnabilius quam peccare.

ARTICULUS VII.

De eadem materia ex aliis considerationibus.

SAPIENTIA *foris prædicat, in plateis dat vocem suam, dicens: Convertimini ad correptionem meam; en proferam vobis spiritum meum.* *Prov.* I, 20, 23. Quemadmodum S. Basilius et ante eum Origenes testati sunt, sicut quinque sunt sensus exteriores, ita sunt quinque sensus spirituales: qui tamen secundum unum modum loquendi realiter idem sunt, utpote intellectus. Ipse etenim intellectus est visus interior quo Veritas summa conspicitur. Unde apud Matthæum ait Salvator : Beati mundo corde, quoniam *Matth.* V, 8. ipsi Deum videbunt. In Job quoque asseritur : Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul. *Job* XXXV, 25. Insuper intellectus est spiritualis interiorque auditus quo verbum Dei aure cordis percipitur, et quo anima audit quid Dominus Deus ejus intra eam loquatur, sicut ait Psalmographus : Audiam quid loquatur in me Dominus *Ps.* LXXXI, 9. Deus. Est etiam intellectus gustus interior quo divinæ bonitatis dulcedo gustatur, juxta illud Psalmi : Gustate et videte quoniam *Ps.* XXXIII. suavis est Dominus. Est item interior odoratus quo odor supernus percipitur; et tactus quo calor sancti amoris sentitur.

Hæc est ergo una ac grandis stultitia mortaliter transgredientis, quod omni sensu interiori spirituali privat se ipsum; nec solum facit se spiritualiter cæcum, sed etiam surdum, inodorativum, divinæ suavitatis imperceptivum, et prorsus insensibilem mente : ita quod coram hominibus non est tam turpis ac monstruosus et mi-

serabilis, qui omni caret sensu exteriori, quam deformis, miser ac fœdus est coram Deo, qui in mortali jacet peccato.

Præterea, quoniam homo per rationem est quasi rex et rector sui ipsius, Deus dedit ei consiliarios multos. In primis enim ipsemet Deus dignatur se exhibere consiliarium hominum, qui in Proverbiis ait injustis : Despexistis omne consilium meum. Ipse enim per divinum instinctum et inspirationem internam instruit, excitat, consulit et hortatur mentes nostras ad bona. Deinde Unigenitus Dei incarnatus, magni consilii Angelus, factus est noster consiliarius, de quo loquitur Isaias : Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, etc. Qui in Evangelio dedit nobis duodecim saluberrima sapientissimaque consilia. Unicuique quoque dedit Deus consiliarium optimum, angelum sanctum. Imo omnes Sancti per scripta et exempla quæ nobis reliquerunt, sunt consiliarii nostri, præsertim Apostoli ac Prophetæ; boni quoque prælati et prædicatores ac fervidi exhortatores, sunt consiliarii sapientes. Porro homines vitiosi ac dæmones, caro et mundus, sunt consiliarii mali. Nonne ergo stultissimus est qui mortaliter peccat, quoniam tot sapientissimos, fidelissimos amicissimosque consiliarios deserit ac repellit, et vitiosissimos, crudelissimos ac inimicissimos consiliarios audit ac sequitur? Quis comprehendere aut eloqui queat quanta sit ista fatuitas, imo insania? Quod si princeps terrenus sciret se habere quosdam consiliarios sapientes, fideles ac justos, quosdam quoque nequissimos, infideles ac invidos, sperneretque consilia illorum bonorum, et horum pessimorum audiret consilia : nonne talis ab universis stolidissimus reputaretur, et regno citius privaretur? Talis equidem fuit rex Roboam, filius Salomonis, qui relicto senum sapientiumque salubri consilio, acquievit consilio juvenum, ut legitur tertio Regum. Propter quod decem tribus Israel mox recesserunt ab ipsius dominio.

Prov. I, 25. — *Is.* IX, 6. — III *Reg.* XII, 13, 14.

Hæc est ergo secunda ac deploranda peccantis stultitia, quod repellit a se consilium summi ac supersapientissimi Dei, consilium Christi, consilium angeli sui, consilium universorum Sanctorum, consilium omnium qui verbum Dei ipsi proponunt, hortantur, instigant ad salutis itinera, et eorum acquiescit consiliis qui maxime odiunt ipsum, nec aliud quærunt nisi æternam damnationem ipsius.

Tertia peccantis insania est, quod æternæ damnationis periculis se exponit, quum nesciat diem neque horam; atque, ut sanctus ait Bernardus, septies stultior eo est qui nudo corpore poneret se in medio hostium armatorum. Unde, secundum sanctos doctores, nihil periculosius quam in illo vivere statu in quo quis mori non audet. Hinc scriptum est in Ecclesiastico : Non adjicias peccatum super peccatum, quoniam ira cito a Deo proximat, et subito veniet ira ejus. Ideo in Deuteronomio Moyses fatur : Dominus Deus tuus ipse est Deus fortis, reddens odientibus se statim, ita ut disperdat eos et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

Matth. XXV, 13. — *Eccli.* V, 5, 7, 9. — *Deut.* VII, 9, 10.

Quarta peccantis stultitia est, quia pro eo quod quotidie deberet se ipsum magis ac magis curare, et onus vitiorum suorum quo premitur minorare, econtrario assidue magis se gravat ac vulnerat. Quocirca recitari potest exemplum illud ex Vitaspatrum, de sancto eremita quem angelus duxit et opera hominum ei monstravit, et primo quemdam qui quum ligna colligasset in unum, et ea præ pondere nimio elevare non posset, pro eo quod pondus illud debuisset minuere, auxit ipsum.

Quinta est, quod antiqua renovat vulnera, quæ acrius nocent. — Sexta, quod nec aliena damna faciunt eum peritum. Quum enim sciat tot iniquos jam æternaliter esse damnatos, imo evasisse tam paucos, deberet illorum exemplo terreri ac pœnitere. Circa quod potest narrari exemplum illud de Balthasar rege Babylonis, cui Daniel propheta mortem et regni privationem prædixit, eo quod Deum non timuisset, quum tamen agnosceret quem-

admodum Nabuchodonosor rex, pater seu A potius avus ipsius, fuisset a Deo propter suam superbiam castigatus, prout apud *Dan.* v. Danielem diffuse describitur.

Septima est, quod eum offendit cujus misericordia et beneficiis maxime et incessabiliter eget, sustentatur ac utitur, cujus et solo nutu posset occidi, irreparabiliter damnari. Quod quam impium sit ac stultum, divina justitia in Antiocho rege ostendit, cui unus septem fratrum quos martyrizavit, in suo constitutus martyrio II *Mach.* VII, 19. prophetice pronuntiavit : Ne existimes tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris : ut secundo Machabæorum legitur. Quod qualiter fuerit ad- *Ibid.* IX. impletum, in eodem libro aliquanto post enarratur.

Ne ergo tantas incidamus stultitias, ne tot insaniis involvamur, cum omni solli- *Prov.* IV, 23. citudine sancta vitemus peccata, et omni custodia custodiamus incessabiliter corda nostra, atque in omnipotentis Dei præsentia reverenter vivamus.

ARTICULUS VIII.

De septem ex quibus pensatur peccati enormitas, loquendo in generali.

Job XXIV, 13. I*PSI fuerunt rebelles lumini*. Quicumque mortaliter peccat, rebellis est multiplici lumini. Primo enim rebellis est lumini increato, quod est Trinitas Deus, de I *Joann.* I, 5. quo Joannes asserit : Deus lux est, et tenebræ non sunt in eo ullæ. Et specialiter rebellis est Dei Unigenito incarnato, qui *Joann.* VIII, 12. ait : Ego sum lux mundi. Ipse quippe est *Ibid.* I, 9. lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. De quo ait *Ibid.* III, 19. Joannes evangelista : Lux venit in mundum, et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. Secundo rebellis est lumini creato, videlicet angelo sancto custodi suo, cujus inspirationibus non assentit. Tertio, lumini atque doctrinæ evangelicæ lucis, quam aspernatur. Quarto, luci gratiæ ac virtutum, quæ ad bonum inclinant. Quinto, lumini rectæ rationis, quæ deprecatur ad optima. Sexto, luci seu lucidæ informationi Ecclesiæ.

Itaque quam abominanda, fœda ac gravia sint peccata mortalia, ex septem consideratur. Primo, ex parte summi Legislatoris, videlicet Dei omnipotentis, contra cujus majestatem et legem agit qui mortaliter peccat. Certum est autem, quod quanto is contra et in quem peccatur majoris est dignitatis, tanto graviora sunt peccata quæ committuntur in eum : quem- B admodum gravius est peccatum contumeliam facere regi quam militum principi, et principi militiæ quam simplici militi ; atque adhuc multo gravius esset peccare in Papam quam in regem vel Imperatorem ; enormius quoque esset peccare in præsulem quam in principem sæcularem, et in sacerdotem quam in laicum. Quum itaque Deus excelsus ac adorandus sit prorsus interminabilis majestatis, sanctitatis ac dignitatis, cujus sapientiæ non *Ps.* CXLVI, 5. est numerus, cujus excellentiæ nullus est *Ps.* CXLIV, 3. C finis ; palam quod peccatum mortale, in quantum contra Deum committitur, infinitam quodammodo gravitatem sortitur. Ad quod insinuandum primo Regum habetur : Si peccaverit vir in virum, placari I *Reg.* II, 25. ei potest Deus ; si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo ? Itemque Osee ait : Noli lætari, et noli exsultare, *Osee* IX, 1. quia fornicatus es a Deo tuo. Omnis etenim qui mortaliter peccat, spiritualiter fornicatur a Deo, id est, mentem suam avertit a Sponso cœlesti, et animam suam, D quæ per fidem et caritatem fuit aut esse potuit sponsa Dei, facit adulteram ac fornicatricem diaboli. Et ita qui peccat, animam suam exponit diabolo constuprandam. Imo cum ipso interius fornicatur : quod prorsus iniquum est. Propter quod ait Psalmista ad Dominum : Quia ecce qui *Ps.* LXXII, 27. elongant se a te, peribunt ; perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Si quis pulcherrimam ac nobilissimam virginem regis filio desponsatam, exponeret ribaldo vilissimo polluendam atque

adulterandam, quam vitiosum hoc esset, A et quam ægre hoc ipsum acciperet filius regis ac pater ipsius? Quam gravissime ergo offendit Dominum majestatis, amatorem munditiæ, Sponsum animarum sanctarum, qui animam suam aut proximi sui impiissimo et supervilissimo totius turpitudinis amatori diabolo inquinandam et constuprandam exponit, præsertim quum anima rationalis sit creatura tam nobilis in sua natura, utpote superbeatissimæ Trinitatis imagine insignita, et multo nobilior ac pulchrior per dona gratuita, imo B et nobilissima per suam cum Sponso cœlesti desponsationem, unionem, amplexum et concorporationem?

Secundo peccati enormitas pensatur ex parte peccantis, idque dupliciter. Primo, ex parte proprietatis et status seu gradus ejus qui peccat. Nam quanto quis doctior, excellentior aut magis adstrictus est ad virtuosam exemplaremque vitam, seu plura ac majora desuper beneficia est sortitus, tanto (ceteris paribus) enormiora sunt ejus peccata, ita quod gravius peccat judex C aut princeps quam subditi, et paterfamilias quam ejus domestici, scabini quoque et ceteri officiati quam simplices cives. Secundo, ex parte radicis peccati. Nam gravius est peccare ex habitu vitioso seu ex proposito et certa scientia, quam ex ignorantia, aut infirmitate seu vehementia passionis. Hinc per Danielem conqueritur Deus de iniquis rectoribus : Iniquitas egressa est de Babylone a senioribus qui videbantur regere populum. Et ab Esdra inducitur : Manus principum et magistra- D tuum fuit in transgressione hac prima.

Dan. XIII, 5.

I Esdr. IX, 2.

Tertio enormitas peccati attenditur ex parte materiæ circa quam versatur. Gravius namque est furari calicem quam catinum; enormius quoque est nocere homini in propria sua persona quam in sua substantia; similiter gravius est peccare in religiosam quam in sæcularem personam. — Quarto, ex parte circumstantiarum, videlicet loci aut temporis : sicut gravius est fabulari, libidinose appetere, illicite cogitare in locis sacris ac festis diebus aut tempore pœnitentiæ, quam alibi aliisve diebus. — Quinto, ex parte finis seu intentionis. Quo enim deterior exstat finalis intentio prævaricantis, eo culpa ejus est major. — Sexto, ex propria ratione et proprietate peccati, videlicet quanto directe contrariatur altiori virtuti. Sic enim gravissimum peccatum est odium Dei, quia directe opponitur caritati divinæ, quæ est optima atque dignissima virtus. — Septimo, ex parte effectus peccati. Nam tanto peccat quis gravius, quanto iniquitas sua in plures extenditur, et quanto plures seu acrius alios scandalizat. Sicque, ceteris paribus, graviora sunt vitia quæ publice fiunt, et de quibus se aliquis jactat, quemadmodum ab Isaia dicitur de quibusdam : Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Et Christus in Evangelio : Væ (inquit) homini per quem scandalum venit.

Is. III, 9.

Matth. XVIII, 7.

ARTICULUS IX.

Qualiter peccati enormitas ex parte Dei multipliciter attendatur.

DISPERDAM eos qui avertuntur de post tergum Domini, et qui non exquisierunt Dominum, nec investigaverunt eum. Objectum appetitus est bonum : ideo unumquodque tantum habet de appetibilitate et amabilitate quantum habet de bonitate. Porro appetitus intellectivi (videlicet voluntatis) objectum est bonum intellectualiter apprehensum seu cognitum. Quum igitur Deus gloriosus ac sempiternus sit bonum increatum, incommutabile et immensum, imo bonitas pura, incircumscriptibilis, perfectionaliter infinita, constat quod ipse sit præ omni creatura infinite desiderabilis atque amabilis. Sed quanto ipse omnibus amabilior desiderabiliorque consistit, tanto major fit ei irreverentia ac injuria, dum aliquod bonum creatum caducum ei præfertur, et

Soph. I, 4-6.

præ ipso appetitur, honoratur sive ama- A tur. Quumque in omni mortali hoc fiat peccato, consequens est quod gravitas culpæ mortalis, per comparationem ad superexaltatam infinitamque Dei bonitatem, amabilitatem ac honorabilitatem, sit quodammodo infinita.

Secundo idem probatur ex consideratione divinæ sanctitatis atque justitiæ. Certum est namque quod quanto quis in se ipso vere sanctior exstat ac justior, tanto plus detestatur, exhorret, odit ac ponderat perversitatem turpitudinemque pecca- B ti. Quum itaque Deus sit substantialiter et interminabiliter in se ipso sanctus ac justus, ita quod suæ sanctitatis et æquitatis nulla mensura est nec aliquis terminus, patet quod omnem impietatem et culpam mortalem abominetur, abhorreat ac odiat infinite. Rursus, quo Deus in se ipso est sanctior, justior ac sapientior, eo peccati turpitudo, insipientia, perversitas est dissimilior ac displicentior ei, et ipse peccator quasi immensam dissimilitudinem, displicentiam ac odibilitatem coram C Deo incurrit peccando, et ea intra se diligendo ac retinendo quæ Deus sic reprobat. Amplius, quanto quis ad aliquid naturaliter magis afficitur, et quanto illud est ei magis placitum atque conveniens, tanto illius oppositum est sibi magis displicens atque contrarium. Deus autem naturaliter diligit bonum virtutum : ideo malum culpæ odit et reprobat vehementissime.

Tertio idem ostenditur ex parte divinæ auctoritatis ac majestatis immensæ. Quum D etenim Deus legifer noster sit summæ et incomparabilis auctoritatis ac majestatis, gravissimum est legem ejus contemnere, ejus præcepta transgredi nec curare, ejusque auctoritatem dissimulare. Ideo ipse per Jeremiam locutus est : Audi, popule stulte, qui non habes cor : me non timebitis, qui posui arenam terminum mari ? Et sanctus Moyses testatur quod Deus aversatur impium.

Jer. v, 21, 22.

Exod. xxiii, 7.

Quarto illud innotescit ex consideratione sapientiæ Dei omnia intuentis. Ad magnam quippe legislatoris seu præceptoris irreverentiam vilipensionemque pertinet, si subditi ejus, eo præsente ac intuente, ipsius præcepta audeant violare et sine timore ipsum offendere. Quumque sciamus Deum universa, etiam intima cordis, inspicere, ineffabiliter eum inhonorat ac aspernatur quicumque ejus præcepta transgreditur. Hoc pensans Propheta, ait ad Dominum : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo ; et denuo : Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Unde, ut scribit Boetius, grandis nobis indicta est bene agendi necessitas, quoniam ante oculos Judicis cuncta cernentis est tota conversatio nostra. Ideo vereamur ac verecundemur aliquam cogitationem habere immundam, et omnem illicitam appetitionem vitemus, quatenus Omnipotenti jugiter exhibeamus cor purum. Væ his qui humanam præsentiam amplius quam divinam attendunt, formidant ac venerantur.

I *Reg.* xvi, 7.

Ps. cxviii, 168.

Ps. xviii, 15.

De Consolat. lib. v, pros. 6.

Quinto idem monstratur ex parte copiosissimæ munificentiæ et beneficiorum Altissimi. Ipse namque est liberalissimus benefactor : qui ex sua mera bonitate et pietate tot et tanta bona nobis largitus est ; qui a tantis periculis ac peccatis eripuit nos ac præservavit ; qui de necessariis vitæ indesinenter providet nobis ; qui in tantis excessibus nostris tam longanimiter ac misericordissime nobis pepercit. Denique beneficia ejus generalia ac specialia, corporalia ac spiritualia, naturalia ac supernaturalia, et gloriosissima ejus promissa, prorsus innumerabilia sunt et ineffabiliter magna. Maximæ ergo improbitatis, perversitatis, insipientiæ ingratitudinisque consistit, benefactorem istum inhonorare, offendere, oblivisci, relinquere, cujus beneficiis jugiter indigemus, et sine cujus pietate ac dono nec ad momentum subsistere unquam valemus.

Sexto id ipsum innotescit ex parte dilectionis ac dignationis Dei ad nos. Ipse enim prior dilexit nos, non propter com-

I *Joann.* iv, 19.

Ps. xv, 2. modum suum, quia bonorum nostrorum non eget, sed ut nos suæ beatitudinis simus participes, et gloriæ suæ consortes. Et ita dilexit nos ab æterno sine meritis nostris, estque dilectio ejus ad nos summe gratuita, pura et maxima. Nam et Pater æternus unigenitum Filium suum maluit incarnari ac crucifigi, quam nos
Ephes. v, 2. damnari; similiter Filius Dei tradidit se ipsum pro nobis oblationem et hostiam Patri in odorem suavitatis. Quam enorme est ergo, quam ingratum, impium ac perversum, talem ac tantum amatorem, tam B piissimum præamatorem saltem non redamare, sed relinquere, inhonorare, abjicere, non observando præcepta ipsius, sed consentiendo adversariis sui honoris ac nostræ salutis?

Quum itaque tam abominabilia, enormia ac odibilia sint peccata, et ipsi peccatores similiter propter ea, juxta quod ait Osee
Osee ix, 10. propheta, Abominabiles facti sunt sicut ea quæ dilexerunt, utputa vitia quæ gesserunt; hinc merito Dominus per Jere-
Jer. xv, 1. miam de impiis protestatur : Si Moyses et C Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum. De quibus et Psal-
Ps. lii, 2. mista fatetur : Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in iniquitatibus.

Ex prætactis ergo considerationibus totis præcordiis detestemur ac fugiamus peccata; nec Deo aliquid præferamus, sed fideli ac integro corde ei super omnia adhæreamus ac obsequamur.

ARTICULUS X.

Qualiter peccata multipliciter aggraventur ex parte peccantis.

I Esdr. ix, 6. DEUS, *confundor, et erubesco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt us-*
Eccli. iv, 25. *que ad cœlum.* Hæc est confusio adducens gratiam et gloriam, hæc erubescentia salutaris, ex profunda consideratione multitudinis ac magnitudinis propriorum ex-

A cessuum verecundari faciem ad Deum levare, sed eam cum omni humilitate atque contritione in terram deprimere. Talis etenim fuit publicanus ille verissime pœ- Luc. xviii, 13.
nitens, qui nec oculos suos audebat levare ad cœlum, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Taliter agens Deum honorat, et ejus justitiam confitetur, juxta illud Baruch :
Anima quæ tristis est super magnitudine Baruch ii, 18.
mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, dant gloriam et justitiam tibi Domino. Denique, si quis sapienter et acute perpendat universa ex quibus vitiorum suorum augetur enormitas, tam reum ac miserum inveniet semetipsum, quod coram Deo inde vehementissime erubescet. Nunc itaque tangenda sunt breviter quædam ex quibus peccata gravantur ex parte peccantis.

Primo itaque, sicut prætactum est, pec- art. præced.
catum hominis tanto est gravius quanto majora ac plura a Deo beneficia sumpsit, quia magis ingratus est Deo. Quanto ergo quis ditior est, quanto potentior, nobilior sive sublimior, tanto plus tenetur vitare peccata ac subjici Deo. Ideo apud Lucam asserit Christus : Cui multum datum est, Luc. xii, 48.
multum quæretur ab eo.

Secundo gravatur peccatum peccantis ex ejus scientia. Nam quanto quis melius novit Dei præcepta, viam justitiæ ac Scripturas, tanto enormius peccat, nisi juxta suam vivat scientiam, sicut ait Salvator :
Servus qui cognovit voluntatem domini Ibid. 47.
sui et non fecit, plagis vapulabit multis.
D Jacobus quoque : Scienti (inquit) bonum Jacob. iv, 17.
facere et non facienti, peccatum est illi.

Tertio, ex priori vita virtuosa : ut dum quis post conversationem laudabilem recidivat. Propter quod beatissimus Petrus
in secunda sua testatur Canonica : Melius II Petr. ii, 21, 22.
erat illis non cognovisse viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. Contigit enim illis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum; et, Sus lota in volutabro luti.

Quarto, ratione prælationis aut præsi-

dentiæ sive officii : quia prælatus et judex debet esse justissimus, imo (ut ait Philosophus) quasi viva lex et animata justitia, ut nunquam declinet a virtute ac veritate.

Quinto, ex gradu et ordine sacro : quemadmodum gravius est peccatum doctoris ac sacerdotis quam idiotæ ac laici. Imo quicumque aliquem actum sacri ordinis cum conscientia peccati mortalis exsequitur, peccat mortaliter.

Sexto, ex facilitate resistendi peccatis. Sicque peccatum ejus qui bonæ est indolis, gravius est peccato ejus qui corruptæ est complexionis.

Septimo, ex religionis professione, seu prævia obligatione ad bonum : sicut in his qui voto solenni aut simplici seu juramento ad bona se constrinxerunt.

Octavo, ratione ætatis : sicut in sene vituperabilior est levitas morum, incontinentia, dissolutio, risus, quam in juniore. Ideo Scriptura ait : Tres species odivit anima mea : pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum. Hinc namque et apud Isaiam legitur : Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit. Porro puer centum annorum est senex carens condecentia morum, maturitate ac decore virtutum, intimoratus atque juvenibus inexemplaris : quod senibus summe vitandum est, qui paulo post morientur morte æternæ damnationis. Advertant ergo quod secundo Machabæorum de Eleazaro nonagenario scribitur : Eleazarus ætate provectus, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad supplicium. Destinavit enim non admittere illicita propter vitæ amorem ; et cogitare cœpit ætatis et senectutis suæ dignam eminentiam et ingenitæ nobilitatis canitiem, dicens : Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium decipiantur, et per hoc maculam senectuti meæ conquiram. Quamobrem fortiter vitam excedendo, senectute dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam. Ecce venerabilis et sanctus senex ille maluit pro justitia mori quam juvenes scandalizare. Idcirco hortatur Apostolus : Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote. Denique qui in mortali est culpa, puer est sensu, id est puerilis atque insipiens. Est namque vitium in eo puerilitatis, quod sapientiæ dono opponitur : quoniam sicut infantuli poma et pira præferunt auro ac gemmis, sic ipse carnalia et terrena plus appetit quam spiritualia ac divina.

(Eccli. xxv, 3, 4. — Is. lxv, 20. — II Mach. vi, 18-20, 23-25, 27, 28. — I Cor. xiv, 20.)

ARTICULUS XI.

De vitiorum enormitate ex parte objecti seu materiæ circa quam.

L*ONGÆVUS et honorabilis, ipse est caput.* Quum Deus gloriosus ac adorandus sit principium ac summum bonum honorabile, rationalis creatura tanto est honorabilior quanto fuerit Deo similior, propinquior sive divinior. Quemadmodum ergo peccata in Deum absolute sunt graviora propter incomparabilem atque immensam Dei excellentiam in omni sapientia, sanctitate ac dignitate ; sic peccata in proximum tanto graviora censentur quanto sapientior, virtuosior digniorque exstiterit proximus in quem peccatur.

Primo igitur enormitas culpæ in proximum perpenditur ex parte sapientiæ proximi in quem peccatur. Sapientia namque, ut ait Philosophus, est divina possessio. Salomon quoque : Pretiosior (inquit) est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Per sapientiam namque assimilatur homo Deo ac angelis. Ideo honorabilem facit habentem, quemadmodum Sapiens ait : Propter sapientiam habebo claritatem ad turbas, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me : propterea habebo per hanc, immortalitatem, et memoriam æternam his qui post me futuri sunt relinquam.

(Is. ix, 15. — Prov. iii, 15. — Sap. viii, 10, 11, 13.)

Eccli. xxvi, 25, 26. Hinc et alius sapiens fatetur : In duobus contristatum est cor meum : vir bellator deficiens per inopiam, et vir sensatus contemptus. Unde et rursus hortatur : Quum *Ibid.* vi, 36. videris sensatum, statim evigila ad illum.

A

Secundo enormitas peccati in proximum sumitur ex auctoritate, prælatione seu jurisdictione ejus in quem peccatur, et præsertim si præsit ei qui peccat in ipsum. Hinc Paulus apostolus suis scribit discipulis : Qui hæc spernit, non hominem *I Thess.* iv, 8. spernit, sed Deum. Moyses quoque inobedientibus filiis Israel dixit : Non contra *Exod.* xvi, 8. nos est murmur vestrum, sed contra Deum. Nempe quantum displiceat Deo rebellio contra superiores, omnipotens Deus evidenter terribiliterque monstravit in Dathan et Abiron, Core et Hon, quos propter hoc vitium terra vivos absorbuit cum tabernaculis eorumdem, ut in Numeris legitur. *Num.* xvi, 32. Hinc in spiritualem patrem seu pastorem peccare est valde enorme, quum dicat Apostolus : Qui potestati resistit, Dei *Rom.* xiii, 2. ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

B

Tertio pensatur hæc gravitas ex parte virtuositatis ejus in quem peccatur. Quum enim honor debeatur virtuti, quanto quis virtuosior fuerit, tanto iniquius est ipsum inhonorare.

C

Quarto, ex parte propinquitatis et consanguinitatis. Enormius est enim proprium fratrem quam alienum occidere, et magis contra legem naturæ. — Quinto, ex parte beneficiorum quæ quis ab eo in quem peccat accepit. Et propter has duas causas valde enorme est in proprios peccare parentes. Ex hac etiam causa specialiter grave est peccare in proprios instructores. Nam et Philosophus ait : Parentibus et magistris ac diis non potest reddi æquivalens. Propter quod in Ecclesiastico Sapiens loquitur : Danti mihi sa- *Eccli.* li, 3. pientiam dabo gloriam. Et Augustinus fatetur : Si me doceres quod nescio, libentissime te ferre deberem non solum verbis corripientem, sed etiam fustibus me cædentem.

D

Sexto, ex parte simplicitatis et innocentiæ aut etiam insipientiæ ejus in quem peccatur. Specialiter namque crudele est injuriari simplicibus, innocentibus et his qui rationis usu privati sunt. Sic et pusillos scandalizare iniquius est. *Matth.* xviii, 6.

Septimo, ex parte religionis, gradus seu ordinis sacri. Idcirco in religiosos et clericos (præcipue in sacerdotes) delinquere, est multum enorme.

Octavo, ex parte caritatis seu confidentiæ quam is in quem peccatur, habet in eo qui peccat in se, præsertim si peccanti id innotescat. Ideo in Proverbiis dicitur : Ne moliaris amico tuo malum, *Prov.* iii, 29. quum ille fiduciam habeat in te. Apud Job quoque scriptum est : Qui deridetur ab *Job* xii, 4. amico suo, invocabit Dominum, et exaudiet eum.

Nono, ex eventu contrario proximi. Ideo gravius est forefacere infortunatis, afflictis, oppressis, tentatis, captivis, quum non sit afflicto addenda afflictio, sed impendenda compassio, sicut Apostolus ait : Flete cum flentibus. Et sanctus Job pro- *Rom.* xii, 15. testatur : Flebam super eo qui afflictus *Job* xxx, 25. erat, et compatiebatur anima mea pauperi. In Ecclesiastico quoque admonetur : Non desis plorantibus in consolatione. *Eccli.* vii, 38.

Decimo, ex parte miserabilitatis eorum in quos peccatur. Propter quod specialiter grave est in pupillos, orphanos, viduas, inopes, peregrinos advenasque peccare. Unde per Moysen Dominus jussit : Adve- *Exod.* xxii, 21. nam non contristabis; et per Isaiam : Subvenite oppresso, judicate pupillo, de- *Is.* i, 17. fendite viduam. Salomon quoque : Qui *Prov.* xiv, 31. calumniatur (inquit) egentem, exprobrat factori ejus.

Undecimo, ex parte monstruositatis seu naturalis defectuositatis. Hinc in Levitico Dominus jussit : Non maledices surdo, *Lev.* xix, 14. nec coram cæco pones offendiculum. Itaque in naturalibus defectuosi, ut claudi, balbi, obtusi, non sunt propter hoc deridendi.

Duodecimo, ex parte ætatis. Propter quod in Levitico dicitur : Coram cano ca- *Ibid.* 32.

pite consurge, et honora personam senis. A Quocontra in libro Sapientiæ impii di-
Sap. II, 10. cunt : Non revereamur veterani canos multi temporis.

Tertiodecimo, ex parte nocumenti quod peccans infert ei in quem peccat. Hinc inter peccata in proximum, homicidium, mutilatio, adulterium exstant gravissima. Detractio quoque gravior est furto : quoniam aufert bonam famam, quæ præponenda est argento et auro. Seminatio vero discordiæ est pejor detractione : quoniam tollit caritatem et pacem, quæ præferendæ B sunt famæ.

Quartodecimo, ratione consecrationis materiæ : sicut enormius est vasa divino cultui consecrata, ecclesias monialesve violare.

Itaque juxta prætacta unusquisque diligenter vitam suam discutiat, conscientiam suam examinet, excessuumque suorum in proximos commissorum enormitates digne perpendat, emendet fugiatque deinceps. — Hoc quoque pensandum, quod frequenter in eodem peccato concurrunt multæ enormitates præfatæ.

ARTICULUS XII.

De vitiorum enormitatibus ex parte finis et circumstantiarum.

Matth. VI, 22, 23.
SI oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ; si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Sicut in prima se-
art. 1. cundæ, septima quæstione, loquitur Thomas, nomen circumstantiæ in actibus hu- D manis originaliter ac metaphorice sumitur a circumstantia secundum locum. Quemadmodum enim quod localiter rem circumstat, eam attingit, et tamen extrinsecum ei est ; sic conditiones concernentes actus humanos, et tamen extra eorum substantiam exsistentes, eorumdem circumstantiæ appellantur. Et sunt septem, ut Tullius ait. Quæ continentur hoc versu :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, [quando.

Sic et a distantia loci transfertur nomen distantiæ ad designandum quamcumque diversitatem seu distinctionem in rebus.

Itaque considerare debet homo in operationibus suis hæc septem, videlicet : quis fecit, hoc est, quis et qualis sit ipse qui fecit ; item quid fecit, et quibus subsidiis operatus est, quo etiam loco et tempore, et quo fine ac qualiter. Porro confessores et aliorum prælati omnia ista perpendere debent, non solum in propriis actibus, sed et in eorum actionibus, verbis, cogitationibus, affectionibus, quorum audiunt confessiones et quibus præsunt. Nec solum attendenda sunt septem hæc in actionibus hominum bonis ac malis, sed etiam in omissionibus earumdem.

Si autem his objiciatur, quod materia actionis non est extra substantiam ejus, sed quod quis egit, est ipsummet opus ; similiter finis est a quo actio nomen, rationem speciemque sortitur, ergo non habet se accidentaliter ad eamdem : materia ergo seu quid, et finis, non sunt circum- C stantiæ actionis. Dicendum, quod præinducta de circumstantiis verba intelligenda sunt non de principali et proximo fine, a quo sumitur species actionis, nec de ipso opere secundum se, sed de aliquo fine secundario et adjuncto ex libertate arbitrii, atque de quadam proprietate circa actum sive materiam ejus.

Itaque ad hoc quod actio hominis sit moraliter bona seu virtuosa, requiruntur septem prædicta : quoniam, teste divino Dionysio, bonum est ex omnifaria causa, De Div. nom. c. utpota concurrentibus omnibus quæ ad actus bonitatem exiguntur. Quod et Aristoteles docet : Bonum, inquiens, est ex integra causa. Quod intelligendum est de bonitate actus morali quantum ad suam perfectionem. Non enim cujuslibet circumstantiæ omissio bonitatem actus omnino corrumpit ; aliquam tamen imperfectionem seu defectum circa actum virtutis inducit. Si autem determinatio loci aut temporis cadat sub præcepto, omissio loci seu temporis bonitatem actus omnino cor-

rumpit seu impedit : ut si quis post prandium celebret, aut in loco non consecrato baptizet extra necessitatis articulum. Et idem de aliis circumstantiis est tenendum. Nimia quoque assiduitas omissionis circumstantiarum posset mortalem inducere culpam.

Præterea, secundum Alexandrum de Hales in Summa sua et super tertium Sententiarum, actus proprie vocantur humani, in quantum ex deliberata ratione ac voluntate procedunt. Quum igitur finis potissime moveat voluntatem (finis namque et bonum coincidunt, bonum vero est voluntatis objectum, objecti autem est movere potentiam), ideo finis seu cur quid fiat, est potissima circumstantia actus, deinde materia actionis, deinde modus seu qualiter factum sit aliquid : quod intelligendum est de qualitate actus non cadente sub præcepto. Nempe quod actio fiat bene, sub præcepto cadit ; sed modus seu gradus bene agendi non cadit regulariter sub præcepto, videlicet quod actio bona fiat cum tanta aut tanta promptitudine cordis, aut cum tali ac tanta devotione : nam magis aut minus in eadem naturà non variant speciem.

Itaque quanto plures circumstantiæ desunt actui bono, tanto est imperfectior, et præsertim si finis sit pravus, inficitur actionis bonitas : imo, si finis sit præcepto contrarius, actio redditur vitiosa ; et quanto fit aliquid ob finem magis illicitum, tanto deterius est. Rursus, quanto ordinatur actio ad plures fines illicitos, tanto est pejor : ut si quis furetur quatenus possit vacare non solum voluptati gulæ, sed item luxuriæ, aut cum pecunia ecclesiasticum beneficium simoniace procurare.

Insuper, secundum Thomam et Bonaventuram, aliosque doctores concorditer, duplex est finis. Unus proportionatus correspondensque operi quod ordinatur ad ipsum : qui proprie appellatur finis actionis seu operis. De quo utique fine intelligi debet dictum illud commune : Tunc opus

A est bonum, quum bonus est finis. Alius est finis, operi improportionatus ac alienus : qui dici potest finis ipsius operantis, quem scilicet sibi inordinate præfigit, tendendo in ipsum per media prorsus distorta et irrequisita : ut si quis dicat se velle inimicum occidere, quatenus illo occiso habeat pacem.

Considerandum est demum in opere malo ex quanto cordis affectu procedat : quia tanto vitiosius est quanto ex intensiori peccandi voluntate egreditur.
B Similiter est pensandum quoties factum sit, et quali subsidio, atque cum quali persona, et cum quali aut quanto scandalo proximorum.

Sicque intuenda ac ponderanda sunt omnia ista : quoniam, ut frequenter beatus ait Gregorius, sæpe quod bonum ab hominibus creditur, a Deo pravum censetur, et inde Deus magis offenditur unde honorari ac placari putatur. Propter quod Salomon dixit : Est via quæ videtur homini justa, et novissima ejus ducunt ad *Prov.* XIV, 12.
C mortem. Et Psalmista : Delicta (inquit) quis intelligit ? *Ps.* XVIII, 13. Quasi dicat : Non potest homo culpas suas rite discernere, et universas ac singulas intelligere clare, sine illuminatione et directione divina. Hujus rei veritas innotescit in tribus amicis beati Job, *Job* II, 11 et seq. qui putabant se multum virtuose pro Dei honore zelari ac disputare, et tamen audire a Domino meruerunt : Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos. *Ibid.* XLII, 7. Quod Dominus dixit ad principalem eorum, et per eum ad alios, ut apud Job
D habetur. Similiter Ozias rex Juda a Deo percussus est lepra, *II Par.* XXVI, 19. quia præsumpsit thurificare : in quo putavit se agere valde bene, ut legitur secundo Paralipomenon. Gedeon quoque faciendo ephod ex inauribus aureis, *Judic.* VIII, 27. et illud in domo sua ponendo, putavit se optime facere : et tamen factum est ei ac domui ejus in ruinam, ut Judicum octavo describitur.

Hinc Dominum quotidie deprecemur ut mentes nostras illuminare dignetur, ita ut ejus lumine intra nos radiante, conspi-

ciamus perfecte quidquid in nobis culpabile est, et quantum unumquodque culpabile sit. Nunquam enim deprehendit homo imperfectum ac malum suum tam limpide sicut dum copiose illuminatur a Spiritu Sancto : imo quemadmodum sole lucente in domo, clarissime atomi videntur in radio ; sic Deo radiose splendente in anima, videntur peccata etiam minutissima.

ARTICULUS XIII.

De turpitudine, odibilitate et fugibilitate peccati in se ipso.

Eccli. xxi, 2. QUASI *a facie colubri fuge peccata.* Quemadmodum virtute nihil splendidius, ita peccato nihil turpius. Denique, quum peccatum sit recessus atque aversio, dissimilitudo ac lapsus a pura et infinita Dei bonitate ac sanctitate, et a supersplendidissima sapientia ac justitia ejus, constat quod peccatum in se ipso sit ineffabiliter turpe, fugibile atque odibile : et sicut Creator omnipotens, qui per peccatum inhonoratur, offenditur ac relinquitur, est amabilitatis, pulchritudinis ac honorabilitatis penitus infinitæ ; sic peccatum per respectum ad ipsum infinitam habet fugibilitatem, odibilitatem ac deformitatem. Propterea magis deberet homo propriam vitam et omnia mundi bona, imo et cuncta creata, velle amittere, quam peccare mortaliter. Imo nec veniale peccatum committendum est aut admittendum pro conservatione propriæ vitæ aut alienæ, ut Augustinus disseruit : imo, ut Thomas declarat, non debet homo venialiter peccare ut valeat proximum a mortali culpa eripere.

Præterea, minimum malum culpæ seu minima culpa, pejus est ac turpius, odibilius fugibiliusque consistit quocumque malo pœnæ seu omni supplicio : idcirco pro nulla adversitate, tribulatione aut morte vitanda, pro nulla prosperitate aut commoditate adipiscenda debet quis culpam quantumlibet parvam committere. Rursus, quum homo debeat Deum in infinitum magis diligere quam se ipsum et totum mundum, non debet Deum offendere pro quocumque bono creato habendo, nec pro aliquo malo pœnali vitando.

Amplius, unumquodque mortale peccatum tanto est pejus ac turpius, quanto virtus ei contraria præstantior atque splendidior comprobatur. Merito igitur etiam unus gentilium sapientium perhibuit : Seneca. Quamvis scirem deos mihi ignoscituros, tamen nollem peccare, propter ipsam peccati fœditatem in semetipso. Hujus exemplum habemus in sanctis martyribus, qui universorum tormentorum genera perpeti maluerunt quam a veritate et via æquitatis rectaque fide recedere, aut Deum aliquo modo inhonorare.

Verumtamen præinductis objici posset, quod sanctus propheta Michæas ait : Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer ; et quod Paulus optabat anathema esse a Christo pro fratribus suis Judæis ; itemque quod Moyses locutus est Deo : Aut dimitte populo hanc noxam, aut dele me de libro quem scripsisti. Hieronymus quoque prætacta Michææ verba ita exponit : Utinam verus propheta non essem, sed pseudo, et Spiritu Sancto carerem, quatenus multitudo Judæorum converteretur et crederet in Filium Dei. Mich. II, 11. Rom. IX, 3. Exod. XXXII, 31, 32.

Respondendum ad omnia ista, quod præfati Sancti verba præhabita sunt locuti ex ardentissima caritate salutis populi sui : idcirco per modum hyperbolicæ locutionis recte intelliguntur, quoniam vehementiam ardoris quo ad fratrum salutem accendebantur, acerbitatem quoque doloris quo de illorum perditione atque periculo affligebantur, aliter tam convenienter ac plene nequibant exprimere nisi utendo hoc modo loquendi quo aliquid dicitur per excessum. — Postremo, in verbis illis Michææ, Utinam mendacium potius loquerer, mendacium accipi potest materialiter, non formaliter, utputa pro

sermone sine intentione fallendi prolato, qui tamen ex aliis causis ab adimpletione rationabiliter impeditur, quemadmodum in prophetiis ac verbis comminationis contingere solet.

Totis itaque viribus integrisque præcordiis omne peccatum odiamus ac devitemus propter fœditatem sui ipsius, et propter ceteras causas prætactas. Nec timore nec adulatione nec ulla affectione flectamur ad culpam, cum virili illa Susanna
Dan. XIII, 23. dicentes : Melius est mihi incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini.

ARTICULUS XIV.

Quod nemo valeat in vita præsenti enormitatem peccati perfecte concipere, nec plene intelligere.

Job XI, 5, 6. UTINAM *Deus ostenderet tibi secreta sapientiæ suæ, et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quam mere-*
Art. VIII, IX. *tur iniquitas tua.* Sicut ostensum est, tanto major est peccati enormitas, quanto major est dignitas ac majestas Omnipotentis, bonitas, sanctitas atque justitia Creatoris, qui peccata prohibuit, cui per peccata præferuntur carnalia et caduca, cujus voluntati ac sapientiæ peccata sunt summe contraria. Ideo, sicut incircumscriptibilem perfectionem, majestatem sanctitatemque Dei plene cognoscere non valemus in statu vitæ præsentis, sic nec modo perfecte capere possumus quanta sit gravitas vitiorum ; sed quanto quis altius illuminatur a Spiritu Sancto, tanto peccatorum enormitatem limpidius intuetur.

Hinc viri perfecti et sancti venialia sua acutissime consideraverunt, et ea vehementer exaggeraverunt, atque ex eorum consideratione profundissime humiliaverunt, cordialiter despexerunt, acerrime castigaverunt se ipsos : quemadmodum de sancto narratur Hieronymo in libro de Obitu ejus, quod levissima venialia tam inundanter ac dolorose deflevit quotidie, quasi homicidium perpetrasset. Cui etiam fletui proportionatam satisfactionem adjecit : quia, ut legitur ibidem, omni die se ipsum ter flagellavit usque ad sanguinis sui effusionem.

Præterea, sicut præhabitum est, quanto plura et eminentiora sunt beneficia ac promissa Domini Dei et Salvatoris nostri super nos, tanto major enormitas, ingratitudo, negligentia in nostris consistunt peccatis. Ideo, sicut beneficia et promissa Dei nostri omnem nostram transcendunt capacitatem, omnem æstimationem ac numerum ; ita incomprehensibilis nobis est enormitas, ingratitudo, negligentia, perversitas vitiorum nostrorum. (Art. IX.)

Amplius, quemadmodum una actio virtuosa ornatur, augetur et roboratur ex alia ; quemadmodum etiam in exercitu unus constipatur, fulcitur ac confortatur ab alio : sic unum peccatum ex alio aggravatur et deturpatur, atque in acie vitiorum unum ex alio pejoratur. Assiduitas quippe offendendi auget contemptum, et recidivatio ingratitudinem. Ideo, sicut culpæ cogitationum, affectionum, locutionum, operationum et omissionum nostrarum tot ac tantæ exsistunt, quod cognitionem nostram distinctam superant ac evadunt ; sic et vitiorum nostrorum enormitas nostram, heu ! prorsus excedit notitiam. Ideo ex intimo cordis affectu cum Psalmista dicamus : Circumdederunt me mala quo- Ps. XXXIX,
rum non est numerus ; comprehenderunt 13.
me iniquitates meæ, et non potui viderem. Hoc intellexit Manasses rex Juda, quando ex illuminatione divina cordialiter pœnitens dixit : Peccavi super numerum (Oratio Manassæ.) arenæ maris.

Adhuc autem, cetera præinducta ex quibus peccati enormitas sumitur, tot et tanta consistunt, quod ea in particulari determinate cognoscere non valemus, videlicet circumstantias, fines, qualitates peccantis, nocumenta ac scandala ex peccatis nostris secuta, proprietates ac dispositiones materiarum seu objectorum peccati. Hinc nostrorum gravitas vitiorum mentis no- (Art. XII.)

stræ cognitionem transcendit. Quod utinam jugiter perpenderemus! Profecto displiceremus nobis ipsis displicentia saluberrima et immensa, atque præ erubescentia quasi (ut ita loquar) defoderemus nos ipsos sub terra, omnique obsequio creaturarum arbitraremur nos prorsus indignos : indignos, inquam, pane quo vescimur, aere quem respiramus, terra quam calcamus; sicque omnem adversitatem, aspernationem, famem, injuriam patientissime sustineremus: imo nullam adversitatem, nullam increpationem aut persecutionem reputaremus injuriam nostram, quoniam omnia talia multoque graviora nos promeruisse humillime fateremur.

Scal. parad. grad. v.

Hinc Joannes Climacus, vir illuminatissimus, contestatur : Si peccata nostra secundum quod ponderanda sunt ponderaremus, arbitraremur nos non posse satisfacere pro eisdem, etiamsi mille annis abstineremus in pane et aqua, universumque mundum produceremus nobiscum et pro nobis plorantem, totum quoque Jordanem fluvium plorando efflueremus per oculos nostros. Quid etenim est omnipotentem et infinitum Deum offendere, quem Seraphim et Cherubim non audent sine reverentia summa inspicere? Hinc demum Hieronymus ait in Regula sua : Forsitan parvam æstimas culpam; dico tibi quod nec pro minima culpa totus satisfacere mundus posset, nisi Deus ex sua pietate dignetur ignoscere. Hoc et in Regula sua scribit Basilius.

Ex quibus reor patere quam subtilissime Augustinus locutus sit vicesimo primo de Civitate Dei : Ideo pœna æterna quæ pro temporali peccato infligitur, dura et quasi injusta sensibus videtur humanis, quoniam in hac vita mortali deest nobis ille altissimæ atque purissimæ sapientiæ sensus, quo sentiri ac inspici possit quantum nefas in prævaricatione committatur.

Denique, sicut Deus sublimis et benedictus in se ipso incomprehensibilis exstat, et tamen quam incomprehensibilis atque immensus sit, per ejus effectus aliqualiter innotescit; sic quamvis comprehendere nequeamus quam enormia sint peccata, nihilo minus ex eorum effectibus ac sequelis patescit quam ineffabiliter gravia sint censenda. Quod primo monstratur ex æterna damnatione, infernalique et irremediabili pœna, quæ pro una mortali infligitur culpa: in qua tamen pœna ipsum peccatum citra condignum punitur. Nempe ex hoc quod non obstante omni pietate et misericordia Creatoris, omnique caritate quam ad suas habet creaturas rationales, projicit animam sua imagine insignitam et Christi sanguine liberatam in tartarum æternaliter puniendam, ostenditur peccati enormitas esse incomprehensibilis quodammodo et immensa. Quod etiam ex angelorum lapsorum condemnatione probatur. Siquidem non obstante quod Lucifer ille filius diluculi, signaculum similitudinis, pulcherrimus ramus condensisque frondibus extentus ac protegens, fuerit prima, summa, amabilissima ac splendidissima creatura, tamen per unum mortale peccatum sic sorduit atque displicuit Creatori, quod protinus in momento præcipitavit ac perdidit eum in sempiternum.

Ezech. XXVIII, 12, 14.

Secundo idem innotescit ex hoc quod nulla pura creatura fuit idonea et condigna satisfacere pro generis humani peccato, sed Unigenitum Dei, verum Deum, oportuit incarnari ac mori ad satisfaciendum pro illo. — Tertio, ex hoc quod Pater æternus maluit unicum Filium suum, quem non minus diligit quam se ipsum, tam acerbissimam ac turpissimam mortem pati, quam peccatum manere inultum.

Quarto idem hinc constat quod quantumcumque multa ac magna opera bona quis egerit, tamen per unum mortale peccatum sic sordidatur, deordinatur atque tam displicens Deo efficitur, quod universorum præteritorum præmiis meritorum privatur, et Dei constituitur inimicus, peritque in æternum, nisi pœnitendo tantum recuperet damnum, quemadmodum

Ezech. XVIII, 24. per Ezechielem Dominus protestatur : Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ quas fecerat, non recordabuntur, in prævaricatione sua et in peccato suo morietur.

En quantis periculis sumus expositi, quantis miseriis laqueisque involvimur. Prov. XXVIII, 14. Idcirco beatus homo qui semper est pavidus; I Cor. x, 12. et qui stat, videat ne cadat; atque Philipp. II, 12. cum metu, tremore et timore unusquisque suam operetur salutem.

ARTICULUS XV.

De gravitate et multiplicitate peccati omissionis.

Josue XVIII, 3. USQUEQUO *marcetis ignavia, et non intratis ad possidendam terram quam Dominus dedit vobis?* Solus sapiens et supersapiens Deus nihil casualiter aut frustra efficiens, propter certum finem, imo propter supernaturalem beatitudinem, utpute propter sui ipsius claram per speciem visionem, beatificam fruitionem, contentativam possessionem, condidit atque Job XXVIII, instituit genus humanum. Universorum etenim finem ipse considerat; cui ait Propheta : Ps. LXXXVIII, 48. Numquid vane constituisti omnes filios hominum? Ideo totum tempus seu spatium vitæ præsentis ad hoc nobis concessit, ut in eo ad beatitudinem illam gradiamur, properemus, conemur, hoc est, ut bonis actibus insistamus, et universa quæ agimus ac habemus, ad illam felicitatem finaliter ordinemus, atque de culpis incidentibus vere pœniteamus. Ideo non solum in sæculo isto graviter multipliciterque peccamus mala agendo, cogitando, et inordinatos motus passionum habendo, illicitas quoque voluntatis affectiones admittendo, ac male loquendo; sed etiam bona omittendo, id est, bonas cogitationes, virtuosas affectiones, utilia verba ac debita opera negligendo.

Insuper, quemadmodum peccata commissionis sunt contra præcepta negativa, quæ obligant semper et ad semper, quoniam nunquam licet facere malum; sic peccata omissionis sunt contra præcepta affirmativa, quæ obligant semper, id est omni tempore opportuno, sed non ad semper, id est non quocumque tempore determinato : quia non tenemur omni hora actualiter agere bonum, quum nec hoc videatur esse in hac vita possibile, nisi per omnipotentiam Dei. Itaque tunc per omissionem peccatur, dum actio bona negligitur tempore illo quo fieri debet. Quod aliquando est mortale, dum scilicet contrariatur caritati seu præcepto, ita quod præcepti impletio omittitur tempore debito. Interdum vero est veniale : ut dum actio bona neglecta non cadit pro tunc sub præcepto, aut dum circa actum bonum negligitur aliquid quod ejus bonitatem et speciem non corrumpit in toto.

Præterea diligentissime advertendum quod S. Thomas super Job ait, affirmans quod homo quotidie plus peccat omittendo quam committendo. Quod est verbum multum notabile, sed magis terribile. Nempe dum homo otio aut torpori seu negligentiæ vacat, peccat per omissionem, tuncque expendit tempus suum infructuose. Dum autem malis insistit ac immoratur cogitationibus, affectionibus, verbis aut actibus, non solum peccat per commissionem seu mala agendo, sed etiam bona omittendo ac negligendo : ut patet in his qui confabulando, potando, comessando, ridendo, jocando, ludendo, superflue tempus suum expendunt, et plurimas horas insipienter ac damnose consumunt. In quibus graviter prævaricantur legem Altissimi, non solum exercendo prætactos atque consimiles actus illicitos, sed item omittendo actus virtuosos quos tunc exercere mente, ore ac opere deberent aut obligantur. Tales quippe non implent præceptum illud Apostoli ad Colossenses scriptum : Omne quodcumque facitis in verbo Coloss. III, 17. aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi agite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum; nec illud quod rursus ad Corinthios scribit : Sive manducatis, I Cor. x, 31.

sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite ; imo nec illud quod apud Matthæum jubet Salvator : Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus. Per quæ omnia edocemur atque jubemur universa quæ agimus ad debitum finem referre, hoc est ad Dei honorem ac gloriam beatitudinemque æternam primo seu principaliter ordinare : ad quem finem opera prava seu vitia non sunt referibilia. Imo qui opera bona ex genere non referret tempore opportuno ad hujusmodi finem, transgrederetur præceptum et peccaret mortaliter, ac opera illa exerceret infructuose.

Matth. VI, 33.

A

B

Ex quibus ostenditur quam periculosa ac vitiosa sit carnalium et sæcularium hominum vita, potissime divitum ac potentium, otiosorum et intimoratorum, qui frequenter per duas aut plures horas sedent crapulose edendo, potando, fabulando, ridendo : infra quod tempus possent tam multa agere bona, et tantum proficere in virtute et gratia, imo et in felicitate ac gloria sempiterna. Quibus ergo isti sunt similes, nisi mercatoribus pigris ac fatuis, qui eo tempore quo pretiosissimas possent opes facili conatu acquirere ac maxima lucra sortiri, torpore et negligentia resolvuntur? Quibus omnibus Salomon clamat : Usquequo, piger, dormies? Quando consurges de somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis ; et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.

C

Prov. VI, 9-11.

Postremo, qui tales sunt, sæpe sic excæcantur, tamque insensibiles ad ea quæ sunt suæ salutis redduntur, ut excogitent et requirant qualiter tempus suum possint in actibus vanis et frivolis cum aliquantula saltem delectatione expendere : quibus tempus indultum sic vilescit quasi in eo nil pretiosum, nil salubre queant peragere. Quid, inquiunt, vultis cum tempore facere? Fabulemur, lætemur, potemus donec prætereat hora. O quid dicis, insipiens? O donec pertranseat hora quam tibi donavit pietas Creatoris ad pœnitentiam peragendam, ad gratiam promerendam, ad gloriam obtinendam ; donec prætereat hora qua placare divinam debueras majestatem, ad angelicam properare societatem, suspirare ad hereditatem cœlestem amissam, adspirare ad felicitatem promissam, tuam remissam accendere voluntatem, flere commissam iniquitatem! Quum ergo tot bona in tempore fieri valeant, et nihilo minus negligantur, atque tot mala in eo fiant, recte dixit sanctus pater Bernardus : Nihil pretiosius tempore, et nil eo nunc vilius reputatur.

D

Hæc igitur perpendamus, et tempus vitæ nostræ residuum non solum non infructuose consumamus, sed et præteritum tempus nostrum infructuose consumptum recuperemus in eo. Nunquam otio locum demus ; imo et in exteriori occupatione ac opere manuali mentem ad Deum elevemus assidue, orando, meditando atque ad Deum inardescendo, ut cum Psalmista dicere valeamus : Oculi mei semper ad Dominum. Talis fuit sanctus ille anachoreta abbas Arsenius, qui a sæculari conversatione ad eremiticam vitam conversus, tam incessabiliter ac ferventer sanctis actibus insistebat, quod dicere consuevit : Sufficit monacho infra diem et noctem una hora ad dormiendum. Quumque circa auroram somnolentia gravaretur, dixit ad somnum : Veni, serve male. Sicque sedendo paululum requievit. Hoc exemplo excutiant se dormitores a somni sui diuturnitate atque torpore, pensantes quam multa bona amittant infra tempus quod tam ignaviter viliterque consumunt.

Ps. XXIV, 15.

ARTICULUS XVI.

De veniali peccato et ejus effectibus.

JUSTUS *septies cadet et resurget.* Quum tanta sit pronitas hominum ad peccandum, atque tam valide et instanter ab invisibilibus hostibus impugnentur ac incitentur ad mala, constat quod sine grandi custodia non valeant diu peccata vitare

Prov. XXIV, 16.

mortalia. Propter quod Scriptura protestatur : Qui spernit modica, paulatim decidit. Est enim veniale peccatum inordinatio mentis in cogitando, appetendo, loquendo aut operando, non directe contraria caritati neque præcepto, sed aliqualiter inde abducens. Rursus, veniale peccatum est deviatio quædam ab ultimo fine, non tamen totalis recessus ab eo. Iterum, veniale peccatum est adhæsio inordinata circa bonum creatum, tamen citra Deum : idcirco non aufert totaliter caritatem.

Eccli. XIX, 1.

Primus itaque venialis peccati effectus et primum ipsius damnum est, quod mentem aliquo modo obscurat et aliqualiter maculat, ita ut tota pulchra non exstet. Unde propter admixtionem venialium cum nostris operibus bonis apud Isaiam habetur : Facti sumus ut immundi omnes nos; quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Hinc dicit Gregorius, quod sicut mortale peccatum mentem obtenebrat, sic veniale eam obscurat. Gratia namque gratum faciens et caritas ac virtutes causant habitualem splendorem spiritualem in anima : qui splendor per actus virtuosos augetur, sed ex venialis admixtione peccati quodammodo offuscatur. Nam ipsum veniale tantum habet de ratione immunditiæ quantum de ratione peccati. Potissime quoque venialia admiscent se nostris actibus bonis, et eos suo modo commaculant, nisi cum ingenti cordis custodia fiant. Ideo in divino obsequio, præsertim in oratione, coercendum est cor ab evagationibus suis et stabiliendum in Deo.

Is. LXIV. 6.

Secundus venialis peccati effectus est, quod caritatem ceterasque virtutes aliqualiter lædere ac debilitare videtur, quia subjectum earum aliqualiter trahit et assuefacit ad mala. Quemadmodum enim actio bona caritatem confortat, sic veniale peccatum lædit eamdem (quamvis quidam aliter dicant, asserendo quod veniale non attingat caritatem, idcirco nec lædat eam). Veniale enim est realiter in voluntate,

A eamque aliquo modo lædendo, debilitat caritatem. Nempe, ut etiam Bonaventura testatur, sicut se habet vulnus letale in corpore, sic mortale peccatum in anima; et sicut se habet in corpore læsio non letalis, sed tamen aliquo modo nociva atque pœnalis, ita se habet in anima venialis culpa.

Tertius ejus effectus est, quod caritatis actualem fervorem diminuit, infrigidat, tollit. Hinc aliqui dicunt, quod sicut mortale peccatum opponitur caritati, sic veB niale caritatis fervori.

Quartus, quod a spirituali profectu impedit hominem, quum sit deviatio quædam a rectitudine æquitatis ac sinceritate virtutis, et quia retardat atque debilitat animam ab actuum exsecutione bonorum : nam et onerat animæ vires.

Quintus, quod adstringit ad pœnam sive in præsenti sive in futuro solvendam ac sustinendam. Deus namque inultum abire non patitur, qui nullum malum deserit impunitum. Et quamvis veniali culpæ non C debeatur per se pœna æterna, nihilo minus in damnatis punitur punitione perpetua per accidens, puta propter mortale peccatum, cui annexa est, secundum multos doctores.

Job XXIV, 12.

Sextus, quod a spiritualis gustu dulcedinis, a consolatione interna, a familiaritate divina impedit hominem : siquidem aliquo modo elongat mentem a Deo et displicet ei, perfectionique caritatis et amicitiæ plenæ suo modo repugnat, animamque aliqualiter inquietare ac fœdare D censetur. Amicorum etenim est per omnia eadem velle ac nolle, nec quidpiam mutuo offensivum ac displicens perpetrare, ut in Ethicis ait Philosophus.

Septimus, quia retardat a gloria quousque debite puniatur. — Octavus, quoniam gloriam cœlestis felicitatis diminuit, non eam quæ caritati ac virtuosis debetur operibus, sed quæ obtineretur si venialia vitarentur, quia tunc actus meritorii ex caritate procederent ferventiori. — Nonus, quia per venialia tempus infructuose

consumitur, et multa bona opera omittuntur.

Decimus ac periculosissimus ejus effectus est, quod ad mortale peccatum disponit. Cujus rationem Thomas in prima secundæ, quæstione octogesima octava, (art. 3.) assignans : Per veniale (inquit) peccatum assuescit voluntas propriæ acquiescere affectioni ac libertati, et rectum relinquere ordinem : per quod paulatim fit contumax et ad mortale proclivis. Veniale quoque peccatum aliquo modo delectat : ideo sua delectatione allicit ad pejora, et spiritualem consolationem diminuit.

Hos ergo effectus istaque nocumenta parit veniale peccatum ex sua natura. Verumtamen in viris perfectis aut etiam fortiter proficientibus, venialia et quotidiana peccata ita quotidie consumuntur et emendantur per caritatis fervorem, per assiduam mentis ad Deum elevationem, per timoratam cordis custodiam, per confessionem et contritionem internam castigationemque pœnitentialem, ac alia supererogationis exercitia virtuosa, præsertim per orationem ac psalmodiam, patientiamque in adversis, quod non solum præservantur a præfatis venialium peccatorum nocumentis atque effectibus, sed etiam omni die mirabiliter crescunt in omni virtute ac gratia, nec colligunt lignum, fœnum ac stipulam. (*I Cor.* III, 12.)

Hinc Thomas in prima secundæ, quæstione octogesima nona, (art. 2.) testatur : Peccata venialia quæ se commiscent actibus bonis procurantium seu administrantium exteriora, per lignum, fœnum ac stipulam designantur. Quemadmodum enim lignum, fœnum ac stipula colliguntur et reponuntur in domo, nec pertinent ad domus substantiam, imo ea manente possunt comburi : sic peccata venialia esse possunt in homine bono, manente in ipso spirituali ædificio caritatis ; et tamen pro illis peccatis homo patietur ignem vel tribulationis præsentis, vel purgatorii, sicque salvus erit quasi per ignem. (*I Cor.* III, 15.) Porro homines spirituales, qui solis occupantur divinis, quamvis venialiter peccent, non tamen superædificant lignum, fœnum ac stipulam : quoniam per caritatis ardorem atque frequentem cordis elevationem ad Deum consumunt illa in se. Occupati autem circa exteriora, non tam ubertim, prompte ac fervide se ad Deum erigere valent : ideo dicuntur illa in se superædificare. Denique per lignum, quod diutius durat in igne, intelliguntur venialia graviora, quæ cohærent tenacius atque diutius puniuntur; per stipulam vero levissima, per fœnum autem ea quæ medio modo se habent.

Postremo, ex præhabitis innotescit quanta eorum sit insipientia, quam periculosa ipsorum sit vita, qui ad vitandum venialia non exsistunt solliciti, dicentes sibi sufficere si vitent mortalia et tormenta evadant perpetua : sicque in quodam manent torpore atque ignavia, non satagentes proficere, sed suis contenti angustiis, in quadam mediocritate secure se stare ac posse salvari stolide arbitrantur. Hinc ad risus, jocos, verbositates, levitates, dissolutiones et consimilia sunt proclives. Miseri isti non pensant quod non proficere, sit deficere, non progredi, sit regredi. Nec illud Ecclesiastici rite perpendunt, quo legitur : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, (*Eccli.* XXVII, 4.) id est cor tuum, in quo per cogitationem affectionemque habitas. Etenim timor Dei retrahit a peccato. (*Ibid.* I, 27.) In quo timore oportet instanter persistere, (*Prov.* XXIII, 17.) et coram Omnipotente sollicite ambulare : (*Mich.* VI, 8.) aliter homo non potest mortalia vitia evitare.

Hinc ait Gregorius : Dum parva vitia non cavemus, in magna delabimur. Hieronymus quoque : Mens (inquit) Deo dicata sic debet vitare peccata minora sicut majora. Nempe, quum Augustino testante, ipsa irrefrenata venialium consuetudo a mortali non excusetur, quomodo poterit mortalia peccata diu evadere, qui omni cum diligentia non cavet venialia mala, præsertim quum venialia sint via ac dispositio ad mortale ?

Advertant ergo ac paveant negligentes

et pigri quod in Apocalypsi loquitur Christus uni eorum, et per illum omnibus eis : *Apoc.* III, 15, 16. Scio opera tua, quia nec calidus es nec frigidus : utinam calidus esses aut frigidus ; nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Nemo igitur palpet, nemo fallat se ipsum. *Matth.* VII, 14. Arcta est via salutis. Atque, ut scribit Gregorius, quidam tanto periculosius jacent in peccatis minoribus, quanto illorum periculositas vitiorum minus percipitur : vitia namque secretiora, et quæ virtutum similitudinem quamdam gerunt, difficilius solent curari B atque facilius excusari.

ARTICULUS XVII.

De multiplici divisione peccati.

Jacob. III, 2. IN *multis offendimus omnes*. Recte dixit S. Jacobus, quia in multis offendimus *Ephes.* II, 3. omnes : quia et filii iræ nascimur ; et *Ps.* L, 7. Propheta testatur : Ecce in iniquitatibus conceptus sum. Hujus veritas clarius innotescet, si varia peccati divisio atten- C datur.

Una ergo peccati divisio est, quod peccatum aliud est originale, aliud personale seu actuale. Attamen peccatum originale in primis parentibus fuit personale et actuale, quia illud realiter commiserunt ; in posteris vero originale vocatur, quia a prima origine seu primis parentibus illud trahunt, et a nativitatis suæ exordio illud incurrunt. Atque, ut ait Anselmus, originale peccatum formaliter est defectus originalis justitiæ debitæ inesse. Porro per- D sonale seu actuale peccatum est quod personaliter quis committit.

Secunda peccati divisio est, quod aliud est mortale, aliud veniale : de quibus jam *Art.* III et s. introducta sunt multa.

Tertia divisio, quod peccatum aliud est in Deum, aliud in proximum, aliud in se ipsum. Peccata namque quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, dicuntur in Deum. Quæ autem proximo inferunt nocumentum et circa eum versantur, dicuntur peccata A in proximum. Quæ vero sui ipsius læsiva sunt et circa se peccantem inordinate exercentur, sunt peccata in semetipsum : ut vitia gulæ atque luxuriæ. Nempe qui fornicatur, in proprium corpus peccat. *I Cor.* VI, 18. Nihilo minus peccata luxuriæ secundum aliam considerationem sunt etiam peccata in proximum : sicut de adulterio, incestu, defloratione et aliis patet. Imo omnia ista dicuntur et sunt peccata in Deum, in quantum sunt contra ejus honorem, voluntatem ac jussionem.

B Quarta divisio, quod aliud est peccatum commissionis, aliud omissionis : de quibus diffuse tractatum est. *Art.* XV. — Quinta, quod aliud est peccatum cordis, aliud oris, aliud operis. Estque peccatum cordis omnis illicita cogitatio, prava affectio, inordinatusque motus passionum. — Sexta, quod aliud est peccatum ex ignorantia, aliud ex infirmitate, id est passionis vehementia, aliud ex certa malitia, seu deliberatione et habitu vitioso. — Septima, quia (ut ait Joannes apostolus) omne vitium *I Joann.* II, 16. C quod est in mundo, concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ : quia formaliter, virtualiter aut reductive est aliquid horum trium.

Porro Bernardus in sermone de Christi passione distinguit triplex peccatum, videlicet originale, et personale, ac singulare ; atque per singulare peccatum intelligit læsionem violentamque manum sceleratissimorum in Christum.

Nunc ergo unusquisque discutiat diligentissime semetipsum, quantum aut qua- D liter prætactarum divisionum peccatis sit sordidatus. Nec dubium quin plurimi nostrum invenient se illis obnoxios ac fœdatos, nisi quod forte a singulari illo peccato in Christi personam violenter patrato, alienos se arbitrabuntur : et tamen, juxta Apostolum, quicumque manducaverit panem vel biberit calicem Domini indigne, *I Cor.* XI, 27. reus erit corporis et sanguinis Domini. Et certe quis nostrum est qui timere non habet in hoc ipso se excessisse, puta communicasse indigne ? Denique, ad Hebræos

Hebr. x, 28, 29; Deut. xvii, 6. scribit Apostolus : Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus aut tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Et tamen, secundum unam expositionem, totum hoc agit quicumque peccat mortaliter. Quo constat quam enorme sit omne peccatum mortale.

ARTICULUS XVIII.

De differentia inter peccatum mortale ac veniale.

I Joann. v, 17. *OMNIS iniquitas peccatum est, et est peccatum ad mortem.* Differentia inter peccatum mortale ac veniale, ex præinductis eorum descriptionibus, effectibus, nocumentis ac proprietatibus elucescit. Nihilo minus pro pleniori horum intellectu habendo, pensandum quia, ut super secundum Sententiarum, distinctione quadragesima secunda, Thomas conscribit, veniale peccatum dicitur cujus reatus facile solvitur (hoc est, de quo venia faciliter obtinetur) : idcirco peccatum appellatur veniale tripliciter. Primo, ex causa de qua procedit : et ita peccata quæ ex infirmitate seu passione, vel ex ignorantia oriuntur, venialia nuncupantur, quia hujusmodi causæ quamdam veniæ rationem seu compatibilitatem includunt. — Secundo peccatum dicitur veniale ab eventu : quia videlicet per aliquid peccato superveniens, puta per contritionem et confessionem, efficitur pœna ejus cito solubilis, quia vi clavium pœna æterna commutatur in temporalem.

Tertio peccatum dicitur veniale, quoniam ipse actus ex se faciliter remissibilis est, eo quod non pertingit ad plenam rationem peccati. Et istud dicitur proprie veniale, quod formaliter ac realiter a mortali distinguitur. Quod enim secundo modo asseritur veniale, est in se ipso mortale. A Similiter quod primo modo est veniale, potest in se esse mortale : quia ex ignorantia, et passione seu infirmitate, frequenter peccatur mortaliter. Quod autem peccatum aliquod non pertingit ad perfectam rationem peccati, ex duplici causa potest accidere : primo, ex genere actus ; secundo, ex parte peccantis. Porro genus ipsius actus sumitur ex materia vel objecto. Quemadmodum enim dicitur bonum ex genere propter debitam materiam super quam actus fertur, ita vocatur malum ex B genere propter indebitam actus materiam : similiter dicitur veniale ex genere propter materiam in qua peccatur. In illa autem materia peccatum invenitur perfecte, in qua si peccetur, virtus caritatis ad Deum proximumque dissolvitur, ex qua dependet animæ vita. Ideo quando quis peccat in his sine quibus recte servatis non remanet subjectio hominis ad Deum et fœdus humanæ societatis, tunc est mortale peccatum ex genere. Certum est autem quod homo non potest Deo recte esse subjectus C nisi ei credat atque obediat. Societas quoque et pax vitæ humanæ nequit servari nisi unicuique quod suum est conservetur : propter quod furtum et aliæ species injustitiæ sunt peccata mortalia ex genere suo. Ea vero sine quibus humana societas et subjectio sub Deo possunt servari, non faciunt peccatum esse mortale ex genere, quamvis actus aliquam habeat inordinationem et deformitatem : sicut superfluus ludus ac risus, otiosumque verbum. Ideo talia appellantur venialia peccata ex ge- D nere. Sed quemadmodum bonum ex genere potest fieri male si fiat obliqua intentione, et non econverso ; ita veniale ex genere taliter fieri potest quod erit mortale : ut si id quod veniale est, credatur esse mortale, et tamen fiat ; vel si tantum quis delectetur in re temporali, quod in ea sibi finem constituat : sic enim non servatur reverentia debita ad Deum, qui est ultimus finis, et citra quem cuncta sunt diligenda. Præterea ex parte peccantis contingit peccatum non pertingere ad plenam rationem

peccati, propter imperfectionem potentiæ actum elicientis : ut patet in primis motibus sensualitatis, qui deliberationem rationis præcedunt ; propter quod venialia sunt peccata, quamvis sint in materia peccati mortalis, seu de genere mortalium ex objecto. Suntque venialia per accidens : ideo adveniente consensu rationis deliberatæ, efficiuntur mortalia. — Hæc Thomas.

Insuper mortale et veniale differunt quantum ad pœnam quæ pro eis infligitur. Circa quod super secundum, distinctione quadragesima secunda, scribit Durandus de S. Portiano : Peccato mortali debetur pœna æterna, non autem veniali. Quod patet sic. Nam sicut est in civilitate seu politia humana, sic suo modo est in civilitate divina. Sed in civilitate mundana, qui per culpam suam subvertit totaliter (quantum in se est) pacem et amicitiam civium ad invicem, vel obedientiam subditorum ad principem, meretur totaliter exstirpari a civitate per mortem, exsilium aut incarcerationem perpetuam. Sic namque, quantum possibile est, recompensatur per pœnam læsio communitati facta per culpam. Et quamvis hæc pœna non sit absolute perpetua, est tamen perpetua secundum capacitatem subjecti, vel quantum ad legis intentionem, quoad hoc ut nunquam revocetur reus ad societatem communitatis contra quam ita deliquit. Conformiter est in civilitate divina seu ecclesiastica politia, in qua homines congregantur lege fidei et caritatis : utputa quod ille qui, quantum in se est, subvertit ordinem caritatis ad proximum, vel subjectionis ad Deum, meretur exstirpari a civilitate divina totaliter per mortem, exsilium vel carcerem. Suntque pœnæ istæ simpliciter perpetuæ in divina civilitate, quia et subjectum harum pœnarum susceptivum perpetuo durabit. Per solum autem mortale peccatum fit in civilitate divina talis subversio : quare soli peccato mortali debetur pœna æterna. Præterea civilitas ista divina hoc habet ultra mundanam, quod peccanti

A quantumcumque graviter contra civilitatem divinam, superest pœnitentiæ locus usque ad corporis mortem, ut revocetur ad pristinum statum, non autem in civilitate mundana.

Iterum ait idem Durandus : Omne peccatum est contra legem Dei naturalem, aut inspiratam, vel ab eis derivatam ; nec tamen omne peccatum est mortale : quia in omni lege sunt aliqua præcepta ac prohibitiones de his quæ necessaria sunt ad pacificam civilitatis custodiam, sine qui-
B bus dissiparetur civilitas ; et contra hæc facere, est peccatum mortale. Alia vero inducuntur in lege non tanquam simpliciter necessaria, quasi sine eis non staret bona civilitas, sed tanquam cooperantia ad civilitatis perfectionem atque decorem : quorum opposita habent aliquam inordinationem, non tamen subvertentem ipsam civilitatem. Ideo contra talia facere, non est mortale peccatum in aliqua lege.

Rursus asserit doctor iste loco præallegato : Offensa dupliciter dicitur. Primo
C proprie, scilicet ipsa commissio vel omissio per quam amittitur gratia ejus qui offenditur : et talis offensio Dei non est in veniali peccato, sed solummodo in mortali peccato, quod gratiam privat ; et tali offensæ Dei infinita pœna debetur. Secundo offensio communiter sumitur pro omni facto quod qualemcumque pœnam meretur, quia aliqualiter displicet legislatori aut judici : et talis offensa est in peccato veniali. Quæ non est offensa simpliciter, quia non tollit gratiam, nec pervertit tota-
D liter ordinem subjectionis ad Deum vel dilectionis ad proximum : ideo non meretur pœnam æternam.

Amplius, in prima secundæ, quæstione octogesima octava, S. Thomas inter peccatum mortale et veniale ita distinguit : art. 1
Peccatum mortale repugnat ordini vitæ spiritualis, quæ est secundum virtutes, in quantum caritatem exstinguit, quæ mentem conjungit primo principio vitæ ac ultimo fini. Idcirco peccatum veniale mortali peccato opponitur, quoniam veniale

non inducit tale incomparabile malum, A videlicet mortem animæ et aversionem ab ultimo fine, sed est inordinatio quædam circa ea quæ sunt ad finem, nec habet perfectam rationem peccati. Unde divisio peccati in mortale et veniale non est divisio generis in species, sed analogi in analogata. Qui enim peccat mortaliter, inhæret bono creato ut fruens, id est finem sibi in illo constituens ; sed venialiter peccans non constituit sibi finem in bono creato, sed immoderate utitur ipso.

art. 2, 3. Hinc genus et species peccati mortalis B ac venialis ex parte objecti sumuntur. Sed bonitas et malitia sunt in eis non ex objecto dumtaxat, sed et interdum ex dispositione agentis. Propter quod actus ex genere venialis, fieri potest mortalis. Non quod idem numero actus sit primo peccatum veniale, deinde mortale ; sed in quantum id quod est veniale ex genere, fiat mortale : ut si quis in actu illo aut ejus objecto sibi constituat finem ; vel ad mortale peccatum ordinet hujusmodi actum, ut si quis verbum otiosum ad adulterium refe- C rat. Similiter actus ex genere suo mortalis, est venialis ob suam imperfectionem, et
art. 4. etiam ex eventu, ut patuit. — Ex multis quoque venialibus dicitur unum mortale constitui, non integraliter neque substantialiter (quoniam omnia venialia simul sumpta non comparantur uni mortali, nec in gravitate culpæ, nec in reatu duratione-
art. 5. que pœnæ), sed solum dispositione. — At vero circumstantia in quantum circumstantia, est accidens actus moralis, nec ponit eum in specie : idcirco in quantum D circumstantia, nunquam facit de veniali mortale. Interdum vero circumstantia sumitur tanquam specifica differentia actus, sicut dum addit deformitatem peccati alterius generis ; tuncque ponit actum moralem in specie : ut si quis cognoscat non suam, est peccatum castitati contrarium ; si vero cognoscat non suam, puta alterius conjugem, adjungitur deformitas vitii quæ contrariatur justitiæ, eo quod rem alienam usurpet. Sic quoque circumstantia efficit de veniali quandoque mortale. — Hæc Thomas.

ARTICULUS XIX.

Adhuc de eadem materia, et qualiter in peccatis fiat ad deteriora paulatim processus.

Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus ; deinde concupiscentia quum conceperit, parit peccatum ; peccatum vero quum consummatum fuerit, generat mortem. Jacob. I, 14, 15. Quemadmodum in Breviloquio suo, et plenius super secundum ac tertium Sententiarum, illustrissimus doctor dominus Bonaventura conscribit, actuale peccatum originem trahit a libera voluntate uniuscujusque peccantis per suggestionem, delectationem, consensum et operationem. Si autem suggestio et delectatio sistant citra consensum, est veniale peccatum ; si autem sequantur consensus et opus in his quæ prohibentur lege divina, est peccatum mortale et consummatum. Quod si medio modo se habeat homo, videlicet quod consensus sit in eo sine opere, hoc est vel quia vult in opus pravum procedere, sed non valet, tuncque voluntas reputatur pro facto, nec minus culpabilis est quam si in facto deprehenderetur ; aut quia non vult in opus procedere, sed vult interius voluptuari in delectatione, et hoc est inter mortalia computandum, quamvis non sit peccatum plenarie consummatum. Quum enim peccatum dicat recessum voluntatis a primo principio, in quantum ipsa voluntas seu mens apta nata est agi ac regi ab ipso, secundum ipsum et propter ipsum ; hinc omne peccatum est inordinatio mentis seu voluntatis, et actuale peccatum est actualis inordinatio mentis ac voluntatis. Denique inordinatio ista aut tanta est, quod ordinem justitiæ exterminat, et hoc est mortale peccatum, quoniam aufert spiritualem vitam, separando mentem a Deo, a quo anima vivificatur per

gratiam ; aut est tam modica, quod ordinem illum non perimit, sed in aliquo solum perturbat, et tunc est veniale peccatum, quoniam per ipsum gratia Dei non tollitur, nec inimicitiam Dei homo incurrit.

Porro ordo justitiæ est, ut bonum incommutabile et æternum præferatur bono commutabili et creato, et bonum honestum, videlicet virtus et gratia, bono utili rei terrenæ, voluntas quoque Dei propriæ voluntati, et recta ratio sensualitati. Et quoniam lex Dei præcipit ordinem istum et vetat oppositum, idcirco mortale peccatum committitur quando bonum commutabile præfertur æterno, aut bonum utile honesto, aut voluntas nostra voluntati divinæ, vel sensualis appetitus præponitur rectæ rationis judicio. Porro dum bonum commutabile plus debito diligitur, sed bono incommutabili non præfertur, nec utilitas præponitur honestati, neque voluntas humana divinæ, et caro concupiscit, non tamen cum rationis judicio aut consensu ; tunc est veniale, non mortale peccatum. Nam licet hoc sit præter legem divinam, non tamen directe est contra eam. Sensualis autem appetitus rectæ rationi non præfertur nisi dum ei a ratione consentitur : idcirco peccatum mortale citra consensum nequaquam committitur. Si vero sensualitas moveatur inordinate, quum inordinatio illa ad malum inclinet, puta ad fruendum aliquo modo re sensibili et terrena, quamvis non consentiat ratio, tamen peccatum est veniale, quoniam aliqualiter lædit ordinem justitiæ. Et quia in statu innocentiæ non movebatur sensualitas nisi secundum rationis judicium, ideo durante innocentiæ statu, non poterat ibi esse veniale peccatum. Nunc vero quoniam sensualitas rationi repugnat, velimus nolimus ; ideo veniale peccatum sæpe incurrimus, saltem per primos motus : qui etsi particulariter ac sigillatim possint vitari, omnes tamen non queunt caveri, quia sic sunt peccata, quod etiam sunt pœna peccati. Hinc merito venialia appellantur, quia hoc ipso digna sunt venia. — Hæc Bonaventura.

A Præterea, ut sane intelligatur quod Bonaventura disseruit, tunc esse mortale peccatum quando consentitur delectationi, advertendum quod Thomas de Argentina in suo ait Compendio : Consensus iste in delectationem est duplex. Unus est subitus, puta absque deliberatione præhabita, procedens ex sola naturali fomitis corruptione : quem præcedit appetitus sensualitatis in primo motu. Talis autem consensus vocatur subreptio, estque veniale peccatum. Alius est consensus in delectationem B primorum motuum, procedens ex deliberatione rationis : qui est peccatum mortale. — Secundum eumdem quoque doctorem, veniale peccatum est semper a voluntate, videlicet vel ad hoc movente, vel permittente, vel non cohibente : potest etenim singula cohibere, quamvis non omnia.

Iterum ait : Actus qui est ex se de genere venialis peccati, fieri potest mortalis quatuor modis. Primo, ex conscientia : ut dum putatur esse mortalis, nec tamen vitatur. Quidquid enim fit contra conscien- C tiam, ædificat ad gehennam. Secundo, ex nimia complacentia. Siquidem, Augustino testante, nullum peccatum est adeo veniale quin fiat mortale dum placet : quod intelligendum est de delectatione crescente usque ad mortale, id est tam intensa quod delectationi et complacentiæ caritatis divinæ præponderat. Tertio, ex dispositione : quoniam per frequentem lapsum in venialia, disponitur homo ad mortale. Propter quod loquitur Augustinus : Vitasti grandia? vide ne obruaris arena. De minimis quippe D venitur ad magna, quemadmodum de scintilla generatur non modicus ignis. Quarto, ex progressu. Dum enim veniale insurgit, si non prohibetur, ad mortale sæpe progreditur : ut patet de motibus primis, qui inter venialia computantur ; sed quando delectatio in eis convalescit in tantum quod consensus accedit, tunc est mortale peccatum. Est etenim differentia inter peccatum mortale ac veniale, quod in veniali est voluptas seu libido in creatura citra Deum, in peccato autem mortali est

voluptas sive libido in creatura supra Deum vel æque Deo.

Præterea, de progressu peccati in pejus ait S. Hieronymus : Primus peccati gradus est mala cogitasse ; secundus, delectatum esse in malo; tertius, acquievisse seu consensisse ; quartus, opere complevisse ; quintus, pœnitentiam non egisse ; sextus, sibi complacere ac delectari de peccato præterito. — Hinc aliqui dicunt, quod culpa in cogitatione inchoatur, delectatione augetur, consensu perficitur, opere consummatur.

Isidorus quoque notabiliter ait : Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus convalescit peccatum. Cogitatio etenim prava parit delectationem, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo quamdam quasi necessitatem, necessitas mortem : sicque homo his vinculis implicatus, tenetur quadam vitiorum catena constrictus.

Sed his objici potest, quoniam (ut Jacobus ait apostolus) unusquisque tentatur a concupiscentia sua, quæ quum conceperit, parit peccatum; iterum, in primis motibus videtur esse peccati inceptio : sicque primus gradus peccati et initiatio ejus, est concupiscentia. — Respondetur, quod concupiscentia dicit quamdam affectionem, sicut et passiones ac motus sensitivi appetitus ; affectio autem quamdam præsupponit cognitionem seu apprehensionem, quum nihil appeti possit nisi sit aliqualiter cognitum : quamvis ergo concupiscentia aut primus motus dicatur primo movere ad malum in genere suo, non tamen sine prævia cognitione seu imaginatione.

Jacob. I, 14, 15.

ARTICULUS XX.

Qualiter omnia sint ponenda sub ordine divini amoris; et quod in omni peccato mortali, peccans constituit sibi finem in re creata, caduca et vana.

Rom. I, 25. SERVIERUNT *creaturæ potius quam Creatori.* Sicut in Summa contra gentiles, libro secundo ac tertio, S. Thomas

A declarat, Deus rationalem creaturam creavit propter se ipsum tanquam propter finem objectalem, et propter adhæsionem et unionem ipsius creaturæ cum ipso tanquam propter finem formalem seu creaturæ formaliter inhærentem. Ideo debet homo se ipsum et omnia sua ad Deum atque ad unionem adhæsivam cum ipso finaliter totaliterque referre, ut soli Deo propter se ipsum pure adhæreat, ceteris vero universis utatur in quantum sibi utilia aut necessaria sunt ad hoc quod sincere adB hæreat Creatori, qui solus essentialiter, interminabiliter incomparabiliterque exstat amabilis. Quod si aliter aut plus illis utatur quam sibi necessarium expediensve consistit ad unionem cum Deo, inordinate et culpabiliter utitur eis, et peccat. Porro, si alicui enti creato magis quam increato bono adhæserit, peccat mortaliter ; nec jam utitur ente illo, sed fruitur eo et utitur Deo, quod est subversio ordinis detestanda : quod tamen contingit in omni mortali culpa, quia in ea mens magis inC hæret, servit ac subditur voluntati propriæ et creaturæ optatæ, quam voluntati divinæ ac summo bono.

Insuper, quia adhæsio illa unitiva cum Deo, directe et proprie, formaliter et immediate fit per caritatem, idcirco ad eam et ejus profectum ac perfectionem referendæ sunt ceteræ virtutes et actus earum, imo omne quod agimus ac patimur, et tota occupatio nostra. Atque, ut scribit Alexander de Hales doctor irrefragabilis in Summa sua et super tertium, hoc est omnia D ponere sub ordine divini amoris, omnibus rebus creatis, imo et libertate propria uti secundum quod confert et expedit ad proficiendum in divino amore, non magis nec minus : et quanto quis perfectius agit hoc, tanto vere virtuosior ac ordinatior comprobatur ; et quanto plus deficit inde, tanto inordinatius habet se, et tanto plus peccat. Nec aliud est peccare, quam ab ordine isto caritatis recedere. Idcirco in Summa contra gentiles asserit Thomas, quod mortaliter peccare, est ordinem caritatis subvertere. lib. III, 139, 143.

Præterea, sicut primo de Doctrina christiana Augustinus testatur, solo Deo fruendum est objective, ceteris est utendum, quia ad Deum sunt ordinanda, et juxta regulam ac exigentiam caritatis sunt assumenda. Ideo non aliud est peccare, quam uti fruendis et frui utendis. Hinc undecimo de Civitate Dei disseruit : Ea re frui dicimur quæ non ad aliud est referenda, et per se ipsam delectat; uti vero, ea re quam propter aliud quærimus. In eodem quoque libro Augustinus fatetur, quod virtus non est aliud quam amor ordinatus : B quod et alibi protestatur. Non quod quælibet virtus sit essentialiter amor, sed quia ad divini amoris ordinationem finaliter tendit, ita quod definitio illa datur quasi per causam finalem. Propter quod etiam gloriosus doctor Hieronymus ait : Hoc unicuique deus est, quod potissime quærit, colit ac diligit. Nummum præcipue diligis? nummus tibi est deus. Carnalia maxime quæris? caro tibi deus est.

Ex quibus ostenditur, quod mortale peccatum non fit sine grandi injuria et magno C contemptu Dei : quia in mortali peccato ponit sibi peccans finem in re caduca, et Deo relicto fruitur illa, reputans et (quantum in se est) faciens illam Deo præstantiorem ac meliorem : quoniam finis est melior ac dignior his quæ ordinantur in ipsum.

Præterea, causa tanti erroris et tantæ perversitatis, quia scilicet inhæretur creaturæ magis quam Creatori, potissime esse videtur delectatio quæ in re creata concipitur et habetur. Hanc autem delectatio- D nem inordinatam aufert spiritualis lætitia. Ideo ait Guillelmus Antisiodorensis in Summa sua : Spiritualis lætitia quæ est in Dei amore, est causa ordinis caritatis : quia spirituali jucunditate gustata, vilescunt homini temporalia omnia, quæ non sunt propter se diligenda, quia sic sunt impedimenta ordinis caritatis ; sicque impedimentis illis per lætitiam spiritualem remotis, ordinatur in homine caritas.

Postremo, sic omnia ponere sub ordine A caritatis, est ad nihil affici vitiose, imo ad cuncta affici in Deo sincere, et non habere ad aliquid passionem. Unde Climacus ait : Dominum nostrum Jesum Christum veraciter diligens et eum in suo corde ac corpore portans, atque futurum regnum in veritate obtinere inquirens, et de suis peccatis veraciter dolens, timorem quoque et memoriam suæ mortis et futuri judicii ac infernalis supplicii in veritate assumens : non ultra amabit neque curabit pecunias, nec erit sollicitus de possessionibus, nec de parentibus, nec de suis propinquis, neque de gloria hujus vitæ, neque de aliqua re terrena; sed omnem suam habitudinem et affectionem, omnem ad aliquid passionem, omnem de his sollicitudinem odiens atque excutiens, imo et propriam carnem, sine pigritia Christum sequetur, et semper in cœlum adspiciet et inde auxilium invocabit, juxta Psalmistam, qui ait : Adhæsit anima mea post te ; et juxta Jeremiam dicentem : Ego non laboravi te sequens, et diem aut requiem hominis non desideravi, Domine.

Scal. parad. grad. II.

Ps. LXII, 9.

Jer. XVII, 16, juxta LXX.

ARTICULUS XXI.

Introductio regularum per quas possit cognosci quæ peccata sint mortalia et quæ venialia.

NOLITE *facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura.* Frequenter vitia formam virtutum prætendunt, et quæ mortifera exstant, sa-lubria reputantur. Callidissimus etenim hostis quos per evidentia mala nequit decipere, per apparentia bona conatur circumvenire ac superare. Hic incursus et hoc opus est dæmonii meridiani, ut ait Bernardus, quod (teste Apostolo) se transfigurat in angelum lucis. Necessarium ergo est tam confessoribus quam confitentibus, et præsertim prædicatoribus verbi Dei, ut queant discernere quæ et qualiter et cur peccata exsistant mortalia, per certas ac solidas regulas. Propterea super hoc

Lev. XIX, 35.

Ps. XC, 6.

II *Cor.* XI, 14.

nunc documenta aliqua regularia tanquam A leges judiciales, quantum Dominus dederit, introducam.

Itaque prima regula est : Quidquid est contra legem naturalem, ex suo genere est mortale peccatum : quamvis interdum propter actus parvitatem aut rationis præventionem seu subreptionem sit veniale, sicut in ceteris peccatis ex suo genere mortalibus hoc contingit. Porro naturalis lex est quam ratio pure naturalis bene disposita omnibus dictat. Quæ lex, quantum ad præcepta sua affirmativa, exprimitur B apud Matthæum, ubi ait Salvator : Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. *Matth.* VII, 12. Quantum vero ad præcepta negativa, habetur apud Tobiam, quo legitur : Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alii facias. *Tob.* IV, 16. Ista tamen negativa seu prohibitio satis datur intelligi in præcepto illo affirmativo prolato a Christo. Hinc, sicut præhabitum est, Thomas aliique doctores affirmant peccatum esse mortale quod est contra legem, sive sit contra legem scriptam, sive naturalem. art. III, VIII, XVIII, XIX. Et C super secundum, distinctione quadragesima secunda, scribit Durandus, quod omne peccatum est contra legem naturalem, vel inspiratam, aut ab eis derivatam. — Denique, secundum sanctos Doctores, lex scripta et etiam evangelica præsupponunt et sibi substernunt legem naturalem, et aliqua superaddunt : idcirco lex naturalis obligat ad mortale. — Insuper, lex naturalis est quædam expressio et imago ac resplendentia legis æternæ et increatæ : ideo Legislator altissimus exigit eam ab univer- D sis impleri. Nam ideo eam omnium rationi impressit et quasi inscripsit, et non solum eam in libris digessit, ut docet Isidorus. — Amplius, super illud Isaiæ, Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, *Is.* XXIV, 5. Hieronymus per jus, intelligit jus naturale omnium cordibus inditum, propter cujus transgressionem Dominus perhibet se reprobos damnaturum. Ergo mortale peccatum est, contra naturalem agere legem ; et tanto iniquius atque mortalius est peccatum, quanto plus naturali legi repugnat.

Si autem objiciatur, quia secundum Ambrosium, peccatum est transgressio legis divinæ ; lex autem naturalis a lege divina distinguitur : respondendum, quod lex naturalis ac divina, quamvis formaliter distinguantur, materialiter tamen coincidunt, quia et lex naturalis potest appellari divina, in quantum exprimitur in sacra Scriptura atque immediate procedit a lege æterna.

Secunda regula est : Quidquid contrariatur justitiæ et fit contra præcepta Decalogi, ex suo genere est mortale. Ait enim Propheta ad Dominum : Sprevisti omnes discedentes a justitiis tuis, quia injusta cogitatio eorum ; *Ps.* CXVIII, 118. et denuo : Neque permanebunt injusti ante oculos tuos ; *Ps.* V, 6. itemque : Maledicti qui declinant a mandatis tuis. *Ps.* CXVIII, 21. Istud patet ex declaratione Bonaventuræ, articulo nonodecimo introducta. Unde et super secundum, distinctione tricesima quinta, asserit quod peccatum est, sive sit contra legem naturæ, sive contra legem scriptam, sive contra evangelicam legem. Idem constat ex eo quod præcepta Decalogi sunt de jure naturali, seu naturalis dictamine rationis, secundum omnes doctores, quamvis observatio sabbati quantum ad temporis determinationem, de naturali non fuerit lege. Hinc, secundum Esitium, Decalogus fuit quædam renovatio naturalis ac inditæ legis. Præcepta quoque Decalogi sunt de actibus justitiæ. Idcirco apud Jeremiam habetur : Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter ; *Jer.* XLVIII, 10. vel, ut alia habet translatio, negligenter : quod redit in idem. Opus etenim Dei facit fraudulenter, qui sine debita diligentia facit illud, sed justum honorem subtrahit Creatori ; et hoc est opus Dei facere negligenter : quod est directe contra justitiam et contra legem naturalem atque divinam, quia et naturalis ratio et sacra Scriptura dictant, Deo altissimo, principi majestatis immensæ, reverenter ac sollicite ministrandum esse.

Tertia regula est : Quidquid est contra

legem evangelicam ac divinam, est mor- A tale peccatum. In evangelica etenim lege non solum continentur præcepta Decalogi, sed alia multa eis adjiciuntur a Christo, *Matth.* v, 17. qui non venit legem solvere, sed implere *Ibid.* v-vii. atque perficere, ut patet in Matthæo, ubi præcepta a Christo superaddita describun- *Luc.* vi. tur, similiter apud Lucam : ubi multa habentur quæ secundum unam expositionem sunt consilia, secundum aliam vero *Matth.* v, 24. præcepta, ut patet de reconciliatione fa- *Ibid.* 34. cienda, et juratione vitanda, et inimico- *Ibid.* 44. *Luc.* vi, 30. rum dilectione, de dando quoque omni B *Ibid.* 35. petenti, et mutuatione, ac consimilibus. Alia autem sunt absolute præcepta, quamvis quædam eorum non exprimantur per *Matth.* v, 22. modum præcepti, ut illud : Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Porro quod illa obligent ad mortale, constat ex eo quod Christus in fine illorum *Ibid.* vii, 26. locutus est : Omnis qui audit verba hæc et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam; ex eo quoque quod rursus apud Matthæum *Ibid.* 21. protestatur : Non omnis qui dicit mihi, C Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, id est præcepta ipsius. Unde et iterum *Ibid.* xix, 17. loquitur : Si vis intrare ad vitam, serva mandata.

Denique lex divina in legem evangelicam Mosaicamque dividitur. In lege autem Moysis triplicia continentur præcepta, videlicet moralia et judicialia ac cærimonialia. Præcepta moralia erant quæ in Decalogo continebantur explicite sive implicite, ac directe; præcepta vero cærimonialia D erant quasi quædam determinationes præceptorum moralium quoad ritum et modum cultus divini, seu de modo servandi justitiam per respectum ad Deum; sed præcepta judicialia erant moralium determinationes quoad modum servandi justitiam inter homines : prout Alexander de Hales in Summa sua, Thomas quoque in pri- *q.* cix, a. 4. ma secundæ et Guillelmus Parisiensis in libro de Fide et legibus hoc declarant. Porro præcepta illa cærimonialia erant figurativa mysteriorum Christi : idcirco Evangelio Dei vulgato, fuerunt prohibita. Similiter præcepta illa judicialia cessant in evangelica lege : quamvis quædam illorum possint in novo Testamento a prælato aut principe innovari atque institui, ut in prima secundæ asserit Thomas. Idcirco ver- q. civ, a. 3. bum illud B. Ambrosii, Peccatum est transgressio legis divinæ et cœlestium inobedientia præceptorum, de præceptis veteris Testamenti cærimonialibus ac judicialibus non est intelligendum.

Quarta regula est : Quidquid est contra præcepta Ecclesiæ, est mortale. Probatur ex eo quod apud Matthæum asserit Filius Dei : Si Ecclesiam non audierit, sit tibi *Matth.* xviii, 17. sicut ethnicus et publicanus. Potest autem nomine Ecclesiæ universalis synodus accipi, de qua in libro contra Faustum loquitur Augustinus : Tanta est auctoritas Ecclesiæ, quod Evangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoveret. Potest quoque nomine Ecclesiæ quicumque summus Pontifex seu dominus apostolicus designari, cui unusquisque fidelis tenetur in omnibus obedire magis quam cuicumque inferiori propriove prælato, ut Raimundus in Summa sua, et Thomas ac Bonaventura super secundum conscribunt. Chrysosto- dist. xliv. mus quoque super Matthæum, et Durandus qui fuit Ordinis S. Francisci, et Thomas in secunda secundæ, per Ecclesiam in verbis q. xxxiii, a. 8 ad 4um. prætactis ecclesiasticum prælatum intelligunt. Obedire ergo oportet generalium decretis conciliorum, canonibus quoque summorum Pontificum sicut divinis præceptis : quod, proh dolor! nimis male servatur, quia contra ecclesiasticam libertatem et contra privilegia religiosorum passim peccatur, nec clerus decreta et canones statum suum regulantes et concernentes jam curat.

Quinta regula est : Quicumque non obedit suo superiori legitimam jurisdictionem super ipsum habenti, in his quæ superioris illius cathedram, jurisdictionem aut superioritatem concernunt, peccat mortaliter. Patet ex dictis. Agit enim aut omittit

contra debitum justitiæ, et contra verba A Christi, qui dixit : Qui vos audit, me audit; (*Luc.* x, 16.) et qui vos spernit, me spernit. Et istud Petrus de Tarantasia circa finem secundi Sententiarum testatur. Hinc sæcularibus principibus, judicibus, parentibus et propriis præsidentibus est prompte obediendum, quum dicat Apostolus ad Romanos : (*Rom.* xiii, 2.) Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit ; qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt. Et alibi : (*Ephes.* vi, 5, 6.) Servi (inquit), obedite dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placen- B tes. Imo princeps jubet Apostolorum in prima sua Canonica : (I *Petr.* ii, 18.) Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.

Sexta regula est : Quidquid contrariatur caritati Dei aut proximi, est mortale. Quod jam supra copiose ostensum est, (art. xviii et s.) et divinus Apostolus in prima ad Corinthios clarissime docet, in tantum ut dicat : (I *Cor.* xiii, 3.) Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ex quo Alexander de Hales super C tertium et Guillelmus Antisiodorensis in Summa sua concludunt, quod si quis ex fide informi et timore servili sustineret mortem pro fide, nihilo minus damnaretur. Caritas namque est animæ vita, nec sine ea potest esse accepta ac placita Deo. Idcirco de hoc multa affirmat Joannes apostolus in prima sua epistola, dicens : (I *Joann.* iii, 14, 15.) Qui non diligit, manet in morte ; omnis qui fratrem suum odit, homicida est. Nec solum mortale est quidquid contrariatur caritati, sed etiam quidquid directe con- D trariatur cuicumque virtuti sub præcepto cadenti : quia et hoc contrariatur ipsi præcepto, debitumque justitiæ et ordinem caritatis subvertit.

Septima regula est : Quicumque exponit se discrimini, peccat mortaliter. Patet hoc auctoritate S. Augustini id asserentis. Et est sensus : Quicumque dubitat de aliquo faciendo aut omittendo an sit mortale, ita quod non habet probabiliorem æstimationem pro una parte quam alia, sed stat quasi in æquilibra, vel probabilius putat esse mortale, et tamen facit sive omittit aliquid tale, peccat mortaliter, etiam dato quod illud sit veniale. Talis etenim fatue habet se, et contra veram sapientiam ac prudentiam peccat. Quocontra jubet Salvator : (*Matth.* x, 16.) Estote prudentes sicut serpentes ; et Paulus : (*Ephes.* v, 17.) Nolite fieri imprudentes. Hinc Thomas, Bonaventura ac alii dicunt concorditer super quartum, (dist. xvii.) quod dubitans de quocumque peccato an sit mortale, illud confiteri tenetur : alioqui peccaret mortaliter, quamvis illud non esset mortale, quia discrimini seu periculo spiritualis mortis se ipsum committeret. Hinc casuale homicidium non excusatur, quando quis probabiliter æstimare debuit ex facto suo posse homicidium aut tale quid sequi. Imo, secundum Bonaventuram super quartum, distinctione septimadecima, homo tenetur ad confessionem venialium spontanee commissorum, ne se exponat discrimini : quia quamplures venialiter peccare putantes, peccant mortaliter.

Octava regula est : Quicumque non vitat probabilem et propinquam peccandi mortaliter occasionem, peccat mortaliter. Patet ex dictis. Talis namque se exponit discrimini, præsertim si interdum expertus est se ex tali occasione mortaliter corruisse. Sicque mortaliter peccant, qui sine necessitate accedunt ad personas et loca ubi probabiliter sciunt se ruituros, et qui amplexus, tactus et oscula non devitant ex quibus per propriam experientiam sciunt se peccasse, aut stimulatos aut pollutos esse tam graviter. De talibus peccandi occasionibus ait Hugo de S. Victore : Peccatum vitare non potest, qui peccandi occasiones non vitat.

Nona regula est : Non solum peccat mortaliter qui facit opus præcepto prohibitum, sed etiam qui ex deliberatione consentit in delectationem prohibitam. Patet ex dictis nonodecimo articulo. Porro, ut ait Thomas de Argentina in suo Compendio, delectatio morosa mortale peccatum est. Nec dicitur delectatio esse morosa

nisi sit ex rationis consensu. Dicitur quoque morosa non ex mora temporis, sed consensu.

De hoc S. Thomas in prima secundæ, quæstione septuagesima quarta, plenius art. 8. scribit, dicendo : Quidam posuerunt quod consensus in delectationem prohibitam sit peccatum tantummodo veniale. Alii dixerunt quod sit peccatum mortale ; et ista positio verior est. Utraque tamen aliquo modo concordari potest. Potest namque quis, verbi gratia, delectari vel de cogitatione fornicationis secundum quod ipsa cogitatio habet rationem objecti, prout voluntas aut ratio super proprium actum reflectitur, vel de actu fornicationis cogitato. Cogitatio autem de fornicatione non est de se semper mortalis, sed quandoque est venialis : ut quum inutiliter menti inhæret citra præceptum. Imo interdum caret omni peccato : ut quum de ea quis cogitat ut contra eam sermocinetur, sive disputet de eadem. Porro idem judicium est de hujusmodi cogitatione atque de delectatione eam sequente : idcirco consensus in talem delectationem non est mortale peccatum. Sed consensus in delectationem quæ consequitur cogitationem de actu fornicationis, est mortale peccatum. Hæc enim delectatio non contingit nisi quia affectus hominis conformatur actui de quo cogitat : quoniam nemo delectatur nisi in aliquo quod suo affectui est conforme.

Denique his concordat quod duodecimo de Trinitate asserit Augustinus : Propter peccata (inquiens) cogitationis etiam sine voluntate perficiendi, sed cum voluntate oblectandi, totus homo damnabitur : quod enim aliquis in talem consentiat delectationem, nihil est aliud quam consentire quod affectus suus sit inclinatus in actum quem delectatio talis consequitur. — Dicitur quoque in Summa Pisana ex verbis Summ. th. 2æ, q. xiv, a. 6 3um. Thomæ : Delectatio fertur morosa non propter temporis diuturnitatem, sed quoniam circa eam ratio deliberans immoratur, nec eam repellit, sed libenter amplectitur cogitationem ex qua causatur : quæ

A cogitationes statim ut animum tangunt, sunt repellendæ.

Decima regula est : Non solum mortaliter peccat qui exsequitur opus prohibitum, sed et ille qui firmiter proponit hoc facere. Talis enim voluntas pro opere reputatur, quum in ea sit plena a Deo aversio. Hinc quippe ait omnis conscientiæ Judex : Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. *Matth.* v, 28. Propterea in Epistolari suo ait Hieronymus : Vitiosa est cogitatio quæ B suggestioni dedit consensum.

Undecima regula est : Omne illud est mortale peccatum quod proximo præbet directe occasionem et scandalum peccati mortalis, seu quod est proximum mortaliter scandalizans. Patet ex eo quod apud Matthæum asseruit Christus : Væ homini per quem scandalum venit ; *Ibid.* xviii, 7. et iterum : Qui scandalizaverit unum de pusillis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. *Ibid.* 6. Ideo dicit Gregorius : Qui coram C alio male agit, quantum in se est illum interimit ; itemque : Unusquisque tot mortibus, tot æternis damnationibus dignus est, quot scandalizantur ex eo. Hinc quoque Hieronymus fassus est : Si vir aut mulier se ornaverit, et suo ornatu aliorum in se provocaverit visum, quamvis nullum malum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur : quia venenum præbuit, quamvis non fuit qui biberit. Ideo ait Apostolus : Peccantes in fratres et percutientes conscientiam eorum infirmam, *I Cor.* viii, 12. D in Christum peccatis. Quamobrem ad vitandum scandalum pusillorum, vitandum et omittendum est quidquid salva triplici veritate vitari potest, videlicet veritate vitæ, doctrinæ, justitiæ, ut ait Hieronymus. Vel pusilli sunt rationabiliter informandi cur tale quid fiat, ne inde scandalizentur. Et si tunc non acquiescerent, scandalum eorum esset scandalum Pharisæorum, utpote non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex malitia magis procedens. Ideo propter illud vitandum non essent opera bona

supererogationis postponenda, ut in secunda secundæ Thomas testatur. q. XLIII, a. 7.

Duodecima regula est : In omni peccato proximi quispiam peccat mortaliter qui peccantem loco et tempore opportuno non corripit. Talis namque transgressor est præcepti Christi jubentis : Si peccaverit in te (id est te sciente) frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. *Matth.* XVIII, 15. Hoc etenim fraterna requirit dilectio. Superiores vero etiam ex debito justitiæ obligantur ad hoc. Propter quod loquitur Augustinus : Si neglexeris delinquentem corripere, pejor eo efficeris. Sed in isto innumerabiles rei sunt, suntque paucissimi qui præceptum hoc implent. Ideo Antisiodorensis in sua asserit Summa, quod totus pene mundus perit propter duorum violationem præceptorum, quorum unum est de fornicatione vitanda, aliud de correptione agenda.

Tertiadecima regula est : Mortaliter peccat quicumque contra conscientiam agit, quamvis erronea sit : quia, ut dictum est, quidquid contra conscientiam quamvis erroneam agitur, ædificat ad gehennam. art. XIX. Quod intelligendum est de his quæ ex genere exstant mortalia. Cujus rationem Thomas de Argentina assignans : Duo, inquit, sunt in peccato mortali. Unum quasi formale, penes quod judicatur peccatum : quod est aversio mentis a Deo. Aliud est quasi materiale, puta ad creaturam conversio. Qui autem agit contra conscientiam quamvis erroneam, se avertit a Deo : nam agit et approbat quod putat Deo displicere et contrariari. Verumtamen de hoc, qualiter conscientia errans liget aut obliget, videntur Thomas, Bonaventura, Durandus et alii quidam aliqualiter dissentire, ut infra dicetur.

Quartadecima regula est : Mortale peccatum est, peccanti mortaliter comparticipare, communicare sive favere in suo peccato. Quod Antisiodorensis in Summa sua vocat currere cum fure, puta cum eo qui Deo subtrahit honorem debitum ei, juxta illud Psalmi : Si videbas furem, currebas cum eo. *Ps.* XLIX, 18. Unde ad Romanos ait Apo-A stolus : Digni sunt morte non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Rom.* I, 32. Istud autem fit novem modis, qui dicuntur novem peccata aliena. Quæ tanguntur his versibus :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manife-[stans.

Primus itaque modus est, præcipere alteri ut agat illicita vel agenda omittat. Secundus est, hoc ipsum consulere seu hortari. B Tertius, consentire peccanti. Quartus, adulari ei in vitiis ea laudando. Quintus, recipere peccantem hospitio propter peccatum commissum aut committendum, seu eum tueri. Sextus, aliquid de injuste adeptis scienter accipere. Septimus, dolose tacere ac celare peccatum alterius quando prodendum est. Octavus, non resistere ne fiat peccatum, nec illud impedire pro posse. Nonus, nolle testimonium dare de peccato alterius quando causa, locus et tempus hoc requirunt et superior exigit. De C his modo pertranseo, quia infra plenius inde dicetur.

Quintadecima et ultima regula est : Omnia illa sunt peccata mortalia quæ Scriptura canonica exprimit, perhibens æternam damnationem eis deberi. Talia autem in Epistolis Pauli potissime enumerantur ; de quibus ibi interdum subjungitur : Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. *Galat.* 21. Et quia prolixum est omnia loca Epistolarum Apostoli in quibus enumerat talia, allegare, sufficiat pro præsenti compen-D diosa illorum recitatio vitiorum quam Raimundus inducit, dicendo : Ista sunt mortalia quæ Apostolus nominat, idololatria, vitium contra naturam, iniquitas, malitia, fornicatio, avaritia, nequitia, invidia, homicidium, contentio, dolus, malignitas, susurratio, detractio, contumelia, superbia, elatio, inventio malorum, inobedientia, immisericordia, immunditia, impudicitia, mollities, veneficia, inimicitiæ, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, ebrietates, comessationes, et his similia, de quibus

addit Apostolus : Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Interdum vero exprimit ista aut consimilia in concreto, sicut quum ait : Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes ; et rursus : Neque fures, neque molles, neque rapaces regnum Dei possidebunt ; neque murmuraveritis.

Galat. v, 26. I Cor. vi, 10; x, 10.

Itaque per regulas istas poterunt cognosci peccata mortalia, atque a venialibus culpis discerni.

ARTICULUS XXII.

Qualiter in omni peccato mortali duo considerentur, et quam horribile sit peccare mortaliter.

Jer. ii, 13.

DUO *mala fecit populus meus,* dicit Dominus : *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Sicut prætactum est, in omni peccato sunt duo. Unum formale ac principale : quod est aversio mentis a proprio Creatore ac Salvatore, qui est bonum increatum, invariabile, perfectum et infinitum, origo, causa et fons aquæ vivæ, id est sapientiæ salutaris atque totius gratiæ ac virtutis ; in quo est omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium plenitudo prorsus immensa ; qui solus universis ac singulis ineffabiliter et incomparabiliter melior, amabilior, speciosior, dulcior, nobilior, ditior, munificentior perfectiorque consistit. Aliud est vitiosa conversio mentis ad bonum creatum, caducum. Est enim in rebus creatis aliquid amabilitatis, pulchritudinis atque dulcedinis, per quod sibi alliciunt corda peccantium et stultorum, qui relicta consideratione ac dilectione infinitæ excellentiæ omnipotentis et superdignissimi Conditoris, tenebrosa ac fatua corda sua convertunt ad vana ista creata, caduca, carnalia, vilia ac terrena, ad carnales delicias, temporales divitias, mundanos honores, ad vanitates et insanias falsas risuum, jocorum, ludorum, chorearum : quæ omnia præferunt Deo altissimo, et illis magis adhærent quam fonti totius salutis, Deo sublimi ac benedicto. Hinc in libro Sapientiæ legitur : Creaturæ Dei factæ sunt in odium, et in tentationem animæ hominum, et in muscipulam et laqueum pedibus insipientium.

art. præced. Ps. xxxix, 5. Sap. xiv, 11.

Merito ergo de tanto sui contemptu, et tanta perversitate, ingratitudine atque insipientia iniquorum conqueritur Deus : « Duo », inquiens, « mala fecit populus meus », populus videlicet christianus, qui est populus meus per creationem et fidem, non autem per dilectionem et obedientiam, loquendo non absolute de omnibus Christianis, sed de maxima parte eorum : « me dereliquerunt », sine quo nec per momentum subsistere possunt, cujus beneficiis incessanter utuntur, et in quo tota eorum consistit felicitas ; « et foderunt sibi cisternas dissipatas », id est, res creatas, vanas, fallaces exercuerunt, coluerunt ac tractaverunt, eis inhærendo profunde, in propriis quoque cordibus præparando quasi capacitates, quietem et locum adventui, considerationi et amori talium rerum, « quæ continere non valent aquas », quia in adhæsione et amore ac delectamento earum non consistit aqua sapientiæ veræ, nec virtus, nec gratia, sed vanitas, fatuitas et perditio sempiterna, sicut et in Ecclesiastico inducitur : Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. Hinc rursus per Jeremiam conqueritur Dominus : Quid invenerunt in me patres vestri iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ?

Eccli. xxi, 17. Jer. ii, 5.

Considera ergo, o homo, quod quidquid bonitatis, desiderabilitatis, decoris, suavitatis, opulentiæ aut eminentiæ invenitur in universis creaturis sparsim ac imperfecte, hoc totum in Deo est cum excellentia penitus infinita. Ecce quam impium et perversum est, huic summo et incircumscriptibili bono præferre hæc vana, fœda ac vilia ! Quam abominabile et exhorren-

dum est omne mortale peccatum! quia per illud amittit homo Dominum Deum creatorem et salvatorem, Deum totius salutis suæ, et ejus offensam, indignationem inimicitiamque incurrit; et desinit esse membrum, discipulus ac minister et miles Jesu Christi, fitque servus, membrum ac filius, imo et captivus diaboli; omnium quoque cœlestium civium indignationem meretur, omnium sanctorum communione privatur; et brutis decies millies pejor viliorque efficitur, spiritualiter mortuus et tanquam fœtidissimum coram Deo et angelis sanctis cadaver. Universis insuper creaturis injuriatur, quia earum Creatori ac Regi contumeliam facit. Nempe qui peccat in principem, forefacit et soboli ejus, domesticis quoque et subditis ejus. Ideo promeretur ut cunctæ creaturæ in ipsum insurgant, et Creatoris sui injuriam ulciscantur in ipso. Quod et tempore suo facturæ sunt, quando orbis terrarum pugnabit pro Deo adversus insensatos, quando revelabunt cœli iniquitatem ipsorum, et terra contra eos exsurget. Interim vero clamitant contra ingratum, et expetunt ultionem de multitudine et magnitudine excessuum ejus. Sed de isto plenior erit sermo in sequenti articulo.

II *Tim.* II, 26. — *Sap.* V, 21. — *Job* XX, 27.

ARTICULUS XXIII.

Qualiter cives superni et omnes justi, orbes cœlestes et omnia elementa, imo et irrationalia atque inanimata et mixta, clamitent et ultionem exquirant contra iniquos.

Is. XXVIII, 21. IRASCETUR *Dominus ut faciat opus suum, alienum* est *opus ejus; ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo.* Sanctus ac sapiens Deus interdum in Scripturis patefacit nobis immensam et incomprehensibilem misericordiam suam, ut nemo desperet; aliquando vero insinuat nobis in Scripturis summam ac metuendissimam suam justitiam, sua misericordia non minorem, ut nemo præsumat, aut vana et periculosa securitate torpescat, sed universi pensemus quam metuendum sit incidere in manus Dei viventis, sicque cum metu et reverentia ei jugiter serviamus. Propter quod ait Apostolus : Vide bonitatem et severitatem Dei. Et Psalmista : Universæ (inquit) viæ Domini misericordia et veritas, id est justitia.

Hebr. X, 31. — *Ibid.* XII, 28. — *Rom.* XI, 22. — *Ps.* XXIV, 10.

Verumtamen, quum Dei natura sit bonitas pura, dulcedo immensa, caritas infinita, incomprehensibilis pietas, opulentissima liberalitas, ita quod gloriosissimo Deo proprium est misereri, parcere ac salvare : hinc misericorditer prævenire, indulgere, diligere, dare et salvificare competit Deo ex se ipso, ex propria natura, ex pietate intrinseca; ulcisci vero, punire, irasci, damnare convenit ei ex perversitatibus nostris et propter demerita nostra. Ideo Isaias testatur opus rigoris et ultionis hujusmodi esse alienum et peregrinum a Deo. Idcirco dum ipse Creator omnipotens videt homines omni sua pietate, misericordia, beneficentia, longanimitate abuti, et indurato corde sibi esse rebelles, quasi compellitur pro tribunali sedere, justitiam exercere, judicium exhibere : ita quod triumphanti Ecclesiæ cœlestique curiæ, atque interdum justis in vita ista degentibus, conqueritur de tanta ingratitudine tamque multiplici impietate ac duritia iniquorum; cui et Sancti concordant, alludunt et favent. Denique ipsi Sancti et justi interdum zelo zelantur pro Deo, et contra sceleratos clamitant ultionem : quibus et Deus vicissim respondet misericordiam præferendam; illis vero contra iniquos allegantibus Judex ipse supremus consentit. Sicque Deus et Sancti inter se conferunt de iniquis, quemadmodum judex et assessores de reis.

Istud docet nos Scriptura canonica. Scriptum est enim apud Isaiam : Quum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis. Quod verbum ex persona Isaiæ prophetæ, vel potius triumphantis Ecclesiæ aut congregationis justorum, pro-

Is. XXVI, 9.

fertur ; et est sensus : O Domine, impii et perversi justitiam tuam non metuunt nec attendunt, quamdiu eorum peccata non vindicas : idcirco, quum exercueris justam ultionem in carnalibus et injustis hominibus, quosdam eorum plagando ; tunc habitatores terræ, tam ipsi ita percussi quam alii id videntes, per experientiam aut evidentiam hujusmodi ultionis discent considerare tuam justitiam et propriam corrigere vitam. Ad quod benignissimus Deus
Is. xxvi, 10. respondet : Misereamur impio. Quasi dicat : Quia durum videtur ut homines ita per rigorem justitiæ doceantur, ideo potius per piam supportationem et dulcorem clementiæ informentur. Ad quod Sancti zelo justitiæ mox respondent : Et non discet facere justitiam. Quasi dicant : Per talem pietatem non corriget se : noli igitur eis misereri, quia non prodest. Non enim perversus per beneficia emendatur, sed eget flagellis. Cujus signum subjungitur : Nam in terra sanctorum iniqua gessit, id est, inter justos et in Ecclesia male vixit iniquus. His verbis Deus consentiens, respondet ut judex : Et non videbit gloriam Domini, id est, propter hæc sua demerita privabitur felicitate æterna, nec majestatem ac gloriam Dei videbit in patria. Cui judicio Sancti consentientes, respondent :
Ibid. 11. Domine, exaltetur manus tua, ut non videant, id est, potestatem justitiæ tuæ declara in impiis, ita ut majestatem et beatitudinem tuam non agnoscant. Ad quod Dominus : Videant, et confundantur zelantes populi, id est, potius sciant quanta sit gloria mea et beatitudo Sanctorum, ut ex hoc gravius affligantur, quod tantam beatitudinem amiserunt. Cui verbo Sancti applaudunt, dicentes : Et ignis hostes tuos devoret, id est, non solum puniantur pœna damni, beatifica visione carendo, sed etiam pœna sensus, infernale incendium sustinendo. Hoc modo Hieronymus, Haymo, Beda et alii præinducta verba Isaiæ exponunt.

Præterea, quam metuendissimum judicium facturus sit Deus his quos nunc tam longanimiter portat, quos nunc prosperari et ad libitum suum prævaricari permittit, testatur per Isaiam, loquendo : Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar; dissipabo et absorbebo simul, desertos faciam montes et colles. *Is.* xlii, 14, 15. Hinc per Osee terribiliter comminatur, imo et contestatur : Occurram eis quasi ursa raptis catulis, dirumpam interiora eorum, et consumam eos ut leo. *Osee* xiii, 8.

Insuper, tam horrendæ impiorum damnationi sancti Prophetæ atque Apostoli, ceterique Beati qui judiciariam potestatem habere in cœlis meruerunt in terris, zelo justitiæ favent, applaudunt, congaudent, juxta quod scriptum est : Lætabitur justus quum viderit vindictam ; *Ps.* lvii, 11. itemque : Videbunt justi et lætabuntur, et innocens subsannabit eos. *Job* xxii, 19. Unde in persona Israeliticorum judicum scriptum est in ipsorum libro : Sic pereant inimici tui, Domine ; qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. *Judic.* v, 31. Sic et in persona gentilium justorum scriptum est apud Job : Si ascenderit usque ad cœlum superbia impii, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, velut somnium avolans non invenietur, transiet quasi visio nocturna ; luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur ; juxta multitudinem adinventionum suarum sic et sustinebit. *Job* xx, 6-8, 18. In diem enim perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur, et de furore Omnipotentis bibet. *Ibid.* xxi, 30, 20. Hæc est pars hominis impii a Deo. *Ibid.* xx, 29. Amplius, his alludens, in persona sanctorum regum et Prophetarum sanctus David concinit : Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes qui te oderunt; pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui; Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. *Ps.* xx, 9, 10. Et Jeremias : Domine (inquit), omnes qui te derelinquunt, confundentur; *Jer.* xvii, 13. et rursus : Ne propitieris iniquitati eorum, et peccatum eorum non deleatur. *Ibid.* xviii, 23.

Præterea, quamvis juxta philosophica documenta unicuique rei naturaliter præ-

stituta sit certa periodus qua vivere potest A atque durare, tamen secundum theologicam veritatem Deus constituit terminum vitæ unicuique hominum, et juxta multorum demerita abrumpit et terminat vitam eorum. Deus etenim ab unoquoque dignatur certum pondus seu mensuram transgressionum sufferre : quibus impletis, non sustinet eum diutius, sicut in libro de Doctrina christiana probat Augustinus per hoc quod in Genesi Dominus ait ad
Gen. XV, 16. Abraham : Nondum impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Quod item Hieronymus probat per hoc quod quum Dominus B
Ibid. VI, 3. dixisset ad Noe, Erunt dies vitæ illius centum viginti anni (per quod, secundum Hieronymum et alios Sanctos, Deus designavit tempus quo victuri essent homines antequam veniret diluvium, ut interim pœniterent), tamen ob nimiam hominum transgressionem Deus tempus illud abbreviavit, et post centum annos a locutione illa ad Noe, induxit diluvium. Unde Jere-
Jer. XLIV, 22. mias loquens induratis Judæis, ait : Non poterat vos Dominus ultra portare propter C malitiam studiorum vestrorum. Quum ergo iniquus tale iniquitatum suarum impleverit pondus, tollit eum Deus de medio, citans et vocans eum ad suum judicium.
Deut. VII, 10. Hinc in Deuteronomio Moyses dixit : Dominus reddit odientibus se statim, ita ut disperdat eos et ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur. Propter hoc et ipse Apostolus ad Romanos terribi-
Rom. II, 3-5. liter loquitur : Existimas, o homo, quia tu effugies judicium Dei ? An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis con- D temnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.

Postremo veritas horum ex Revelationibus S. Brigittæ gloriosæ viduæ declaratur. Siquidem in libro cœlestium Revelationum ejusdem sanctæ feminæ, descriptæ sunt plurimæ visiones in quibus narratur qualiter Christus, adstante Brigitta sancta in spiritu, ad cœlestem exercitum conquerebatur de vitiosa ac pessima vita Christianorum a summo usque ad infimos : primo conquerens ultra modum acerrime contra Papam, deinde contra cardinales, archiepiscopos, episcopos, et inferiores prælatos ; tandem quoque contra principes sæculares ac judices, et contra vulgus seu laicos. Et interdum quærit contra istos justam sententiam a principe Apostolorum beatissimo Petro : a quo prolata sententia, Christus jurat per Deum Patrem et per corpus suum et per Spiritum Sanctum, quod faciet ultionem de eis. Istud tamen quantum ad id quod dicitur contra clerum, non est prædicandum ad populum, sed quantum ad ea quæ contra sæculares dicuntur.

ARTICULUS XXIV.

Quam detestabile, odibile et enorme peccatum exsistat superbia.

INITIUM *omnis peccati est superbia ; qui tenuerit illam, implebitur maledictis, et subvertet eum in finem.* *Eccli.* X, 15. Hucusque de peccato tractatum est in communi ; nunc ad particularia descendendum est vitia, præsertim ad septem peccata mortalia, ad quæ alia reducuntur : de quibus etiam in hoc opere non nisi brevissime reor dicendum, quia in aliis quasi infinita inde habentur, et ea quæ in præsenti scribuntur opusculo, quasi per modum succincti memorialis tanguntur.

In primis ergo dicendum quid sit superbia. Atque, ut asserit Augustinus, superbia est perversus celsitudinis appetitus, hoc est inordinatus affectus propriæ excellentiæ, præsertim in potestate seu præsidentia obtinenda aut certe obtenta. Hæc autem superbiæ descriptio proprie datur de superbia voluntatis, et de ipsa superbia stricte sumpta, prout fuit in primo illo apostata angelo malo. Porro superbiam plenius ac latius seu communius describendo, dicere possumus, quod superbia est inordi-

nata excellentia seu magnificatio sui ipsius. Non enim dumtaxat superbi sunt qui cupiunt aliis præsidere aut eminere sive præferri, sed etiam qui inaniter complacent sibi, et magna mendaciter aut fallaciter sentiunt de se ipsis, aut alios spernunt : imo accidere posset quod aliquis ex superbia renueret aut abjiceret ipsam qua aliis præest ac eminet potestatem, quasi reputans illos præsidentia sua indignos.

Itaque advertendum quia (ut scribit Albertus libro de IV Coæquævis, loquens ibi de casu Luciferi) superbia tripliciter sumitur. Primo enim dicitur generaliter appetitus altitudinis in quacumque materia, utputa in scientia, potentia, fama, honore, opulentia, aut consimilibus; et hæc superbia proprie appellatur tumor, secundum quod ait Gregorius : Tumor mentis est obstaculum veritatis. Secundo superbia magis specialiter nuncupatur amor proprii boni in ratione aversionis a Deo : quia per hoc quod mentem a Deo avertit, induit quamdam rationem superbiæ. Tertio superbia specialissime dicitur appetitus propriæ excellentiæ in potestate ad dignitatem pertinente : quod est speciale peccatum, ac primum peccatum diaboli. Hinc duodecimo de Civitate Dei Augustinus disseruit : Causa miseriæ angelorum malorum est, quod ab illo qui summe est aversi, ad se ipsos conversi sunt : et hoc vitium quid aliud quam superbia nuncupetur? Noluerunt enim ad Deum custodire fortitudinem suam [*Ps.* LVIII, 10.]; et qui magis essent si ei qui summe est adhærerent, præferendo se illi, id quod minus est prætulerunt. Hic fuit primus defectus, prima inopia primumque vitium. Hæc Augustinus.

Denique, sicut in Profectu religiosorum inducitur, superbia triplex est. Prima, sibi ipsi nimis placere, et majorem se reputare quam sit in veritate : quod est initium omnis culpæ. Nam et diabolus ex inordinata complacentia sui ipsius in se, prorupit ad desiderium prælationis iniquæ, juxta illud Ezechielis [*Ezech.* XXVIII, 17.] : Elevatum est cor tuum in decore tuo : hoc est, ex consideratione

A pulchritudinis et eminentiæ tibi innatæ et concreatæ, tibi in te inaniter complacuisti et te extulisti, sicque et aliis, recto præsidentiæ ordine derelicto, præesse optasti. Hinc hortatur Apostolus Romanos [*Rom.* XV, 1, 3.] : Non debemus nobis placere : etenim Christus non placuit sibi. Apud Job quoque dicitur hac elatione infecto [*Job* XV, 12.] : Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? Ex his demum verbis probatur, quod non omnis superbia sit essentialiter appetitus : quia se ipsum reputare

B tam inordinate, est actio intellectus. Secunda superbia est, studere atque appetere aliis complacere et velle reputari ab eis, non ad Dei honorem et proximorum ædificationem (juxta illud : Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem [*Rom.* XV, 2.]), sed propter sui ipsius commodum, laudem, honorem aut famam : quod est valde iniquum et enorme peccatum, et contra debitam reverentiam ei ubique et in omnibus atque ab omnibus exhibendam qui per Isaiam testatur [*Is.* XLII, 8.] : Ego Dominus, et gloriam

C meam alteri non dabo. De quo Apostolus : Soli (inquit) Deo honor et gloria [I *Tim.* I, 17.]. Idcirco qui istum superbiæ actum committit, sibi vitiose usurpat quod Deo debetur, sicque divini efficitur fur honoris. Quocontra dixit vir justus : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam [*Ps.* CXIII, 1, sec. Hebræos.]. Tertia est, ambire et alios velle præire subditosque habere, sicut de quodam in tertia sua Canonica scribit Joannes apostolus [III *Joann.* 9.] : Is qui amat primatum gerere in fratribus, Diotrephes, non recipit nos.

D Hæc triplex superbia potius esse videtur triplex actus triformisque gradus superbiæ, quam tripartita superbia : quia in triplici ista elatione prima parit secundam, secundaque tertiam. Nempe ex hoc quod aliquis complacet sibi in se et nimis se reputat, sequitur quod aliis quoque optat ac studet placere ac reputari ab eis ob proprium commodum aut honorem : ex quo ultra contingit quod et proximis appetit præsidere ac imperare, quemadmodum in libro de Institutis Patrum et octo prin-

lib. xII, c. 28. cipalibus vitiis Cassianus testatur. Quod A quam grave, stultum atque damnabile sit, pandit Gregorius, dicens : Toties Deum meum præire desidero, quoties præesse hominibus concupisco ; et denuo : Unusquisque toties ad apostasiæ crimen delabitur, quoties aliis præesse cupit aut delectatur.

Præterea, qui subtilius cupit prospicere unde superbia habeat rationem peccati, et cur tantum contrarietur ac displiceat Deo, perpendat quod divinus Dionysius ait in cap. III. libro de Angelica hierarchia : Nullus, in- B quiens, angelorum audet legem sibi divinitus præstitutam transgredi, nec quidpiam agere nisi quod sibi a Deo præfixum est. Hinc ergo peccat superbus, quod ultra mensuram, legem ac regulam desuper sibi præfixam extollit se, et ea præsumit quæ vires et virtutes suas ac statum suum excedunt.

Est itaque superbia ineffabiliter detestabile, odibile et enorme peccatum : quoniam tam præcipue contrariatur majestati divinæ, et id quod Deo debetur, sibi usur- C pat, atque aversionem a Deo et contemptum præceptorum includit præ ceteris vitiis. Imo ipsa vocatur regina et mater omnium vitiorum. Propter quod Climacus Scal. parad. grad. XXII. ait : Superbia est Dei negatio, dæmonum inventio, despectio hominum, mater temerarii judicii condemnationisque aliorum, signum infructuositatis, effugatio adjutorii Dei, præcursatrix amentiæ, fons furoris et iræ, porta hypocrisis, vitiorum custodia, invisccrositatis et incompassionis adductrix, luctatrix Deo contraria, blasphemiæ D radix.

Insuper, quia superbia est tam specialiter Deo contraria, præsertim quia et inobedientiam parit, eo quod superbus subjici et subesse dedignetur ; idcirco Deus justus fatetur sibi proprium esse omnem superbum dejicere, humiliare, comprime- *Job* XL, 4. 6-8. re, loquens ad sanctum Job : Si habes brachium sicut Deus, et si simili voce tonas, disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia ; respice cunctos superbos, et confunde eos ; absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam.

Postremo, quanta mala intulit maledicta superbia hominibus miseris, et quam terribiliter ac multipliciter Deus omnipotens eam vindicavit in illis, compendiose tangit Innocentius, loquens : Superbia turrim Babylonis evertit, linguas hominum ibi confudit ; prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem cum exercitu suo submersit, Sennacherib interemit. Sedes ducum superborum destruxit Deus, et radices gentium superbarum arefecit. *Gen.* XI, 1-9. I *Reg.* XVII, 4-51 ; *Esther* III-VII ; I *Mach.* VII, 26-43 ; II *Mach.* IX, 7-28 ; *Exod.* XIV ; IV *Reg.* XIX. *Eccli.* X, 17, 18.

ARTICULUS XXV.

De variis causis superbiæ.

VIR *vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* Scelerata ista superbia primo oritur ex improbo et privato sui ipsius amore. Nempe ex hoc quod homo amat se in se, protinus concomitatur quod amat sui ipsius excellentiam et honorem. Hinc quum Apostolus protulisset, Scito quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines amantes se ipsos, mox addidit : Cupidi, elati, superbi. Qui igitur cupit superbiam exstirpare, discat se in solo Deo amare. *Job* XI, 12. II *Tim.* III 1, 2.

Secundo superbia nascitur ex incauta et imperfecta consideratione sui ipsius, videlicet ex consideratione alicujus excellentiæ quam homo habet aut habere se putat, considerando excellentiam suam secundum se, non per relationem ad Deum, a quo eam sortitus est ; vel si considerat eam per relationem ad Deum, tamen ex ea incaute et stulte præfert se aliis aut despicit eos, qualis exstitit Pharisæus qui dixit : Gratias ago tibi, Deus, quia non sum sicut ceteri hominum, etc. Præterea, bona quæ habet homo, triplicia sunt, puta dona naturæ, bona fortunæ, munera gratiæ. In- *Luc.* XVIII 11.

terdum itaque generatur superbia ex consideratione alicujus eminentiæ in propriis naturalibus : sicut in his qui de corporis pulchritudine, fortitudine, aut ingenii capacitate stolide intumescunt. Quandoque vero nascitur ex consideratione excellentiæ in bonis fortuitis : ut patet de eis qui ex terrena opulentia, aut propinquorum potentia, aut nobilitate vel præsidentia, aut prosperitatibus intumescunt. Aliquando ex consideratione gratuitorum : sicut dum quidam quasi ex quadam speciali devotione aut perfectione pulsantur hac vanitate.

Tertio causatur superbia ex suggestione diaboli, qui homini subtiliter et versute interius persuadet quod aliquid sit, et quod aliquid magni consistat in ipso, ita ut vir virtuosus quandoque vanissimis apprehensionibus propriæ eminentiæ impleatur antequam id advertat. Hinc contra tales invisibiles suggestiones orat Propheta : (Ps. LXIX, 4.) Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge. Huic suggestioni pestiferæ opponamus gladium spiritus, (Ephes. VI,) quod est verbum Dei, puta illud Apostoli : (Galat. VI, 3.) Qui se existimat aliquid esse quum nihil sit, ipse se seducit ; (I Cor. IV, 7.) et illud : Quid habes quod non accepisti ? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? et item quod Salomon fatetur : (Eccle. IX, 1.) Nescit homo an amore sit dignus, an odio.

Quarto, ex fama, seu laudibus, favoribus, venerationibus vel obsequiis hominum sibi impensis. Hinc in magnatibus, nobilibus, potentibus et quibusdam prælatis solet damnabilius regnare superbia. Sic quoque Joas rex Israel delinitus obsequiis principum, acquievit voluntati eorum, elatione seductus, in tantum quod Dei cultu relicto idola coluit, propter quod Deus tradidit eum ac populum suum hostibus suis, ut secundo Paralipomenon describitur. (II Par. XXIV, 17 et s.) Sic quoque Herodes Agrippa sedens pro tribunali in regia veste, quum concionaretur ad populum, delectatus vanissimis laudibus turbæ quæ eum tanquam deum quemdam extollebat, statim ab angelo est percussus, et consumptus a vermibus, miserabiliter exspiravit, quemadmodum in Actibus legitur. (Act. XII, 21-23.) Imo interdum contingit virum virtutum tali elatione ad horam seduci : ut de Ezechia rege sanctissimo constat. Quum enim Baladan rex Babylonis misisset ad eum solennes legatos, ut interrogarent eum de portento quod acciderat super terram, hoc est de miraculosa solis retrocessione propter ipsum peracta, lætatus est inani lætitia, videns se ita magnificatum a Deo, taliterque famatum etiam apud reges gentiles usque in longinquum, ut secundo Paralipomenon habetur. (II Par. XXXII, 31 ; IV Reg. XX, 12, 13.)

Hinc parce laudandus est homo, potissime imperfectus, ne intumescat, præsertim quum in Ecclesiastico scriptum sit : Ne laudes hominem in vita sua. (Eccli. XI, 30.) Nempe, quum amor et odium pervertant rationis judicium, et homo nondum sinceriter spiritualis nimis amet se ipsum, valde faciliter credit et acquiescit verbis et suggestionibus laudantium eum, et bona quæ habet, majora quam sunt arbitratur. Ideo Climacus loquitur, quod superbia est proles laudum ; (Scal. parad. grad. XXII.) et rursus : Qui imperfectum (ait) laudat, venenum ei propinat. Idcirco dixit Psalmista : Oleum autem peccatoris (id est commendatio adulantis) non impinguet caput meum, (Ps. CXL, 5.) id est, mentem meam nequaquam delectet. Porro vir sapiens et perfectus quanto plus ab hominibus famatur et collaudatur, tanto plus se ipsum humiliat, et tanto amplius occulta Dei veretur judicia et ab omni elationis amentia se tuetur, sciens certissime dona Dei esse bona propter quæ ipse pauper laudatur.

Quinto oritur superbia ex aliquo opere ab homine facto, quod ipse quasi præcipuum aliquid opinatur, quemadmodum quarto Regum Joas rex Israel dixit per internuntios Amasiæ regi Juda : (IV Reg. XIV, 9, 10.) Percutiens invaluisti super Edom, et sublevavit te cor tuum. Cui elationi objiciamus, quod omnis potestas et omnis actio laude digna Deo sunt adscribendæ. Non est enim potestas nisi a Deo. (Rom. XIII, 1.)

ARTICULUS XXVI.

De speciebus superbiæ.

Is. XXIII, 9. *DOMINUS exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.* Species superbiæ aliquando distinguuntur et assignantur penes diversitatem subjectorum, sicque alia est superbia intellectus, alia voluntatis, alia appetitus sensitivi irascibilis; aliquando vero juxta diversitatem objectorum, et ita alia est superbia ornamentorum, alia utensilium, alia ædificiorum; interdum autem secundum actuum diversitatem, sicque Gregorius assignat quatuor species superbiæ. Prima est, æstimare se a se ipso habere quod quisque habet. Et quamvis vix aliquis sit ita perversus ut ignoret omne bonum esse a Deo, attamen multi tam ingrate et animose, tam intimorate atque jactanter se habent, quasi putent a se ipsis se habere quod sunt, possunt ac habent, similes superbissimo Pharaoni, cui per Ezechielem Dominus ait : Audi, Pharao, draco magne, qui dicis : Meus est fluvius, et ego feci me ipsum. (Ezech. XXIX, 3.) Secunda species est, attribuere propriis meritis magis quam gratiæ Dei bona quæ habet quis : quæ fuit superbia Pelagianorum, qui asseruerunt hominem ex naturalibus suis posse promereri vitam beatam ac justificari. Contra quod ait Salvator : Sine me nihil potestis facere (Joann. XV, 5.); et Apostolus : Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. (I Cor. XII, 3.) Apud Osee quoque Dominus contestatur : Perditio tua ex te, in me tantummodo auxilium tuum. (Osee XIII, 9.) Tertia est, jactare se habere bona quæ non habentur : et hæc est magna prorsus impietas, imo fatuitas infinita, quum et virtutes quæ habentur, sint potius occultandæ quantum est in ipso qui habet eas. Tales fuerunt Scribæ et Pharisæi, qui dixerunt ad Christum : Numquid et nos cæci sumus? (Joann. IX, 40.) Quibus et ipse locutus est : Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra. (Luc. XVI, 15.) Tales demum sunt omnes hypocritæ, de quibus apud Job fertur : Congregatio hypocritarum sterilis. (Job XV, 34.) Quarta species est, singulariter velle videri aliquid boni habere, aliis spretis : ut patet in verbosis ac sciolis, qui præ ceteris suam jactant scientiam, ut quasi soli appareant eruditi aut ceteris doctiores. Quorum unicuique dici potest illud Job : Ecce prudentiam tuam ostendisti plurimam (Ibid. XXVI, 3.); et quod rursum apud Job continetur : Numquid qui multa loquitur, non audiet? aut vir verbosus justificabitur? (Ibid. XI, 2.)

Rursus dividitur superbia in superbiam interiorem et exteriorem. Superbia interior invenitur in quatuor potentiis animæ, scilicet in imaginativa, in appetitu sensitivo irascibili, et intellectu ac voluntate. Superbia imaginativæ est apprehensio sensitiva interior qua homo de se ipso sentit nimis sublimiter, quantum ad ea quæ cadunt sub sensu, seu quantum ad temporalia, carnalia et terrena, extollendo se de parentela, opulentia, pulchritudine, eloquentia, et consimilibus, et de talibus magnifice imaginando de semetipso. Superbia vero appetitus sensitivi irascibilis est ad talia tumide affici, appetendo in talibus propriam excellentiam, vel adeptam et præsentem extollenter amando. Porro superbia intellectus est per superiorem vim cognitivam nimis magna sentire de se, et de immaterialibus et spiritualibus bonis se in se extollere aut parvi pendere alios : puta de ingeniositate, scientia, sapientia, virtute et charismatibus gratiarum, seu ingenitæ indolis elegantia, aut vigorositate continuandi exercitia intellectualia ac spiritualia. Superbia vero voluntatis est propriam in talibus excellentiam inordinate appetere aut amare : nam donis gratuitis quis potest abuti, et de optimis superbire. Præterea, quamvis intellectus et voluntas directe respiciant pro objecto abstracta ab hic et nunc, seu a materia et appendiciis ejus, spiritualia quoque, incorporalia ac divina; attamen per reflexionem concernunt etiam exteriora, sensibilia et terrena.

Idcirco quæ cadunt sub sensu et appetitu sensitivo, cadunt et sub intellectu ac voluntate. Unde de talibus potest esse superbia non solum in interiori vi sensitiva et appetitu irascibili, sed item in intellectu ac voluntate : puta de temporali et humano honore, de exteriori prælatione aut principatu, de fama et laude humana operibusque terrenis. In his ergo interior consistit superbia : quæ tamen in intellectu et voluntate potissime sita est, quia nec extollentia virium sensitivarum rationem culpæ sortitur, nisi originaliter ex defectu seu culpa intellectus ac voluntatis.

Præterea, superbia exterior est effectus et signum interiorem prætendens sive ostendens. Superbia quippe essentialiter consistit dumtaxat in præfatis interioribus animæ viribus ; in exterioribus autem consistit tanquam in effectu et signo ab interiori superbia procedente et eam monstrante : exteriora namque interiorum qualitatem ac dispositionem declarant. Idcirco, quamvis hujusmodi exteriora interiorem vanitatem superbiamque monstrantia, possint interdum non ex elatione et vanitate prodire, nihilo minus sunt vitanda : quoniam speciem mali habent, et scandalizativa sunt aliorum. Idcirco sunt contra illud Apostoli : Ab omni specie mala abstinete vos ; imo et contra illud quod terribiliter profert Judex : Væ homini per quem scandalum venit. Propter quod vana et frivola est excusatio plurimorum, qui de exteriori ornatu aut quocumque facto pompatico increpati, respondent se nil mali in illis prætendere. Quibus vice versa dicendum est, quod nullus agit aut appetit malum sub ratione mali, quum bonum sit appetitus objectum, et in Proverbiis Salomon dicat : Omnis via viri recta sibi videtur. Unde et qui ex superbia ornant se, faciunt hoc in quantum hoc judicant aliquo modo bonum, puta utile, delectabile aut honestum, quum tamen revera sit spiritualiter valde nocivum, deflendum ac vitiosum.

I Thess. v, 22. — *Matth.* xviii, 7. — *Prov.* xxi, 2.

Insuper, exterior ista superbia est multiplex valde juxta diversitatem subjectorum et objectorum suorum. Potest equidem apparere in corpore et in variis membris ejus, in incessu, in verbis, in vestitu, ludis, jocis, gestu ac risibus, in ornamentis, equitatura, familia, utensilibus, conviviis, ædificiis, in lectis, ac multis similibus : de quibus omnibus prosequi est nimis prolixum.

Breviter autem tangendo, superbia corporis est omnis pompatica habitudo seu superbiformis exhibitio ejus. Est quoque ista superbia multiplex, secundum quod in diversis corporis membris apparere specialiter potest. Prima ergo est superbia oculorum : quia in oculis valde cito ac specialiter relucet dispositio cordis. De hac superbia in Ecclesiastico scriptum est : Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et rursus in eodem legitur : Ex visu cognoscitur vir. Itaque qui corde superbiunt, et cordis sui tumorem per visum ostendunt, dupliciter peccant : nam Deum offendunt, et intuentes se scandalizant. De hac quoque superbia et ejus punitione fertur apud Isaiam : Oculi sublimis hominis humiliati sunt. De cujus etiam odibilitate ac gravitate in Proverbiis habetur : Sex sunt quæ odit Dominus : oculos sublimes, linguam mendacem, etc. — Secunda est superbia faciei, de qua legitur in Osee : Humiliabitur superbia Israel in facie ejus. Nam sicut ab occursu faciei cognoscitur sensatus, sic ex dispositione ejus cognosci potest superbus. — Tertia est superbia colli et cervicis, de qua in Ecclesiastico æterna Sapientia protestatur : Superborum et sublimium colla propria virtute calcavi. Unde et in Job legitur : Cucurrit impius adversus Deum erecto collo. Hinc sanctus ait Hieronymus : Nihil a juventute didici ita vitare, sicut erecto collo et superba cervice incedere. — Est quoque superbia pedum in incessu et choreis ; superbia manuum et brachiorum in extendendo et ventilando, juxta illud Job : Tetendit impius contra Deum manum. Atque in aliis membris im-

Eccli. xxiii, 5. — *Ibid.* xix, 26. — *Is.* ii, 11. — *Prov.* vi, 16, 17. — *Osee* vii, 10. — *Eccli.* xix, 26. — *Ibid.* xxiv, 11. — *Job* xv, 26. — *Ibid.* 25.

piissima cordis elatio se demonstrat. De A quibus omnibus per Isaiam Dominus loquitur (*Is.* III, 16, 17.) : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt collo extento, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, et composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion ; et per Sophoniam (*Soph.* I, 9.) : Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur ; et per Amos (*Amos* VI, 1.) : Væ qui opulenti estis, optimates capita populorum, ingredientes pompatice. — Amplius, superbia cordis in ore seu lingua potissime multipliciter ac damnabiliter de- B monstratur : per verba præsumptionis atque jactantiæ, per propriam laudem, per verba contumeliosa, injuriosa, irrisoria contra alios dicta ; interdum quoque per taciturnitatem ex prattatione vel aliorum parvipensione ; item in cantu, discantu inundationeque vocis, in clamore et cachinnatione ac verbositate. De quibus ait Propheta (*Ps.* XI, 4.) : Disperdat Dominus universa labia dolosa et linguam magniloquam ; et rursus (*Ps.* XVI, 10.) : Os eorum locutum est superbiam. Hinc in Ecclesiastico (*Eccli.* XIX, 27.) scriptum est : Ami- C ctus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo. Hinc refrenatio linguæ ab omni superba locutione et indignabunda ac tumida taciturnitate est valde necessaria ad salutem, quemadmodum Salomon (*Prov.* XXI, 23.) contestatur : Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.

Amplius, superbia quæ consistit in exterioribus et corporalibus rebus, est multiplex. Prima consistit in vestimentis, in quibus potest esse excessus in multitudi- D ne, pretiositate, mollitie, formatione, expolitione, scissione, fractillatione ac aliis : ad quæ omnia devitanda quemlibet Christianum debet merito excitare quod sacra Scriptura et sancti Patres tam seriose et copiose reprehendunt, cohibent et condemnant hæc omnia. Ait enim in Evangelio Christus (*Matth.* XI, 8.) : Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Quasi dicat : Tales communiter non sunt de numero pœnitentium et incedentium per arctam ac asperam viam salutis. De divite quoque damnato enarrat quod induebatur purpura ac bysso (*Luc.* XVI, 19.) ; tanquam diceret : Talis est reproborum pereuntiumque vestitus. Denique beatissimus Joannes Baptista præcepit (*Ibid.* III, 11.) : Qui habet duas tunicas (id est unam superfluam), det non habenti. Sed et gloriosissimus princeps Apostolorum in prima sua Canonica conscribit (*I Petr.* III, 1, 3.) : Mulieres subditæ sint viris suis ; quarum non sit exterius capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Vas quoque electionis ad Timotheum (*I Tim.* II, 8, 9.) : Volo (inquit) mulieres orare in habitu ornato (id est humili et modesto), ornantes se non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa. Et alibi generaliter ait (*Ibid.* VI, 8.) : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus. Denique, teste Gregorio, evangelica et apostolica ista præcepta magis concernunt viros quam feminas, et juvenes potius quam puellas, ita quod viri et adolescentes gravius peccant in superfluitate, curiositate, pretiositate ornatuque vestium, quam puellæ ac feminæ. Ait namque Gregorius : Pensate quale peccatum sit hoc in viris, a quo pastor Ecclesiæ curavit prohibere etiam feminas.

Insuper sancti patres Basilius atque Ambrosius dicunt : Nudi vestimentum est quod recludis ; et tantis rapis quantis communicare deberes. Vide ergo quale peccatum sit, habere tres, quatuor, quinque aut plures tunicas, togas, diploides. Qualiter contra talem clamabunt in die judicii nudi ac pauperes, qui frigore affliguntur ? Quis autem plene exprimere aut digne queat deplangere, quantum miseri filii ac carnales filiæ hujus mundi mundanique homines peccent in abusionibus ac vanitatibus vestimentorum, nunc in nimia brevitate, ita ut si modice curvent se, videantur ante et retro ; nunc in nimia longitudine, nunc in nimia amplitudine, nunc in nimia strictitudine, nunc in vanissima fractillatione, scissura aut perforatione ? In quibus omnibus videntur magis irrisi

quam vestiti, in tantum ut etiam a Judæis A et Sarracenis juste irrideantur. Quocirca per Joelem Deus hortatur : Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Et in Ecclesiastico scriptum est : In vestitu ne glorieris unquam.

Joel II, 13.
Eccli. XI, 4.

Secunda superbia circa exteriora et corporalia sita, consistit in ornamentis quæ ultra et supra vestimenta adjiciuntur corporibus, de quibus nunc aliquid tactum est. Unde et sanctus doctor, martyr ac præsul Cyprianus disseruit : Mulieres serico et purpura indutæ, Christum induere B nequeunt ; auro et margaritis atque monilibus decoratæ, ornamenta cordis ac corporis perdiderunt. Imo, ut gloriosus affirmat Hieronymus, feminæ et puellæ taliter se ornantes, sunt retia dæmonum ad capiendum et interficiendum animas juvenum ac virorum. Denique ad vitandum hæc omnia, sufficienter inducere potest ac debet quod idem terribiliter ait Hieronymus : Vir aut mulier ornate se vestiens aut se ornans, et suo ornatu oculos aliorum in se provocans, quamvis etiam nul- C lum malum inde sequatur, tamen æternum supplicium patietur, quia proximis propinavit venenum, si fuisset qui biberet. Ex quibus verbis probatur quod hoc sit mortale peccatum : ubi nihilo minus est pensandum profundius, quia si hoc est mortale peccatum, ergo quotiescumque aliquis aut aliqua ita se vestit et ornat, peccat mortaliter : quia, ut Aristoteles probat, unitas motus seu actionis attenditur ex unitate mobilis, unitate temporis unitateque termini *ad quem*. Quot ergo D mortalia vitia incidunt, qui tam frequenter aut certe quotidie ita se ornant ac vestiunt, et tam multis hominibus propinant venenum, hoc est scandali directam occasionem, etiam sacris in locis et in divino Officio ?

O infelicissimi amatores sæculi hujus ! quousque non expergiscemini ad animarum vestrarum salutem ? Nonne vultus femineus et puellaris adspectus per se solum satis tentativus est viri ac adolescentis ?

Nec minus tentativus est puellarum ac feminarum vultus virilis, juvenumque forma ac facies. Quid ergo necesse est his superaddere irritamenta libidinis, et cooperari dæmonibus ad mutuam animarum necationem ? Imo quam crudele est hoc ? At vero, si vere crudeles ac pessimi reputantur qui acutissima excogitant ac fabricant ferramenta ac arma ad proximos interficiendos injuste in corpore, quomodo non crudelissimi sunt censendi qui præfatis modis se ornant ac vestiunt ad provocandum complacentiam sensualem aut letalem libidinem ? Et dato quod hoc idcirco non faciunt, tamen ad minus discrimini se exponunt, neque a specie mala se abstinent, neque a scandali occasione se retrahunt. Idcirco sunt insipientes et divinis Scripturis inobedientes, et unus alium venatur ad mortem. Apostolus ait, Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem ; quum tamen esus carnium non sit ex se scandalizativus proximorum : quanto magis si curiosus vestitus aut ornatus corporis scandalizativus est fratrum sive sororum, non debet quis unquam uti hujuscemodi veste aut ornamento, ne quempiam scandalizet? Præterea penset qui potest aut vult, quam scandalizativum et provocativum exstet libidinis consuetum nunc genus vestitus, videlicet brevis toga ab uno latere prorsus aperta super diploidem, ita ut corpus viri ante et retro in locis verecundioribus assidue a feminis conspiciatur. Quod si feminæ et puellæ sic essent vestitæ, quod earum corpora in locis etiam talibus taliter viderentur a viris, quid inde gigneretur libidinis ? Et nonne feminæ tam pronæ (imo et proniores) sunt ad concupiscentiæ motus ut viri ? Joannes apostolus ait : Mundus totus in maligno positus est. Ego autem plus aliquid dico : quia totus pene mundus in amentiam versus videtur, ita ut vix paucissimi reperiantur qui velint attendere quam arcta sit via vitæ, quid item pertineat necessariumque

I Thess. V, 22.
Mich. VII, 2.
I Cor. VIII, 13.
I Joann. V, 19.
Matth. VII, 14.

consistat ad salutem. Merito dixit Salva- A
Matth. xviii, 7. tor : Væ mundo a scandalis ; et, Væ vobis
Luc. vi, 24. divitibus ; et, Væ vobis qui ridetis.
Ibid. 25.

Adhuc autem, quum anima finis sit corporis, ita vestiendum ac tegendum est corpus ut expedit animæ, et non ad voluptatem, sed ad necessitatem ; non ad ornatum, sed ad frigoris ac caloris læsionem vitandam, operiendamque erubescibilem nuditatem. Quod si contorales et conjugales se decenter possunt ornare ad complacendum invicem sibi in Domino, ad vitandum periculum in compare ; hoc B tamen fieri debet salvo jure divino, et ita ne alii scandalizentur directe. Et si idcirco se ornant, cur magis se ornant dum seorsum domum egrediuntur, quam dum simul sunt domi ? Præterea, quanta insipientia, quanta perversitas est, vile ac sordidum moriturumque corpus sic vestire ac perornare, et nobilem, rationalem immortalemque animam deturpare, negligere, scandalizare ? Non æstiment viri aut feminæ ita vestiti, quod orationes eorum exaudiantur a Domino : imo in ecclesia C gravius contra se concitant Deum, quem ibi per scandala mutua gravissime prorsus offendunt. — Hæc contra superbiam vestitus et ornamentorum breviter tacta sint.

Tertia est superbia lectorum. In lectis quippe reprehensibiles sunt nimia multitudo et nimia magnitudo, pretiositas atque mollities. Ad quorum omnium contemptum debet inducere consideratio lecti in quo obiit Christus, puta patibuli crucis ; deinde, quod corpus cito in sepulcro D ponetur, et timor lecti tartarei, atque quod
Amos vi, 1, 4. Dominus loquitur per Amos, Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris ; et rursus, quod tota conversatio nostra debet esse pœnitentialis ac humilis afflictivaque corporis.

Quarta est superbia familiæ, hoc est familiam superfluam, inutilem aut immorigeratam habere, et de ejus obsequio ac sequela gaudere. — Quinta est superbia conviviorum : in quibus reprehensibiles sunt ferculorum exquisitio et multitudo, et invitatio divitum, non egenorum. — Sexta est superbia utensilium : in quibus etiam nimia pretiositas, numerositas et ornatus reprehenduntur. — Septima est superbia in equitaturis : in quibus multitudo et impinguatio immoderata equorum et pretiosus eorum ornatus culpabiles sunt. — Octava est superbia ædificiorum : in quibus hæc eadem redarguuntur, quum et per Isaiam Dominus dicat : Væ qui con- Is. v, 8.
jungitis domum ad domum.

Vitanda est ergo in omnibus istis superbia, atque in cunctis humilitas observanda.

ARTICULUS XXVII.

Adhuc de quibusdam speciebus superbiæ.

QUID *superbit terra et cinis ?* Supra Eccli. x,
ostensum est quemadmodum inter- art. xxv.
dum oriatur superbia ex consideratione donorum naturæ, quandoque ex bonis fortunæ, sub quibus comprehenduntur bona Ecclesiæ, aliquando ex donis gratiæ, sub quibus intelliguntur et dona gloriæ.

Porro dona naturæ duplicia sunt. Nam quædam sunt corporalia, ut fortitudo, sanitas, pulchritudo, agilitas, bona complexio, et aliquo modo nobilitas ac libertas. Quædam vero sunt spiritualia : quorum aliqua sunt innata, sicut acumen ingenii, tenacitas memoriæ, habilitas ad virtutes, robur sustinendi diutius exercitium spirituale, vigor synderesis. Inter hæc quoque nonnulla se habent medio modo, ut ingenita amabilitas, acceptabilitas præsentialis, suavitas morum, et affabilitas quædam atque facundia. Cetera autem spiritualia ac naturalia dona sunt acquisita, puta scientiæ ac virtutes per studium et laborem adeptæ. Similiter bona fortunæ exstant duplicia, puta : corporalia, sicut divitiæ, deliciæ, et honores foris exhibiti ; ac spiritualia, ut auctoritas prælaturæ, dignitas præsidentiæ, jurisdictio judicia-

ria. Conformiter dona gratiæ duplicia esse noscuntur : nam quædam sunt dona gratiæ gratum facientis, quæ insunt bonis dumtaxat ; alia autem sunt dona gratiæ gratis datæ, quæ bonis ac malis hominibus inveniuntur communia, scilicet gratia miraculorum, prophetia, donum linguarum.

Itaque, juxta sanctorum Patrum doctrinam, superbia qua aliquis se extollit de corporalibus donis naturæ eorumque actibus in quantum sunt naturales, vocatur carnalis superbia ; similiter illa quæ oritur ex corporalibus bonis fortunæ. Talis quippe superbia est grossa ac rudis atque de minimis rebus, et competit eis qui omnino pusilli sunt et nihil habent de spirituali intelligentia ac virtute. Illa tamen quæ est de bonis fortunæ, carnalior et rudior esse videtur quam illa quæ est de donis naturæ : quia bona fortunæ sunt infima et incerta, auferrique possunt ab aliis. Hinc unum contra superbiam istam remedium, est considerare quam parva et vilia sunt hujusmodi bona respectu spiritualium ac interiorum bonorum. Ista demum superbia præcipue inest divitibus, potentibus ac nobilibus hujus mundi, qui non nisi exteriora atque carnalia intuentur. Idcirco de talibus, quæ quasi nullius sunt ponderis, extollunt se vehementer, nec attendunt quod multi inferiores et pauperes ac devoti, quos ipsi parvi pendunt aut spernunt, multipliciter eos excellunt in interioribus et præclarioribus donis naturæ ac gratiæ. Hinc in libro de Civitate Dei asserit Augustinus, quod hujusmodi dona exteriora, ut pulchritudinem, opulentiam, eloquentiam, etc., Deus frequenter magis concedit reprobis ac injustis, ne multum reputentur aut cupiantur ab electis ac bonis.

Porro superbia nascens ex spiritualibus donis naturæ aut gratiæ, spiritualis vocatur, et est magis occulta, subtilis ac periculosa, potissime illa quæ est de gratiæ donis : quæ etiam (secundum Cassianum et Climacum) sæpe valde infestat

A viros virtutum et quasi perfectos, suggerens eis ut de spiritualibus donis gratiæ sibi collatis inaniter glorientur aut efferant semetipsos, seu aliis præferant se, et quasi imperfectiores despiciant ceteros, vel certe ut talia dona non solum adscribant pietati ac gratiæ Creatoris, sed et suis viribus, meritis, industriis atque laboribus. Quumque hujusmodi vanissimæ elationi cœperint consentire, permittuntur frequenter justo Dei judicio carnales tentationes incidere, quemadmodum
B S. Hieronymus in primo Vitaspatrum libro de aliquibus recitat abstinentissimis eremitis.

Postremo, ut ait S. Bernardus, adhuc duplex invenitur superbia. Una quæ tangit incipientes et jam aliqualiter proficientes : quibus elatio vana solet suggerere ut aliquid magni se agere arbitrentur, viderique cupiant, aut æstiment quod multum reputarentur ab aliis si scirent quanta et qualia habeant dona ac opera, vel ut temere judicent ceteros, vel bona sua pro-
C palent, aut suspicentur quod non ex sola misericordia Conditoris, sed etiam pro meritis suis sortiti sint talia. Alia vero est superbia, quæ perfectioribus est molesta : quæ tamen a viris vere perfectis faciliter exsufflatur, quoniam in se ipsis uberrime sunt experti quam ineffabiliter magna sit defectuositas, impotentia fragilitasque naturæ, si vel modice relinquantur a gratia. Hinc libro de Institutis Patrum loquitur Cassianus : Proferamus lib. xii, c. 13.
sententiam Patrum, qui viam et qualita-
D tem perfectionis descripserunt non verborum jactantia, sed possidentes eam recto opere ac Spiritus Sancti virtute, tradiderunt docueruntque eam propriis experimentis et exemplis certissimis. Aiunt namque neminem posse pure emundari a carnalibus vitiis, nisi intelligat ac fateatur universum suum laborem atque conatum ad hoc ipsum non posse sufficere, nec purgationem ac perfectionem posse quempiam obtinere, nisi Dei miseratione ac adjutorio conferantur.

ARTICULUS XXVIII.

De filiabus superbiæ.

Ps. LXXII, 6. TENUIT *eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua.* Quemadmodum in secunda secundæ, quæstione centesima sexagesima secunda, recitat S. Thomas, quidam (ut Cassianus atque Isidorus) considerantes superbiam ut est vitium speciale, dixerunt eam esse capitale peccatum. Sanctus vero Gregorius eam considerans secundum quod habet universalem influentiam super universa peccata, posuit eam non esse capitale peccatum, sed universorum vitiorum reginam ac matrem, et capitalium vitiorum originem, ita quod multitudinem omnium generat vitiorum, et mentem quam occupat, cunctis capitalibus vitiis implet. Porro secundum utramque positionem ipsa detestanda superbia est vitiorum origo ; et quæ magis directe concomitantur et sequuntur ex ea, filiæ ejus possunt vocari. (art. 8.)

Hinc in Summa virtutum ac vitiorum asseritur : Superbia est quasi rex vitiorum, et habet coronam, sed maledictam, de qua ait Scriptura : Væ coronæ superbiæ. (Is. XXVIII, 1.) Quemadmodum etiam rex non solet solus venire, ita superbia non venit sola ad hominem, sed tanquam rex grandem secum adducit vitiorum societatem. De superbia namque nascuntur hæreses, schismata, detractio, invidia, verbositas, jactantia, contentio, et hujusmodi.

Tob. IV, 14. Idcirco Bernardus : Initium, inquit, omnis peccati et totius perditionis est superbia. Propterea qui salutem tuam appetis operari, adversus superbiam super caput tuum signum crucis memento habere, ne in superbiam eleveris. Denique, teste Bernardo, ex superbia oriuntur : curiositas, levitas mentis, inepta lætitia, singularitas, stulta securitas ; arrogantia, qua homo aliis se præponit ; præsumptio, qua homo tendit in ea quæ vires suas transcendunt ; excusatio propriæ iniquitatis, inobedientia seu rebellio intimorata, libertas, et consuetudo peccandi, quæ Dei contemptum includit.

Climacus quoque filias superbiæ exprimens : Progenies, ait, seu filiæ superbiæ sunt : spiritualium ruina, ira, detractio, amaritudo, furor, clamor, blasphemia, hypocrisis, odium, invidia, contradictio, propriæ quoque voluntatis complacentia et regulatio, impersuasibilitas seu indocilitas, et inobedientia. (Scal. parad. grad. XXII.) Iterum Climacus scribit : Initium superbiæ est finis vanæ gloriæ ; medium vero superbiæ est contemptus proximorum, et propriorum laborum propalatio inverecunda ; finis autem superbiæ est negatio adjutorii Dei, et extollentia propriæ sollicitudinis ac diligentiæ, mos dæmoniacus. Vidi quosdam ore gratias Deo agentes, et quasi ex propria prudentia se ipsos extollentes. Ubi ruina advenit ac pertingit, ibi superbia antea tentorium fixit. Altum sapiens de se ipso, contradicit vehementer ; sed humiliter sapiens, contradicere nescit. Dedignatur cypressus pergere super terram, et superbus dedignatur possidere obedientiam. Vir altus corde desiderat principari : aliter enim non potest (magis vero non vult) perdi in finem, ut congruit. Fratrem superbientem senex sanctus ac sapiens admonuit ne superbiret. Ille vero excæcatus respondit : Indulge, Pater, superbus non sum. Cui senex : Quam evidentiorem ostensionem superbiæ poteris, o fili mi, exhibere, quam dicere, Superbus non sum ? Noli arroganter altum sapere de te, quum sis terrenus : multi enim de cœlis ejecti sunt, quum essent immateriales. (Rom. XI.) Sicut tenebræ sunt alienæ a lumine, ita superbus ab omni virtute. Superbus non indiget dæmone : ipse enim sibi ipsi factus est dæmon et impugnator. Hæc Climacus.

Præterea, ut edocet Cassianus, superbia facit hominem asperum et immitem, tamque perversum, ut dum contra vitia ejus fit prædicatio, visus ejus hinc inde circumfertur ; pro salutaribus quoque suspiriis sputa de gutture sicco traducit, di- (De Ins. Patr. lib.)

giti ejus ludunt, et universa corporis sui membra huc illucque moventur, quasi scatentibus vermibus aut acutissimis sudibus inhæreret. Et quidquid simplex sermo ad audientium ædificationem protulerit, ob suam suggillationem putat esse prolatum ; totoque tempore quo spiritualis vitæ examinatio ventilatur, ipse suis suspicionibus occupatur, et cur unumquodque dictum sit, vel quid sermocinanti objiciat, intra se percontatur : sicque spiritualis collatio non solum nil proficit ei, verum etiam majoris peccati ac condemnationis fit ei occasio. Deinde post hæc sunt in eo excelsa vox, rigidus sermo, amara et turbulenta responsio, incessus erectus, lingua loquax, nec unquam taciturnitatis amica, nisi dum contra proximum indignationem aut rancorem conceperit. Hæc Cassianus.

Insuper Augustinus undecimo super Genesim ad litteram : Invidia, inquit, sequitur, non præcedit superbiam. Non enim causa superbiæ est invidia, sed econtra. Quum enim superbia sit amor propriæ excellentiæ, invidia vero odium felicitatis alienæ, quid ex quo nascatur, in promptu est. Amando etenim quisque propriam excellentiam, invidet vel paribus, quod ei æquantur ; vel superioribus, quod ipse eis non æquatur ; aut inferioribus, ne ei æquentur. Ecce quot pessimas filias parit hæc sceleratissima et male fecundissima mater.

Postremo certissimum est, quod quanto quis major ac dignior est in propriis oculis, tanto injuriam sibi illatam gravius ponderat majoremque reputat, acrius quoque ulcisci conatur : et ita ex superbia oriuntur ira, impatientia, indignatio, lis, injuria, ultio. Superbus quoque vult præ aliis apparere ac reputari : ideo indiget multis, et facit magnas expensas. Propter quod ex superbia nascitur avaritia, deinde gula, luxuria, saltem in appetitu, et consequenter acedia. Imo superbi erubescunt aliquid adversitatis sibi illatæ æquanimiter tolerare, et quanto superbiores exsi- A stunt, tanto injuriam sibi factam, quamvis sit modica, immoderantius ulciscuntur si possunt.

ARTICULUS XXIX.

De remediis contra superbiam.

Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur. (Is. II, 12.) Ad detestationem, fugam ac odium universæ superbiæ primo valet quod Christus in toto B Evangelio verbo et exemplo summe detestatus est, vituperavit atque damnavit superbiam. Nam ipse in tota vita sua in sæculo isto in omni humilitate, paupertate dejectioneque vixit ; et ceteris prædicavit : Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur. (Luc. XIV, 11 ; XVIII, 14.) Quum ergo non sit servus major domino suo, (Joann. XIII, 16.) cur superbit peccator vilis, vas fœtidum, homo inanis, defectuositatibus plenus, propter quem Deus majestatis tantum exinanivit se ipsum ? (Philipp. II, 7.)

Secundum contra superbiam remedium C est, considerare quam multa et magna mala inferat homini. Facit etenim eum Dei inimicum, quia (ut ait Scriptura) Deus superbis resistit ; (Jacob. IV, 6.) et Deo hominibusque odibilem, juxta illud Ecclesiastici : Odibilis coram Deo et hominibus est superbia. (Eccli. X, 7.) Facit etiam hominem specialiter abominabilem, vilem ac aspernabilem coram Deo, qui ait : Arrogantiam et superbiam et os bilingue detestor. (Prov. VIII, 13.) Unde apud Lucam asserit Christus : Quod altum est hominibus, abominabile est coram Deo. (Luc. XVI, 15.) Insuper su- D perbia non solum privat hominem omni gratia ac virtute quam habet, sed et omni gratia efficit eum indignum, et omnis virtutis ac salutaris sapientiæ incapacem. Spoliat quoque eum cœlesti ac divino honore, beatifica et æterna exaltatione, amicitia angelorum ac omnium civium supernorum, et deprimit eum in profundissima inferorum ; facitque hominem servum ac filium principis tenebrarum, qui est rex omnium filiorum superbiæ. (Job XLI, 25.) Imo quemadmodum, juxta Augustinum, sola

caritas distinguit inter filios Dei et filios diaboli, ita quod caritas, quæ est amor Dei, est character et signum filiorum Dei civiumque Jerusalem ; et amor sui, filiorum diaboli, qui cives sunt Babylonis : ita, secundum Gregorium, sola humilitas inter istos distinguit, ita quod sicut humilitas est signum proprium electorum, ita superbia evidens signum est reproborum. Si ergo tot mala infert suo subjecto superbia, nonne infinitæ stultitiæ est eam admittere et amplecti ac intra se retinere, præsertim quum ipsa sit primum maximumque peccatum, et cetera vitia introducens? Imo, ut ait Boetius, cetera peccata a Deo fugiunt, sola superbia se Deo opponit. Itaque diligens consideratio horum ad superbiæ detestationem, evitationem odiumque inflammat.

Tertium remedium est, profunde perpendere quod a nobis ipsis nihil habemus nisi deficere et peccare, et quod omne bonum a Deo sit, cujus dona sunt etiam merita nostra : qui, juxta Apostolum, operatur in nobis velle atque perficere. (*Philipp.* II, 13.) Cui Isaias fatetur : (*Is.* XXVI, 12.) Domine, omnia opera nostra operatus es nobis. Ideo Deo attribuenda sunt omnia cum humilitate et sinceritate gratissima.

Quartum remedium contra superbiam est, rite pensare quod quanto plura ac majora a Creatore suscepimus bona, tanto amplius obligamur ei esse subjecti, grati ac humiles. Idcirco rectissime in Ecclesiastico scriptum est : (*Eccli.* III, 20.) Quanto major es, humilia te in omnibus.

Quintum remedium est, solerter considerare quod quanto præstantiora et copiosiora a Deo beneficia sumpsimus, tanto districtius ac terribilius judicium Dei imminet nobis, quemadmodum apud Lucam ait Salvator : (*Luc.* XII, 48.) Cui plus datum est, plus requiretur ab eo. Quod qui digne attendit, ad prælationem et præsidentiam aut magistratum non adspirabit, nec inde gaudebit inaniter, sed metuet sapienter, quoniam scriptum est : (*Sap.* VI, 6.) Judicium durissimum in his qui præsunt fiet.

A Sextum remedium est, efficaciter intueri quantas miserias et tormenta intulerit servis suis superbia, non in futuro dumtaxat, sed etiam in præsenti : de quo supra sunt tacta multa exempla. (art. XXIV, XXV.) Felix ergo quem faciunt aliena pericula cautum : siquidem pestilente flagellato, stultus sapientior erit. (*Prov.* XIX, 25.)

Septimum remedium est, considerare quod tot et tantis periculis sumus expositi, quod tam indesinenter indigemus adjutorio Dei adversus hostes nostræ salutis, B quod ignoramus an digni simus amore (*Eccle* IX, 1) Dei an odio, et utrum finaliter in æternum peribimus ; quod in medio laqueorum ambulamus, quod mille necessitatibus et ærumnis omnique pronitate ad peccandum sumus repleti. Videmus quod homines animosi cordis sui tumorem deponunt, et custoditi atque solliciti sunt, quando per loca latronibus ac prædonibus plena incedunt : quanto magis omnis Christianus universam debet elationem abjicere, quum incessanter prætactis periculis, laqueis in- C fernalibusque latronibus ac diabolicis prædonibus involutus sit atque circumdatus, præsertim quum tam pauci effugiant illorum captivitatem et deceptionem ac rabiem, imo quum nemo queat evadere nisi vere sit timoratus ac jugiter custoditus? Hinc namque Moyses in Deuteronomio hortatur : Custodi temetipsum et (*Deut.* IV, 9) animam tuam sollicite, et ne obliviscaris verborum Dei omnibus diebus vitæ tuæ. Atque in Ecclesiastico ait Scriptura : Sapiens in omnibus metuit ; (*Eccli.* XVIII, 27.) et, Qui D sine timore est, justificari non potest ; (*Ibid.* I, 28) et alibi : Beatus homo qui semper est pavidus. (*Prov.* XXVIII, 14.)

Octavum remedium est, diligenter pensare quantis sordibus, fœtoribus ac indigentiis impleta sint corpora nostra, quod ex vili et turpi spermate sunt formata, et paulo post in horrendam putredinem resolvenda et a vermibus corrodenda.

Postremo, consideratio omnium quæ inductiva sunt humilitatis, expulsiva est elationis, videlicet quod ratio nostra tot igno-

rantiis et erroribus patet, quod voluntas
ad mala tam prona est, quod opera nostra
bona sunt adeo imperfecta, quod quotidie
tam graviter multipliciterque peccamus :
de quibus et consimilibus infra, tractatu
de humilitate, tangetur.

ARTICULUS XXX.

Exhortatio ad evitationem omnis superbiæ, ex Scripturis ac sanctorum Patrum doctrinis.

Eccli. x, 14, 15. INITIUM *superbiæ hominis* est *apostatare a Deo : quoniam ab eo qui fecit
illum, recessit cor ejus, quoniam initium
omnis peccati est superbia; qui tenuerit
illam, subvertet eum in finem.* Quam
summe ac diligentissime vitanda sit omni
Christiano superbia, constat ex hoc quod
sacra Scriptura tam copiosissime ac frequentissime hoc ipsum hortatur ac præ-
...t. xxiv et cipit : et de hoc jam introductæ sunt multæ auctoritates. Quibus addendum est quod
Num. xv, 30, 31. in Numeris Moyses scripsit : Anima quæ
per superbiam aliquid commiserit, quoniam adversus Deum rebellis fuit, peribit
de populo suo : verbum enim Domini contempsit.

Legitur quoque in libro Judicum quem-
Judic. xii, 6. admodum Jephthe judex Israel cum populo suo interfecit una die de tribu ac
filiis Ephraim quadraginta duo millia virorum, quia propter eorum superbiam
Deus tradidit eos in manus Jephthe. Similiter in primo Regum Deus per Samue-
I Reg. xv, lem dixit ad Saul : Nonne quum parvulus
esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? quasi Dominus dicat : Sicut
propter humilitatem tuam judicavi te dignum imperio et regem te feci, ita nunc
propter tuam superbiam judico te regno
indignum ac principatu privandum. Quod
Dominus dixit ad Saul, dum Amalecitis
Ibid. 12. devictis erexit sibi fornicem triumphalem.

Hinc bonus ille Tobias suum carissi-
Tob. iv, 14. mum docuit filium : Superbiam nunquam
in tuo sensu aut in tuo verbo dominari
permittas : in ipsa enim sumpsit initium

A omnis perditio. Ex quo sapientiali documento elicitur, quod si aliquis elationis
motus oriatur in anima, reprimendus est
protinus, ne erumpat, et ne per verba aut
signa monstretur. Venerabilis quoque Judith ait : Neque superbi placuerunt tibi, Judith ix, 16.
Domine, ab initio, sed humilium et mansuetorum tibi semper placuit oratio. Ex
quo verbo probatur, quod orationes superborum sint specialiter coram Deo inefficaces et inacceptæ. De hac superbiæ
abominabilitate Salomon in libro Prover-
B biorum multa expressit : Abominatio (inquiens) est Domini omnis arrogans. Et Prov. xvi, 5.
ibidem Sapientia : Arrogantiam (ait) et Ibid. viii, 13.
superbiam detestor.

Denique superbia facit hominem ad societatem ineptum, nec unus superbus alium ferre potest : quia, ut in Proverbiis
legitur, ubi fuerit superbia, ibi erit et Ibid. xi, 2.
contumelia. Et rursus Salomon contestatur : Inter superbos semper sunt jurgia. Ibid. xiii, 10.
Idcirco superborum societas et præsertim
familiaritas sunt vitandæ, quoniam in Ec-
C clesiastico ait Scriptura : Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; et qui communi- Eccli. xiii, 1.
caverit superbo, induet superbiam. Rursus,
superbia ita obtenebrat atque inebriat
mentem, ut propriam superbiam non advertat, nec dici velit quod vult esse, juxta
illud Habacuc : Quomodo vinum potantem Habac. ii, 5.
decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur. De cujus dejectione per Jeremiam locutus est Dominus : Ecce ego ad Jer. l, 31, 32.
te, superbe, quia venit dies tuus, tempus
visitationis tuæ ; et cadet superbus et cor-
D ruet, et non erit qui suscitet eum. Et per
Abdiam : Si exaltatus fueris ut aquila, et Abd. 4.
inter sidera posueris nidum tuum, inde
detraham te.

Hinc in Ecclesiastico admonetur : Non Eccli. vi, 2.
extollas te in cogitatione tua velut taurus.
Hinc sanctus David considerans se ipsum,
studuit se humiliare : Ero (inquiens) hu- II Reg. vi, 22.
milis in oculis meis ; et, Ego sum vir I Reg. xviii, 23.
pauper et tenuis ; et in Psalmo : Non veniat mihi pes superbiæ ; et, Domine, non Ps. xxxv, 12.
est exaltatum cor meum, neque elati sunt Ps. cxxx, 1.

oculi mei. His et consimilibus auctoritatibus sacra Scriptura est plena.

Denique, quantum etiam sapientes gentilium abhorruerunt superbiam, patet in libris eorum, atque in Gestis Alexandri, ubi inter cetera recitatur qualiter Darius rex Persarum propter superbiam suam victus ac letaliter vulneratus, docuit Alexandrum ut nunquam superbiret : quod etiam regina illa in cujus manus incidit Alexander, docuit eum. Unde sapiens quidam Alexandrum esse superbum considerans, dixit ad eum : Deus paratus est sapientiam dare, sed tu non habes ubi suscipias eam. Quod utique omni dici potest superbo, quia superbia facit hominem spiritualis ac salutaris sapientiæ incapacem, sicut in Evangelio asserit Christus : *Matth.* XI, 25. Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus (id est superbis, qui sibi sapientes ac prudentes esse videntur), et revelasti ea parvulis, hoc est humilibus, qui se parvos ac viles esse fatentur. Hinc Antisiodorensis ait in Summa sua, quod superbia non permittit hominem illuminari a parte superiori, quia videlicet intellectum et voluntatem potissime inficit; luxuria autem non permittit eum illuminari a parte inferiori, quoniam partem animæ sensitivam inficit et corrumpit.

Præterea, contra superborum fatuitatem *Eccli.* X, 9. loquitur Origenes : Quid superbit terra et cinis, ut homo per arrogantiam intumescat, oblitus quod erit, atque quam fragili vasculo contineatur, quibus stercoribus sit immersus, et qualia purgamenta de corpore suo ejiciat? Contra superborum autem ingratitudinem ait Hieronymus : Quid tam superbum tamque ingratum videri potest, quam vivere contra illius voluntatem a quo ipsum vivere accepisti, et illius præcepta despicere qui ideo præcipit, ut habeat causam remunerandi? Iterum dicit : Multo deformior est illa superbia quæ latet sub signis humilitatis. Nam et tunc turpiora sunt vitia, dum specie et colore virtutum celantur.

Rursus, de periculositate et malo effectu latentis superbiæ scribit Gregorius : Dum minus turpis esse superbia creditur, minus vitatur; luxuriam vero homines eo plus erubescunt, quo omnes eam esse turpem noverunt. Hinc plerumque contingit ut quidam post superbiam corruentes in luxuriam, ex aperto casu pravitatem culpæ latentis erubescant; tuncque majora vitia corrigunt, dum in minoribus prostrati, gravius confunduntur. Frequenter quippe latet superbia, et castitas innotescit; atque idcirco castitas diu tenta circa finem vitæ amittitur, quia latens superbia usque in finem incorrecta servatur. Insuper, teste Gregorio, superbi ad irrogandas contumelias atque injurias sunt robusti, sed ad tolerandas infirmi; ad obediendum sunt pigri, atque ad lacessendos alios importuni; ad ea quæ facere debent ignavi, ad illicita vero parati : qui tanto profundius jacent prostrati, quo altius erigunt se decepti. Hæc superbia angelos convertit in dæmones, et homines quoque dæmonibus efficit similes.

Hinc loquitur Cassianus libro de Institutis Patrum : Nullum est vitium quod ita omnes virtutes exhauriat, omnique sanctitate ac justitia spoliet hominem, sicut superbia : quæ tanquam generalis ac pestifer morbus non solum impugnat ac destruit unam virtutem, puta humilitatem sibi oppositam, sed totam virtutum machinam demolitur, si admittatur, et perfectos expugnare conatur; reliquorum vero quodlibet vitiorum virtutem sibi contrariam specialiter impugnat ac opprimit. Iterum ait : Si angelum ob suæ lucis splendorem atque decorem Luciferum nuncupatum, potuit superbia tam repente de cœlo in infernum præcipitare, cum quanta diligentia nos fragili carne circumdatos oportet eam cavere? Huic vero consonat quod Augustinus profatur : Quam densissimis putamus in terra superbiæ tenebris lutum involvi, si potuit in cœlo stella quæ mane oriebatur, lucis suæ globos per superbiam perdere? *Is.* XIV, 12.

Scal.parad. grad. XXII. Climacus quoque : Superbia, inquit, inducit propriorum peccatorum oblivionem; estque superbia extrema et summa cordis penuria, divitias gratiæ inesse sibi phantasticans, et lumen in tenebris videre se arbitrans. Nec solum impedit a processu, sed etiam longe ab altitudine projicit. Superbus est æger intus putrescens, foris autem visione nitescens. In cordibus superborum generantur verba præsumptionis atque blasphemiæ, in cordibus autem humilium verba ex Deo cœlestia. Sicut abominatur fur solem, ita superbus mitem B et humilem. Plurimi superborum latent se ipsos, et arbitrantes se esse sine vitio ac passionibus animæ, penuriam suam vident in exitu. Qui se ipsum coram Deo incessanter ac integre vituperat et accusat, superbiam quasi filum araneæ spernit, vincit ac rumpit.

Postremo S. Bernardus disseruit : Scimus superbis non esse partem aut socie-Eccli. x. 9. tatem in sorte Sanctorum. Quid tu super-II Petr. II, 4. bis, terra et cinis ? Superbientibus angelis Deus non pepercit : quanto magis tibi, C putredo et vermis, non parcet ? Nihil ille fecit, tantum cogitavit superbiam, et in momento irreparabiliter præcipitatus est. Si sic actum est cum angelo, quid fiet de homine vili superbo ? Ille superbivit in cœlo, homo in sterquilinio. Quis nesciat superbiam intolerabiliorem esse in paupere quam in divite ? Iterum ait Bernardus : Dico vobis, quod omnis superbus extollitur supra Deum. Deus enim vult suam fieri voluntatem, superbus vero vult propriam voluntatem impleri; et Deus vult D fieri suam voluntatem solum in his quæ sunt justa, superbus vero vult fieri suam etiam in injustis. Superbus ergo Dominum omnium inhonorat; non colit Deum, sed adversus eum extollitur, impius plane et infidelis. Quis etenim colit Deum, nisi qui ejus voluntati sponte humiliterque subjectus est ? Cur autem miser homo superbit, nisi quia se ipsum ignorat, id est, proprias miserias et excessus non pensat ?

Hinc in Stimulo amoris ait Bonaventu-A ra : O superbe, o Luciferi imitator, dic mihi, an putas te Deum esse ? an nescis omnia esse a Deo ? Si autem putas te aliquid esse aut habere a te ipso, Deum te esse testaris. Si autem hoc æstimare abhorres, unde superbis, quum a te ipso nihil sis nihilque habeas ? Sed amplius vide, ut tua reprimatur insania : nonne de alienis bonis stultum est gloriari ? Quum igitur omnia sint a Deo, si de aliquo in te inaniter gloriaris, stultum te esse ostendis.

At vero pauperibus specialiter est pensandum quod Sapiens dixit : Tres species Eccli. XXV, 3, 4. odivit anima mea : pauperem superbum, divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum.

Hæc contra primum mortale peccatum, facinorosam superbiam, in tantum breviter dicta sufficiant.

ARTICULUS XXXI.

De avaritia, et de mensura qua temporalia possunt licite appeti ac teneri.

QUAM difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt ! Amen dico vobis : facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Luc. XVIII, 24, 25; Matth. XIX, 23, 24. Ista sunt verba Domini nostri Jesu Christi : per quæ evidentissime edocetur quantum obsistat saluti temporalium affluentia rerum. Verumtamen non substantia rei creatæ in culpa est, sed perversa voluntas, quæ circa res ipsas inordinate afficitur.

Denique, non solum Christus ac Sancti, sed philosophi quoque docuerunt temporalia esse spernenda. Imo Stoici asseruerunt temporalia nullo modo esse hominis bona : cujus opinionis fuit et Craton philosophus, de quo in Legenda beatissimi Joannis apostoli hoc narratur. Verumtamen Christiani sancti, sicut et sanctus apostolus Joannes, docuerunt temporalia esse hominis bona minus principalia et secundaria, nec propter se appetenda, sed

ad spiritualia bona ea esse finaliter referenda, atque in tantum esse bona et affectanda ac conservanda, in quantum sunt homini necessaria sive utilia per respectum ad spiritualia bona, videlicet ad virtutes ac conversationem Deo placentem, æternamque beatitudinem obtinendam : quia si homo debet Deo servire, oportet ut vivat, nec vivere potest in carne sine usu temporalium rerum.

Hinc avaritia proprie sumpta non est simpliciter affectus temporalium rerum, sed inordinatus atque superfluus affectus earum, utputa eas appetere seu tenere magis quam expedit homini ad virtuose vivendum : quod est intelligendum considerato statu ac onere proprietateque hominis, hoc est, quantam sobolem habeat, aut qualibus oneribus sit gravatus, et cujusmodi parentelæ aut dignitatis sive officii sit. Nempe quod uni est avaritia, non est avaritia alteri : quoniam unusquisque licite potest temporalia bona habere juxta condecentiam suæ personæ, attenta ejus nobilitate, auctoritate, aut indigentia pro se ipso ac pertinentibus ad se, quibus providere tenetur aut congrue debet.

Unde, si vir illustris aut nobilis ad paupertatem devenit ex adversitate seu diffortunio seu malo suorum parentum regimine, potest decenter conari ad hoc ut amissa recuperet, seu tanta acquirat quanta condecet eum habere juxta suæ nobilitatis mensuram secundum rectæ rationis judicium. Si vero possideat tanta sicut progenitores prædecessoresque sui, et nihilo minus enitatur magis ditari, ad majora adspirans, ut ad meliora connubia pro se aut sobole sua, vel ad equitaturam ac familiam copiosiorem, seu ad majores expensas, ut majoribus se æquetur, vel ad abundantiorem thesaurum, sive ad majorem honorem aut famam ; vitiosum est et avaritiæ vitium. Conformiter est dicendum de quocumque minore : ut si simplex civis aut ruralis competentiam habeat pro se ac suis juxta mediocritatem suæ pa-
A rentelæ, et juxta statum patrum suorum, et tamen quærat ac studeat magis locupletari, seque aut suos ad altiora provehere, ac majoribus conformari in sumptu, familia, opibus, honore, fama, aut consimilibus; avaritia est et mortale peccatum: imo quotiescumque hoc appetit aut laborat ad hoc, peccat mortaliter. Talis quippe divitiarum adeptio sive possessio non est ipsi utilis aut necessaria ad virtuose vivendum, et ad proficiendum in spirituali opulentia animæ, scilicet in gratia et vir-
B tute ac meritis vitæ æternæ : imo multipliciter impedit inde. Nam talis intentio in se ipsa est vitiosa, et labor seu occupatio tendens ad talem ditationem est omnino culpabilis. Retentio quoque talis rerum superfluarum est directe contra justitiam, et ex genere suo culpa mortalis.

ARTICULUS XXXII.

Quod temporalia bona quantum ad usum
C *debent communia esse ; et quam vitiosum ac periculosum sit ea superflue retinere, et cur superfluitas ista sit ita culpabilis.*

DIVITIBUS hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. I Tim. vi, 17-19. Quemadmodum in Politicis
D Aristoteles refert, Socratis ac Platonis erat opinio omnia bona exteriora debere esse omnino communia. Hoc autem Aristoteles rationabiliter reprobat ; nec christianæ doctrinæ congruit illa positio. Aliquid tamen continet veritatis : quia, ut sancti Patres testantur, imo sacra Scriptura apertissime protestatur, omnia inferiora propter hominem sunt creata. Omnia namque (teste Ps. viii, 8.
Psalmographo) subjecit Deus sub pedibus ejus, et terram dedit filiis hominum. Qui Ps. cxiii, 16, sec. Hebr.
in Genesi ait : Faciamus hominem ad ima- Gen. i, 26.

ginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris et bestiis terræ, etc.

Hinc Thomas in secunda secundæ, quæstione sexagesima sexta, disseruit (art. 1) : Exteriora considerari possunt quantum ad eorum substantiam ; sicque soli Deo competit naturale dominium super ea, et auctoritativa ac naturalis eorum possessio, tanquam proprio Creatori, ad cujus nutum omnia immutantur atque obediunt. Idcirco in Genesi locutus est Abraham : Levo manum meam ad Dominum Deum, possessorem cœli et terræ (Gen. xiv, 2). Secundo exteriora considerari possunt quantum ad usum ipsorum et per respectum ad finem suæ productionis ; sicque homo habet naturale dominium super res exteriores, tanquam propter se factas, ut eis utatur secundum utilitatem ac indigentiam suam, juxta legem sibi a Deo præfixam.

Itaque, quum exteriora sint facta propter generalem omnium hominum usum, ut universi ac singuli eis utantur secundum quod opus est eis atque expediens ; idcirco quantum ad usum debent esse communia. Hinc asserit Thomas (Summ. th. 2a 2æ, q. lxvi, a. 2) : Non licet exteriora quantum ad usum eorum possidere ut propria, sed tanquam communia, quantum ad id quod superest propriæ necessitati aut utilitati, ut possidens ea faciliter ac libenter ipsa tribuat atque communicet egentibus. Ait quippe Ambrosius (et habetur in Decreto, distinctione 47, capitulo *Sicut ii*) (cap. 8) : Proprium nemo dicat quod commune est. Sic ergo hoc modo de jure naturali sunt cuncta communia : non quod jus naturale dictet nil tanquam proprium possidendum, sed ob causam prætactam, et quia possessionum distinctio non est de jure naturali, sed positivo. Nec solum competit homini exteriorum possessio, sed etiam jus procurandi dispensandique ea ; et quantum ad hoc, licet aliquid possidere ut proprium, ita quod homo habet jus ac titulum possidendi ea quæ ad ipsum juste sunt devoluta. Porro quod ejus necessitati ac utilitati superfluit, consideratis onere et decentia sui status, non est ipsius, nec licite retinet ea, sed indigentibus erogare aut in alios pios divinosque usus debet convertere.

Propterea dicit S. Basilius : Si tu, o dives, agnoscis et fateris hæc temporalia tibi provenisse a Deo, numquid injustus est Deus, qui bona hæc inæqualiter condonavit hominibus ? Cur tu abundas et ille mendicat, nisi ut tu bonæ erogationis et piæ communicationis merita et bravia consequaris, pauper vero decoretur patientiæ meritis, et mercede ac gloria paupertatis ? Sic quoque ait B. Bernardus : Filii hominum vani ac cupidi, cur amatis terrenas divitias, quæ nec veræ nec vestræ sunt ? Et si vestræ sunt, tollite eas vobiscum. Sed homo quum dormierit, non sumet quidquam ex eis secum (Ps. xlviii, 18).

Itaque justus ac sapiens Deus exteriora creavit et hominibus deputavit ac dedit, ut unusquisque eis moderate utatur secundum exigentiam atque decentiam sui status. Ex quibus innotescit quam periculosum atque damnabile sit de exterioribus plus optare, procurare aut reservare, quam expedit aut necesse est modo præfato. Qui enim hoc agit, injuriam facit Deo, cujus honorem et cultum posset augere bene utendo suis divitiis. Injuriatur quoque hominibus, quibus tenetur et potest succurrere. Hinc fatetur Basilius : Panis famelici est quem tu tenes ; nudi est tunica quam in conclavi reservas ; discalceati est calceus qui apud te marcescit ; indigentium est argentum et aurum quod habes reconditum : quocirca tot hominibus injuriaris, quot inde succurrere posses. Denique idem affirmat Ambrosius, addens : Captivorum redemptio est pecunia quam abscondis.

Insuper Thomas loco præallegato, Joannes quoque in Summa confessorum, et Bartholomæus in Summa Pisana, conscribunt (Summ. th. 2a 2æ, q. cxviii, a. 3, 4) : Immoderantia avaritiæ uno modo attenditur quoad ipsas res possessas aut concupitas : sicque est peccatum in proximum ; et contrariatur justitiæ, quoniam aliena appetit aut reservat, eo quod ex-

teriora quantum ad usum exstent communia, et ita comparatur rapinæ ac furto. Secundo consideratur immoderantia avaritiæ circa interiorem affectum, videlicet amorem aut concupiscentiam divitiarum : quo affectu homo nimis ad eas afficitur ; et ita liberalitati opponitur. Atque utroque modo ex suo genere est peccatum mortale, quamvis interdum propter ipsius rei vel affectionis parvitatem sit aliquando veniale.

Hinc beatissimi patres Ambrosius ac Basilius adstruunt : Non minoris est criminis, habenti quod suum est tollere, quam quum dare possis, indigentibus denegare : ideo scias te tantorum bona invadere, quantis potes nec vis præstare.

ARTICULUS XXXIII.

Quam detestabile ac enorme peccatum sit avaritia, et cur idololatria ac maximum vitium appelletur.

Baruch III, 16, 18-20. *UBI sunt principes gentium, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum? Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt; et alii in loco eorum successerunt, viam autem disciplinæ nescierunt.* Quum homo ex corpore constet et anima, et corpus ad animam tanquam ad dominam ordinetur, ipsaque anima ad beatificam Dei fruitionem sit condita; hinc profectus atque perfectio hominis consistunt in hoc, ut ab amore et occupatione terrenorum ac sensibilium se (quantum sibi possibile est) abstrahat et elonget, spiritualibus quoque actibus vacet, ac Creatori suo per sincerum amorem purasque meditationes propinquet assidue ac uniatur quotidie magis perfecte. Quum ergo terrenæ divitiæ sint infima hominis bona et fortunæ subjecta ac maxime corporalia, vilissimum est et prorsus detestabile vitium, atque præcipue ignobilitans hominem, quod eis tam inordinate inhæret et per affectum se subjicit ipsis.

Denique istud primo dissuadet ac vituperat nobis naturalis entium ordo. Terra namque est infimum elementum ac infima creatura, quæ et omnium pedibus conculcatur : per quod edocemur quod auctor naturæ, institutor ordinis universi, vult ista terrena pedibus animæ nostræ, puta affectibus ejus, calcari ac subdi et eis nullatenus dominari. Nonne ergo omnino perversum, vile ac fatuum est, infima ista terrena non solum spiritualibus ac nobilissimis animarum divitiis, sed et omnium Creatori superdignissimo ac immenso præponere per amorem, cogitationem et occupationem? quod agit omnis avarus. Præterea, quum anima rationalis summæ Trinitatis imago sit, cunctis corporalibus creaturis, etiam cœlis ac stellis, præstantior, magis indignum est innaturaliusque videtur quod ipsa tam vitiose se unit, subdit et inhæret istis terrenis, quam si cœlum hæreret terræ.

Insuper, super illud Ecclesiastici, Avaro nihil est scelestius, dicit Glossa : Nullum scelus est majus avaritia. Et si dicatur scelus Judæ, qui tradidit Christum, esse majus, quia pro triginta denariis vendidit Deum ac hominem; respondetur quod avarus frequenter dat ac deserit Deum pro uno denario, et interdum pro nihilo, dum non abhorret perjurare, mentiri, decipere pro uno denario, quem tamen aliquando non lucratur per talia. Et certe peccatum Judæ fuit avaritia, vel ex ea. Eccli. x, 9. Matth. xxvi, 15.

Amplius, statera reputationis sive judicii hominis avari exstat nequissima, quia in ea plus pendit obolus quam Deus et anima propria seu regnum cœleste. Caret quoque avarus communicativa proprietate tam Creatoris quam creaturarum. Creator namque bonitatem suam, divitias gloriæ suæ incessanter liberaliterque communicat. Sic et creaturæ bona eis collata communicant aliis : sicut sol suum splendorem, et ignis suum calorem, terra et arbores suos fructus. Avarus autem sua communicare non vult, sed recludit. Sic et creatura una defectum alterius cupit supplere : unde natura non patitur vacuum.

Avarus vero defectus proximi sui non curat supplere, etiam si rogetur, nec vacuitatem indigentium replet.

Amplius, avarus est iniquus in Deum, quoniam bona sibi a Deo commendata ad dispensandum, proditorie facit sua. Divites namque dispensatores sunt seu esse debent divitiarum suarum, non domini. Avarus autem eas non erogat juxta Dei imperium, sed reservat contra justitiam ; et inde inimicus Dei efficitur propter quæ eum magis diligere obligatur, videlicet propter temporalia sibi a Deo collata, quæ Deo præponit. Propter quod ait Apostolus, quod avaritia est idolorum servitus. (Ephes. v, 5 ; Coloss. iii, 5.) Circa quod asserit Glossa, quod nummus est deus avari. Unde et super illud Matthæi, Non potestis Deo servire et mammonæ, (Matth. vi, 24.) Glossa affirmat : Divitiis servire, est Deum negare. Duobus etenim modis potest quis negare dominium principis. Primo, dicendo : Ego non recognosco te esse dominum meum ; libenter tibi servirem censumque solverem, si mihi constaret te dominum meum esse. Secundo, dicendo : Scio quod sis dominus meus, et censum teneor tibi ; attamen tibi nihil solvam. Primo modo infideles negant Christi dominium : quia ei libenter servirent, si scirent quod ipse eorum et universorum sit Dominus. Secundo modo mali Christiani negant dominium Christi. Nam quamvis agnoscant quod ipse eorum sit Dominus, nolunt tamen ei solvere censum sui obsequii : ideo majorem contumeliam faciunt Christo quam infideles. Denique Deus jubet avaro ne perjuret, ne mentiatur, ne fallat. Nummus vero quem cupit lucrari, instigat eum ad oppositum, et infelix avarus magis acquiescit ac obedit nummo quam Deo : per quod ostendit se esse servum nummi magis quam Dei.

Rursus, avaritia recte idololatria nuncupatur, quia avarus creaturam adorat. Nam aliquid adorare, est ei summam reverentiam exhibere, aut divinam majestatem ei adscribere. Quorum utrumque facit avarus : quia si ei duo occurrant, A unus dives quem scit esse pecuniosum, alius pauper quem credit esse devotum, magis exhibebit divitiis honorem in divite quam Deo in paupere. Majestatem quoque divinam creaturæ adscribit. Divina quippe majestas significatur per istud complexum, summe bonus, summe potens. Idcirco avarus eo ipso quo divitias summe et magis desiderat, ipso facto ostendit quod divitias arbitratur maximum bonum, et super Deum eas extollit : imo, si transit ante fertilem agrum aut uberem vineam B aut pulchram domum, magis inclinat se atque afficitur circa illa quam si pergat ante ecclesiam.

Adhuc autem, secundum Augustinum libro de Doctrina christiana, Deus potissime colitur fide, spe et caritate. Avarus autem magis credit pecuniæ suæ quam Deo, et magis confidit in ea quam in Dei providentia, magis quoque diligit eam quam Deitatem : ideo amplius colit eam quam Deum. Hinc ad Rusticum monachum scribit Hieronymus : Æstimat aliquis malo C pondere vitiorum pressus, et levius ei videtur peccare avarus quam idololatra ; sed non mediocriter errat. Non enim gravius peccat qui duo grana projicit super aram Mercurii, quam qui pecuniam avare cupit et inutiliter congregat. Ridiculumque apparet ut aliquis judicetur idololatra, qui duo grana offert creaturæ quæ debuit Deo offerre, et ille non judicetur idololatra, qui tam diuturnum totius vitæ suæ obsequium quod debuit Deo offerre, offert divitiis.

Postremo, inter spirituales infirmitates D avaritia ponitur pessima. De qua in Ecclesiaste habetur : Est infirmitas pessima quam vidi sub sole, videlicet divitiæ congregatæ in malum domini sui : pereunt enim in afflictione pessima. (Eccle. v, 12, 13.)

ARTICULUS XXXIV.

De speciebus avaritiæ.

A *MINORE usque ad majorem omnes avaritiæ student.* (Jer. vi, 13.) Quidam assignant has avaritiæ species, quarum prima sit

furtum : ad quod tria concurrunt ac pertinent. Primo, quod ibi sit usurpatio rei alienæ : quod contrariatur justitiæ. Idcirco furtum ex suo genere est mortale. Interdum tamen est veniale propter parvitatem rei quæ aufertur, præsertim quando usurpans probabiliter putat quod talis ablatio parum aut nil sit contra voluntatem domini parvæ rei. Porro, si in parva re sit furandi intentio, et probabiliter æstimetur quod ejus ablatio sit contra possessoris voluntatem, mortale peccatum est. Secundo ad rationem furti concurrit quod committatur circa possessionem, præsertim circa mobilia bona et corporalia quæ possunt contrectari : et per hoc differt furtum ab adulterio et homicidio. Tertio, quod fiat occulte : per quod differt a rapina. Hæc omnia in secunda secundæ, quæ- art. 3, 5, 6. stione sexagesima sexta, atque in Summis Durandi, Raimundi, Joannis et Bartholomæi multo diffusius continentur. — Secunda avaritiæ species fertur esse rapina : quæ est manifesta et violenta ablatio rei alienæ, sive mobilis, sive immobilis. Et est rapina gravius peccatum quam furtum, quia in eo irrogatur major injuria et contemptus ei cui sua tolluntur : utrumque quod non solum justitiæ, sed et fraternæ caritati contrariatur. Si vero auferatur per furtum aut rapinam res divino cultui consecrata, non solum est simplex furtum aut rapina, sed sacrilegium quoque, id est abusus rei sacræ. — Tertia species avaritiæ est usura : quæ, secundum Raimundum, est lucrum ex mutuo pacto debitum vel exactum, scilicet ultra sortem ; seu, ut alii clarius dicunt, usura est mutuare aut tradere alicui pecuniam aut aliquid cujus usus est sua consumptio, ut aliquid ei detur ultra sortem. De qua usura primo Politicorum ait Philosophus, quod sit maxime contra naturam. Denique usura est duplex : una manifesta, alia palliata. Et hæc palliata usura habet species quinque. Prima fit circa pignora et obsides : quod etiam quinque modis contingit. Verum hæc prosequi est nimis pro-

A lixum, et brevitati intentæ contrarium : idcirco in Summa virtutum et vitiorum hæc requirantur. — Quarta avaritiæ species est simonia : quæ est studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum. Quæ species habet sub se plurimos modos, secundum quod in diversis rebus, puta beneficiis, dignitatibus, sacramentis, etc., accidere potest : quæ omnia in Decreto, et Summa præfata aliorumque Summis, et in Scriptis doctorum super quartum Sententia- B rum, in secunda quoque secundæ, quæ- dist. xxv. stione centesima, plenissime continentur. — Quinta avaritiæ species est injusta exactio seu tallia : quæ valde iniqua est, et qui utitur ea, ad restitutionem tenetur. — Sunt autem et aliæ variæ differentiæ, modi seu species avaritiæ, scilicet negotiatorum et advocatorum, et etiam ecclesiasticorum in pluralitate beneficiorum, et religiosorum qui proprietarii esse non metuunt, item eorum qui munera libenter accipiunt ac mercenariorum.

C Insuper, præter prætactas avaritiæ species ponuntur in Profectu religiosorum tres species ejus. Prima est anxia cupido habendi aut acquirendi temporalia, sive sequatur acquisitio, sive non : sicque pauper qui parum aut nihil habet, potest esse avarus. Secunda species est tenacitas conservandi jam habita, non permittens ea in causas pias aut necessarios seu utiles usus expendi, nisi forte cum cordis dolore. Tertia est insatiabiliter augere divitias, D sive hoc fiat quæstu justo ex suo genere, sive injusto. Quidam infecti sunt prima specierum istarum, quidam secunda, alii tertia, nonnulli prima atque secunda, ceteri omnibus tribus.

Postremo, Cassianus libro de Institutis Patrum ponit tres modos seu species avaritiæ quæ religiosos quosdam concernunt. lib. vii, c. 16. Prima species est, ea in claustro post professionem appetere atque colligere quæ nec in sæculo habuit ipse religiosus. Tales religiosi proprietarii designantur per Giezi ministrum Elisei, qui a Naaman principe IV Reg. v, 20-27.

militiæ regis Syrorum accepit pecuniam pro sanitate supernaturaliter ipsi Naaman concessa : propter quod percussus est lepra gravissima. Secunda species est, ea denuo affectare ac obtinere quæ semel in principio abrenuntiationis propter Deum dimissa sunt. Et religiosi avaritia hac corrupti, designantur per Judam, qui post apostolatum assumptum, rursus optavit et congregavit quæ in apostolatus assumptione reliquerat propter Christum, atque ex avaritia illa ad tantum impietatis corruit barathrum, quod non solum vendidit Christum, sed demum suspendit se ipsum. Tertia species est, ipsam monasticam seu religiosam vitam male incipiendo, aliqua propria sibi reservare ab exordio religiosæ vitæ assumptæ. Et religiosi avaritia ista obtenebrati, designati sunt per Ananiam et Saphiram, qui aliquid sibi reservaverunt secrete de pretio agri venditi : propter quod beatissimo principe Apostolorum eos judicante, subitanea percussi sunt morte, ut legitur in Actibus Apostolorum.

Matth. xxvii, 3, 5.

Act. v, 1-10.

ARTICULUS XXXV.

De multiplici origine avaritiæ ; et de malis quæ sequuntur ex ea, utpute de effectibus et filiabus ipsius.

I *Tim.* vi, 10.

RADIX *omnium malorum est cupiditas.* Aliqui dicunt in prætactis Apostoli verbis cupiditatem sumi non pro avaritia, sed pro amore privato seu inordinata cujuscumque rei creatæ affectione. Verumtamen, salva eorum reverentia, aliter est dicendum. Nam et alia littera habet : Radix omnium malorum est avaritia. Verba quoque Apostoli præfatam auctoritatem præcedentia ac subsequentia, pandunt hoc ipsum. Quum enim præmisisset Apostolus, Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, etc., protinus addidit, causam suæ assignans doctrinæ : Radix enim omnium malorum est cupiditas. Est ergo avaritia, radix, origo et causa omnis peccati.

Ibid. 9.

A Porro, si objiciatur quod amor privatus, imo et superbia, perhibetur totius culpæ perditionisque causa ac radix ; dicendum, quod absolute loquendo, superbiæ per prius competit esse radicem avaritiæ quam econtra : nihilo minus in certo subjecto superbia sæpe ex avaritia oritur. Ex avaritia quippe venitur ad opulentiam, ex qua frequenter generatur superbia. Sunt quoque nonnulli qui idcirco ad potestatem præsidentiamque adspirant, quatenus per easdem ad opulentiam queant B pertingere. Ut enim Cassianus testatur, et in Profectu religiosorum habetur, affectus ac vitium avaritiæ non ita inest hominibus a natura et ab intrinseco principio quemadmodum superbia, gula, ira et concupiscentia carnis ; sed ex accidenti plerumque innascitur, puta ex negligentia aut alia culpa : ex qua quum fuerit nata, non est vitium quod non causetur ex ea.

Tob. iv, 14; *Eccli.* x, 15.

De Instit. Patr. lib. vii, c. 1, 2.

Quocirca pensandum quod ait Philosophus : Pecunia (inquiens) seu numisma C est quasi fidejussor ac medium ad obtinenda cetera quæ in præsenti solent sæculo affectari seu reputari. Per pecuniam namque acquiruntur honores et voluptates, fama, favor, et quidquid ad prosperitatem spectat mundanam. Propter quod dictum est a Sapiente : Pecuniæ obediunt omnia. Itaque avaritia quibusdam innascitur ex desiderio, complacentia aut amore temporalis honoris, quibusdam ex desiderio voluptatum gulæ sive luxuriæ, aliquibus autem ex affectu laudis aut D famæ seu cujuscumque terrenæ prosperitatis, nonnullis vero ex carnali amore sobolis suæ aut propinquorum, quos optant ditare ac magnificare in vita præsenti. At vero quidam ex quadam naturali dispositione ad avaritiam proni sunt, qui tamen possessionibus suis utuntur parcissime, imo sumptuosa gulæ ac luxuriæ oblectamenta devitant, ne propter ea dispergant ac minuant suum thesaurum : qui videntur affici ad pecunias quasi propter ipsas, quum tamen finis pecuniarum sit usus

Eccle. x, 19.

earum. Rursus, sicut appositio lignorum A ad ignem est nutritio et augmentatio ignis, sic pecuniarum adeptio avaritiam non exstinguit, sed fovet et auget, sicut et Seneca contestatur.

Itaque viso ex quibus causis avaritia oriatur, videndum quæ vitia tanquam filiæ ejus generentur ex ea. Porro S. Gregorius ponit septem filias avaritiæ, quæ sunt : obduratio, inquietudo, violentia, fallacia, perjurium, fraus seu dolus, et proditio. Isidorus vero ponit novem avaritiæ filias, scilicet septem prædictas, mendacium quo- B que ac falsum testimonium, quæ ad fallaciam reducuntur. Innocentius vero ponit et alias plures, ut infra tangetur. Imo odium, infidelitas, contentio, læsio, homicidium, duplicitas, prava sollicitudo, suspicio, fractio promissionis, inobedientia, sacrilegium, simonia, usura, illicitus ludus, excæcatio mentis, incorrigibilitas, timor inordinatus, ex avaritia prodeunt.

Denique, in quantum avaritia excedit sua superflue retinendo, oriuntur ex ea obduratio, incompassio seu inviscerositas C cordis, quæ misericordiæ contrariantur. Sed in quantum excedit in desiderio acquirendi, procedit ex ea inquietudo : quod desiderium interdum conatur implere per vim, et ita oriuntur ex avaritia infirmorum oppressio, furtum, rapina ; interdum vero per fraudem, et ita gignuntur ex avaritia mendacium, perjurium, violatio promissionis, infidelitas. Et quia avarus plus amat proprias opes ac utilitates quam proximos, ideo propter rem vilem prorumpit ad lites, bella ac homicidia ; faciliterque D suspicatur de aliis malum, et anxietate torquetur ne sua amittat. Et breviter, innumerabilia atque gravissima nascuntur peccata ex pestilentissima ac odibilissima avaritia ista : quæ et nemini parcit, imo inter parentes et filios, inter fratres et sorores, inter maritum et conjugem parit discordiam, generat lites, invidiam seminat, et mortem alterutrum facit optari, nec proximos scandalizare, offendere, perturbare veretur.

ARTICULUS XXXVI.

Contra avaritiam, ex Scriptura et dictis Sanctorum.

DENIQUE, quod avaritia sit mortale peccatum, cui æterna debetur miseria, docet nos Spiritus Sanctus per Isaiam, dicendo : Væ qui conjungitis domum ad *Is.* v, 8. domum, et agrum agro copulatis ; numquid vos soli habitabitis in terra ? Unde et apud Habacuc habetur : Væ ei qui congregat *Habac.* II, 9. avaritiam malam domui suæ ; et iterum : Væ ei qui multiplicat non sua. Usquequo *Ibid.* 6. aggravat contra se densum lutum ? Insuper Christus maledixit divitibus (non propter divitias, quæ non sunt malæ in se, quum dicat Apostolus, Omnis creatura Dei bona I *Tim.* IV, 4. est ; sed propter eorum avaritiam circa divitias) : Væ (inquiens) vobis divitibus *Luc.* VI, 24. qui habetis consolationem vestram. Et Amos : Væ (inquit) vobis qui opulenti estis *Amos* VI, 1. in Sion.

Hinc scriptum est apud Job : Dives *Job* XXVII, 19, 20. quum dormierit, nihil secum auferet ; apprehendet eum quasi aqua inopia. Hoc est quod ait Psalmista : Dormierunt som- *Ps.* LXXV, 6. num suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis ; itemque : Re- *Ps.* XLVIII, 11. linquent alienis divitias suas ; et iterum : Ne timueris quum dives factus fuerit ho- *Ibid.* 17, 18. mo, et quum multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniam quum interierit, non sumet omnia, etc. ; et rursus : Ecce homo *Ps.* LI, 9. qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. Hinc avari videntes se esse deceptos, in fine dicturi sunt illud Sapientiæ : Quid nobis profuit superbia ? aut *Sap.* v, 8, 9. quid divitiarum jactantia contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Hæc pensans, beatissimus apostolus Jacobus ait : Agite nunc, divites, plorate *Jacob.* v, 1, 3. ululantes in miseriis quæ advenient vobis ; thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

Ad hoc valet parabola apud Lucam a Christo inducta de divite qui dixit animæ

Luc. XII, 19, 20. suæ : Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti, cujus erunt? Quibus *Ibid.* 21. verbis adjecit Salvator : Sic est omnis qui thesaurizat, et non est in Deum dives. *Matth.* VI, 19-21. Hinc denuo ait : Nolite thesaurizare in terra, ubi ærugo et tinea demolitur; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo : ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor *Ibid.* 24. tuum. Et iterum : Non potestis (inquit) Deo servire et mammonæ.

Præterea in Ecclesiastico terribiliter di- *Eccli.* X, 9, 10. citur : Avaro nihil est scelestius; nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim (puta avarus) et animam suam habet venalem. Rursus in Ecclesiastico scriptum *Ibid.* XXXI, 5. est : Qui diligit aurum, non justificabitur. Hinc Vas electionis sapientissime ac salu- *I Tim.* VI, 6-9. berrime nos informat, dicendo : Quæstus magnus est pietas cum sufficientia : nihil enim intulimus in hunc mundum; haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus : qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et in desideria multa et inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem. Quid rationabilius, quid compendiosius, quid salubrius poterat dici?

Præterea sancti Patres contra avaritiam acerrime ac ferventissime sunt locuti. Ait equidem Augustinus : Non solum avarus est qui cupit aut rapit aliena, sed etiam ille qui cupide servat sua. Avarus similis *Prov.* XXX, 15. est inferno : nam sicut infernus nunquam dicit, Sufficit, quantoscumque voraverit; *Eccle.* V, 9. ita avarus non impletur pecunia. Quæ est ista avaritiæ cupiditas, quum et bestiæ habeant modum? Tunc namque rapiunt dum indigent et famescunt, parcuntque prædæ quum senserint satietatem; avarus vero quanto plura acquirit, tanto plura desiderat. Idcirco ait Gregorius : Sicut hydropicus quanto plus bibit, tanto plus sitit; sic avarus quo plura acquirit, eo ad acquirendum plura amplius inardescit. Avarus quippe nunc ardet æstu concupiscentiæ atque multiplici cura pecuniæ, postmodum vero ardebit igne gehennæ. Quibus concordat quod ait Chrysostomus : Qui servit pecuniæ, præsentibus ligatur compedibus et futuris. Qui pecunias habet, velit nolit, timori succumbit. Avaritia ita cor deprimit ad terrena, ut elevare se nequeat ad spiritualia ac divina. Nec potest avarus contemplari cœlestia, aut gaudia promereri terrena, nisi fuerit expurgatus ab avaritiæ culpa. Avarus namque gratius intuetur aurum quam solem, jucundius cogitat creaturam quam Creatorem.

Insuper, contra avaritiam Climacus acutissime scribit : Avaritia est adoratio ido- *Scal. parad. grad.* XVI. lorum, mater infidelitatis, infirmitatum causatrix, senectutis divinatrix, siccitatis conjecturatrix (persuadet enim avaro quod diu victurus sit multisque indigeat in senio, quod item frequenter sterilitas fiat, ideoque oporteat plurima congregare et habita conservare). Iterum ait : Avarus est subsannator Evangelii Christi et voluntarius ejus prævaricator (Christus etenim in toto Evangelio divitiarum contemptum præcipue docet). Qui possidet caritatem, dispergit pecuniam; qui vero dicit se cum caritate pecuniam possidere, seducit se ipsum perfecte. Ne dicas te congregare pauperum causa : vidua enim cum duobus *Marc.* XII, 42-44. minutis comparavit regnum cœleste. Qui vicit avaritiæ passionem, recidit sollicitudines; qui vero ea ligatus est, nunquam pure orabit. Avaritia tandem parit odium egenorum.

Amplius, de avaritiæ enormitate, insatiabilitate, filiabus atque effectibus Innocentius ait : Cupiditas sacrilegia committit et furta, rapinas exercet et prædas, bella gerit et homicidia causat; simoniace vendit et emit, inique petit et rapit, injuste negotiatur ac fœneratur, instat dolis ac fraudibus, dissolvit pactum et violat juramentum, corrumpit testimonium et pervertit judicium. Rursus testatur : O in-

exstinguibilis ignis, cupiditas insatiabilis! quis unquam primo voto fuit contentus? Dum adipiscitur concupita, mox appetit ampliora; semper in habendis et nunquam in habitis finem constituit. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer. Hinc, teste Ambrosio, sicut arrepticii et insani non ipsas res, sed passionum suarum phantasias adspiciunt; ita avarus semper aurum argentumque cogitat, semper computat redditus, et ipsa ejus ad Deum oratio atque suspirium quærit aurum. Merito itaque Augustinus de avaritiæ iniquitate ac filiabus disseruit : Insatiabilis est avaritia cupidorum : semper rapit, et nunquam satiatur; nec Deum timet, nec hominem reveretur; nec patri parcit, nec matrem recognoscit; nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat; viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitium revocat. Quæ est ista insania, acquirere aurum et perdere cœlum?

Prov. xxx, 15.

Postremo, secundum Bernardum, ex cupiditate et opulentia procedit cerviculosus furor animositatis, crudele livoris tormentum, anxius labor suspicionis. Divitiarum insatiabilis amor multo plus torquet animam suo desiderio quam eam refrigeret suo usu. Non prius satiatur cor hominis auro quam corpus aura aut auris vento. Cupiditas ista ex negligentia oritur : ideo etenim inhiat homo transitoriis rebus, quoniam negligit meditari cœlestia et ponderare æterna.

ARTICULUS XXXVII.

Quam vehementer avaritia et cupiditas obtenebrent ac indurent quosdam religiosos.

DOCTOR præcipuus omnium religiosorum Cassianus, libro de Institutis Patrum affirmat : Avaritia et alia quædam peccata, quam facilia sunt in principio ad cavendum, tantum miseram faciunt men-

lib. vii, c. 2 et s.

A tem ab ipsis possessam, ita ut vix permittant eam ad curationis remedia pervenire. Quamobrem nemo parvum reputet avaritiæ morbum, qui sicut in exordio potest perfacile declinari, ita si quemquam devicerit, vix sinit eum curari. Receptaculum namque est vitiorum et omnium radix malorum, atque inextricabilis nequitiæ fomes efficitur. Quæ quum remissam ac tepidam religiosi possederit mentem, primo eum summe sollicitat in re parva, et quasi justa quædam motiva B suggerit ei cur in claustro debeat sibi aliquid congregare aut reservare. Nam ea quæ in monasterio exhibentur, sufficientia non esse conqueritur, et sano robustoque corpore vix posse talia tolerari. Quid ergo agendum si infirmitas accidat, nisi reconditum fuerit aliquid peculiare quo sustentetur, præsertim quum infirmis cum maxima negligentia ministretur? Quumque hujusmodi cogitationibus illaqueaverit mentem, cogitat per quem modum possit unum saltem adipisci denarium. C Quo adepto, amplius fervet ac satagit acquirere alium : cum incremento enim pecuniæ rabies cupiditatis augetur. Sicque infelix anima serpentinis his nexibus cupiditatis adstricta, nil aliud respicit corde quam unde queat pecuniam procurare per quam valeat de cœnobii disciplina quantocius evolare, nullam observans fidem ubi apparuerit spes aliqua nummi, pro quo nec mendacii crimen, nec furti atque perjurii facinus admittere perhorrescit : imo nec fidem professionemque violare, D nec noxium iræ furorem intromittere ac complere veretur. Sicque quotidie in deterius crescens, nullam deinceps virtutem, imo nec umbram humilitatis, caritatis et obedientiæ servare conatur aut acquiescit, sed indignatur ad omnia, atque ad singula opera murmurat ac suspirat, et omni jam reverentia postposita, tanquam equus indomitus ad præcipitium fertur infrenis. Nec victu quotidiano nec solito indumento contenta, non talia se diutius toleraturam testatur, et suam salutem in illo dumtaxat

I Tim. vi, 10.

loco esse conclusam non arbitratur : ideo A de viatico jam provisa, ad redeundum a loco parata est, et ruit ad condemnationem gravissimam.

Collat. IV, c. 21. Insuper in primo Collationum libro Cassianus declarat qualiter negligentes ac tepidi religiosi ad parva atque vilissima sæpe inordinatissime afficiuntur, nec pro talibus erubescunt inhonestissime perturbari, contendere et alios scandalizare. Nempe, ut etiam Eusebius Emisenus in suis edocet Homiliis, nisi inordinatus habendi affectus fuerit funditus exstirpatus, B ipsa cupido gravius inardescit in minimis, immoderantiusque adhæret et occupatur circa permodica, quam in sæcularibus hominibus circa pretiosa et maxima. Ideo cor radicitus est purgandum ab omni inordinato circa terrena affectu. Proprietatisque vitium in religiosis est extreme detestabile, damnabile ac horrendum. Tales Gen. XIX, 26. enim religiosi cum uxore Lot respiciunt retro ac pereunt; eisque dicetur a Judice summo quod princeps Apostolorum locu- Act. VIII, 20. tus est Simoni mago : Pecunia tua tecum C sit in perditionem. De loco quoque refugii et portu salutis faciunt domum gravioris damnationis. Imo se ipsos Deo solenniter oblatos et consecratos in monastica professione, tradunt ac vendunt diabolo sacrilega impietate pro nummo : idcirco nec valent nummum. Postremo, quum votum, præsertim solenne, plus obliget coram Deo quam juramentum, ipsi votum paupertatis frangendo assidue, fiunt perjuris multo deteriores ; et sic obdurantur in vitiis, quod prorsus incorrigi- D biles impudentissimique redduntur, et pro eorum reformatione conantibus indignantur, minantur et obloquuntur, ita ut sæcularium impietas hominum ad illorum perversitatem nil habeatur. Nempe quo aliquis ad majorem perfectionem tenetur, eo justo Dei judicio ad profundiorem et ineffabiliorem excæcationem et obstinationem delabitur, dum juxta suæ vocationis ac professionis exigentiam conversari non nititur.

ARTICULUS XXXVIII.

De stultitiis cupidorum, et de remediis contra avaritiam.

In imagine pertransit homo, et frustra conturbatur ; thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Ps. XXXVIII, 7. Prima avarorum stultitia est, quod quum anima eorum sit incomparabiliter dignior carne, ipsi de animarum suarum vera locupletatione, salubri provisione, interna refectione perpetuaque salute parum aut nihil curant, totisque præcordiorum affectibus atque conatibus pro corporum suorum provisione, sustentatione et sanitate solliciti exstant. Secunda eorum stultitia est, quod quum agnoscant se in carne non diu victuros, et post vitam præsentem in alio statu sine fine in vita mansuros, nihilo minus magis appetunt et conantur pro necessariis vitæ hujus brevissimæ quam vitæ sequentis æternæ. Quocontra ait Salvator : Facite Luc. XII, 33. vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. Tertia est, quod ea toto amplectuntur affectu quæ tam nociva et periculosa sunt animabus eorum, puta divitias, ex quibus, ut patuit, tot et tanta oriuntur facinora. Quarta, quod ea indesinenter augere nituntur art. XXXII et s. per quæ eorum animæ magis gravantur, et ab itinere ac processu ad veram beatitudinem quotidie plus impediuntur : ideo tandem ruunt et suffocantur sub illis. Quinta, quod quum Christus sapientia Dei I Cor. I, 24. Patris in toto Evangelio opere ac sermone summe dissuaserit, imo et prohibuerit terrenorum immoderatum amorem, ipsi econtrario totis viribus agunt oppositum : per quod pandunt se non esse Christi discipulos ac ministros, sed potius dæmonum, quorum indesinenter complectuntur ac implent instinctum. Itaque harum consideratio stultitiarum merito debet omnem Christianum ab omni cupiditate avertere.

In primis igitur summa Christi pauper-

tas ad avaritiæ detestationem ac fugam A instigat. Secundo, fides providentiæ Creatoris, qui in Evangelio nobis promisit : *Matth.* VI, 33. Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Et *Ibid.* 34. rursus admonuit : Nolite solliciti esse in crastinum. Hinc constat, quod avaritia ista et sollicitudo filia ejus, ex quadam diffidentia providentiæ Patris cœlestis procedunt. Vult etenim Deus ut in ipso filialiter confidamus, sic tamen ut moderate quod in nobis est faciamus. Tertio ad idem inflammat diligenter advertere quod B natura paucis minimisque contenta est, quod item plures vitam suam abbreviant et corrumpunt ex divitiarum abundantia quam defectu. Quarto, quod nullus ratione utens acquiesceret accipere cibum et potum ex quibus tot infirmitates corpori imminerent, quot morbi (imo et mortes) atque pericula imminent animæ ex avaritia et opulentia temporali. Quinto, intenta consideratio brevitatis et incer- *Ibid.* XXV, 13. titudinis vitæ præsentis, in qua nec diem scimus nec horam, et quod cito oporte- C bit nos cuncta simul relinquere : ideo necessariis debemus esse contenti. Sexto, art. XXXVI. sapienter advertere præallegatas Scripturas, Sanctorum quoque doctrinas inductas, ad avaritiæ detestationem ac fugam moventes.

Septimo, frequenter attendere quam incomparabiliter ac infinite sit Deus universis et cunctis creatis amabilior ac sufficientior omni menti creatæ bene dispositæ, et ita se dare ad spiritualem amorem. Octavo, cum omni fiducia filiali in Deo D sperare tanquam in benignissimo patre ac fidelissimo provisore. Nono, aspernari laudem, honorem et gloriam hominum, se ipsum quoque ac pertinentia ad se spiritualiter adamare, atque pro veris ac sempiternis animarum divitiis viriliter laborare.

Qui enim hæc egerit, nec sibi nec aliis temporalium superfluitatem, sed veram salutem et necessaria ad eamdem optabit et obtinere conabitur.

ARTICULUS XXXIX.

Contra fœdam luxuriæ culpam.

T*ULIT Joab tres lanceas, et infixit eas* II *Reg.* XVI, 14. *in corde Absalon*. Per Joab, virum versutum ac fraudulentum, quamvis in multis laudabilem, designatur callidissimus ac dolosissimus hostis antiquus, qui est diabolus et Satanas, in quo naturalia integra permanserunt. Per Absalon, hominem prorsus iniquum, ambitiosissimum ac mendosum, quamvis corpore speciosissimum, intelligitur mundus iste positus I *Joann.* V, 19. in maligno, videlicet universitas hominum carnalium ac vanorum : in quorum cordibus infixit diabolus specialiter ac præsertim tres lanceas, quæ sunt superbia, avaritia atque luxuria, per quæ tria maxime tentat et superat genus humanum. Et sicut David cognito Absalonis interitu, caput suum operuit et amarissime eum deflevit, dicendo : Fili mi, Absalon, Absa- II *Reg.* XVIII, 33; XIX, 4. lon, fili mi, quis mihi det ut ego moriar pro te? sic Dominus Jesus Christus visis humani generis vulneribus atque periculis, in tantum condoluit ei, quod pro ejus curatione ac salute incarnari ac mori dignatus est. Itaque, quia nunc dictum est de superbia et avaritia, restat de luxuria loqui.

ARTICULUS XL.

Quid sit luxuria, et de gradibus ejus ac speciebus.

N*ON exhibeatis membra vestra arma* *Rom.* VI, 13. *iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo*. Luxuria dici potest omnis vitiosus concubitus : sicque ad peccatum luxuriæ reducuntur ac pertinent desideria libidinosa et gestus carnales, qui ad hujuscemodi actum ordinantur, seu ordinari, provocare ac tendere solent. Porro, secundum quosdam, luxuria est lubrica prostitutio mentis et corporis, ex turpi affectu proveniens, seu venereæ voluptatis prædominans appetitus, utpote ex rationis consensu descendens eamque vincens.

Est autem quadruplex luxuriæ gradus.

Primus est, impuras ac lubricas venereorum cogitationes corde revolvere propter delectationem consistentem in eis, absque renitentia rationis : quod est mortale peccatum, quia in cogitationibus talibus est consensus in delectationem morosam, ut declaratum est supra. (art. XIX.) Unde apud Matthæum asserit Christus (Matth. v, 28.) : Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

Secundus gradus est, ex carnali affectu ad libidinosos gestus procedere, seu eos carnaliter continuare, videlicet amplexando, deosculando, palpando, impudice adspiciendo, latus lateri applicando, verba lasciva loquendo seu auscultando, aut consimilibus meretriciis blanditiis carnali satisfaciendo amori. Hic gradus tanto vitiosior est priore, quanto plus ad prætacta libidinis incitamenta aut facta procedit, et membra sua exhibet arma iniquitatis peccato. Quum ergo sola concupiscentia appelletur a Christo mœchatio, sitque mortale peccatum, quanto magis gestus exercere præfatos? Verumtamen, sicut in secunda secundæ, quæstione centesima quinquagesima quarta, (art. 4.) asserit Thomas, et in Summa confessorum Joannes, amplexus et oscula atque contactus ex sua natura ac specie non includunt deformitatem peccati, quia et sine culpa fieri queunt, imo et meritorie, quum dicat Apostolus (Rom. XVI, 16; I Cor. XVI, 20; etc.) : Salutate invicem in osculo sancto. De qua re plenius scribit in libro de Officiis S. Ambrosius. Sed vitiosa sunt ex sua causa, in quantum procedunt ex carnali amore, et propter delectationem fiunt carnalem, aut ordinantur ad actum obscenum : quemadmodum dare eleemosynam est opus bonum in se, tamen si fiat corrupta intentione, est vitiosum. Denique, si quis arbitretur se ex spirituali aut naturali vel sociali amore aliquam deosculari, amplexari, tangere seu palpare personam, sive virilis sive muliebris sit sexus, et ex hujuscemodi amplexu, tactu aut osculo sentiat se carnaliter stimulari vel (quod amplius est) pollui, nec tamen ab amplexu, osculo aut A contactu se retrahat, est culpa mortalis. Quod Bonaventura declarat per simile : ut si quis serpentem tenens in gremio, sentiat se intoxicari ab illo, non tamen abjiciat eum, constat quod talis sit causa suæ infectionis ac mortis. Nemo ergo sub specie boni fallat se ipsum ; et qui adhuc imperfectus ac fragilis est, propriamque infirmitatem interdum expertus est, nequaquam se exponat periculo, ad præfatos gestus se extendendo quasi ex spirituali aut familiari seu sociali aut naturali affe- B ctu ; et item ne alia persona ex talibus gestibus tentetur, cujus ruinam debet vitare ut propriam ; et insuper ne talia adspicientes seu percipientes scandalizentur, aut consimilia agere animentur, seque illius excusent exemplo.

Tertius gradus est commixtio ipsa carnalis inordinata, attamen naturalis, in genere saltem. Gradus iste prioribus duobus est gravior, et eos includit.

Ponitur quoque quartus gradus, qui dicitur vitium contra naturam, scelus pror- C sus gravissimum. Quocirca scribit Thomas de Argentina : Aliquid est contra naturam speciei, et aliquid contra naturam generis. Primo modo omne peccatum mortale est contra naturam : quia in rationali creatura remurmurat synderesis contra omne peccatum, quod scilicet ratio scit esse peccatum. Porro secundo modo vitium sodomiæ est contra naturam : quia non solum in homine, sed in bestiis quoque convenit uterque sexus in coitu. Idcirco, si aliter fit contra naturam, gravius est. De quo asserit D Augustinus, quod sit gravius crimen quam incestus cum propria matre. Et rursus : Quamvis, inquit, exsecrabiliter fiat in meretrice, exsecrabilius tamen fit cum conjuge.

ARTICULUS XLI.

De speciebus luxuriæ, et de ordine enormitatis earum.

S*PIRITUS fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo.* (Osee IV, 12.) Fornicatio primo dividitur in fornicationem corpora-

lem, de qua præcedenti articulo tactum A est; et in fornicationem spiritualem, quæ non est speciale peccatum, quia omne peccatum mortale est fornicatio spiritualis, id est aversio mentis a Sponso cœlesti, et conjunctio ac constupratio ejus cum dæmone. Omnis etenim anima, ut loquitur Augustinus, est sponsa Dei vel adultera diaboli. Quæ enim per fidem formatam seu caritatem Deo unitur, atque ab ipso amplexatur ac fecundatur, rite sponsa ejus vocatur. Et quamvis tota superbenedicta Trinitas sit unus omnium electarum virtu- B osarumque mentium sponsus, tamen quoniam sponsus et sponsa solent esse ejusdem naturæ, idcirco Unigenito Dei incarnato præcipue competit esse sponsum rationalium creaturarum. Imo et æterna et increata Sapientia appellatur sponsa amatorum mundorum, in quantum per fidem, caritatem ac contemplationem eam intra se sinceriter ac spiritualiter amplectuntur, deosculantur, et ea fruuntur : non tamen eam fecundant, sed potius fecundantur ab ipsa. Hinc in libro Sapientiæ quidam fatetur : C
Sap. VIII, 2. Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius. Ipse
Osee II, 19, 20. quoque Deus per Osee testatur : Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide.

Ecce quanta est animæ rationalis devotæ et caritativæ nobilitas, quam ineffabilis dignitas, esse sponsam Creatoris altissimi ac proprii Salvatoris, Deo majestatis et ex- D cellentiæ infinitæ tam amorose ac intime, tam familiariter ac sincere uniri, tam dignanter ac dulciter ab ipso amplecti et osculari, tam copiose ac saluberrime fecundari ab eo! Econverso, quanta est ingratitudo ac vilitas, turpitudo, perversitas atque fatuitas animæ peccatricis, quæ peccando mortaliter relinquit Sponsum cœlestem, et diabolo se prosternit, atrocissi-
I Cor. VI, 17. mum suæ salutis amplectitur hostem, et quæ Deo per gratiam fervide adhærendo unus cum illo effici spiritus posset, diabolo consentiendo fit unum cum ipso per impiæ voluntatis conformitatem! Si puella paupercula filio regis terreni desponsata, sponsum suum, filium regis, desereret ac vili prostitueret se ribaldo, quis meretriculæ tantæ amentiam, improbitatem, ingratitudinem satis posset mirari? Quanto magis ingratissima Deo, vilis, stolida ac perversa est omnis anima mortali culpæ subjecta? Cui per Jeremiam Dominus loquitur : Vide ubi non prostrata sis. Et *Jer.* III, 2
rursus per eumdem admonet eam : Tu for- *Ibid.* I.
nicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus.

Insuper fornicatio dividi solet in fornicationem cordis, fornicationemque corporis. Fornicatio cordis est incontinentia seu concupiscentia irrefrenata, seu habitus libidinosus ex multis actibus generatus. Quæ incontinentia est inæstimabiliter periculosa : quoniam persona eam habens quasi toties peccat mortaliter quoties intuetur personam sibi concupiscibilem seu concupiscentiæ suæ objectum, imo pene tam sæpe sicut talis objecti memoria sibi occurrit. Contra hanc fornicationem oportet nos esse præcinctos zona aurea ad mammillas, *Apoc.* I, 1
hoc est firma pectoris castitate. Hæc quoque fornicatio est prima luxuriæ species, de qua in præcedenti articulo facta est mentio.

Fornicatio vero corporis seu luxuria species habet multas. Prima est fornicatio simplex, quæ est concubitus soluti cum soluta, ita quod ibi non sit alia specialis ratio deformitatis : quod ideo addo, quia in stupro ac meretricio est frequenter concubitus soluti cum soluta, et tamen sunt aliæ species fornicationis.

Porro secunda luxuriæ species est meretricium, quod dupliciter exercetur : primo, cum publice venali peccando; secundo, cum diversis personis vagam luxuriam committendo. De enormitate et periculositate fornicationis quæ fit cum meretricibus, scribitur in Summa virtutum et vitiorum : Ad detestationem fornicationis

quæ cum meretricibus agitur, facit quod interdum homo putat se cum illis simplicem fornicationem committere, et tamen committit adulterium aut incestum. Meretrices namque sæpe sunt conjugatæ vel cognitæ a consanguineis seu affinibus ejus qui peccat cum eis : idcirco qui miscetur meretrici, committit se grandi discrimini, præsertim si in loco habitationis earum habeat multos propinquos. Et quamvis non sint conjugatæ nec sibi affines, ipse tamen æque peccat ac si forent, quum propter discrimen sit ibi æqualis contemptus.

Tertia luxuriæ species dicitur stuprum, quod est illicita defloratio virginum : in qua defloratione est specialis ratio culpæ ac nocumenti, quia aufertur virgini pretiosus irrecuperabilisque thesaurus, puta virginitas, quæ Deo potissime placet et angelis sanctis cognata est. Ipsa quoque puella sic deflorata, per hoc a matrimonio honorabili impeditur, atque ad meretricium aut frequentem fornicationem disponitur : sicque omnia vitia illa in defloratorem ejus redundare videntur. Parentibus item puellæ fit magna injuria in hujuscemodi defloratione. De hoc Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima quinquagesima quarta, scribit : Qui virginem seducit et corrumpit, tenetur eam habere uxorem, quia humiliavit eam, et patri ejus satisfacere obligatur. Scriptum est enim in Exodo : Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit eam uxorem ; si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere consueverunt. In Deuteronomio quoque adjicitur : Dabit patri puellæ quinquaginta siclos argenti. Præterea advertendum quod nomine stupri, interdum quæcumque vitiosa utriusque sexus commixtio designatur : unde de Joseph in Genesi scriptum est, quod recusabat stuprum.

art. 6.

Exod. XXII, 16, 17.

Deut. XXII, 29.

Gen. XXXIX.

Quarta luxuriæ species raptus vocatur, quæ est violenta alicujus personæ cognitio : quæ interdum in eodem actu concurrit cum stupro, sicut dum virgo opprimitur ; interdum invenitur sine stupro, ut quando cognoscitur vidua aut corrupta. Sic et stuprum sine raptu quandoque committitur, puta dum virgo suæ deflorationi consentit. Atque, ut dicunt doctores, theologi ac juristæ, puellæ non desponsatæ ac raptæ, sunt potestati sui patris restituendæ, quoniam unusquisque restituere obligatur rem injuste ablatam.

Quinta species est adulterium : quod quandoque est simplex, ut quum solutus miscetur cum conjugata, aut econverso ; interdum est duplex, ut dum conjugatus conjugatam non suam cognoscit, aut vice versa. Est autem adulterium tam grave scelus, ut S. Clemens Papa dicat ipsum esse peccatum gravissimum. Est quippe in adulterio furtum, quia aufertur alicui conjux sua ; et item rapina, quando fit hoc aperte ; et sacrilegium, quia corpora conjugatorum sunt benedicta et consecrata ad prolificandum ad Dei honorem : idcirco adulterando suis abutuntur corporibus sic sacratis. In adulterio quoque violatur fides conjugalis, seu promissio qua conjugati se adstrinxerunt ad fidelitatem mutuo conservandam : cujus promissionis violatio dicitur gravior esse perjurio, vel tam gravis. Multa quoque mala ex adulterio oriuntur, utputa prolis incertitudo, injusta hereditatio.

Sexta species est incestus, quo vinculum consanguinitatis, affinitatis aut compaternitatis violatur, rumpitur ac fœdatur. Quod adeo est grave, quod Apostolus tradidit Satanæ Corinthium illum qui suam cognovit novercam, ut in prima ad Corinthios narratur. I *Cor.* V, 1, 5.

Septima est sacrilegium, quod est dum persona religiosa, aut in sacris ordinibus constituta, vel voto castitatis adstricta, fornicatur sive cognoscitur : quod ineffabiliter est enorme, præsertim dum monialis Sponso consecrata cœlesti fœdatur. Pensemus quam ægerrime et indignantissime sumeret hoc rex terrenus, si quis puellam sibi sponsatam pollueret. Quanto magis

Rex cœlestis in furore suo damnabit eos qui moniales sibi consecratas, oblatas, sponsatas contaminare præsumpserint? Nam et in tali scelerato concubitu adulterium consistit ac stuprum. Qui peccat cum eis, inducit eas ad transgressionem voti solennis : idcirco non excusatur, etiam si illæ sint leves et pronæ ad tantam ruinam, præsertim quoniam propter reverentiam Sponsi cœlestis est abstinendum ab illis.

Octava species est libidinosus concubitus cum propria conjuge : quoniam omnis amator ferventior, est adulter. Ideo, si maritus contoralem suam cognoscat ex concupiscentia prædominante, utpote tanta libidine, quod eam accederet quamvis sua non esset; peccat mortaliter : quia non maritali, sed meretricali eam accedit affectu. Idem quoque de uxore tenendum, si ipsa ex prædominante concupiscentia petat, cupiat aut recipiat sui amplexum copulamque mariti : transgreditur namque matrimonii metas seu terminos.

Nona species est vitium contra naturam : quod quatuor modis contingit. Primo, dum ex delectationis sordidæ desiderio procuratur pollutio absque concubitu : quod quidam immunditiam seu mollitiem
I Cor. vi, 10. vocant. Unde ait Apostolus : Neque molles regnum Dei possidebunt. Secundo, dum cum animante alterius speciei coitur : quod bestialitas appellatur. Tertio, quum fit cum sexu indebito, ut masculi cum masculo, aut feminæ cum femina : quod sodomiticum vitium nominatur. Quarto, si naturalis modus concumbendi non observetur, vel quantum ad vasculum, vel quantum ad monstruosos ac bestiales coeundi modos : ut si femina virum ascendat; vel extra vasculum ad hoc deputatum semen fundatur, quod etiam maritus ad propriam conjugem summe vitare debet. Unde in
Gen. xxxviii, 6, 7. Genesi scriptum est, quod Dominus percussit Her filium Judæ, maritum Thamar, quia semen fundebat in terram, id est infructuose et extra organum sexus feminei ; et sicut ibidem expositores conscribunt, inventus fuit mortuus in lecto prope uxo-
A rem. Simili modo Deus percussit fratrem ipsius pro eodem facinore. — De hoc vitio Gen. xxxviii, 10.
non nisi cum ingenti cautela est prædicandum atque in confessione interrogandum.

Postremo, secundum doctores, inter has luxuriæ species gravissima est sodomia, deinde incestus, præsertim cum genitrice propria aut sorore. Adulterium quoque est gravius stupro, et utrumque eorum per raptum seu violentiam aggravatur : propter quod raptus virginis est sceleratior
B stupro, et raptus conjugatæ adulterio. Sacrilegium vero cum sanctimoniali aut religioso fertur enormius raptu, stupro ac adulterio. Sed et simplex fornicatio vitium est mortale.

ARTICULUS XLII.

De filiabus luxuriæ.

F*ORNICATIO et vinum et ebrietas auferunt cor.* Osee iv, 11
S. Gregorius assignat octo
C luxuriæ filias, quæ sunt : cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, desperatio quoque futuri. Quibus Isidorus turpiloquia, scurrilia, ludicra et stultiloquia addit.

Nempe, ut Aristoteles, Origenes et Augustinus testantur, voluptas venerea rationem prorsus absorbet. Nam vehemens occupatio potentiæ unius circa suum objectum, remittit aut penitus tollit vel impedit occupationem seu magis perceptionem oc-
D cupationis aliarum circa sua objecta potentiarum. Quum ergo appetitus concupiscibilis per luxuriam intensissime circa suum afficiatur objectum, impedit multipliciter usum atque judicium rationis. Porro actus rationis in agendis sunt quinque. Primus est simplex intelligentia, qua aliquid apprehenditur tanquam finis et bonum propter quod cetera fiunt. In quantum ergo luxuria hunc rationis impedit actum, sic filia ejus ponitur *cæcitas mentis :* ita quod mens per luxuriam sic excæcatur,

quod non judicat efficaciter nec advertit quid sit vere bonum finaliterque optandum ; nec bonum honestum, spirituale atque divinum præfert bono delectabili, utili, carnali, terreno, imo nec bonum increatum creato, sed econverso. Ecce quam pessima luxuriæ filia, quam teterrimus ac letalis ejus effectus ! Qui non solum in se ipso tam pestifer est, sed item ad cetera introducit vitia universa. Siquidem mens sic excæcata, jam ad cuncta peccata fertur proclivis, quum ratio, cujus est tentationi vitiisque resistere, sit ad resistendum impotens facta, utpote excæcata, nullam habens sapientiam spiritualem infusam, sed tantum carnalem, terrenam, per quam providet sibi de mediis necessariis aut accommodis ad obtinendum voluptates carnales intentas, quas diligit supra Deum. *Rom.* VIII, 6. Propter quod ait Apostolus : Prudentia carnis mors est. Secundus rationis actus est recte consiliari ; et in quantum luxuria impedit actum istum, filia ejus ponitur *præcipitatio,* qua agit quis inconsulte, exponens se diversis mentis corporisque periculis desiderio voluptatis. Mirabiliter quippe, imo potius miserabiliter, vitium istud infatuat homines, ita quod instar brutorum feruntur periculose præcipites ad peccandum, et brevem, vilem ac condemnandam delectationem emunt nimium pretiose, quemadmodum in Proverbiis Salomon ait de juvene lubrico : *Prov.* VII, 22, 23. Sequitur eam (scilicet mulierem lascivam) quasi bos qui ad victimam ducitur, et nescit miser quia de periculo animæ ejus agitur. Tertius actus rationis est aptum judicium de agendis, videlicet quid agendum sit, quid vitandum ; et in quantum luxuria impedit rationis hunc actum, ponitur *inconsideratio* filia ejus : ita quod homo libidinosus non pensat quid sibi vere expediat agere, imo quæ summe nociva sunt ei cum intensissimo conatur affectu prosequi et implere. Quartus rationis actus est præceptum ut illud stabiliter fiat quod jus requirit ; et in quantum luxuria impedit hujuscemodi executionem præcepti, filia ejus *inconstantia* perhibetur. Inconstantes namque sunt libidinosi, et nunc istud, nunc illud desiderant, agunt et eligunt. Quintus actus rationis est dirigere voluntatem ad appetendum ea quæ sibi expediunt ad complacendum ac uniendum se Deo ; et secundum quod luxuria hunc impedit actum, filia ejus est *amor sui,* quo homo inordinate intendit proprium oblectamentum, vitamque longam, ut voluptatibus vacet. Et quia tam intense quærit carnaliter delectari, idcirco consequenter ex luxuria oritur *odium Dei,* in quantum vetat hanc voluptatem, et aufert ac punit eamdem. Rursus, quia ad exsequendum voluptatem confert prosperitas mundi, hinc *affectus præsentis sæculi* ponitur luxuriæ filia. Et quia luxuria tandem crescit ad hoc quod libidinosus putat se non posse, imo nec proponit a voluptatibus abstinere, propterea *desperatio* seu diffidentia *futuræ felicitatis* fertur esse luxuriæ proles, juxta illud Apostoli : Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ. *Ephes.* IV, 19. — Præterea, quia ex abundantia cordis os loquitur, et quod viget, versatur ac prædominatur in corde, volvitur ac depromitur ore ; *Matth.* XII, 34; *Luc.* VI, 45. ideo ex luxuria oriuntur turpiloquia, scurrilia, ludicra ac stultissima verba.

Luxuria quoque aliquos sic excæcat, ut de ipsa sua incontinentia intumescant, glorientur atque se jactent : sicque ex luxuria oriuntur superbia, vana gloriatio et jactantia. Et quoniam homo tanto minus in spiritualibus delectatur quanto plus in carnalibus gloriatur, ideo ex luxuria nascitur acedia seu fastidium divinorum, ira quoque, indignatio et invidia contra eos qui a voluptate impediunt. Iterum, quamvis ex gula generetur luxuria, luxuriosus tamen, ut amplius possit luxuriari, gulosius manducat ac bibit : et ita luxuria parit gulam in diverso genere causæ. Dissipatio demum propriæ substantiæ, superfluus appetitus pecuniæ, imo et appetitio rerum alienarum, aut etiam earum sublatio, ex luxuria oriuntur.

Dicit insuper Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima quinquagesima art. 3. quarta, quod fornicatio etiam simplex sit gravior rapina et furto, quia per eam majus bonum aufertur homini quam sint bona exteriora, quæ auferuntur furto atque rapina.

Postremo constat ex præinductis, quod quamvis luxuria non sit in se ipsa peccatum absolute gravissimum, tamen ratione sui effectus gravissimum dici potest, quia tam multa ac maxima vitia generantur ex ea, imo et propter eam.

ARTICULUS XLIII.

Quam detestanda ac fugienda sit luxuria.

I Cor. vi, 18. *FUGITE fornicationem : omne enim peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est ; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Quoniam spiritualis profectus, perfectio, finis atque felicitas rationalis creaturæ consistunt in hoc quod homo a terrenorum ac rerum carnalium inordinato amore, occupatione ac voluptate se abstrahit et avertit, atque in Dei contemplatione, spirituali dilectione ac rerum cœlestium affectione crescit, stabilitur et conquiescit ; certum est quod peccatum luxuriæ sit homini tanto plus detestandum ac fugiendum, quanto per ipsum amplius ad inferiora ac vilia ista deprimitur, et rebus carnalibus magis immergitur, atque in actibus inhonestis ac turpibus intensius oblectatur, ac per hæc a summi boni amore et omni in spiritualibus actibus delectatione vehementius elongatur. Constat autem quod homo per venereorum voluptatem carnalibus rebus intensissime inhæreat, afficiatur et incorporetur, et quasi totus efficiatur caro : hinc vitia ista carnalia sunt omni homini potissime detestanda ac fugienda.

Præterea, quum evangelica lex Christi sit lex maxime spiritualis, perfecta atque divina, in qua promittuntur bona cœlestia æternaque præmia, et supermundissimi A Dei visio clara, fruitiva, immediata, innotescit quod populus christianus præ cunctis hominibus esse tenetur spiritualis, devotus, rebus cœlestibus ac divinis summe intentus : ideo vitia carnis sunt omni Christifideli præcipue indecentia, illicita, abominanda ac evitanda. Hinc ad Galatas scribit Apostolus : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Galat. v, 24. Rursus in epistola ad Romanos universis loquitur ac præcipit Christianis : Nolite conformari huic sæculo Rom. xii, 2. B (hoc est vanitatibus, carnalitatibus ceterisque iniquitatibus hominum mundanorum), sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.

Denique ipse Salvator hortatur apud Matthæum : Estote perfecti, sicut et Pater Matth. v, 48. vester cœlestis perfectus est. Si ergo sumus aut esse optamus adoptivi filii Patris cœlestis, oportet nos summe vitare peccata carnalia, in quibus est evidentissima et maxima turpitudo, et per quæ maxime C elongamur ab imitatione et assimilatione Patris æterni. Etenim per vitia carnis efficitur homo totus bestialis ac sordidus, imo omni bruto incomparabiliter deterior, turpior vereque vilior ; nec aliquid sapit de Deo, sed cum jumentis computrescit in Joel i, 17. stercoribus suis : quoniam sensualitatem, quam cum bestiis habet communem, sectatur contra Dei præcepta.

Præterea detestandum, vitandum ac fugiendum est omni Christiano luxuriæ crimen. Primo, quoniam valde contumeliosum D est Deo. Si enim reges principesque terreni ægerrime ferunt si eorum sponsæ aut filiæ fornicentur, quanto magis Rex cœlestis, universorum Creator, ignominiosum sibi judicat et ægre fert dum rationales creaturæ, seu animæ quæ ei in Baptismo sunt consecratæ in sponsas ac filias, fornicantur ? Secundo, quoniam materiale et inanimatum Dei templum violare ac sordidare, valde injuriosum est Omnipotenti : quanto magis injuriosum est ei, vivum et animatum ejus templum, videlicet pro-

prium corpus aut proximi, vel se ipsum aut proximum, per luxuriam inquinare ac violare? Ideo ad Corinthios ait Apostolus :
I Cor. III, 16, 17. Nescitis quia templum Dei estis vos, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Tertio, quoniam libidinosus templum Dei, puta se ipsum ac alium, incendit igne libidinis, et habitaculum Spiritus Sancti exhibet Veneri, imo et dæmoni. Quod quam iniquum sit, pandit Apostolus
Ibid. VI, 15. in prima ad Corinthios: Corpora (inquiens) vestra membra sunt Christi : tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Si quis regem aut præsulem in sua domo dignanter manentem expelleret, atque pro eo vilem induceret homuncionem, quam opprobriosum reputaret sibi id esse rex sive antistes? Quam opprobriosum est ergo Spiritui Sancto, eum de templo et habitaculo suo per fornicationem ejicere, et spiritum totius fœditatis diabolum intra se sponte admittere, imo et pro ejus introitu atque inhabitatione conari? quod agunt luxuriosi. Quarto, quia luxuriosus vilissimam carnis partem et delectationem in ea præfert summo, immenso et invariabili bono, et amori ac delectationi ipsius : per quod Deum incircumscriptibilis dignitatis maxime vilipendit.

Insuper luxuria est valde displicens angelis sanctis et injuriosa eisdem, quod scilicet homines eorum custodiæ commissi, tam turpiter agant in eorum præsentia, et contra eorum inspirationem acquiescant carni atque diabolo, magisque sequantur sensualitatem, qua communicant brutis, quam rationem, qua communicant angelis ipsis. Amplius, luxuria propter suam fœditatem præcipue placet dæmonibus, præsertim propter enormissima illa quæ sequuntur ex ea, et quia in ea diabolus simul lucratur duos : imo per fornicationem fit homo proximis valde nocivus, scandalosus, infamis.

Quantum vero noceat proprio subjecto, dictum est præcedenti articulo. Nam et corpori etiam corporaliter nocet, et illud contaminat, dehonestat, debilitat, et ejus abbreviat vitam. De hoc in suis Proverbiis ait Cyrillus episcopus : Furibunda luxuria oculos non habet, ideo nequit intueri quo ruit. Ad occasum amabilis vitæ tendit luxuriosus, ad basium amarissimæ mortis progreditur. Quid namque est coitus, nisi deliciosa pernicies, mors latens, venenositas blandiens, dulcis effusio vitam perdens, amplexus destructionem emoliens, et suavitas dire fallens, stultum suaviter evacuans? Oculos cæcat, fœtore commaculat, rationem obscurat, beatissimam virginitatem corrumpit.

ARTICULUS XLIV.

Contra luxuriam et species ejus, ex sacra Scriptura.

CARISSIMI, *obsecro vos, tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a* I Petr. II, 11.
carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. In his verbis beatissimus princeps Apostolorum, sapientissimus et affectuosissimus Petrus, generaliter omnem hortatur Christifidelem ut ab omni abstineat luxuriæ specie. Hoc namque est a carnalibus abstinere desideriis, ea nequaquam perducere ad effectum, sed intra se refrenare, et ea in se ipsis protinus suffocare.

Ad idem hortatur apostolus Paulus Romanos : Non regnet (inquiens) peccatum Rom. VI, 12, 21.
in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Quem enim fructum habuistis in illis in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Qui enim Ibid. VIII, 5-8.
secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. Nam prudentia carnis mors est. Et sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Fratres, debitores sumus non carni, ut secun- Ibid. 12, 13.
dum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vive-

Rom. XII, 1. tis. Obsecro ergo vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Multa his consimilia scribit in aliis suis epistolis.

Insuper, contra meretricium in libro Proverbiorum loquitur Salomon : Fovea profunda meretrix ; cui iratus est Dominus, incidet in eam. Et rursus : Favus distillans labia meretricis ; novissima autem ejus amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps ; pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus ejus penetrant. Nunc ergo, fili mi, longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domus ejus. Contra adulterium quoque ait : Quare seduceris, fili mi, ab aliena, et foveris in sinu alterius ? Respicit Dominus vias hominis, et omnes gressus illius considerat. Disciplina custodiat te a muliere mala et a blanda lingua extraneæ. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius : pretium enim scorti vix unius est panis ; mulier autem viri pretiosam animam rapit. Qui autem adulter est propter cordis inopiam, perdet animam suam ; turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur. Dic sapientiæ, Soror mea es, ut custodiat te a muliere extranea et ab aliena, quæ verba sua facit dulcia.

(Prov. XXIII, 27 ; XXII, 14. Ibid. V, 3-5, 7, 8. Ibid. 20, 21. Ibid. VI, 24-26. Ibid. 32, 33. Ibid. VII, 4, 5.)

Denique, enormitatem adulterii sanctus Job pandit : Si deceptum est (inquiens) cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alteri uxor mea, et super illam incurventur alii. Hoc est nefas et iniquitas maxima ; ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. Idem constat ex hoc quod in veteri Testamento adulterantes lapidabantur : quod est mors gravissima et horrenda. Unde in Levitico legitur : Si adulterium quis perpetraverit cum uxore proximi sui, morte moriatur, et adultera eadem pœna puniatur. In Ecclesiastico quoque habetur : Omnis mulier relinquens virum suum, peccabit, statuens hereditatem ex alieno matrimonio. Iterum in Numeris terribiliter dicitur : Si concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subjacebis : det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo ; putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus dirumpatur.

(Job XXXI, 9-12. Deut. XXII, 24. Lev. XX, 10. Eccli. XXIII, 32. Num. V, 21.)

A

Hinc, quum David adulterium perpetrasset, graviter ac multipliciter est punitus, utpote regno pulsus, et suarum violationem uxorum perpessus ; et insuper Dominus dixit ad eum : Non recedet gladius de domo tua in æternum, eo quod tuleris uxorem Uriæ. Hinc etiam beatissimus Clemens Papa recte comparavit adulterium homicidio. Quum enim maritus et uxor sint una caro, qui aufert alicui contoralem, quasi idem est ac si auferret ei proprium corpus.

(II Reg. XII, 10.)

B

Denique valde enormiter peccant copulatrices et vetulæ quædam pravissimæ, imo et omnes qui consilio, persuasione seu aliqua practica ad perpetranda luxuriæ crimina cooperantur.

C

ARTICULUS XLV.

Contra luxuriam, ex dictis sanctorum Patrum.

F*ORNICATIO et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Gloriosus doctor Ecclesiæ S. Hieronymus in suo ultimo ad discipulos suos sermone testatur : Ensis diaboli luxuria est. Heu, quot illa interficit rhomphæa ! Non est aliud peccatum quo toties diabolus victor exsistat. Fugite luxuriam : nam sicut virginitas hominem æquat angelis, ita luxuria plusquam bestialem facit hominem. Propter nullum aliud peccatum dixit Deus : Pœnitet me fecisse hominem. Hæc corpus debilitat, famam denigrat, marsupia evacuat, furta instruit, homicidia causat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos utriusque hominis cæcat, et præ ceteris provocat iram Dei. Et pro nullo alio peccato tam manifestam atque districtam

(Ephes. V, 3. Gen. VI, 7.)

D

ultionem exercuit Deus sine misericordia : quoniam propter hoc vitium induxit mundo diluvium, Pentapolimque combussit. Hoc est rete diaboli, quo si quis fuerit captus, non cito solvetur. Mulier sagitta diaboli est, qua cito in luxuriam labitur homo.

Gen. VI, 12 et seq. ; XIX, 13 et seq.

Verum, ut ait Beda, brevis est voluptas fornicationis, sed perpetua pœna fornicatoris. Hoc est quod loquitur Augustinus : O quam brevis est fornicationis hora, qua perditur vita æterna, et promeretur lascivus tormenta perpetua !

Hinc recte loquitur Hugo : Luxuria est immoderata carnis petulantia, dulce venenum, importuna lues perniciosaque potio. Petulantia vero est totius corporis pecudalis habitudo ex cogitatione carnalium, quæ mel habet in ore, fel in corde, in dorso aculeum. Innocentius etiam ait : O extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effeminat, sed et corpus enervat ; non solum maculat animam, sed et fœdat personam ! Semper eam præcedunt ardores, petulantia eam jugiter comitatur, fœtor et immunditia semper sequuntur.

Hinc asserit Augustinus, quod nihil tam cito ac valide cor virile emollit ac vincit, sicut femineæ illæ blanditiæ corporumque contactus : idcirco omnes gestus hujusmodi summe sunt præcavendi.

Denique Bernardus fatetur : Illecebrosa vorago libidinis quantis laboribus atque dispendiis comparatur ! imo interdum quanto periculo famæ et honoris vel etiam vitæ acquiritur ! Et tamen appetitus ejus plenus est anxietate et vecordia, actusque ejus plenus est abominatione et ignominia, exitus quoque ipsius pœnitudine et verecundia plenus esse cognoscitur. Ardor libidinis prava occasione aliqua excitatur, et nisi illico respuatur et exspuatur, subito totum corpus occupat, æstuat, urit, incendit. Primo quippe carnem tactam modice titillat, deinde delectatione turpi maculat mentem, postremo per pravitatis consensum sibi subjugat eam. Caro ultra modum venatrix est deliciarum, putans si-

A bi licere et expedire quidquid eam poterit delectare. Gula et libido voluptati carnis deserviunt, et ipsam frequenter destruunt carnem.

Ideo ait Cyrillus lascivo : Cur tam impetuoso impetu tamque libidinoso furore concupiscentiæ te consumis, et tui prodigus, sic te ipsum effundis ? An ignoras quod animalia multum coeuntia non diu vivant ? Scio quod generationis amore non duceris, sed delectationis venereæ rabie ventilaris. Attamen quid est quod effundis ?
B Nonne digestissima medulla ? nonne vitæ admirabiliter sementiva humanæ naturæ, radicalis carnis substantia, et divitiarum generativæ virtutis thesauraria vena ? Attende igitur quid prodigus destruis, quid insanus dispergis, quid ingratus in nihilum projicis ; et tu iniquus depositarius, carissimum naturæ thesaurum tibi commendatum, inimico (quia vanitati) impendis. Nimirum subversor es ordinis mundialis, naturalisque legis transgressor. Ordo etenim mundi et lex naturæ hoc ha-
C bet, ut tanta naturæ delectatio dirigatur et ordinetur ad prolem ; tu autem prole neglecta, prolificum semen fundis in delectationem mox transituram. Quid plura ? Stultissimus es, qui te delectabiliter destruis, et tanto dementius quanto letalius temet perdis.

Præterea, quemadmodum Cassianus disseruit, fornicationis certamen est bellum immane, præ ceteris durum ac diuturnum, et a perpaucis pure devictum, quod a principio pubertatis incipit hominem impu-
D gnare, nec plene exstinguitur, nisi prius cetera vitia superentur. Duplex namque est impugnatio fornicationis consurgens ad prælium, gemino vitio simul armata, quia ex carnis infectione et animæ fragilitate accipit vires ; nec poterit expugnari nisi carne et anima pariter dimicantibus contra ipsum : quia ad fornicationis expurgationem non sufficit corporale jejunium, nisi præcesserit contritio spiritus atque oratio perseverans.

De Instit. Patr. lib. VI.

Postremo, de his Climacus scribit : In

Scal. parad. grad. XV.

A libidinosis est sensus (id est rationalis perceptio) concupiscentiæ sensualis, et spiritus non erubescens, irreverens, crudelis et inhumanus, irreverenter insidens sensui cordis, videlicet ferox spiritus fornicationis, qui præparat seu conatur eum qui tentatur etiam sentire dolorem corporei cordis in similitudinem fornacis ignis (hoc est, ac si esset inflammatus igne corporeo tanquam fornax): ita quod homo taliter impugnatus Deum non timet, memoriam pœnæ æternæ quasi nihil contemnit, orationem abominatur, ossa mortuorum quasi lapides B inanimatos intuetur. Facit quoque diabolus hominem talem, quasi inebriatum indesinenti concupiscentia carnis et cordis, ita ut putet se esse quasi in opere turpi. Cujus dies nisi fuissent breviati, non fieret salva omnis caro vestita luto isto complexionato ex sanguine et sordido limo : quoniam omne quod factum est, cognationem suam (id est simile sibi in specie) insatiabiliter concupiscit, sanguis sanguinem, vermis vermem ; ergo et caro carnem : quamvis violentatores seu superatores naturæ C suæ et concupitores regni cœlestis conentur decipere seductorem (id est diabolum superare et carnem) quibusdam circumventionibus atque astutiis, hoc est aliquibus bonis industriis industriosisque practicis.

Matth. XXIV, 22.

Insuper Climacus ad insinuandum enormitatem luxuriæ, duas inducit quæstiones, quas non solvit. Prima est, cur qui in aliis excedunt peccatis, dicuntur Deum offendere et peccare, fornicantes vero dicimus esse lapsos. Secunda quæstio est, cur Ec- D clesia recipiens hæreticos ad veniam quando pœnitent, post integram abjurationem hæresis eorum admittit eos ad sacrosancta mysteria (id est communionem sacramentalem) ; fornicatorem vero confessum et a peccato cessantem recipiens, separat eum ad tempus ab immaculatis mysteriis, quemadmodum apostolicis regulis est sancitum. — Has quæstiones recolo me nuper pro posse solvisse in expositione Climaci : idcirco pertranseo modo.

Cf. t. XXVIII, p. 259 A', 260 C.

ARTICULUS XLVI.

De fœditate et periculositate carnalis amoris, et de signis ipsius.

QUI *amat animam suam, perdet eam.* Multiplex est amor, videlicet : spiritualis, qui est amor infusus ac meritorius, qui dicitur caritas. Secundus est amor naturalis, quo unus alium diligit propter propinquitatem originis aut conformitatem naturæ : qui amor non est in se moraliter bonus aut malus. Tertius est amor familiaris aut socialis.

Joann. x[...] 25.

Quartus est amor carnalis, quo homo appetit sibi ipsi aut aliis delicias, divitias aut honores vitæ præsentis seu prospera mundi. Hic amor est fœdus, periculosus ac pessimus, atque ex eo procedunt gula, luxuria, avaritia. Denique amor iste tanto est periculosior, quanto subtilius atque celerius se commiscet spirituali amori ac ejus operibus, et quanto plus palliat et occultat se sub specie veræ dilectionis. Etenim quidam ad alios carnaliter affecti, et eis se applicare optantes, excogitant et allegant quasi spirituales et pias causas, propter quas visitant eos. Quidam vero in primis spiritualiter amant se invicem, sed paulatim carnales affectiones inter eos nascuntur, ex quibus ad tactus et oscula, amplexus et consimilia provocantur, et dire lædunt se invicem.

De hoc in Profectu religiosorum sic legitur : Quam multi sub specie spiritualis dilectionis et orationum obtentu spirituales feminas frequentaverunt ! Ecce quanta puritas in prima intentione, videlicet caritas atque devotio. Postea devenerunt ad confabulationes modo de Deo, modo de mutuo amore et fide ; deinde venerunt ad amorosos adspectus atque munuscula pro memoriali amoris. Ecce quomodo jam mixta sunt bona spiritualis collationis et fidelis affectionis cum malis inutilis confabulationis et incautæ familiaritatis, cum inquieta quoque occupatione cordis circa personam dilectam. Deinde tandem se-

quuntur falsa bona et evidentia mala, videlicet amplexus et oscula, tactusque manuum et uberum : quæ omnia sunt suspecta, et carnalis amoris indicia, ac operis turpis præludia. Postremo impudica succedunt tanquam præcedentium gestuum fructus, utpote aperta opera iniquitatis.

Denique, juxta Alredum, primum carnalis ac sensualis affectionis indicium, est inquietum desiderium cordis corporaliter exsistendi cum persona dilecta. Nam qui carnaliter amat, optat corporaliter uniri ; spiritualis vero dilectio, quoniam spiritualia respicit, quæ locum ac tempus transcendunt, parum curat de corporali præsentia, nisi forte spirituali ex causa. Secundum indicium, est importuna et anxia cogitatio de dilecta, etiam tempore orationis ac divini Officii, utputa quando visurus sit eam, quid faciat, an forte contra se in aliquo sit offensa. Tertium signum, est collocutio de vanis et inutilibus rebus, seu verba adulatoria ac lasciva proferre. Quartum est corporalis contrectatio, diuturna etiam applicatio lateralis, insertio manuum, oscula et amplexus, uberumque contactus, aut super dorsum percussio, ex quibus frequenter nascuntur motus libidinosi usque ad carnis stimulationem, inflammationem, aut etiam (quod solo auditu horrendum est) seminis resolutionem : qui non carent gravi facinore, præsertim quum causa eorum voluntarie admittatur et continuetur ; sed ratio carnali obtenebrata mollitie, non satis advertit nec reprobat in particulari, quod novit in universali indecentissimum esse. Imo pessimus amor iste talia agit in abdito, qualia nec fari neque fateri auderet amator talis in publico, juxta illud Apostoli : Quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere. Nempe, ut ait Salvator, omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Quintum est, quod amor carnalis solet esse zelotypus : quia sic amans, vult aut specialiter aut solus amari, atque de facili sus-

Ephes. v, 12.
Joann. III, 20.

A picatur ac metuit alium plus amari. Sunt demum et alia hujus detestandi amoris indicia, scilicet : pronitas mutuo indignandi, irascendi, denuoque placandi, ut moris est pueris ; datio quoque munusculorum, fraternæ correptionis subtractio, et partialitas quædam confovendi ac defendendi se invicem etiam in peccatis.

Postremo, omnis affectio qua quis alium amat non propter illius profectum et felicitatem, sed propriæ delectationis, utilitatis aut honoris intuitu, dici potest amor

B carnalis : qui, ut adstruit Augustinus, mirabiliter ac miserabiliter cor excæcat, judicium rectum subvertit, atque in varias ac enormes præcipitat culpas. Ideo summe vitandus est, non solum circa alterius sexus personam, sed etiam circa sexum eumdem, ne quis ad aliquem adolescentem seu juvenem in naturalibus eleganter dispositum, seu suæ inclinationi convenientem, incaute se habeat per affectum sive effectum, quia in hoc grande periculum est, ut docet S. Bernardus : imo fre-

C quenter ubi æmulatio major, ibi ruina periculosior, et sub specie optimi pessima constat geri.

Fuge ergo et vita, o Christi minister, omnem carnalis amoris notam, labem atque affectum, ne mente excæcata et voluntate effeminata, veræ sapientiæ lucem ac spiritualis amoris sinceritatem amittas. Noli periculo te ipsum ingerere. Quid necessarius est corporalis contactus ? Siquidem spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Et dato quod tu ipse *Joann.* VI, 64.

D a periculo esses securus, tamen proximi tui debes timere ac evitare ruinam. Quocirca notabile est exemplum illud de quadam sanctissima virgine, ex cujus contactu dum ejus stimularetur confessor, illa audivit in spiritu vocem sibi dicentem : Noli me tangere. Quumque nesciret cur vox illa facta esset ad se, dixit confessori suo qualiter vocem illam audisset. Quo cognito, ille pœnituit, et ex stimulata conscientia causam vocis illius agnovit. Hinc quoque docuit sanctus vir, Hugo Gratiano-

politanus præsul, valde custoditus ac timoratus, fervens ac humilis, ne una persona in aliam diutius figat visum. Unde idem Hugo a Guigone priore Cartusiæ interrogatus an mater ipsius Guigonis multum senuisset, respondit : Nescio an vetula sit, an juvenis. Nam et quum frequenter fuisset matronam illam affatus, nunquam tamen inspexerat vultum ejus.

ARTICULUS XLVII.

De remediis contra luxuriam.

Eccli. IX, 2, 5. NON *des mulieri potestatem animæ tuæ, et virginem ne conspicias, ne scandalizeris in decore ejus.* Sanctus Job

Job VI, 6. ait : Numquid gustare aliquis potest quod gustatum affert mortem ? Si ergo cibus corpori evidenter letaliterque nocivus nequaquam sponte accipitur, cur id quod tam mortaliter ac multipliciter animæ nocet, accipitur ad oblectandum reficiendumque eam, nisi quia magna nimis et quasi immensa est fatuitas, imo et amentia id agentis ? Quum itaque, juxta præhabita, luxuria tam vehementer nociva ac damnosa sit homini, atque tam multæ ac pessimæ filiæ oriantur ex ea, primum contra eam remedium est, diligenter perpendere quam periculosa et nociva sit homini, et quanta vitia sint eam concomitantia et ei annexa.

Præterea, quum ardor libidinis sit interior ignis ; ideo, sicut ignis exterior primo minuitur per frigidæ aquæ infusionem, secundo per lignorum combustibilium subtractionem, ita contra ignem luxuriæ sunt duo ista remedia, utpote ad aquas pœnitentiæ et doloris confugere, hoc est, eorum meditationem assumere quæ salubrem compunctionem, bonam amaritudinem, salutarem fletum inducunt, ea quoque vitare quæ materiam ac incitamentum luxuriæ pariunt.

Juxta hanc considerationem assignantur diversa luxus remedia. Quorum primum est consideratio omnium quæ Dominus noster Jesus Christus pro nostra toleravit salute. Quemadmodum enim omnis adversitas quælibetque afflictio, teste Gregorio, æquanimiter sustinetur, si Christi passio ad memoriam revocetur ; sic plane universa carnalis voluptas contemnitur, si dominicæ passionis acerbitas rite pensatur. Quum enim non sit servus major domino suo, et ipse Dominus noster tot et tanta tolerarit pro nobis, quis poterit esse ita perversus, ut ad vitiosa carnis oblectamenta se effundat, si efficaciter recolat quam amarissimam et ignominiosissimam mortem pro se pertulerit Christus ? Joann. XIII, 16.

Secundum remedium est consideratio æterni supplicii, quod pro brevi luxuriæ oblectamento infligitur. Nempe quis vellet pro cunctis mundi deliciis per unum diem in ardenti fornace jacere ? Quod si quis adeo lascivus est et stultus, ut dicat se velle per diem aut amplius hoc sufferre, ut suam valeat cum dilecta concupiscentiam satiare, tamen si per tempus unius Orationis dominicæ poneretur in igne, et peteretur ab eo an vellet exire deliciisque carere, an per horam manere in igne et postea delectari, non dubium quin extrahi precaretur. Si ergo timore et horrore temporalis tormenti sperneretur omnis delectatio carnis, id potius fieri debet intuitu et pavore infernalis perpetuique incendii.

Tertium remedium est, vigilanter attendere quam metuendum sibi instet judicium Dei pro peccatis suis præteritis. Sicque timebit plura adjicere et contemptum in Deum augere, pensando quod scriptum est ad Hebræos : Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Unde, quemadmodum mulier volens ablactare infantulum, uberibus suis superponit sinapium, quatenus infans gustata sinapii amaritudine, cesset ubera quærere ; ita prædictorum saluberrima compunctio, amaritudo, formido, superponenda est jugiter animo christiano, ut desistat venereorum delectamenta optare, imo et ea toto abhorreat corde. Hebr. X,

Quartum est, se ipsum in exercitiis pœ-

nitentiæ viriliter occupare, corpus tribulatione afficere, et tentatione durante, prætacta ac tangenda remedia sibimet fortiter applicare. Unde quidam Sanctorum leguntur se in tali tentatione inter spinas ac tribulos nudos volvisse, ut de S. Benedicto refert Gregorius; aut materialem ignem adhibuisse : sicut in Vitaspatrum fertur de eremita sanctissimo, qui dum vehementissime tentaretur de muliere quam ex pietate hospitavit, posuit digitos suos in flamma candelæ, et omnes eos combussit, ne vinceretur concupiscentiæ igne.

Quintum est, sobrietati studere et crapulam omnem vitare, potissime pocula atque cibaria quæ magis sunt libidinis pro- ᴾrov.xx,1. vocativa. Nempe, ut Sapiens loquitur, luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas. Ephes. v, 18. Atque Apostolus : Nolite (inquit) inebriari vino, in quo est luxuria. Ideo ait Hieronymus : Qui vino utitur, ignem portat in gremio; itemque : Venter vino æstuans, cito in libidinem spumat. Nam, sicut in Eccli. viii, 12. Ecclesiastico legitur, secundum ligna exardescit ignis : sic et juxta mensuram talium ferculorum ac potuum excrescit libido.

Sextum est, luxuriosorum vitare consor- Gen. viii, tia. Nam sensus hominis et cogitatio cordis humani in malum sunt prona. Idcirco xvii,27. cum perversis cito pervertitur homo, et Prov. xiii, amicus stultorum fit similis eis; qui autem cum sapientibus graditur, sapiens erit. Id- Eccli. xix, circo in Ecclesiastico dicitur : Qui se jungit fornicariis, erit nequam.

Septimum est, mulierum contubernia atque colloquia vitare pro posse : quia, ut Ibid. ix,11. ait Scriptura, colloquium mulieris exarde- Ibid. xlii, scit ut ignis; et sicut de vestimentis procedit tinea, ita a muliere iniquitas viri.

Octavum est, præambula, occasiones atque præludia fornicationis in præcedenti articulo introducta diligenter vitare : qui enim non vitat occasiones peccandi, non diu vitabit peccata. Hinc mulierum inspectio, præsertim morosa, vitanda est viris, nec minus virorum inspectio feminis. Pro- ix,7-9. pter quod in Ecclesiastico dicitur : Noli

A circumspicere in vicis civitatis; averte faciem tuam a muliere compta; propter speciem mulieris multi perierunt. Hinc dixit Hieronymus in extremis : Vinum nocet, sed septies plus facies mulieris.

Nonum est, otiositatem vitare, et semper aliquid utile exercere. Otiosi namque a multis impugnantur dæmonibus. Propter quod Scriptura dicit : Multa mala docuit Ibid. xxxiii, 29. otiositas. Atque, ut ait Hieronymus, intensum studium circa Scripturas facit despicere carnis delicias. Et multo plus facit B hoc assidua occupatio mentis in meditando, orando ac adspirando ad Deum.

Decimum est, se avertere ab intuitu et consideratione delectabilium, seque ad præfata utilia sapienter convertere. Sic enim vitatur libidinosa affectio : quoniam omnis affectio ex prævia aliqua cognitiva apprehensione procedit; ideo causa vitata, vitatur effectus.

Undecimum est, Dei adjutorium et gloriosissimæ Virginis opem ac proprii angeli subventionem incessabiliter invocare, C atque in solo Deo confidere, humiliterque fateri se propriis viribus ac studiis nullatenus posse prævalere, purgari, proficere, sicut in libro Sapientiæ Sapiens ait : Sci- Sap. viii, 21. vi quia aliter non possem esse continens, nisi Deus det. De hoc Cassianus plurima scribit in Institutis et Collationibus Patrum.

Duodecimum est, se ipsum nequaquam extollere, nec quempiam aspernari aut temere judicare, nec unquam de viribus suis præsumere. Imo propter hoc Deus permi- D sit multos, etiam spirituales personas, in vitia carnis corruere, quia spiritualiter erant superbi aut temere judicantes, aut incauti et vane securi ac præsumentes. Ideo ait Hieronymus : Nullus in isto præsumat; si sanctus es, non tamen securus. Mulier pretiosam viri animam rapit. Vir et Prov. vi, 26. mulier ignis et palea, diabolus insufflare non cessat ut accendantur. Vir contemnat cuncta mulierum blanda verba atque munuscula. Jam plurimi sancti propter suam incautam securitatem prolapsi sunt. Cli-

Scal.parad. grad. xxii. macus quoque dicit : Usque ad mortem non præsumas : multi enim immateriales, videlicet angeli, corruerunt. Iterum protestatur : Qui gula et satietate vult fornicationis spiritum vincere, similis est volenti oleo ignem exstinguere. Qui per solam abstinentiam putat se pugnam fornicationis vincere posse, similis est natanti una manu, et tamen volenti a pelago liberari : idcirco conjunge abstinentiæ humilitatem, quia sine ea inutilis est abstinentia. (Ibid. grad. xv.)

Itaque, quum habeamus contra luxuriam tot emplastra ac tanta remedia, nonne inexcusabilis est omnino qui superatur ab illa ? Viriliter ergo contra eam præliemur per arma ista, et ante tentationem simus parati et exercitati ad pugnam hujusmodi.

ARTICULUS XLVIII.

De gula, et modis speciebusque ejus.

Luc.xxi,34. *ATTENDITE ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate.* Gula est inordinatus atque superfluus appetitus alimentorum, seu immoderata eorum acceptio. Et istud est vitiosum atque mortale ex genere suo, quum sit contra justitiam et Dei amorem. Quum enim corpus ad animam sicut ad finem suum sit ordinandum, non plus debet homo de cibo et potu affectare aut sumere, nec aliter alimenta appetere, quam expedit animæ ad virtuose vivendum atque ad obtinendum veram salutem. Idcirco immoderate optare et accipere alimenta, ita quod anima inde impeditur a spirituali profectu ac Dei amore, ipseque homo gravatur atque ineptus efficitur ad Dei obsequium exercitiaque virtutum, mortale est peccatum : tamen si modicum excedatur, est veniale.

Denique, juxta Gregorium, quinque modis contingit iste excessus gulæ. Primo, si ante congruum tempus quis manducet aut bibat. Debet etenim homo primum quærere regnum Dei et justitiam ejus, id est aliqua spiritualia opera exercere ad promerendum vitam æternam, atque intentionem suam ad Deum et ejus honorem dirigere, ut docet Salvator apud Matthæum. (Matth. vi, 33.) Unde in Ecclesiaste fertur : Væ tibi, terra cujus principes mane comedunt. (Eccle. x, 16.)

Secundo in cibo et potu exceditur quærendo aut appetendo cibos aut potus valde delicatos : quod contrariatur vitæ pœnitentiali et arctæ viæ salutis, ad quas tenemur. Debet enim homo corpus suum assidue castigare et in animæ servitutem redigere, quia in Proverbiis scriptum est : Qui delicate nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem : hoc est, qui carnem suam laute alit, experietur eam spiritui suo rebellem. (Prov. xxix, 21.) Nempe quo delicatius caro fovetur, eo ad plura et graviora inclinat peccata. Quid ergo est carnem laute nutrire, nisi domesticum hostem et propriæ salutis æmulum contra se roborare ? Ideo ait Bernardus : Sufficit ut cibaria comestibilia fiant, non concupiscibilia. Hinc in libro Numerorum filii Israel leguntur horribiliter a Deo percussi, quia quum competentiam haberent ex manna, desideraverunt carnium esum, ut in Numeris recitatur. (Num. xi, 33. Ibid. 4.) In cibo autem et potu quærenda est naturæ necessitas, non gustus voluptas. Propter quod etiam Seneca dixit : Palatum tuum fames excitet, non voluptas. Et Sapiens protestatur : Qui amat vinum et pinguia, non erit sapiens. (Prov. xxi, 17; xx, 1.) Apostolus quoque : Curam (inquit) carnis ne feceritis in desideriis. (Rom. xiii, 14.)

Tertio in istis exceditur quando quis cupit cibaria nimis exquisite et accurate præparari : quod pertinet ad sollicitudinem vitiosam carnalem curiositatemque vanam. Quo vitio laborabant filii Heli sacerdotis : propter quod meruerunt occidi et condemnari, ut primo Regum habetur. (I Reg. ii.) Contra quod ait Christus : Ne solliciti sitis quid manducetis. (Matth. vi, 25.) Si enim non licet immoderate sollicitari de cibo, multo minus de exquisito parandi modo.

Quarto, in quantitate, videlicet quando nimis multum de cibo et potu accipitur, præsertim dum unum genus ciborum aut

potuum alteri superflue additur, quum priora sufficiant; sicque de novo stomachus provocatur, et natura gravatur : per quod non solum vita spiritualis et salus animæ impediuntur, sed corporalis quoque vita abbreviatur, sanitas impeditur, ratio hebetatur, concupiscentia inflammatur. Fiunt quippe non solum duo, sed tria aut plura contra unum, et periclitatur sobrietas. Imo quod tam immoderate consumitur, debetur pauperibus, et periculose subtrahitur eis. Hinc apud Lucam loquitur Deus : Væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram ; væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. (*Luc.* VI, 24, 25.)

Quinto, dum quis nimis ardenter et avide cibum et potum sumit aut cupit, ita quod instar canis famelici effundit se super illos, indisciplinateque comedit, et torvo adspectu festinantique motu aut totius vultus apparatu suam ostendit gulositatem. Tales sunt filii Esau, qui præ aviditate cibarii dixit : En morior. (*Gen.* XXV, 32, 33.) Sicque ex aviditate canina vendidit primogenita sua. Nec postea invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. (*Hebr.* XII, 16, 17.) Propter quod Hebræos monet Apostolus : Ne quis profanus ut Esau, etc. Hinc in Ecclesiastico edocetur : Noli avidus esse in omni epulatione, nec te effundas super omnem escam. (*Eccli.* XXXVII, 32.) Et denuo in eodem admonetur : Non extendas manum tuam prior, cessa prior causa disciplinæ, nec prior poscas bibere. (*Ibid.* XXXI, 20, 21.)

Denique quinque prætactos gulæ modos seu species ponit Gregorius. Quibus possunt alii addi modi, utputa : nimis frequenter comedere aut potare, sicque super indigestum adjicere alimenta : per quod valde læditur ipsa natura. Alius modus est, refectionem vel potius comessationem et ingurgitationem valde diu protrahere, sicque diu in mensa sedendo, tempus non solum infructuose, sed et vitiose expendere. Tertius modus est, nova et inconsueta alimenta exquirere : quod est signum carnalitatis præcipuæ. Quartus, quærere speciosa, quamvis non sint amplius saporosa.

ARTICULUS XLIX.

De filiabus gulæ.

HÆC fuit iniquitas Sodomæ : superbia, saturitas panis, abundantia et otium ipsius. (*Ezech.* XVI, 49.) Ex gula generari varia atque enormia vitia, satis docet experientia. Porro, secundum Gregorium, quædam vitia specialiter nominantur effectus ac filiæ gulæ, videlicet : hebetudo sensus seu rationis, inepta lætitia, loquacitas, scurrilitas, quantum ad gestus exteriores et joculares; immunditia, et præsertim luxuria atque præambula ejus, ut sunt motus libidinosi et actus lascivi in tactu, osculo et amplexu. Insuper ex gula nascuntur stulta securitas, periculosa audacia, negligentia multiplex, somnolentia in divinis, detractio, lusus superflui, contentiones et rixæ, bella et homicidia : de quibus per ordinem jam breviter est tangendum.

Itaque, quum intellectiva cognitio animæ ex sensitiva cognitione et congrua corporis interiorumque sensuum dispositione dependeat ac procedat, ideo corporis dispositione et interioribus sensibus per gulam turbatis et aggravatis, consequens est ut ratio in suis actibus impediatur, ineptitudinem hebetudinemque incurrat : et ita deinceps fit homo ad exercitia virtutum ineptus, et protinus somnolentus, imo et acediosus, quia spirituales occupationes fastidit. Insuper, quoniam intellectus ejus non viget ad considerandum salubria et ea quæ compunctionem inducunt ac timoratum efficiunt, ideo quærit forinsecus consolari, atque ad fabulationem, risum, jocum, choreas et alios lusus proclivis est, ad gestus quoque scurriles : ex quibus omnibus ad peccata luxuriæ inflammatur, præsertim quia materiam et calorem excitantes ad ea generat gula. Hinc quippe de impiis filiis Israel scriptum est in Exodo : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. (*Exod.* XXXII, 6.) Gregorius quoque : Primo, inquit, convivantibus famulatur culpa loquacitatis; post loquacitatem, ludi et levitas assequuntur.

Imo gula assidua hominem sic excæcat A atque indurat, ut nec pauperibus compassivus sit, nec liberalis, quemadmodum Amos asserit : Bibentes vinum in phialis et optimo unguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Joseph. Tales namque tam intense quærunt commoda sua carnalia, ut de aliis parum aut nihil curent. Hinc in Levitico legitur : Dixit Dominus ad Aaron : Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis tabernaculum testimonii, ut habeatis scientiam discernendi in- B ter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum.

Amos vi, 6. *Lev.* x, 8-10.

ARTICULUS L.

Quam detestabile sit vitium gulæ ; et specialiter contra ebrietatem et pravam consuetudinem aliquorum.

Judæ 12, 13.

HI *sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes ; arbores autumnales, infructuo-* C *sæ, bis mortuæ : quibus procella tenebrarum conservata est in æternum.* Quam detestandum, vile ac fugiendum sit gulæ peccatum, primo monstratur ex hoc quia sicut per luxuriam, ita per gulam homo a propria et naturali nobilitate degenerat : quoniam sensualitatem et carnem, per quas bestiis est conformis, præfert intellectivæ parti, videlicet rationi et voluntati, per quas cum Deo et angelis quamdam communionem et assimilationem sortitur, et magis quærit oblectamenta et commoda D carnis vilissimæ celeriter moriturae, quam gaudia sancta et spiritualia, virtutes et salutem rationalis et immortalis animæ suæ : quod tanto stolidius iniquiusque censetur, quanto anima exstat præstantior corpore.

Secundo idem patet ex hoc quia gulosus vilissimæ servituti se subdit, videlicet obsequio sui ventris et concupiscentiæ ejus, quemadmodum de talibus dicit Apostolus : Hujusmodi non Deo, sed suo ventri serviunt. Imo, ut asserit Cassianus, gulosus vix aliud cogitat quam qualiter ventris sui desiderio ac repletioni satisfacere possit.

Rom. xvi, 18. *De Instit. Patr.* lib. v, c. 23.

Tertio, quia gulosus assimilatur idololatræ : imo turpissimus idololatra esse videtur, quoniam sordidissimam sui corporis partem, scilicet ventrem, immunditiis plenam, colit pro Deo, dicente de gulosis Apostolo : Quorum deus venter est. Magis enim cogitat, amat et veneratur proprium ventrem quam Deum, quoniam indesinenter sollicitus est pro ventris repletione, provisione, oblectamento et copia. Quod si ipse aut alter Deo injurietur et debitum subtrahat cultum, parum attendit aut curat ; si vero suo ventri quid subtrahatur, graviter indignatur. Imo contra Dei honorem ac jussionem quærit quæ ventris sunt.

Philipp. iii, 19.

Quarto, quia de corpore suo, quod Dei templum esse deberet, facit turpem coquinam fœtidamque latrinam, imo et domum diaboli. Ex abundantia etenim cibi et potus generantur in eo fumi ascensio, calidi naturalis intensa et quasi laboriosa incensio, superfluitatum naturæ multiplicatio fœda. Et sicut in Evangelio legitur quod legio dæmonum rogavit mitti in porcos, ita diabolus delectatur demorari in guloso tanquam in sordidissimo porco et veluti in cloaca. Ait equidem Guillelmus Parisiensis in libro de Universo, quod dæmones in cloacis solent manere.

Matth. viii, 31.

Quinto, quia gulosus, secundum Hieronymum, facit rapinam et furtum. Nam quidquid consumit superflue, subtrahit indigenti, imo tot indigentibus quot posset ex superfluis suis subvenire expensis.

Sexto, quia gulositas ingratitudinem oblivionemque Dei et aversionem ab eo producit, juxta illud Deuteronomii : Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, dereliquit Deum factorem suum. Per Osee quoque prophetam Deus contestatur : Saturati sunt, et obliti sunt mei.

Deut. xxxii, 15. *Osee* xiii, 6.

Septimo, quia gulosus est quodammodo homicida et interfector sui ipsius : quia gulose vivendo lædit et valde abbreviat

propriam vitam, juxta quod dicitur : Plures moriuntur gula quam gladio. Unde in Ecclesiastico legitur : In multis escis erit infirmitas ; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. Et item : Propter crapulam multi obierunt.

Eccli. xxxvii, 33, 34. Ibid. 34.

Octavo, quoniam primi parentes per gulam sunt victi, et sibi ipsis ac omnibus nobis paradisum amiserunt terrestrem, atque tot mala incurrerunt.

Nono, quia tot vitia oriuntur ex gula, ut patuit articulo præcedenti; et ipse gulosus valde injustus est tam in Deum, cujus beneficiis abutitur et dona male dispensat, quam in proximos, quoniam plurimorum labores solus consumit, et bona quæ soboli suæ relinqueret, sæpe immoderanter consumit, atque in se ipsum, lædendo corpus suum et animam modo præfato.

Præterea, gula in comessationem et ebrietatem dividitur. Unde ad Romanos ait Apostolus : Non in comessationibus et ebrietatibus. Itaque ex gula generatur ebrietas : quæ in se ipsa est plurimum vitiosa et periculosa, quum privet hominem judicio rationis, atque per hoc exponat eum omni discrimini, et non solum bestiis, sed etiam furiosis, imo et dæmonibus eum assimilet. Hinc sacra Scriptura contra ebrietatem sæpissime ac terribiliter loquitur. Scribit enim Salomon in libro Proverbiorum : Vacantes potibus et dantes symbola consumentur. Et rursus : Ne intuearis vinum quando flavescit ; ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet. Itemque : Cui væ ? cujus patri væ ? cui foveæ ? cui sine causa vulnera ? cui suffusio oculorum ? Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis ? Hinc quoque Seneca dicit : Quid est ebrietas, nisi insania sponte admissa ? Et Tullius : Ebrietate, inquit, sopitus quid differt a stulto, quum recta mente uti non queat ? Unde et S. Joannes Chrysostomus asserit : Nihil est dæmoni ita amicum ut ebrietas atque lascivia.

Rom. xiii, 3. Prov. xxiii, 1. Ibid. 31, 32. Ibid. 29, 30.

Præterea, sicut in secunda secundæ, A quæstione centesima quinquagesima, docet Thomas, tunc ebrietas potissime est mortale peccatum, quando quis scit potus virtutem et se posse inebriari ab eo, nec tamen cavet potationem superfluam. Si ergo gula et ebrietas ita mortales sunt, quam gravissime peccant qui quotidie aut frequenter conveniunt ad potandum, seque inebriant, quum frequenter experti sint se tantum potum sine ebrietate tolerare non posse, potissime quum (Augustino testante) etiam venialia per nimiam assiduitatem B fiant mortalia ? In talibus quoque potationibus magna pars temporis infructuosissime perditur, imo et vitiosissime consumitur, eo quod alia vitia multa ac gravia potationibus illis se misceant, utputa verba otiosa, pungitiva, scurrilia, detractoria, contentiosa, taxillationes, injuriæ, pugnæ, et consimilia.

art. 2.

Postremo, si ista tam illicita atque enormia sunt etiam ferialibus diebus, quanto magis dominicis et festivis diebus, quando Christiani tenentur specialiter esse devoti C et circa divina intenti, aliorumque dierum negligentias recuperare, et commissa mala pœnitendo delere ac emendare ?

ARTICULUS LI.

Contra gulam, comessationes et ebrietates, ex sacra Scriptura.

ESCA *ventri, et venter escis ; Deus autem et hunc et has destruet.* Jam contra gulam et species ejus allegatæ sunt D multæ auctoritates Scripturæ : ut tamen prædicator verbi cœlestis ad manum habeat copiam auctoritatum majorem in materia tam prædicabili, adhuc aliquas breviter introducam.

I Cor. vi, 13.

Itaque apud Isaiam maledicuntur gulosi et ebriosi, quum dicitur : Væ qui potentes estis ad bibendum vinum et ad miscendam ebrietatem. Et rursus : Væ qui surgitis mane ad ebrietatem sectandam, et ad potandum usque ad vesperam, et opus Domini non respicitis : propterea dilatavit

Is. v, 22. Ibid. 11, 12, 14.

infernus animam suam et aperuit os suum A absque ullo termino, et descendent ad eum. In Proverbiis quoque scriptum est :
Prov. XXIII, 20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. Et iterum Salomon in
Ibid. XXI, 17. Proverbiis loquitur : Qui diligit epulas, in egestate erit; qui amat vinum et pinguia, non ditabitur.

Osee VII, 5. Insuper Osee propheta : Cœperunt (inquit) principes furere a vino. Atque in
Eccli. XXXI, 19, 20. Ecclesiastico fertur : Utere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur, ne mul- B tum manducans odio habearis; noli nimius
Ibid. 22. esse in edendo, ne offendas. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, et in dormiendo non laborabis ab illo, et
Ibid. 23. non senties dolorem. Vigilia et cholera et
Ibid. 30. tortura homini infrunito. Diligentes in vino noli provocare; multos enim extermi-
Ibid. 38-42. navit vinum. Vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem et faciens vulnera. C In convivio vini non arguas proximum, verba improperii non dicas illi, et non premas eum in repetendo. Iterum in Eccle-
Ibid. XIX, 2, 1. siastico scriptum est : Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes; operarius ebriosus non locupletabitur.

Paulus quoque apostolus ad Hebræos :
Hebr. XIII, 9. Optimum (ait) est gratia stabiliri cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus
Ephes. V, 18. in illis. Et alibi : Nolite inebriari vino, in
Rom. XIV, 17. quo est luxuria. Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in D
Ibid. 2. Spiritu Sancto. Qui infirmus est, olera
Ibid. 21. manducet. Bonum est non manducare carnem et non bibere vinum.

Job XXVIII, 12, 13. Præterea in Job habetur : Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium, utpote inter eos qui sensualitatis oblectamenta requirunt. Et rursus alibi apud
Ibid. XX, 22. eumdem legitur de guloso : Quum satiatus fuerit, arctabitur, et omnis dolor irruet super eum. Satietatem etenim consequitur quædam ventris compressio. Plus etenim projicit gulosus in ventrem suum quam convenienter potest tenere : idcirco consequitur eum multiplex dolor, et præter æternalem dolorem inferni, habet multoties in præsenti dolorem unius diei aut mensis pro delectatione horæ unius.

Postremo sacratissimus princeps Apostolorum in secunda sua fatur Canonica : Hi II Petr. II, 12, 13, 1
velut irrationabilia pecora in corruptione Judæ 12.
sua peribunt, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes et maculæ, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes; quibus procella tenebrarum reservatur. De talibus denuo scribit in prima sua epistola : Qui ambulaverunt in luxuriis, I Petr. IV, 3, 5.
desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, hi reddent rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos.

ARTICULUS LII.

Contra gulam et ebrietatem, ex verbis sanctorum Patrum.

QUEM *fructum habuistis tunc in illis* Rom. VI, 2
in quibus nunc erubescitis? In vitiis carnis, gula et luxuria, invenitur turpitudo præcipua : in quibus ratio excæcata et victa viliter delectatur; sed ratio illuminata, pœnitens ac prævalens de eis verecundatur, eo quod tam bestialibus servierit vitiis.

Hinc ait Gregorius : Dominante gulæ vitio, omne quod fortiter egerunt homines, perdunt; et dum venter non perstringitur, cunctæ virtutes pariter obruuntur. Etenim epulas pene semper concomitatur voluptas. Nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Iterum ait : Voluptas plerumque ita sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Quumque necessitas debitum sibi reddi efflagitat, voluptas desiderium suum explere festinat; nec valet mens discretionem tenere, ciborum aut potuum pondere prægravata. Verumtamen non cibus, sed appetitus in vitio est. Nam et lautiores cibos plerum-

que sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.

Eccli. xxix, 28. Innocentius quoque disseruit : Initium vitæ hominis aqua et panis. Gulosis autem non sufficiunt arborum fructus, leguminum genera, radices herbarum, pisces maris, bestiæ terræ, nec aves cœli ; sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, nutriuntur altilia, capiuntur obesa, quæ studiose coquuntur et laute parantur. Gula paradisum clausit, primogenita vendidit, magistrum pistorum suspendit, decollavit Joannem. Gen. iii, 6-24; xxv, 29-34; xl, 16-22; Marc. vi, 21-27.

Insuper, Augustino testante, ebrietas est flagitiorum omnium mater, culparum materia, radix criminum, vitiorum origo, turbatio capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, amissio temporis, voluntaria insania, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela ; quæ in utroque sexu varia mala appetit et nefanda committit. Ambrosius quoque : Ebriosus, inquit, dum potum absorbet, absorbetur a potu, abominatur a Deo, ab angelis sanctis despicitur, ab hominibus deridetur, spoliatur virtutibus, conculcatur a dæmonibus. Ebriosus confundit naturam, perdit gratiam, amittit gloriam, incurrit damnationem æternam. Hinc asserit Hugo : Ebrietas judicium rationis offuscat, contentiones et bella procurat, robur et naturalem virtutem enervat, infirmitatem generat, mortem adducit, rebus temporalibus spoliat, et (quod deterius est) divinam maledictionem incurrit.

His consonat Augustinus : Ebrietas, inquiens, aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, libidinem concitat, linguam involvit sanguinemque corrumpit, omnia membra debilitat, vitam dirimit et omnem salutem exterminat. Gregorius quoque : Ebrietas, ait, est blandus dæmon, dulce venenum, suave venenum : quam qui habet, se ipsum non habet ; quam qui facit, non solum facit peccatum, sed totus est peccatum. Propterea ait Hieronymus : Qui luxuriatur, vivens mortuus est ; qui A autem inebriatur, mortuus et sepultus est. Rationis vile sepulcrum est ebrietas. Hæc sepelitio est quædam submersio, quia in aqua sepeliri, est mergi. Hinc denuo fatur : Qui post carnem ambulant, in ventrem et libidinem proni, bruta dici merentur.

Ait demum Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima quadragesima nona, quod potatio vini singulariter periculosa sit mulieribus atque juvenibus, quia art. 4. ad concupiscentiam proni sunt et debiles B ratione. Ad quod allegat Valerium affirmantem quod apud antiquos Romanos mulieres vinum non potabant. Hieronymus quoque in suis docet epistolis ut virgines et puellæ a vino abstineant. Et quid hoc mirum de illis, quum et Apostolus protestetur, Vidua quæ in deliciis est, vivens I Tim. v, 6. mortua est ? Siquidem vivens vita naturæ, mortua est morte culpæ.

Præterea Joannes Climacus ait : Gula est Scal. parad. grad. xiv. hypocrisis (id est simulatio) ventris : nam saturatus, indigentiam reboat ; refectus et C semiplenus, famem reclamat. Gula est conditrix præparationis delectationum, fons libidinis, seductio oculorum, suggerens omnia simul devorare, ciborum satietas. Blanditiis leonem aliquis mansuetum plerumque effecit ; qui autem corpus suum blande fovet, ex hoc facit illud magis rebelle. Gaudet et diem festum agit Judæus in sabbato, et gulosus in die lautæ et crapulosæ refectionis. Somnia ciborum ac potuum in cordibus gulosorum ; somnia vero judiciorum atque pœnarum in cordibus D pœnitentium et lugentium. Qui ventrem suum nutrit et fovet, et contendit fornicationis spiritum vincere, similis est volenti cum oleo ignem exstinguere. Mens jejunantis orat vigilanter ac sobrie ; non jejunantis autem repletur spiritibus immundis. Tribulato ventre, cor humiliatur ; ventre autem repleto, superbit cogitatio. Afflige ventrem, et claudes os tuum : a multitudine namque escarum lingua enervatur.

Cognosce quia plerumque dæmon super

stomachum sedet, et præparat ac suggerit A hominem satiari non posse, etiam si totam Ægyptum comederit et universum biberit Nilum. Immundus hic dæmon recedit post cibum, et fornicationis nobis spiritum mittit, annuntians ei quod factum est, et dicens : Apprehende, apprehende et conturba gulosum ; ventre enim repleto atque gravato, faciliter prævalebis. Veniens ergo spiritus fornicationis, subridet, ligansque somno manus nostras ac pedes, omnia de reliquo quæcumque vult facit, et corpus et animam phantasiis, inquinationibus et B colluvionibus fœdat ac sordidat.

Matth. vii, 13, 14. Ampla et spatiosa est via ventris, quæ ducit ad fornicationis perditionem, et multi vadunt per eam ; angusta vero porta et arcta est via jejunii et abstinentiæ, quæ ducit in vitam castitatis, et pauci ingrediuntur per eam. Lucifer qui ruit, princeps est dæmoniorum ; et gula seu ventris ingluvies, princeps est vitiorum. Gula est *Gen.* iii, 6-24; xxv, 29-34 ; *Num.* xi, 4, 33 ; *Gen.* ix, 21 ; xviii, 20 ; xix, 33-35 ; I *Reg.* ii, 12 et seq. ; iv, 11. porta vitiorum, lapsus Adæ, perditio Esau, interitus Israelitarum, Noe inhonestas, Gomorrhæorum proditor, Lot querela, exter- C minium filiorum Heli.

Ex gula procedunt tanquam filii ejus, fornicatio, duritia cordis, somnus, mare seu abundantia inutilium cogitationum, fluctus et undæ inquinationum, atque profundum ignotarum et indicibilium immunditiarum. Porro filiæ gulæ sunt : otiositas, multiloquium, confidentia propriarum virium, risus, scurrilitas, contradictio, cervicosa durities, inaudientia, insensibilitas propriæ læsionis in anima, captivatio cordis, magnificatio sui ipsius, gloriatio, au- D dacia, præsumptio, amor mundi, quem sequitur oratio sordida et tandem crudelis desperatio. — Hæc Climacus.

Insuper his concordant quæ in libro quinto de Institutis Patrum scribit Joannes cap. 3, 11. Cassianus, inter cetera docens quod primum luctamen necessarium nobis, sit contra gulam, nec posse hominem ignem luxuriæ suffocare, neque contra interiora ac spiritualia vitia efficaciter præliari, imo nec in aliqua virtute proficere, nisi in primis superet gulam. Deinde ostendit quali- cap. 5. ter unusquisque debeat in cibo et potu moderamen servare, proprias vires pensando ; et quod non solum vinum et fortia fercula, sed etiam sola aqua et quæcumque quantumlibet vilis esca, nisi moderate ac timorate sumatur, libidini ministret fomenta et cordis impediat puritatem. Sic etenim ait : Quibuslibet escis refectus ven- cap. 6. ter seminaria luxuriæ parit, nec prævalet mens discretionum gubernacula moderari, alimentorum onere prægravata. Non sola crapula vini mentem inebriat, sed cunctarum escarum nimietas vacillantem eam ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione despoliat. Audi Dominum per Prophetam Jerusalem increpantem : Quid peccavit soror tua Sodo- *Ezech.* xvi, 49. ma, nisi quia panem suum in saturitate et abundantia comedit ? Quod si illos sola satietas panis ad tanta præcipitavit flagitia, quid censendum est de his qui carnes et vinum immoderata libertate accipiunt?

Postremo, de hac materia sanctus pater noster Bernardus sic loquitur : Voluptas gulæ, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum obtinet latitudinem digitorum : et hujus tam modicæ partis delectatio vilis quanta paratur sollicitudine ! Quantam deinde molestiam parit ! Hinc namque monstruose dilatantur renes et humeri ; hinc tumentes uteri non tam impinguantur quam imprægnantur a ruina ; et dum carnis onus ossa non sustinent, etiam morbi varii generantur. Gula et libido voluptati carnis deserviunt. Propter gulam pauperes spoliantur, ut fames pauperum transeat in delicias divitum.

Iterum ait : Filii hominum, usquequo *Ps.* iv, 3. gravi corde, quia pingui corpore ? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illa relinquetis, quando hic vermibus caro, et illic anima deputabitur igni, donec rursus infeliciter colligatæ, in locis pœnalibus socientur, quæ sociatæ fuerunt in vitiis. O delicate, qui divitiis atque deliciis circumfusus et confusus, con-

Rom. XIV, 17. fusionem exspectas et mortem, non est regnum Dei esca et potus, non purpura et byssus : quoniam dives ille utrisque abundans, in puncto ad inferna descendit. Quid ad hæc dicitis, o gulosi, et vos, luxuriosi, quorum deus venter est, quorum usus omnis aut in ventre aut sub ventre est, qui in luxuriis enutristis corda et corpora vestra? Audite, audite, quia esca ventri, et venter escis, Deus autem et hunc et has destruet.

Luc. XVI, 19, 22. Philipp. III, 19. Jacob. V, 5. I Cor. VI, 13.

Denuo ait : Calix dæmoniorum crapula atque ebrietas : quæ quum impleverint aut mentem aut ventrem, Christus ibi non invenit locum. Sicut ignis et aqua se non compatiuntur, sic spirituales et carnales deliciæ simul esse non possunt. Ubi ructantis crapulam inter pocula senserit Christus, vina sua spiritualia super mel et favum dulciora, menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas pascit ventrem, ibi cœlestis panis jejunam deserit mentem.

Ps. XVIII, 11.

ARTICULUS LIII.

De remediis contra gulam.

Job XXI, 13. DUCUNT *in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Ad abhorrendum ac evitandum omnem gulam, primo valet consideratio prædictorum, videlicet quod vitium gulæ in se ipso tam vile, carnale ac bestiale consistit ; quod item tot et tanta mala corporalia ac spiritualia, pœnalia ac culpabilia, præsentia ac futura sequuntur ex eo, et quod tot pessimas filias habet. Aliqua quippe in se ipsis aliquid amabilitatis et delectabilitatis habere videntur : attamen si pensetur quam nociva sint et quot mala eis annexa sint, protinus evitantur. Ita de gula se habet.

Secundum contra gulam remedium est, pravam consuetudinem fugere, et si quis gula devictus est, ei indesinenter resistere, seque paulatim assuefacere ad sobrietatem, assumendo ad hoc firmum propositum assiduumque conatum, et disciplinate

A comedere. Quod etiam ad corporis proficit sanitatem : quia, ut ait Bernardus, quanto cibus ordinatius sumitur, tanto convenientius digeritur ; inordinata vero et festinata refectio gravat naturam, et minus nutrit. Climacus quoque fatetur, quod sicut somnum, ita et potationem superfluam vincit homo paulatim, aliquid sibi subtrahendo quotidie.

Cf. t. XXVIII, p. 287 C.

Tertium remedium est, occasiones, incitamenta atque materiam gulæ pro posse vitare. Quemadmodum enim homini ad B concupiscentiam luxuriæ prono periculosum est pulchras et ornatas feminas intueri, attingere et præsentes habere ; sic homini ad gulæ voracitatem et aviditatem proclivi periculosum censetur, in promptu habere sive accedere mensam cibis potibusque delicatis ac copiosis refertam. Etenim vitia carnalia in se ipsis delectabilia, melius superantur fugiendo eorum occasiones atque objecta. Nam et Eva quum vidisset quod lignum bonum esset ad vescendum, et pulchrum oculis adspectuque C delectabile, tulit de fructu illius et comedit. Ideo, teste Gregorio, non licet incaute videre quod non licet concupiscere. Hinc non expedit sine rationabili causa invitare et invitari, aut celebrare convivia.

Gen. III, 6.

Quartum remedium est, pensare quod per gulæ voluptatem meretur homo infernali absinthio atque perpetua amaritudine pasci ac cruciari, cœlesti quoque ac sempiterna refectione dulcissima, summe beata, privari. Ad quod pertinet exemplum quod Christus refert de divite epulone, qui D sepultus est in inferno pro sua temporali et brevi gula. Cujus exempli diligens consideratio multum valet ad gulæ detestationem et provocandam compunctionem. Hinc Climacus protestatur : Gulam intenta ignis æterni meditatio circumcidit.

Luc. XVI, 19, 22. Scal. parad. grad. XIV.

Quintum remedium est, considerare quam vile atque immundum sit corpus nostrum, et quod paulo post redigetur in pulverem, imo in putredinem, serpentes et vermes ; quod item tot vitiorum occasio fuerit ac instrumentum, quotidie quoque sit. Pro-

pter quod non decet nos illud laute fo- A vere, sed tanquam servum rebellem et animæ hostem castigare, edomare, affligere, sicut ait Apostolus : Castigo corpus meum et in servitutem redigo ; et rursus : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis ; itemque : Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Qui ergo corpus suum ita non crucifigunt, ad Christum non pertinent, sed sunt servi diaboli. O quam arcta est via salutis !

I *Cor.* IX, 27. *Galat.* V, 24. *Rom.* VIII, 8. *Matth.* VII, 14.

Sextum remedium est, vigilanter attendere quam multa et magna bona sequantur tam in corpore quam in anima, et in præsenti ac futuro, ex gulæ exstirpatione et sobrietate. De quibus jam tacta sunt aliqua et infra tangentur.

Septimum est, bene perpendere quantam famem et indigentiam sustineant membra Christi et proximi nostri, quæ tanquam nos ipsos diligere obligamur, non solum cordis affectu, sed et beneficio operis, sicut ait Joannes apostolus : Diligamus non verbo neque lingua, sed opere et veritate. Quod qui agit, non consumit superflua, sed egenis largitur.

I *Joann.* III, 18.

Octavum est, cordialis recordatio novissimæ refectionis Christi in cruce, ubi pro nobis felle cibatus est, et aceto myrrhæ mixto potatus, sicut ait in Psalmo : Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Cui refectioni propter nos toleratæ nil condignum rependere unquam poterimus, etiam si mille annis in pane et aqua abstinuerimus. Qualem ergo Christi discipulum ac ministrum se esse ostendit qui gulam sectatur, quum princeps Apostolorum testetur, Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus? Hinc Climacus loquitur : Ad mensam sedens, affer in medium memoriam mortis atque judicii ; poculum bibens, non cesses memorari fellis et aceti Christi regis ac Domini nostri : et abstinebis, aut suspirabis, aut humilius sapies.

Ps. LXVIII, 22. I *Petr.* II, 21. Scal. parad. grad. XIV.

Nonum remedium est, ita se assuefacere ad spiritualia exercitia, ut carnalia in fastidium convertantur. De hoc Cassianus sic scribit : Primo nobis calcanda est concupiscentia gulæ, et eousque extenuanda mens (non solum jejuniis, verum etiam vigiliis, lectione quoque, compunctioneque cordis crebra, ingemiscendo nunc vitiorum horrore, nunc desiderio perfectionis), donec hujusmodi curis ac meditationibus occupata, refectionem corporalem sentiat sibi non pro jucunditate concessam, sed quasi onus impositam, et eam B accipiat non ut desiderabilem, sed quasi necessariam ac molestam. Hinc non solum superfluus alimentorum appetitus virtutum contemplatione calcandus est, sed ipse cibus ac potus naturæ necessarius, tanquam castitati contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est. Et ita demum vitæ nostræ instituendus est cursus, ut nullo tempore sentiamus nos magis a spiritualibus studiis avocari et impediri, quam quo ad corporis necessariam curam descendere ejus fragilitate compellimur. Hæc C Cassianus. Sed ultimum istud remedium ad religiosos potissime spectat.

De Instit. Patr. lib. V, c. 14.

ARTICULUS LIV.

De ira, quid sit, et de ejus divisione.

NE *sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Ira secundum suam essentiam proprie dicitur appetitus vindictæ propter injuriam aut parvipensionem irascenti illatam, ut libro se- D cundo asserit Damascenus. Quumque ira sit motus appetitus sensitivi irascibilis, qui est organica vis, ideo fit cum corporali transmutatione, videlicet sanguinis ebullitione. Unde solet sic definiri : Ira est fervor seu ebullitio sanguinis circa cor ex fellis evaporatione. Propterea irascentes rubescunt in vultu, et corpore incalescunt. Quamvis autem ira proprie non sit nisi in rationali creatura, nec habeatur nisi ad rationalem seu intellectualem creaturam, quia irascens appetit ultionem injuriatori

Eccle. VII, 10.

inferre tanquam pœnam pro illius culpa et injuriatione : interdum tamen accipitur ira communius pro commotione appetitus ex imaginatione contrarii; sicque attribuitur brutis, ut leoni et cani. Imo interdum sumitur ira pro quacumque animi commotione ex occursu cujuscumque occurrentis adversitatis; et ita interdum irascitur homo brutis, aut etiam rebus inanimatis, ut ligno aut lapidi, si in ea impegerit.

Denique quidam assignant triplicem iræ gradum seu qualitatem. Primus est, subito atque ex levi seu parva causa moveri. Secundus, vehementer ex adversitate accendi, ita ut interior motio in vultu, in verbis aut signis appareat : quod est gravius multo. Tertius gradus est, in ipsa commotione diu manere : ex quo rancor seu odium oritur.

Gregorius autem Nyssenus, et post eum Damascenus, ante eos quoque Aristoteles, ponunt tres species iræ. Quarum primam vocant acutam, qua quis repente et facili occasione movetur : ad quam cholerici sunt magis proclives. Secundam vocant amaram, qua quis diu irascitur ex memoria injuriæ sibi illatæ, et propter tristitiam quam ex injuriatione sibi facta concepit : ad quam melancholici proni sunt, quia naturaliter tristes sunt, et pondus gravans portant in corde ut herniosi. Tertiam vocant gravem sive difficilem, qua quis vehementer irascitur ex ingenti affectu se vindicandi, nec quiescit donec ultio fiat. Et ista in superbis præcipue regnat, qui quanto in oculis suis majores sunt, tanto plus reputant irrogatam sibi injuriam, quamvis interdum parva aut nulla sit : ideo non quiescunt neque mitescunt donec se fuerint ulti.

Oritur autem ira ex interiori tristitia, nec appetit quis ultionem, neque turbatur de illata injuria, nisi tristetur ex ea. Ideo perfecte patientes, et qui de suo contemptu persecutioneque gaudent, non irascuntur ex parvipensatione vel despectione inflicta.

Præterea advertendum quod duplex est A ira. Una quæ prævenit, perturbat aut superat rationem : quæ mala est, et vocatur ira per vitium; de qua intelligenda sunt præinducta. Alia appellatur ira per zelum : quæ rationem consequitur, quoniam ratio eam sponte assumit, ut per ipsam fortius exsequatur actus virtutum. Et ista est bona, et ejus defectus exstat culpabilis. Hinc ait S. Gregorius : Tunc robustius ira contra peccata erigitur, dum subdita rationi famulatur : curandum quippe summopere est ne ira quæ ut instrumentum virtutis B assumitur, rationi prædominetur, et ne eam ut domina præeat, sed velut ancilla sequatur.

Ira ergo per zelum est qua ultio desideratur ex caritate et affectu justitiæ, propter culpæ correctionem et peccantis salutem ac conservationem justitiæ, præsertim ne bono reipublicæ derogetur, et ne ex facilitate veniæ mala increscant, et pravi ad injuriandum fiant audaciores. Ira vero per vitium est qua vindicta optatur ex elatione aut inordinato mœrore, seu C propter læsionem aut nocumentum ejus qui forefecit.

Præterea, ira ista per vitium est mortale peccatum ex suo genere ex parte ultionis cupitæ, quando videlicet vindicta desideratur aut exercetur contra justitiæ ordinem et juris processum : sicut in his qui propria auctoritate vel potius præsumptione suam ulciscuntur aut ulcisci optant injuriam, quum tamen teneantur judici ordinario ultionis exsecutionem committere, aut eam omnino propter Deum D dimittere. Rursus ira ista est mortale peccatum, quando in quantitate vindictæ notabiliter excedit sive excedere cupit, pro parva forefactione grandem expetendo vindictam, quod contrariatur justitiæ; item si ultionem seu satisfactionem, quamvis moderatam atque a judice irrogatam, ordinet seu referat in finem perversum, puta in malum injuriatoris : hoc namque caritati contrariatur. Postremo, ira ista potest esse immoderata et mortale peccatum ex nimia vehementia

commotionis irati : ut si irascens tam intense per iracundiam inflammetur, quod ratio sua omnino opprimitur ac succumbit, ita quod a caritate divina excidat aut fraterna, vel per suæ commotionis gestus ac signa alios enormiter scandalizet.

ARTICULUS LV.

Quam detestanda, inhonesta ac fugienda sit ira.

Job v, 2. VIRUM *stultum interficit iracundia.* Quum optimum hominis sit esse et agere secundum rectæ rationis dictamen, De Divin. nom. c. IV. ut divinus Dionysius docet, tanto est ira magis abhorrenda, inhonesta ac evitanda, quanto plus rationem obtenebrat et exstinguit. Ira autem potissime rationem excæcare videtur. Propter quod Hugo per appropriationem loquens : Superbia, inquit, abstulit mihi Deum, invidia proximum, ira me ipsum.

Primo itaque abominanda et repellenda est ira, quia exponit irascentem diversis periculis gravibusque peccatis. Nempe quum privet hominem propriæ rationis judicio, quæ debet hominem cohibere ab omni peccato; ideo exponit hominem universis excessibus gravissimisque periculis. Irascens namque lumine rationis privatus, putat sibi licere omne quod libet, et quidquid suggerit ira : idcirco nec Deum nec hominem reveretur, nec propria pericula intuetur, sed in omne vitium præcipitat semetipsum, ita quod pronus fit ad indignandum, rixandum, convitiandum, lædendum, jurandum et perjurandum, ad præsumendum, contemnendum, pugnandum et interficiendum, imo ad alia innumerabilia mala, quorum quædam infra Prov. XXVII, 4. tangentur. Hinc in Proverbiis fertur : Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?

Secundo detestanda ac fugienda est ira, quia valde injuriosa est Deo. Iracundus namque Dei majestatem nequaquam attendit, nec ejus auctoritati jurisdictionique defert, sed sibi usurpat quod Dei est, qui per Jeremiam testatur : Ego sum judex et testis; per Moysen quoque : Mea est ultio, et ego retribuam. Jer. XXIX, 23. Deut. XXXII, 35. Iracundus autem se ipsum facit judicem et ultorem sui ipsius ac proximi ; nec judicat secundum Dei legem, sed secundum propriam passionem, quasi non sit Deus omnium justus judex. Hinc in Proverbiis scriptum est : Ne dicas, Reddam malum pro malo ; Prov. XX, 22. exspecta Dominum, et liberabit te. In Ecclesiastico quoque asseritur : Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, et Eccli. XXVIII, 1. peccata illius servans servabit.

Tertio abominanda est ira, quia assimilat hominem diabolo. Nempe, ut magnus Dionysius ait, in dæmonibus est phantasia proterva, irrationabilis furor et De Divin. nom. c. IV amens concupiscentia. Et hæc tria in iracundo præcipue reperiuntur. Concipit namque imaginationem severam et ferocem adversus injuriatorem, et instar furentis incitatur ac fervet contra eumdem, appetitque injuste ultionem de eo. Hinc de Assuero rege in libro Esther legitur, quod ardentibus oculis furorem pectoris sui Esther XV, 10. monstravit. Et sanctus Job loquitur : Hostis meus terribilibus oculis intuitus est Job XVI, 10. me. Christus quoque in Psalmo : Frenduerunt (inquit) super me dentibus suis. Ps XXXIV, 16.

Quarto vitanda et exsecranda est ira, quia per eam fit homo proximis et domesticis suis valde gravis, intolerabilis, turbativus et scandalosus, sicut ex præallegata Salomonis constat auctoritate. Unde in Proverbiis rursus habetur : Spiritum Prov. XVIII, 14. ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Et denuo in Proverbiis Salomon ait: Iracundus provocat rixas ; qui autem pa- Ibid. XV, 18. tiens est, mitigat suscitatas. Et in Ecclesiastico ait Scriptura : Homo iracundus Eccli. XXVIII, 11. incendit litem, et vir peccator turbabit pacem. Et iterum Salomon contestatur : Grave est saxum, et onerosa arena ; sed Prov. XXVII, 3. ira stulti utroque gravior. Specialiter vero ira facit hominem ad sodalitatem et familiaritatem ineptum : quia faciliter of-

fenditur et offendit, sicque societatis ac A familiaritatis vinculum rumpit atque comburit ; et periculosum est conversari cum eo, ne quis occasione suæ societatis involvatur litibus, guerris, ac ceteris ejus periculis. Hinc in Proverbiis consulitur : (Prov. xxii, 24, 25.) Noli esse amicus homini iracundo, ne forte discas semitas ejus ; in Ecclesiastico (Eccli. viii, 9.) quoque : Cum iracundo non facias rixam, et cum audace non eas in via.

Quinto vitanda ac abjicienda est ira, quia graviter multipliciterque nocet suo subjecto. Nam oculum mentis corrumpit, B rationis judicium evertit, omni gratia Spiritus Sancti et ejus inhabitatione dulcissima hominem privat, sapientiam aufert, ipsumque irascentem insano, furibundo ac fatuo efficit similem. Sumitur autem nunc ira prout furorem impatientiamque includit. Hinc in libro Job dicitur : (Job xv, 2.) Numquid sapiens implebit ardore stomachum suum? Itemque alibi in eodem : (Ibid. xviii, 4.) Quid perdis animam tuam in furore tuo ? Et Salomon ait : (Prov. xiv, 17.) Impatiens operabitur stultitiam. Iratus namque, ratione in se per passionem C cæcata, non pensat quid qualiterque agendum sit, neque advertit quam indecenter, inhoneste ac stulte se habeat. Idcirco diabolus valde conatur hominem ad iracundiam provocare, et multum delectatur in ea. Quemadmodum enim corvus primo festinat oculum vulpis perfodere, et sicut aranea morsu suo aufert in primis caput muscæ ; sic dæmon primo festinat mentem obtenebrare per iram, certus quod mente sic excæcata, faciliter trahet hominem ad diversa peccata. Hinc quidam san- D ctus eremita asseruit : Iracundus Deo placere non potest, etiam si mortuos suscitet. Et ubique valde inhonestum ac stolidum est, cito moveri ad iram, et eam per signa ostendere, quum Salomon dicat : (Ibid. xii, 16.) Fatuus statim indicat iram suam ; et denuo : (Ibid. xiv, 29.) Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam. Iracundus quoque igne suæ commotionis comburit in se omnem virtutum virorem, et templum Spiritus Sancti incendit, imo et eum de cordis sui expellit hospitio ; et universos præsentes inquietat, turbat et scandalizat, sicque cooperatur diabolo ad aliorum ruinam.

Sexto abjicienda est ira, quoniam parificat hominem venenosis ac vilibus brutis. Iracundus quippe instar draconis ignem suæ insaniæ per verba et signa aut etiam facta de proprio ejicit ore, et eos quos tangit, frequenter incendit ac lædit ; et tanquam serpens venenum suæ inflammationis vomit, ac sibilat et inficit alios ; atque ut canis mordet se vindicando, et latrat rixando ac convitiando. Hinc ergo cum omni diligentia et conatu semper vitetur hæc serpentina, canina ac diabolica passio.

ARTICULUS LVI.

De filiabus iræ, et ejus effectibus.

MEMENTO *novissimorum* tuorum, *et desine inimicari, et non irascaris proximo* tuo, et *abstine te a lite.* (Eccli. xxviii, 6, 8, 10.) S. Gregorius ponit sex filias iræ, quæ sunt : indignatio, tumor, clamor, contumelia, rixa, blasphemia.

Ex ira quippe oritur *indignatio,* in quantum iratus reputat alium indignum ut aliquid sibi displicens aut contrarium agat : sicque indignatio videtur esse aspernatio quædam alterius, eo quod tale quid agit. Ad hanc iræ filiam singulariter proni sunt animosi, et qui sibi magni et sapientes ac excellentes videntur, qui alios apprehendunt atque inspiciunt tanquam longe inferiores. Propter quod Salomon dixit : (Eccle. i, 18.) In multa sapientia multa est indignatio. Verumtamen intelligendum est hoc de sapientia acquisita, humana, carnali, non de sapientia vere spirituali, salutari, infusa, quæ est donum Spiritus Sancti : quæ quanto plus in aliquo abundaverit, tanto humiliorem efficit eum, quoniam ex contemplatione salubri infinitæ altitudinis et eminentiæ Dei facit hominem in propriam parvitatem defectuositatemque resilire. Hinc in Proverbiis scriptum est : (Prov. xi, 2.) Ubi hu-

militas, ibi et sapientia. Jacobus quoque A
Jacob. III, 13. apostolus in sua scribit Canonica : Quis sapiens et disciplinatus inter vos ? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quemadmodum enim mansuetudo et patientia signa sunt veræ sapientiæ, sic ira et impatientia, earumque filiæ, scilicet zelus amarus, contentio, indignatio, signa sunt insipientiæ, quæ salutari sapientiæ exstat contraria. Propter quod rursus Jacobus dicit :
Ibid. 14-16. Si zelum amarum habetis et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces B esse adversus veritatem ; non est sapientia ista desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica : ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Insuper *tumor* mentis ex ira procedens, est exaltatio qua irascens se intra se erigit comparatione ejus cui indignatur, vel audacia insurgendi adversus illum. Quocontra in Ecclesiastico scriptum
Eccli. VII, 19. est : Humilia valde spiritum tuum, quoniam vindicta impii ignis et vermis. Apud
Job XV, 12. Job quoque fertur : Quid te elevat cor C
Eccli. VI, 2. tuum ? Et denuo in Ecclesiastico : Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus. Porro ex indignatione et tumore oritur irrationabilis *clamor* contra forefacientem. Contra quæ omnia hortatur Apo-
Ephes. IV, 31. stolus : Omnis indignatio et ira et amaritudo et clamor tollatur a vobis cum omni malitia. *Contumelia* demum est illatio injuriosorum verborum publice prolata in alium : quæ est mortale peccatum, et gravior detractione, sicut rapina est enor-
q. LXXIII, a. 3 ; q. LXVI, a. 9. mior furto, prout Thomas in secunda se- D cundæ declarat. Per *rixam* vero prout est filia iræ, potest intelligi quæcumque contentio aut lis, seu vindicta aut nocumentum alteri irrogatum. Estque contentio ex suo genere mortale peccatum, quia inter
Galat. V, 20, 21. mortalia ab Apostolo numeratur. Qui ite-
II Tim. II, 14. rum præcipit : Noli verbis contendere : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem
Prov. XX, 3. audientium. Et in Proverbiis legitur : Honor est homini qui separat se a contentionibus. Interdum autem ira in tantum excrescit, quod in *blasphemiæ* verba prorumpit : quod prorsus gravissimum est.

Præterea Climacus filias iræ assignans : Filiæ, inquit, iræ sunt : memoria malitiæ Scal. parad. grad. VIII. (id est injuriæ irrogatæ), vindicta, inimicitia, justificatio in propriis verbis (id est excusatio sui ipsius, imo et accusatio aliorum), amor et odium. Irascens enim amat eum qui sibi adsistit contra injuriantem, et odit quandoque se parvi pendentem. Imo, ut tactum est, alia plura mala oriuntur ex ira. Sed et revelatio secretorum, infidelitas, oppressio infirmorum, ex ira nascuntur.

Vitemus ergo et abhorreamus hanc pravissimam matrem et filias ejus mortiferas: quia, ut ait Scriptura, qui ad indignandum est facilis, erit ad peccandum procli- Prov. XXIX, 22. vior ; et homo assuetus in verbis impro- Eccli. XXIII, 20. perii, omnibus diebus suis non erudietur.

ARTICULUS LVII.

Contra iram, ex sacra Scriptura.

MALEDICTUS *furor eorum, quia pertinax* est ; *et indignatio, quia dura.* Gen. XLIX, 7. Verba hæc protulit sanctus patriarcha Jacob ad litteram de Ruben et Levi filiis suis : qui in ira sua contra Sichimitas concepta, fuerunt valde immansivi et pertinaces ; indignationem quoque suam contra illos apprehensam, severiter ad vindictam sunt prosecuti. Ex quibus verbis elicitur, quod talis furor talisque indignatio sint culpæ mortales, ideo summe vitandæ. Quod si in aliquo nostrum orta fuerit subita ira aut indignatio repentina, absit tamen ut pertinax sit in eis, sed protinus eas abjiciat.

Denique lex Moysis fuerat lex rigoris. In qua inter cetera dicebatur : Diliges ami- Matth. V, 43. cum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Nihilo minus in Levitico Dominus jussit : Non quæres ultionem, nec memor Lev. XIX, 18. eris injuriæ civium tuorum. In quibus verbis prohibetur non solum vindicta, sed etiam memoria illatæ injuriæ. Hinc in Genesi Joseph pius et mitis locutus est fra-

Gen. XLV, 24. tribus suis : Ne irascamini in via. Et Jacobus in sua ait Canonica : Sit omnis homo tardus ad iram. Subditque causam : Ira enim viri justitiam Dei non operatur. In quibus verbis minus dicit, et majus insinuat. Quasi dicat : Ira inducit hominem ad faciendum contra justitiam Dei, quia excedit tam in vindicando quam in modo vindictæ, ut patuit. Semper etenim passiones abducunt hominem a medio rationis atque virtutum, nisi rectæ rationis judicio refrenentur. Idcirco in Job habetur : Non te superet ira, ut aliquem opprimas. In Ecclesiastico quoque : Ira et furor exsecrabilia sunt ; et rursus : Secundum ligna silvæ, sic exardescit ignis, et secundum virtutem (id est potestatem) hominis, sic iracundia illius erit, et secundum substantiam suam exaltabit iram suam. Potentes namque et divites ad iram sunt proniores. In Ecclesiastico item alibi edocetur : Omnis injuriæ proximi ne memineris. Et alibi in eodem : Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam ? In hominem sibi similem non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur Altissimum ? Quis exorabit pro illo ? In quibus sapientissimis verbis tria tanguntur. Unum est, quam irrationabile sit quod unus homo gerit iram in corde contra alium. Secundum est, quod talis non habet faciem exorandi pro se ipso ad Deum. Tertium est, quod iram servare adeo est enorme, ut vix aliquis possit orare pro taliter irascente.

(*Jacob.* I, 19. — *Ibid.* 20. — art. LIV. — *Job* XXXVI, 18. — *Eccli.* XXVII, 33. — *Ibid.* XXVIII, 12. — *Ibid.* X, 6. — *Ibid.* XXVIII, 3-5.)

Rursus in Ecclesiastico scriptum est : Zelus et iracundia minuunt dies ; objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam. Iracundus quippe alteri convitiando aut injuriando, incurrit sæpe magnum etiam in temporalibus damnum. Hinc iterum scriptum est in Ecclesiastico : Iracundia animositatis hominis subversio ejus est. In Proverbiis quoque : Qui impatiens est, sustinebit damnum. Impatiens enim seu iracundus, irascendo perdit gratiam Dei, et mititatis virtutem ac meritum, imo et animam suam. Ideo recte in Ecclesiastico asseritur : Væ illis qui perdiderunt sustinentiam.

(*Ibid.* XXX, 26. — *Ibid.* XXI, 5. — *Ibid.* I, 28. — *Prov.* XIX, 19. — *Eccli.* II, 16.)

Denique Christus in Evangelio loquitur : Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio ; qui autem dixerit, Raca, reus erit consilio ; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis. In quibus verbis ponit tres gradus circa reatum iræ. Nam ubi creverit ordo culpæ, crescit et ordo sententiæ. Etenim in primo horum trium est ira tantum : cui debetur judicium, quod est discussio causæ. In secundo est ira et vox indignationis confusa : cui debetur consilium, quod est definitio sententiæ. In tertio est ira et vox certam vituperationem designans : cui debetur æterna damnatio. Hinc rursus Salvator omnem indignationem, iram, ultionem rancoremque prohibens, ait : Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, etc. ; itemque in alio loco : Si non remiseritis hominibus, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Quumque B. Petrus dixisset ad eum : Domine, quoties peccabit frater meus in me, et dimittam ei ? usque septies ? Christus respondit : Non dico tibi, Usque septies ; sed, Usque septuagies septies : id est, quotiescumque peccaverit in te, semper dimittes ei ad minus ipsam offensam seu culpam, ex caritate qua diligere teneris eum. Quid ad hæc dicturi sunt qui nec semel volunt ignoscere ?

(*Matth.* V, 22. — *Ibid.* 23. — *Ibid.* VI, 15. — *Ibid.* XVIII, 21. — *Ibid.* 22.)

Postremo, de ira per zelum, quæ bona est, scriptum est in Ecclesiaste : Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. De qua etiam in Marco fertur : Circumspiciens Jesus eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum ; atque in Psalmo : Irascimini, et nolite peccare.

(*Eccle.* VII, 4. — *Marc.* III, 5. — *Ps.* IV, 5.)

ARTICULUS LVIII.

Contra iram, ex dictis sanctorum Patrum.

N*UNC autem deponite iram, indignationem* et *turpem sermonem de ore vestro*. Quum ira sit tam vehementer pe-

(*Coloss.* III, 8.)

riculosa, vitanda, tantorumque vitiorum introductiva, sancti Patres contra eam copiose locuti sunt. Ait quippe Ambrosius : Incentivum ad male agendum iracundia aut cupiditas esse solet. Hieronymus quoque : Quid, inquit, iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitat conscientiæ stimulis, sicque ab omni consilio ac mente deturpat, ut dum irascitur, insanire credatur ?

De qua ira ait Gregorius : Per iram splendor Spiritus Sancti excutitur *, qui super humilem et quietum requiescere perhibetur : quia dum ira quietem menti subtrahit, habitationem suam Spiritui Sancto claudit. Per iram quoque sapientia perditur, ut quid et quo ordine agendum sit, non pensetur. Iterum dicit : Per iram justitia vera relinquitur, gratia vitæ socialis amittitur, virtus mansuetudinis perditur, lux veritatis deseritur. Rursus, inter iram per zelum et iram per vitium distinguens, affirmat : Alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus format ; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Ira per vitium, oculum mentis excæcat ; ira per zelum, eum aliqualiter turbat.

*excluditur

Is. LVII, 15 ; LXVI, 1, 2.

De qua ira per zelum ait Chrysostomus : Si ira non fuerit, doctrina non proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur. Patientia namque irrationabilis vitia seminat. Hoc est quod ait Bernardus : Non irasci ubi irascendum est, est nolle emendare peccatum ; plus vero irasci, est peccatum peccato augere.

Isidorus quoque disseruit : Si non potes iram in toto vitare, tempera eam ; si non potes furorem cavere, cohibe eum. Tene silentium : tacendo etenim citius vinces.

Insuper scribit Bernardus : Iracundiæ spiritum non aliud reor quam draconem, qui immanis est bestia, igneo flatu necans quidquid attigerit, non tantum bestias terræ, sed et volucres cœli. Quam multi qui videbantur esse vitæ sublimis, flatu hujus draconis miserabiliter sunt exusti, qui utilius sibi ipsis irasci poterant ne peccarent ! Naturalis quippe affectio hominis ira est ; sed abutentibus ea, est naturæ gravis perditio et miseranda pernicies. Nolite irasci eis qui vobis transitoria auferunt, qui convitia inferunt aut infligunt supplicia, et præter ista nil faciunt. Ostendam autem vobis cui debeatis irasci. Irascimini ei quæ sola potest nocere, solaque facere ut omnia illa non prosint. Vultis scire quænam illa sit ? Iniquitas propria. Ita dico vobis : Huic irascimini. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui huic perfecte irascitur, ceteris non movetur.

Insuper Cassianus libro octavo de Institutis Patrum et octo principalibus vitiis, ait : Magno certamine virus iracundiæ de nostris animabus est funditus eruendum. Ira namque in nostris cordibus residente et oculum mentis noxiis tenebris obcæcante, non poterimus judicium rectæ rationis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum aut maturitatem consilii possidere, nec esse valebimus vitæ participes, nec æquitatis tenaces, nec spiritualis lucis capaces, nec esse poterimus sapientiæ veræ participes, quamvis omnium ore sapientes dicamur : quia ira in sinu insipientium requiescit. Nec justitiæ moderamina valebimus obtinere perspicaci discretione cordis, licet perfecti et sancti opinione omnium æstimemur : quia ira viri justitiam Dei non operatur. Nec consilii maturitatem consequemur : quia vir iracundus agit sine consilio. Nec a perturbationibus noxiis erimus quieti, nec immunes a peccatis : quia vir animosus parit rixas, vir autem iracundus effundit peccata. Verumtamen propriis peccatis irasci debemus, et contra hæc indignari, quod scilicet cogitare audeamus illicita. Nec ita debet quis aliorum peccata velle sanare, ut se ipsum gravius lædat per immoderantiam iræ.

cap. 1.

Eccle. VII, 10.

Jacob. I, 20.

Prov. XIV, 17, juxta LXX.

Ibid. XXIX, 22, juxta LXX.

cap. 7.

cap. 5.

Hinc ait et Climacus : Ira est deformitas morum et animæ inhonestas. Quidam per iram leviter dejecti, negligenter se habent circa ejus curationem. Ira est acutus hominis motus, in uno momento granum

Scal. parad grad. VIII.

animæ et fructum vitæ exterminans. Ira est succensio flammæ a spiritu vehementi in brevi accensa, agrum cordis comburens ac perdens. Iracundus, est arrepticius spontaneus ex non voluntaria arreptione diruptus, consternatus et cadens. Nihil ita inconveniens ac indecens est pœnitenti, ut ira conturbans. Conversio namque multa indiget humilitate; ira autem seu furor, elationis est argumentum. Quemadmodum plenitudo mansuetudinis est, tranquillo corde atque amabili affectione affici ad ipsum injuriantem, etiam ipso præsente; B sic plenitudo iræ et impatientiæ est, hominem solum exsistentem, verbis et gestibus contra injuriantem pugnare, et quasi feraliter contra ipsum insurgere. Quum Spiritus Sanctus sit pax cordis, et ira perturbatio ejus, nihil sic impedit adventum Spiritus Sancti in nos sicut ira. Vidi quosdam secundum apparentiam longanimiter sustinentes, et ex silentio intus memoriam injuriæ ac livorem reponentes; et miserabiliores eos dixi furentibus. Iracundus tanquam lupus universum gregem sæpe per- C turbat, et animas multas plagat. Crudele est, animæ oculum ex furore turbare; crudelius vero, labiis impetum animæ demonstrare; crudelissimum autem, manibus invadere.

Insuper, de memoria illatæ injuriæ, filia iræ, Climacus scribit : Memoria malitiæ (id est injuriæ) consummatio est furoris, vitiorum custos, justitiæ odium, virtutum perditio, sagitta et rubigo venenumque animæ, vermis mentis, orationis confusio, obsecrationis destitutio, caritatis alienatio, D clavus cordi infixus, amaritudo spiritus, indesinens peccatum, non dormiens iniquitas, continua quoque malitia. Confundat eam Jesu Christi oratio (puta Oratio dominica, in qua dicitur : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos, etc.; itemque oratio qua pro suis crucifixoribus oravit in cruce). Vere immemor eris injuriæ, non quando pro injuriante oraveris, neque dum ei munera tribueris, nec quando ipsum ad mensam tuam adduxeris, sed

[Scal. parad. grad. IX.] [Matth. VI, 12.] [Luc. XXIII, 34.]

A quando super eum spiritualiter aut corporaliter lapsum seu tribulatum dolueris atque ploraveris sicut super te ipsum. Memor injuriæ circumfert in se ipso venenum mortiferum; abjiciens eam, invenit indulgentiam; adhærens ei, privatur misericordiis Dei. Quidam tradiderunt se ipsos doloribus atque sudoribus, ut veniam mererentur; sed injuriæ immemor vincit eos. Signum pœnitentiæ nobilis ac probatæ, est oblivio injuriæ; qui autem inimicitiam detinet et pœnitere videtur, similis est ei qui se currere putat in somno.

ARTICULUS LIX.

De remediis contra iram.

SUPPORTATE *invicem, donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis.* Quum ira sit homini tam nociva, diligenter pensanda sunt ejus remedia. Quorum primum est, solerter advertere quod ira in se ipsa tam distorta, pœnalis atque deformis est, tamque nociva suo subjecto seu irascenti, et tot ac tanta peccata introducens in eum : quibus rite pensatis, homo protinus iram tanquam infernale venenum abhorret ac vitat seu rejicit. Quis enim prudenter considerans, rem admittat ita nocivam?

[Coloss. III, 13.]

Secundum remedium est, rite perpendere quæ, quanta et qualia Filius Dei innocenter ac patientissime tulit. Si etenim passio Christi et patientia ejus ac mansuetudo ad memoriam reducantur, nihil tam durum sive adversum est, quod non æquanimiter toleretur, secundum Gregorium et Bernardum. Hinc Climacus ait : Memoria passionum Jesu Christi sanat animam injuriæ memorem, et ex patientia Christi erubescit.

[Scal. parad. grad. IX.]

Tertium est, propria peccata præterita, quotidiana quoque et innumerabilia, vigilanter multotiesque pensare ac ponderare. Quod qui fecerit, aliorum peccata et illatas sibi injurias seu quodcumque

contristans vix advertet ita ut inde irrationabiliter irascatur. Quemadmodum enim amor spiritualis expellit carnalem, et timor divini judicii ac inferni, timorem inordinatum ac puerilem; sic ira bona contra proprias culpas, iram pravam expellit. Ideo dicit Bernardus : Occupemus iram in quibus expedit, ne forte ad inutilia illicitaque prorumpat. Sic nimirum solet amor expugnare amorem, et timor timore depelli. Unde quod aliqui tam acriter atque faciliter de aliorum defectibus irascuntur, est quia proprios non attendunt. Rursus, qui propria vitia efficaciter intuetur, omni tribulatione et afflictione dignum se arbitratur : idcirco nec injurianti irascitur.

Quartum est, prudens præconsideratio contristabilium rerum quæ possunt accidere, et ita ante earum eventum et impugnationem se præparare ad mansuetudinem, patientiam spiritualemque pugnam. Nempe qui ante pugnam non est paratus nec eruditus ad eam, faciliter expugnatur. Ideo dictum est : Jacula prævisa minus feriunt. Atque, ut Seneca loquitur, sapienti nil esse debet inopinatum. Et Salomon contestatur : Non contristabit justum quidquid ei acciderit. *Prov.* XII, 21.

Quintum est, se ipsum seu alium ab iracundiæ et impatientiæ verbis reprimere, ne perversa locutio se ipsum aut alios magis accendat. Ideo in Proverbiis asseritur : Qui imponit stulto silentium, mitigat iras. *Ibid.* XXVI, 10. Hinc auctor naturæ duo ostia contulit linguæ, videlicet dentes ac labia, ne cito ad periculosa verba prorumpat.

Sextum est, bene adspicere quod tam saluberrimum est pati adversa, quæ sunt animæ purgativa, et quod omnes electi per varias adversitates salvati sunt : *Judith* VIII, 23. ideo iracundus sive impatiens, de lima purgationis facit sibi materiam inquinationis.

Septimum est, consideratio sapientialis providentiæ Dei, sine cujus dispositione ac voluntate nil accidit nobis, et qui per adversa suos purgat electos, imo per talia suum ad nos pandit amorem (sicut in Apocalypsi fatetur : Ego quos amo, arguo et castigo), *Apoc.* III, 19. et tanquam sapientissimus atque piissimus medicus, talia tanquam medicinalia adhibet aut permittit suis accidere. Ad quod innuendum locutus est Christus : Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? *Joann.* XVIII, 11. Michæas quoque propheta : Iram (inquit) Domini portabo, quia peccavi ei. *Mich.* VII, 9. Et in libro Judith habetur : Non ulciscamur nos pro iis quæ patimur; sed existimantes hæc ipsa minora esse peccatis nostris, flagella Domini, tanquam servi qui corripimur, ad emendationem et non ad perditionem nostram evenisse credamus. *Judith* VIII, 26, 27.

Octavum est, injuriam dissimulare, seque ad alia bona convertere, et in illis se occupare, imo et considerare quod injuriator multo plus nocet sibi ipsi quam alteri, et ideo condolendum est ei.

Nonum est, consideratio proprii status, videlicet quod nescimus diem neque horam; *Matth.* XXV, 13. quod item durissimum judicium Dei instat irascentibus, et quod orationes atque oblationes eorum Deo non placent ita ut sint meritoriæ eis.

Decimum est, bonus pudor quo homo verecundatur signa iræ et impatientiæ coram aliis demonstrare, eosque scandalizare, et propriam insipientiam propalare. Ideo in Proverbiis scriptum est : Honor est homini qui separat se a contentionibus; *Prov.* XX, et in Ecclesiastico : Est confusio adducens gratiam et gloriam. *Eccli.* 25. Nempe, ut Salomon dicit, stultus statim indicat iram suam, et os fatuorum ebullit stultitiam, *Prov.* X 16; XV, hoc est, os iracundorum et impatientium evomit irrationabilia ac fatua verba.

Undecimum est, dare se ad orationes, psalmodias, et consimiles actus. Imo invocatio Dei est generale remedium contra omne peccatum.

Postremo, omnia ista remedia etiam contra impatientiam valent; nec solum sunt iræ et impatientiæ curativa et expulsiva, sed etiam mansuetudinem patientiamque inducunt, fovent, perficiunt.

ARTICULUS LX.

Quid sit acedia, et de speciebus seu gradibus ejus.

Rom. XIII, 11. HORA *est jam nos de somno surgere.* Jam de acedia, quæ est una culparum mortalium, est agendum. Itaque acedia proprie sumpta, prout est speciale ac mortale peccatum, est tristitia aggravans mentem ex torpore seu tædio aggrediendi aut prosequendi opus bonum spirituale divinum, seu tarditas ad Dei obsequium, B prout Thomas declarat in secunda secundæ, quæstione tricesima quinta (art. 1, 2). Hinc libro secundo asserit Damascenus, quod acedia est tristitia animum gravans, ita ut nil boni agere libeat, imo bonum debitum facere tædeat. Idcirco opponitur gaudio spirituali quod ex caritate procedit, quo quis in virtuosis actibus ex Dei amore lætatur, juxta illud Apostoli : Gaudete in Domino semper (Philipp. V, 4). Quemadmodum enim gaudium ex caritate procedens, est delectatio consequens actum ex caritate elicitum aut im- C peratum circa Dei honorem, ita acedia est tristitia de bono opere spirituali in quantum est divinum seu ad Dei honorem relatum ; et inde habet rationem specialis peccati : nam respicit bonum spirituale non absolute, sed in quantum divinum.

Insuper constat ex iis, quod hæc tristitia ex suo genere sit mortale peccatum : quia directe opponitur caritati, quum sit tædium exercendi spiritualia ac divina ; directe quoque contrariatur devotioni, quæ D est promptitudo atque alacritas mentis ad ea quæ Dei sunt. Sed sicut in aliis peccatis ex genere suo mortalibus primi motus sunt veniales, et similiter actus aliqui ob suam parvitatem, ita in acedia. Si autem consenserit ratio in horrorem et fugam seu tædium boni spiritualis, fit acedia culpa mortalis.

Hinc scribit Thomas de Argentina : Acedia est languida utriusque hominis seu corporis et animæ dejectio de laudabili A virtutum exercitio. Et in vitio isto sunt duo. Unum est aversio a spirituali bono, quod grave seu arduum reputatur, sicut est jejunare ; et ratione hujus vocatur tristitia. Aliud est conversio ad bonum caducum, scilicet ad inordinatam quietem, quæ facilis æstimatur ; et ratione hujus appellatur acedia. Et ratione primi, contrariatur spirituali lætitiæ ; ratione secundi, fortitudini, ad quam pertinet viriliter aggredi ardua et sustinere magna pericula.

B Præterea, in Profectu religiosorum ponitur triplex acediæ species. Prima est quædam mentis amaritudo, qua illi nihil lætum aut salubre libet, sed tædio pascitur, hominumque fastidit consortium. Hanc vocat Apostolus tristitiam sæculi, quæ mortem operatur (II Cor. VII, 10), et ad desperationem ac diffidentiam est proclivis, imo interdum ad sui ipsius occisionem instigat. Secunda species est tepor animi, qui somnum et omnia corporis commoda amat, horretque labores et fugit operationem, ac otio C delectatur : quæ proprie nuncupatur pigritia. De qua in Evangelio legitur : Servum pigrum projicite in tenebras exteriores (Matth. XXV, 30) ; in Proverbiis quoque : Pigredo immittit soporem (Prov. XIX, 15). Tertia species acediæ est quæ solum fastidit ea quæ Dei sunt, atque ad alia omnia agilis alacrisque consistit. Nihil ei molestius aut magis insipidum est quam orationi, psalmodiæ, meditationi divinæ et spiritualibus actibus immorari : imo a talibus festinanter pro posse se expedit, et corde vago talia agit, D aut penitus negligit ea ; ludis vero, jocis et fabulationibus et consimilibus delectatur ac pascitur. Hæc regnat in eis qui quum spiritu cœperint, carne consummantur (Galat. III, 3) ; qui ad exteriora, carnalia et mundana fortes sunt et vivaces, ad interiora vero ac spiritualia sunt infirmi et quodammodo mortui ; in quibus caro dominatur spiritui, sensualitas rationi. De quibus dicitur ad Romanos : Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt (Rom. VIII, 5) ; ad Corinthios quoque : Animalis homo non (I Cor. II, 14)

percipit ea quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi. A

ARTICULUS LXI.

Quam detestandum ac odiendum vitium exstet acedia.

Apoc. III, 15, 16. UTINAM *frigidus esses aut calidus. Sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Istud est verbum Dei in Apocalypsi ad omnem acediosum. Quam vero abhorrenda et abjicienda sit B infelix acedia omni fideli, ex diversis potest perpendi.

Primo ergo est abjicienda, quoniam in se ipsa est dura et afflictiva, quum sit quædam tristitia animum gravans, quæ menti et corpori maxime nocet, juxta illud Prov. XXV, 20. Proverbiorum : Sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia nocet cordi. Et Ibid. XVII, 22. iterum Salomon contestatur : Spiritus tristis exsiccat ossa.

Secundo, quoniam acedia valde repugnat statui nostro : quia in laqueorum C medio ambulamus, invisibilibus hostibus circumdati sumus, gravissimis circumvallamur periculis ; tot quoque ac tanta a virtute et salute retrahentia intus et extra habemus, quod nequaquam valemus æternam damnationem evadere, nisi omnem abjiciamus acediam atque cum grandi diligentia ac timore serviamus Altissimo. Idcirco ad istud monet nos uberrime sacra Ibid. IV, 23; Mich. VI, 8. Scriptura, dicendo : Omni custodia custodi cor tuum, et sollicite ambula coram Philipp. II, 12. Deo; itemque : Cum metu, tremore D et timore vestram salutem operamini. Nonne fatuus diceretur, qui per campum latronibus et prædonibus plenum iret sine diligentia atque custodia? Quanto magis stolidissimus est censendus, qui per viam præsentis exsilii intimorate acedioseque graditur?

Tertio, quia in via Dei seu bona conversatione non proficere ac progredi, est deficere ac regredi. Ideo qui non repellit omnem pigritiam, non solum non proficit, sed quotidie miserabiliter deficit, innumerabilibusque impletur peccatis. Ideo ait Ambrosius : Nemo cum desidia Christum quærit; et rursus : Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia. Et Leo Papa : Non dormientibus, inquit, nec otio acediaque torpentibus provenit regnum cœlorum, sed vere ferventibus et indefesse laborantibus beatitudo æterna conceditur. Eusebius quoque Emisenus testatur : Spiritus Sanctus respuit indevotum, contemnit ingratum, abhorret acediosum.

Quarto, quia acediosus maximum detrimentum incurrit in præsenti sæculo et futuro. Aut enim opus Dei omnino omittit; et tunc inæstimabilem damnationem meretur ac incidit. Aut facit illud, sed negligenter, tarde et quasi invite; et tunc parum aut nihil apud Altissimum promeretur, quum Jeremias testetur : Maledictus Jer. XLVIII, 10. qui facit opus Dei negligenter. Si autem facit opus Dei cum veniali acedia, adhuc incurrit multiplex damnum : quoniam eadem opera bona agendo, magis laborat quam vir fervens ac diligens, et tamen multo minus meretur quam ille, tam de gratiæ gratum facientis incremento, quam de æterno essentiali præmio, quod correspondet non majori labori, nec operi abundantiori, nec tempori diuturniori, sed sinceriori ac intensiori caritatis affectui promptiorique voluntati.

Quinto, quoniam omnis creatura bene disposita, tam superior quam inferior, tam intellectualis quam non intellectualis, tam animata quam inanimata, prompte obedit Deo, et sua indesinenti obedientia docet ac monet Deo prompte esse obediendum. Omnes namque cives superni et angeli sancti suo in omnibus promptissime obediunt Creatori. Similiter omnes orbes cœlestes, sidera ac planetæ, juxta Dei imperium eis semel factum, incessabiliter currunt ac velocissime parent; elementa quoque et mixta. Semel etenim dixit Deus, Germinet terra herbam virentem, producant aquæ reptile; et usque in præsens Gen. I, 11, 20. sic faciunt. Hinc in Proverbiis Salomon

proponit homini exemplum formicarum, A quatenus detestetur ac vitet omnem acediam, et fervens ac agilis sit in bonis : Prov. vi, 6- Vade (inquiens) ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam : quæ quum non habeat ducem nec præceptorem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. Quanto magis homo, tanquam rationalis creatura, suo deberet Creatori in omnibus promptissime obtemperare, et tanto plus quanto plura atque majora a Deo beneficia est sortitus ?

Sexto abhorrenda ac devitanda est nobis acedia exemplo amatorum sæculi hujus, et eorum qui ex indigentia aut necessitate ministrant hominibus : qui tam ferventer et laboriose conantur placere suis principibus aut etiam feminis, et tam prompte obediunt dominis suis. Qualia agunt bellatores ac milites ad complacendum suis principibus. Unde legitur secundo Regum, quod David desiderante potum cisternæ quæ erat in Bethlehem, tres ex militibus ejus irruperunt per castra hostium, attuleruntque aquam. Hinc S. Nonnus episcopus, viso ornatu Pelagiæ meretricis, amarissime flevit, dicens : Quia non habeo tantum conatum placendi Deo ut ista hominibus. (II Reg. xxiii, 15, 16.)

Septimo, quoniam ipse Christus in sæculo isto tantum pro nostra laboravit salute cum indesinenti fervore. Nam et fatigatus fuit ex itinere ; dixitque passione instante : Pater, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam. Sic et omnes Sancti cum tam inexplicabili vigilantia et D ardore, sollicitudine et filiali timore obsecuti sunt Deo perseveranter et indefesse. Et valde turpe est nobis, quod cum illis volumus præmiari ac coronari, cum quibus recusamus efficaciter laborare fortiterque certare. Ideo ait Joannes apostolus in prima sua epistola : Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Christus quoque apud Joannem ait : Qui mihi ministrat, me sequatur. (Joann. iv, 6. — Ibid. xvii, 4. — I Joann. ii, 6. — Joann. xii, 26.)

Octavo, quoniam dæmones indesinenter nituntur nos ad acediam trahere, quæ maxime placet eis, quum sint maximi inimici divini honoris. Hinc Christus post cœnam suam novissimam tres Apostolos sibi familiariores ter monuit ut vigilarent et orarent, ne in tentationem intrarent. (Matth. xxvi, 37-44.)

Nono, quoniam omnium dominator Altissimus tam specialiter detestatur ac odit acediam, ut patet ex themate hujus articuli. Unde et alibi in Apocalypsi ait cuidam : Habeo adversum te quod caritatem B tuam primam reliquisti ; memor esto itaque unde excideris, et pœnitentiam age : alioqui venio tibi cito. In Evangelio quoque ait de servo pigro : Tollite ab eo talentum, et projicite eum in tenebras exteriores. Ad quod designandum, maledixit ficulneæ in qua non invenit fructum, sed folia tantum. (Apoc. ii, 4, 5. — Matth. xxv, 28, 30. — Marc. xi, 13, 14.)

Decimo, quia acedia multipliciter valde hominibus nocet, eosque replet magna vilitate, multiformi stoliditate, paupertate corporali ac spirituali. Acediosus quippe C tempus sibi ad bene agendum ac pœnitendum indultum, infructuose pertransit et miserabiliter perdit. Variis tentationibus patet. Occupatus namque tentatur a dæmone uno, otiosus a multis. Diabolo exhibet acediosus in se locum : imo est quasi pulvinar diaboli. Hostibus suæ salutis non resistit, sed acquiescit ; nec fures animarum repellit : imo cumulum vitiorum jugiter colligit, auget et continet in se ipso. Cum omni ergo instantia et fervore abjiciamus damnosissimam istam acediam.

ARTICULUS LXII.

De filiabus acediæ.

PER agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti ; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat : quod quum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam. Ager hominis pigri, intelligi potest (Prov. xxiv, 30-32.)

cor ejus, in quo semen verbi cœlestis est seminandum atque virtutes plantandæ sunt. Vinea quoque hominis stulti, mens seu anima ejus accipitur, in qua crescere debent botri fortes ac saporosi, id est virtus justitiæ et sapientiæ donum. Sed agrum hunc istamque vineam replent urticæ ac spinæ in homine acedioso, videlicet passiones amaræ, indignatio, ira, acedia, rancor, et consimilia vitia.

Denique, quamvis nullum sit vitium quod non oriatur interdum ex ipsa acedia, Gregorius tamen specialiter ponit sex acediæ filias. Prima est pusillanimitas, qua homo tardus et tædiosus efficitur ad consilia perfectionis aggredienda aut prosequenda loco et tempore opportuno. Secunda est desperatio, qua quis ex diffidentia pietatis divinæ et ex consideratione insufficientiæ virium propriarum cadit a spe suæ salutis. Tertia est torpor, quo quis circa observantiam præceptorum pigrescit. Quarta est rancor, id est invidentia quædam aut indignatio, quam concipit acediosus contra eos qui eum ad spiritualia bona agenda inducere aut compellere student. Quinta est evagatio mentis, quam acediosus tempore orationis ac divini Officii sponte admittit aut abjicere non conatur : imo frequenter eam aut etiam aliquam manualem seu exteriorem occupationem assumit, ut minus exoriatur tædium quod sustinet in divinis, et tempus sic transeat quousque se ab illis expediat. Sexta est malitia, qua quis spirituale bonum impugnat seu impedire conatur, quia fastidit illud, et in exterioribus quærit solatiari : quia, ut octavo Ethicorum ait Philosophus, homo naturaliter appetit delectari, et sine delectatione non potest diu manere ; quumque acediosus in divinis et spiritualibus operibus non solum non delectetur, imo etiam affligatur tædio ac mœrore, hinc in exterioribus delectari exquirit, præsertim in cibo et potu, ac fabulatione atque carnalibus, ut asserit Cassianus.

Porro Isidorus ponit alias acediæ filias A septem, quæ sunt : otiositas, somnolentia, importunitas mentis, inquietudo corporis, instabilitas animi, loquacitas et curiositas. Acediosus quippe, quia laborem abhorret, otiositatem amplectitur, somnolentiamque admittit ; et quia non figit cor suum in Deo, importunus est mente, nunc istud, nunc illud inutiliter mente tractando ; et quia invite divino interest cultui, idcirco frequenter hinc inde agitat corpus suum ; estque instabilis corde, verbosus quoque et curiosus, aliorum facta ac defectus B observando, dijudicando memoriterque tenendo, quoniam circa propriæ vitæ discussionem et emendationem prorsus negligens invenitur, ac frivolis suspicionibus, temerariis quoque judiciis occupatur ; atque ex sua otiositate et ceteris vitiis jam præfatis, in alia mala multa ac magna delabitur, de quibus infra tangetur.

Insuper Climacus ponit adhuc alias acediæ filias, quæ sunt : instabilitas seu mutatio loci (qua etiam quidam pigri monachi religiosi nonnunquam afficiuntur ad C cœnobia alia, contra illud Apostoli ad Hebræos : Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam); item inobedientia, oblivio divini judicii, transgressio promissionis. *Scal. parad. grad. XIII.* *Hebr. 25.*

Postremo, Cassianus decimo libro de Institutis Patrum breviter tangit alios quosdam effectus filiasque acediæ : Dum (inquiens) acedia miserabilem obsederit mentem, gignit in ea horrorem loci, cellæ fastidium, et eorum cum quibus conversatur seu aliorum aspernationem, tanquam D negligentium nec spiritualiter satis viventium. Nec sinit hominem in cella sedere, lectioni et compunctioni vacare, sed suggerit egredi et alios visitare, aut visitantium desiderare adventum ; et nisi quis veniat, hinc inde circumspicit, suspirat, et temporis diuturnitate affligitur, ac somni quærit solatium. Nempe quemcumque monachum acedia cœperit superare, faciet vel in cella desidere et infructuose manere, aut de cella excussum faciet jugiter cellas Fratrum et monasteria circuire, ni- *cap. 2, 5.*

hilque aliud procurare nisi ubi et quo colore occasionem refectionis futuræ valeat obtinere : mens etenim otiosi et pigri nil aliud novit excogitare nisi de escis et ventre.

At vero in Summa virtutum et vitiorum habetur : Ad acediam pertinere videntur quindecim vitia ista : tepiditas, mollities, somnolentia, otiositas, dilatio seu tarditas, negligentia, imperseverantia, remissio, dissolutio, incuria, ignavia, indevotio, tristitia, tædium vitæ, desperatio. Quorum omnium magistralem ac propriam distinctionem brevitati studens dimitto.

ARTICULUS LXIII.

De variis causis acediæ.

Prov. vi, 9-11. USQUEQUO, *piger, dormies? Quando consurges de somno tuo? Paululum*, inquam, *dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, ut dormias; et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.* Pigritiam interdum consequitur corporalis exteriorque paupertas, semper vero spiritualis inopia, quæ est virtutum et meritorum carentia, imo et abundantia vitiorum.

art. ix. Denique, quum (juxta præhabita) sit ipsa acedia quædam tristitia de bono spirituali ac divino agendo, contraria spirituali gaudio caritatis; idcirco acedia oritur ex negligentia et omissione eorum quæ magis idonea sunt spirituale gaudium generare et caritatem accendere : quæ sunt, contemplatio Dei, consideratio beneficiorum et promissionum ipsius, et specialiter recordatio horum quæ pro nostra salute Unigenitus Patris assumpsit, fecit ac passus est. Itaque ex negligentia et omissione harum considerationum generatur acedia. Si enim pensemus quod Deus sit dignitatis, honorabilitatis et excellentiæ penitus infinitæ, et item quod ipse omnia diligentissime intueatur, atque infinita reverentia dignus exsistat; merito excutiemus omnem acediam, totisque viribus cum omni humilitate et cordis custodia ministrabimus ei. Rursus, si innumerabilia præclarissima et incomparabilia ejus beneficia nobis collata rite perpendamus, toto conatu ei grati esse nitemur, et obsequemur ei ex corde. Hinc asserit Thomas in secunda secundæ, quæstione tricesima quinta : art. I ad 3um. Causatur autem acedia interdum ex quodam contemptu, quo homo parvi pendit dona sibi a Deo concessa, aliorumque dona immoderate extollit, ac per hoc in quamdam cadit tristitiam, qua bona agere tædet. Ideo debet homo aliorum dona sic magnifacere, ut beneficia sibi data non parvi pendat, sed sciat se Deo non satis posse regratiari, præsertim quoniam Filius Dei tanta fecit pertulitque pro nobis.

Climacus quoque testatur, quod aliquando acedia gignitur ex animæ insensibilitate, interdum ex supernorum oblivione. Scal. parad. grad. XIII. Nempe si digne perpendimus quam inæstimabilem et immensam beatitudinem Deus nobis pro modico obsequio quod ei impendere possumus, promisit ac præparavit in cœlis, omnem mox acediam fugiemus alacresque reddemur. Hinc, teste Gregorio, ex inconsideratione futuræ remunerationis quandoque acedia habet originem. Præterea, quoniam homo movetur ad bona agenda, non solum amore boni atque intuitu præmii, sed et timore supplicii ac pavore divini judicii, idcirco ex inconsideratione seu oblivione districti ac metuendissimi judicii Dei et pœnarum inferni frequenter generatur acedia; itemque ex hoc quod homo non pensat brevitatem et incertitudinem vitæ præsentis, atque amaritudinem mortis et judicii sibi imminentis, prout Cassianus et Climacus docent.

Insuper, ex gula certum est generari acediam, et potissime ex venereorum voluptate, quæ totaliter deprimit mentem, et ad sapiendum ea quæ Dei sunt insensibilem reddit eamdem. Ex multiloquio quoque solet procedere, imo et ex qualibet mentis incauta resolutione et effusione. Facillime quippe percutitur cor quadam inertia, et

nisi in assidua perseveret custodia, mox A
gravatur quadam pigritia. Imo omne peccatum in tantum parit acediam, in quantum tollit aut minuit caritatem, et item in quantum pondere suo trahit mentem deorsum.

Postremo, acedia illa quæ est quædam cordis amaritudo, qua nil jucundum sive salubre libet, frequenter ex impatientia aut ira vehementi causatur, aut certe ex retardatione aut impeditione impletionis desiderii proprii ; quandoque vero ex causa quodammodo naturali, puta ex prædo- B
minantia seu abundantia melancholicorum humorum, tuncque potius creditur esse pœna quam culpa, vel saltem culpa alleviatur, atque per medicinæ artem potest adhiberi remedium.

ARTICULUS LXIV.

Contra acediam, ex sacra Scriptura.

Ephes. v, 14. SURGE, *qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Sa- C
cra Scriptura docet ex acedia omnem nasci miseriam, multiplicemque malitiam, utpote mala culpæ, mala pœnæ, malum diffamiæ, malum inopiæ, malum damnationis æternæ.

Etenim quanta facinora ex otio atque pigritia prodeant, pandit Psalmista, de re-
Ps. LXXII, 5-8. probis dicens : In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur : ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua ; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in D
affectum cordis ; cogitaverunt et locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt.

Præterea quanta sit vilitas acediosi, do-
Eccli. XXII, 1, 2. cetur in Ecclesiastico, ubi legitur : In lapide luteo lapidatus est piger, et omnes loquentur super aspernationem illius ; de stercore boum lapidatus est piger, et omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.

Prov. VI, 12-15. De acedioso quoque rite accipitur illud Proverbiorum : Homo apostata, vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur mala, et omni tempore jurgia seminat ; huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam. In eodem quoque loco fer-
tur : Si vero impiger fueris, veniet ut Prov. v[i], 11.
fons messis tua, et egestas longe fugiet a te. Hinc alibi in eodem libro scriptum
est : Egestatem operata est manus remis- Ibid. x, [4];
sa, manus autem fortium divitias parat ; 26.
sicut acetum dentibus, et fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum.

Solent etiam pigri se ab opere bono per calvas excusationes exonerare, quemad-
modum Salomon pandit, dicendo : Dicit Ibid. xxv[i],
piger, Leo est in via, leæna in itineribus, 13; XXII, 1[3].
in medio platearum occidendus sum. Rur-
sus contra pigritiam scribit : Vult et non Ibid. xi[ii],
vult piger ; anima autem operantium im- 4; XXI, 5.
pinguabitur. Omnis piger semper in egestate est. Propter frigus piger arare noluit : Ibid. xx, [4].
mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei.
Desideria occidunt pigrum : noluerunt Ibid. xx[i],
enim quidquam operari manus ejus. Pi- 25. Ibid. xvii[i],
grum dejicit timor, et animæ effeminato- 8.
rum esurient. Sapientior sibi piger videtur Ibid. xxv[i],
septem viris loquentibus sententias. Qui 16. Ibid. xvii[i],
mollis est in opere suo et dissolutus, fra- 9.
ter est opera sua dissipantis. Sicut ostium Ibid. xxv[i],
vertitur in cardine suo, sic piger in lec- 14.
tulo suo. Qui sectatur otium, stultissimus Ibid. xi[i],
est. Abscondit piger manus sub ascella 11. Ibid. xxv[i],
sua, et laborat si ad os suum eas conver- 15.
terit.

Insuper contra acediam et torporem in Ecclesiastico scriptum est : Ne oderis la- Eccli. vi[i],
boriosa opera et rusticationem ab Altissi- 16.
mo creatam. Ne defrauderis a die bono, Ibid. xi[v],
et particula diei * boni non te præter- 14. * doni
eat, id est, nullam temporis horam aut partem infructuose expendas. Et denuo
ait Scriptura : Multam malitiam docuit oti- Ibid.
ositas. Insuper contra acediam ait Salva- XXXIII, 2[9].
tor : Vigilate, omni tempore orantes, ne- Luc. XXI, 3[6].
scitis enim quando Dominus veniat, sero, Marc. XIII, 35, 36, 33.
an media nocte, an galli cantu, an mane ; ne quum venerit repente, inveniat vos

* dormientes Luc. xviii, 1. imparatos *. Videte, vigilate et orate. Unde et apud Lucam testatur : Oportet semper orare, et non deficere.

I Thess. iv, 11. Paulus quoque ad Thessalonicenses : Operemini (inquit) manibus vestris, sicut præcepimus vobis. Sed et alibi ad eosdem : II Thess. iii, 10-13. Si quis (inquit) non vult operari, nec manducet. Audivimus enim quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, panem suum manducent. Denique, istud Apostolus docuit non verbis dumtaxat, sed et sui ipsius exemplo, scribens Ibid. 7, 8. prædicto populo : Scitis quemadmodum oporteat imitari nos : quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis manducavimus panem ab aliquo, sed in labore et fatigatione, die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus. Unde et in Act. xx, 33-35. Actibus protestatur : Argentum et aurum aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis : quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare quam accipere. Hinc ait Propheta : Ps. cxxvii, 2. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.

ARTICULUS LXV.

Contra acediam et pigritiam, ex verbis sanctorum Patrum.

Ezech. xvi, 49. HÆC *fuit iniquitas Sodomæ, otium ipsius.* Circa hæc Ezechielis verba scribit Hieronymus : Semper agendum est aliquid boni, ne ager pectoris nostri, manu cessante, malarum cogitationum sentibus occupetur.

De Instit. patr. lib. x. Cassianus quoque fatetur : Vere ab omni contemplatione virtutum atque intuitu spiritualium sensuum dormitat anima telis acediæ sauciata. Quod Propheta insinuans : Dormitavit (inquit) anima mea Ps. cxviii, 28. præ tædio. Iterum effatur : Quemadmodum mola decurrens, si nil ei imponatur quod molat, corrumpit se ipsam ; sic cor humanum, nisi aliquid meditetur salubre, suis evagationibus semetipsum perdit ac demolitur.

Hinc Bernardus : Otiositas, inquit, est mater nugarum, noverca virtutum ; virum fortem præcipitat in reatum, nutrit superbiam, et viam construit ad gehennam. Ei autem qui subito procedit de umbra ad lucem, de otio ad laborem, grave videtur omne quod incipit ; sed postquam ab illis dissuescere atque ad ista assuescere paulatim cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque homo facile esse quod impossibile ante putavit.

Eusebius quoque Emisenus disseruit : Qui regnum cœleste quærit cum desidia obtinere, maximam facit injuriam remuneratori altissimo ac divinæ ejus justitiæ : quoniam etsi totis viribus quis pro tanta beatitudine elaboret, nil tamen condignum facere potest pro ea.

De hoc pestifero vitio Climacus scribit : Unus ramorum multiloquii est acedia, quæ Scal. parad. grad. xiii. est animæ remissio et resolutio mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis monasticæ, beatificatrix hominum mundanorum et prosperitatis terrenæ, Deum reputans quasi inviscerosum et sine benignitate ; dejecta in psalmodia, infirma in oratione, ferrea in operatione. Qui autem vere obediens est, acediæ est ignarus ; solitarios vero dure impugnat. Acedia et otiositas universas virtutum dispergunt divitias.

Rursus ait sanctus pater Bernardus : Perniciosa et periculosa res est ipsa tepiditas, plena miseriæ ac doloris, infernoque proxima ; quæ eis inhæret quorum voluntas nondum purgata est, qui adhuc amant terrenas consolatiunculas in verbo aut signo seu aliquo alio.

Postremo, B. Ambrosius loquitur : Omnis cœlestis exercitus cum reverentia et tremore Deo adsistit ac servit, et tu non

erubescis cum desidia et torpore coram A ejus præsentia apparere?

ARTICULUS LXVI.

De remediis contra acediam.

Job v, 7. HOMO *ad laborem nascitur, et avis ad volatum.* Quanto acedia periculosior detestabiliorque consistit, tanto de pluribus contra eam remediis Deus nobis providit. Quorum primum est, diligenter considerare quam vitiosa, nociva atque odibilis in se ipsa sit acedia, et quanta in B homine generet vitia. Quum enim objectum odii sit malum, sicut objectum amoris est bonum, nequaquam acediam admittemus, si quam vitiosa, nociva ac odienda sit, intueamur.

Secundum remedium contra acediam est, causas ejus articulo sexagesimo tertio introductas efficaciter evitare : nam causa cessante, cessabit effectus. Itaque contra acediam valet consideratio bonitatis et misericordiæ Dei, meditatio beneficiorum ac promissorum ipsius, attentio districti C divini judicii, intenta memoria mortis et infernalis tormenti. Sicque in isto remedio tanguntur particularia remedia valde multa quæ hominem timoratum efficiunt ac devotum, ita ut cum sancto Job quasi tumentes super se fluctus timeat Deum. Unde et scriptum est : Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

Ibid. xxxi, 23. · Eccli. vii, 40.

Tertium est, collatam devotionis gratiam, pectoris pacem et caritatis fervorem infusum sollicite custodire, et cordis custodiæ inhærere, ne per fabulationes, dis- D solutiones, ingratitudinem aut alia vitia amittantur prætacta Spiritus Sancti charismata et innascatur acedia. Ingratus enim meretur privari donis collatis. Et sicut urbs patens ab adversariis facile capitur, sic homo loquax acediæ spiritu superatur. Idcirco in Deuteronomio jubetur : Custodi te ipsum et animam tuam sollicite.

Deut. iv, 9.

Quartum est, se ipsum viriliter, quamvis quasi invitum, ad bona aggredienda compellere, atque per exteriores quosdam devotionis compunctionisque gestus salubriter excitare ac inflammare, pectus tundendo, manus ac oculos ad cœlum levando, genuaque flectendo aut corpus in terram humiliter prosternendo. Sic namque et aves quædam alas suas primo concutiendo et agitando, se præparant ad volatum. Hinc in Threnis scribitur : Levemus corda nostra cum manibus in cœlum. Et Psalmista : Levavi (inquit) oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Nam, ut ait Salvator, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Idcirco oportet ut homo fortiter vincat se ipsum, et sive trahatur devotione, sive non, faciat quod in se est.

Thren. iii, 41. · Ps. cxx, 1. · Matth. xi, 12.

Quintum est, Deum pro gratia devotionis atque fervore caritatis instanter orare, imo et Sanctorum subsidia implorare, et ita se ipsum pro viribus applicare ad Dominum, qui ait per Jeremiam : Quis est iste qui applicet cor suum ut appropinquet mihi? Quasi dicat : Paratus sum eum suscipere ac juvare : juxta illud Joannis, Eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Hinc quippe in Apocalypsi Dominus ait acedioso : Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias. Hoc etenim aurum est caritas fervens, quæ emitur oratione assidua.

Jer. xxx, 21. · Joann. vi, 37. · Apoc. iii, 18.

Sextum est, non immorari considerationi propriæ fragilitatis, sed pensare quam paratus ac liberalis sit Deus adjuvare, cooperari, adsistere, imo quærentem se, in se piissime transformare. Ideo dixit Psalmographus : Sperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. In libro Job quoque asseritur : Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius ad se trahet. Propterea cum fide certissima et omni fiducia exorandus semper est Deus, de quo in Threnis legitur : Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Istud remedium contra omnem acediam, pusillanimitatem ac diffidentiam optime valet. Absit enim ut quis ita obtenebretur, ut de veritate ambigat Scripturarum.

Ps. ix, 11. · Job xxxiv, 14. · Thren. iii, 25.

Septimum est, Sanctorum, imo et devotorum præsentium, virtutes attendere, exemplis accendi, diligentiam imitari. Nam et ipsi similes nobis mortales fuerunt vel sunt, nec est personarum acceptio apud Deum, qui nemini denegat gratiæ suæ opem. Sic sanctus pater Antonius singulorum Fratrum quos vidit, consideravit, collegit ac sequebatur virtutes. Quidam vero perversi, sunt proniores aliorum defectus quam virtutes adspicere, observare, sectari.

II *Par.* XIX, 7.

Octavum est, bonarum occupationum varietas : quia non potest homo uni actui bono diutius immorari ; idcirco, dum fatigari se experitur in uno, incipiat alium, debito tamen soluto, hoc est actu ad quem tenetur completo. Unde quum beatissimus Antonius in eremo afficeretur tædio, clamavit ad Dominum : Volo salvari, et non permittunt me cogitationes. Et protinus vidit quemdam in specie sua sedentem et opus manuum facientem, deinde ad orationem surgentem, qua completa, rursus ad opus se reponentem, idque frequenter agentem. Quo viso, consolatus est valde, et fecit similiter. Fuit equidem angelus ad informationem Antonii missus.

Nonum est consideratio seu recordatio Scripturarum, quæ tam copiosissimum præmium rite laborantibus ac perseverantibus repromittunt, et tanta supplicia acediosis minantur.

Decimum est, propter impugnationem acediæ non egredi cellam aut locum, sed manere in eo, et fortiter repugnare, non fugere. Circa hoc Thomas allegat Cassianum, dicentem : Acedia non declinando, sed resistendo vincenda est. Quod sanctus Doctor ita declarat. Omnia vitia superantur tunc melius fugiendo, quando cogitatio eo amplius auget incentivum peccati quo magis continuatur, sicut in gula atque luxuria, ac consimilibus quæ in se ipsis sunt delectabilia. Idcirco qui tentatur de eis, debet eorum objecta vitare, non considerare. Resistendo autem peccata sunt superanda, quando cogitationis perseverantia circa ea vel circa eorum objecta tollit aut minuit incentivum peccati : et ita est de acedia. Nam quanto diutius de spiritualibus bonis cogitamus, tanto acceptiora redduntur. Et idem de ira, invidia, impatientia, indignatione, amaritudine, quæ in se ipsis pœnales sunt, dicendum est. Quo etenim diligentius considerantur, eo odibiliores et pœnaliores inveniuntur.

Summ. th. 2a 2æ, q. XXXV, a. 1 ad 4um.

Postremo, sicut acedia est vitanda, ita et fervor indiscretus : quoniam rationabile debet esse obsequium nostrum, et virtus sine discretione fit vitium ; nec debet homo destruere corpus suum, sed vires suas et gratiam sibi datam attendere. Quod in aliis quoque peccatis mortalibus supra tractatis est observandum. Quemadmodum enim avaritia, ita et prodigalitas est vitanda ; et sicut gula, ita et nimia abstinentia reprobatur; inirascibilitas quoque quæ iræ per zelum contrariatur, est fugienda.

Rom. XII, 1.

ARTICULUS LXVII.

Quid sit invidia, et quod sit mortale peccatum.

PARVULUM *occidit invidia.* Sicut acedia, ita invidia (secundum Damascenum libro secundo) est species tristitiæ. Est namque invidia dolor seu tristitia de bono aut prosperitate alterius, vel (ut asserit Augustinus) odium felicitatis alienæ.

Job v, 2.

Circa hoc quæri potest qualiter invidia sit tristitia de bono alterius, quum sit species tristitiæ, cujus objectum est malum, secundum Philosophum. Respondetur, quod invidia est de bono alterius non sub ratione proprietateque boni, sed in quantum concipitur tanquam malum sibi ipsi. Contingit autem unum tristari de bono alterius dupliciter. Primo, quoniam putat quis sibi imminere nocumentum aut læsionem ex illo ; ut si quis tristetur de exaltatione adversarii sui quia ab illo metuit opprimi : quod proprie pertinet ad timorem, non ad invidiam, prout secundo Rhetoricæ Philosophus ait. Secundo, quoniam bonum alte-

rius apprehendit ut minorativum aut impeditivum propriæ excellentiæ, seu honoris aut gloriæ temporalis : quod proprie ad invidiam spectat. Sicque invidia stricte sumpta, est de iis in quibus excellentia, honor seu gloria consistit humana.

Hinc superbi et ambitiosi vitio invidiæ magis subduntur. Deinde pusillanimes sunt naturaliter ad invidiam dispositi : quoniam omnia etiam parva reputant magna, et quidquid boni acciderit alteri, arbitrantur se per hoc multum ab illo excedi. Nam et pusillanimes cupidi sunt honoris, quia faciliter eis videtur quod ab aliis contemnantur. Propter quod etiam sunt suspiciosi, et ad tristitiam atque invidiam proni. Ideo specialiter indigent se ab his vitiis refrenare, ut quod per naturam non habent, per gratiam sortiantur. Nam et unusquisque contra illa peccata præcipue debet pugnare, ad quæ vel ex naturali dispositione aut prava assuefactione cognoscit se procliviorem consistere. Melancholici quoque ad tristitiam ac invidiam sunt præsertim dispositi : in quibus propter malitiam complexionis natura quasi semper in se ipsa affligitur ac mordetur.

Præterea, sicut in secunda secundæ, art. 2. quæstione tricesima sexta, Thomas affirmat, unus de bono alterius quatuor modis potest tristari. Primo per modum jam dictum, quando videlicet aliquis ex bono seu prosperitate alterius timet sibi aut proximis nocumentum; et ita, secundum Gregorium, lætari possumus sine peccato de inimici ruina, atque de ejus exaltatione tristari. Unde in Proverbiis habetur : Quum impii sumpserint principatum, gemet populus. (*Prov.* XXIX, 2.) — Verumtamen istud intelligendum est de inimico injusto et ruina ejus solum pœnali, et de exaltatione ejus in rebus terrenis, aut de præsidentia periculosa, in quantum nociva est bono communi aut etiam animæ ejus; de rationabili quoque timore, quoniam in Proverbiis asseritur, Regnantibus impiis, ruinæ hominum (*Ibid.* XXVIII, 12.) : ita quod tristitia de inimici exaltatione, et lætitia de ejus ruina, adversitate, morte aut justa occisione, non ex invidia aut rancore personæ, sed ex caritate et zelo justitiæ oriantur. Aliter verbum illud Gregorii et scripta Thomæ in hac parte stare non possent, quum in Proverbiis dicatur : Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina illius ne exsultet cor tuum. (*Prov.* XXIV, 17.) Et sanctus Job protestatur : Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. (*Job* XXXI, 29.) Nempe de malo culpæ aliorum, quantumlibet adversariorum, debemus absolute dolere ex caritate et zelo justitiæ : similiter de malo pœnæ eorum in quantum est malum et quædam adversitas ; sed licite possumus inde gaudere in quantum juste infligitur eis, vel animabus eorum sic expedit, aut communi bono seu proximo utile est.

Secundo unus tristatur de bono alterius, non quoniam ille hoc habet, sed quoniam sibi deest. Sicque dolere de bono alterius honesto ac spirituali, videlicet de gratia et virtutibus proximorum, est bonum. Hinc talem tristitiam Sancti vocant bonam invidiam : ex qua homo incitatur ad spiritualem profectum, ut perfectioribus assimiletur aut alios in virtutibus vincat, ut unusquisque studeat alterum in humilitate, patientia, mansuetudine, caritate, obedientia prævenire ac superare. Porro tristitia ista de temporalibus bonis alterius, potest esse bona et mala. Siquidem bona est, si temporale bonum juste ac moderate desideretur : alias mala est. — De hac salubri æmulatione ad Hebræos loquitur Apostolus : Consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum. (*Hebr.* X, 24.) Unde de S. Antonio recitatur, quod jugiter studuit inexstinguibili flamma profectus, nullo in quacumque virtute inferior inveniri. Verumtamen talis conatus, in quantum concernit corporalem exercitationem in jejuniis, abstinentiis, vigiliis, disciplinis, moderamine indiget : alioqui præcipitaret mox indiscretum.

Tertio contingit tristari de bonis alterius quia indignus est eis. Quæ tristitia de bo-

nis gratiæ ac virtutum nequit haberi, quoniam bona illa eo ipso quo insunt, habentem dignificant ac justum efficiunt ; sed tristitia hæc de bonis temporalibus alterius potest haberi, et secundum Philosophum bona est, et nemesim vocat eamdem. Scriptura autem divina reprobat eam, juxta illud in Psalmo : Noli æmulari in malignantibus. (Ps. xxxvi, 1.) Scriptura namque considerat temporalia bona in ordine ad æterna, et prout secundum secretam divinæ providentiæ ordinationem conceduntur indignis ac dignis. Aristoteles autem consideravit ea secundum se. — Verumtamen tristitia hæc bona est, si quis tristetur de temporalibus bonis pravorum in quantum eis abutuntur, atque per ea ad promotiones et potestatem bono communi proximisque nocivas, imo et eis, pertingunt.

Quarto unus contristatur de bonis alterius in quantum excedit eum in bonis, aut impedit eum ab illis : quod proprie ad invidiam pertinet, et est ex suo genere peccatum mortale, quoniam caritati et misericordiæ contrariatur directe. Caritas quippe, qua proximum diligere obligamur, requirit ut de bono ejus lætemur atque de malo ejus tristemur ; ad misericordiam quoque pertinet de malis proximorum dolere et eis succurrere : quorum contraria agit invidia.

ARTICULUS LXVIII.

De speciebus invidiæ.

NON *cum invidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* (Sap. vi, 25.) In Summa virtutum et vitiorum assignantur invidiæ species duæ. Una est exsultatio in adversis proximi ; alia, contristatio in prosperis ejus. Verum tristitia ista in prosperis proximi, videtur esse ipsa invidia generaliter sumpta, ut patet ex definitione ejus præhabita, (Art. præced.) et non species ejus. Exsultatio vero in adversis proximi, consequenter se habet ad ipsam invidiam, estque effectus ipsius. Ex eadem quippe procedit radice, de bono alicujus tristari, et de malo ejus lætari.

Porro in Profectu religiosorum dicitur triplex esse invidia, et videtur non aliud esse quam triplex invidiæ gradus. Primus est, de bono proximi non gaudere, nec de ejus malo dolere, loco et tempore opportuno : quod caritati repugnat, quum dicat Apostolus : Gaudete cum gaudentibus, et flete cum flentibus. (Rom. xii, 15.) Nempe qui diligit proximum sicut se ipsum, gaudet de illius bono et dolet de ejus malo tanquam de proprio bono et malo. Secundus gradus invidiæ est, dolere et affligi de bonis alterius, et in ejus adversis lætari ac ea optare : quod est pejus gradu priori. Contra quod etiam in Proverbiis scriptum est : Qui lætatur in ruina alterius, non erit impunitus. (Prov. xvii, 5.) Tertius gradus est, malum alterius machinari seu procurare, et bonum ipsius deprimere aut penitus impedire : quod prædictis gradibus exstat deterius. Et contra id scriptum est in Ecclesiastico : Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, et non cognoscet unde illi adveniat. (Eccli. xxvii, 30.) Unde in Ecclesiaste legitur : Qui fodit foveam, incidet in eam ; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. (Eccle. x, 8.)

Insuper, quia virtutes et vitia distingui solent per sua objecta, videntur species invidiæ posse distingui secundum diversitatem bonorum de quibus invidus contristatur. Est enim bonum fortunæ, bonum naturæ, bonum gratiæ et bonum gloriæ ; et de omnibus istis potest accidere ut unus invideat alteri. Et quanto inter hæc bona unum est dignius alio, tanto vitiosius est proximo invidere hujusmodi bonum. Sicque gravissimum est invidere alicui spiritualem profectum atque charismata gratiarum : imo hoc computatur inter peccata in Spiritum Sanctum. Supergravissimum vero et prorsus diabolicum esset, alicui desiderare damnationem æternam, et gloriam ei invidere cœlestem : imo, secundum Bernardum, talis invidus esset quasi totus conversus in dæmonem. Et quoniam bona naturæ sunt præstantiora

bonis fortunæ, ideo vitiosius est alicui A invidere naturalia quam fortuita bona. Imo invidere alicui bonam famam, esset enormius quam invidere eidem terrenam substantiam. Verumtamen quidam sic excæcantur propria elatione, ambitione, aversione, ut non solum invideant aliis bona exteriora ac dona naturæ et famam laudabilem, sed item munera gratiæ ac virtutum, spiritualem concordiam exemplaritatemque gratiosam, ne forte per talia eis præponantur ac præficiantur : quod est impietas maxima. Quæ tamen in quibus- B dam spiritualibus ac religiosis aliquando invenitur, quia (ut sancti patres Hieronymus, Augustinus, Eusebius Emisenus fatentur) spirituales et religiosæ personæ quæ non dant se ad privati amoris evulsionem, mortificationem salubrem, reformationem internam atque condignum profectum juxta suæ vocationis seu professionis exigentiam ac tenorem, incidunt tentationes periculosiores pejoresque passiones quam homines prorsus carnales et sæculares : quamvis hoc non sit publice prædi- C candum.

ARTICULUS LXIX.

Quam detestandum, innaturale ac pessimum crimen sit invidia.

Judæ 11. VÆ *illis qui in via Cain abierunt.* Via Cain est invidia, quoniam Cain ex invidia sanctum Abel, fratrem suum,
Gen. IV, 8; occidit, ut in Genesi et in prima Joannis
I Joann. III, 12. epistola enarratur. Hanc viam omnes invidi D pergunt, pergendoque abeunt, quia a Deo recedunt consentiendo diabolo. Quocontra in exordio libri Psalmorum conscriptum
Ps. I, 1. est : Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit.

Detestandissimum ergo et odibilissimum est vitium istud. Primo, quoniam maxime est contra naturam, et naturali legi contrarium. Ait namque Ambrosius super Lucam : Nihil ita est secundum naturam, sicut diligere consortem naturæ ; econtrario nihil ita est contra naturam, sicut naturæ consortem odire. Denique in Ecclesiastico legitur : Omne animal diligit Eccli. XIII, 19.
simile sibi, et omnis homo proximum suum. Hujus contrarium invidus agit. Naturalis quoque lex exigit ut unusquisque Matth. VII, 12.
faciat proximo suo quod sibi vult fieri : cujus contrarium invidus agit maxime et directe. Rursus in Ecclesiastico fertur : Omnis caro ad sibi similem conjungetur, Eccli. XIII, 20.
et omnis homo simili sibi sociabitur. Invidus vero a proximo suo avertitur toto corde : imo proximus suus gravis est ei ad Sap. II, 15.
videndum, nec potest eum æquanimiter intueri. Nam et invidia a non videndo nomen sortitur, quia aliorum bona ac prospera cum tranquillitate non valet adspicere.

Secundo summe fugienda ac abominanda exstat invidia, quia directe et summe repugnat uni duorum præceptorum in qui- Matth.
bus tota lex pendet et Prophetæ, videlicet XXII, 40.
mandato simili primo ac summo mandato, Ibid. 39, 38.
quo jubemur diligere proximos sicut nos ipsos.

Tertio, quoniam invidus totam divinam (quantum in se est) evacuat ac violat legem. Quemadmodum enim, teste Apostolo, plenitudo legis est dilectio, sic evacuatio Rom. XIII, 10.
legis exsistit invidia. Etenim, sicut qui diligit proximum, implet cetera præcepta Ibid. 8, 9.
proximum respicientia, quia (ut ait Apostolus) non adulterat, non furtum facit, non falsum testimonium profert ; ita qui invidet proximo, facit aut fieri optat ei omnia mala præfatis bonis contraria.

Quarto, quoniam invidus directe transgreditur jussionem quam Christus in cœna novissima suis discipulis peculiariter singulariterque præfixit : Mandatum (in- Joann. XIII, 34.
quiens) novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Hujus contrarium invidus faciendo, facit et pandit se Christo esse rebellem.

Quinto, quoniam invidus specialiter exhibet se discipulum diaboli, et non Christi. Christus namque apud Joannem protesta-

Joann. XIII, 35. tur : In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Invidus ergo non dilectionem sed rancorem habendo ad proximum, ostendit se a Christi discipulatu penitus alienum, estque de schola diaboli, cujus acquiescit doctrinæ : ideo prorsus indignus est Christianus vocari.

Sexto, quia invidia est specialiter diabolicum crimen, et invidus præsertim sectatur diabolum, diabolicusque consistit, quoniam in Sapientia inducitur : Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum ; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. *Sap.* II, 24, 25.

Septimo, quia invidia sicut summæ virtuti, utpote caritati, directe contrariatur, ita maximum crimen esse censetur : propter quod summe odibilis est.

Octavo, quia invidia præcipue nocet suo subjecto. Est namque in se ipsa tota pœnosa, amara et mordax, tanquam pess[illegible]imus serpens et venenatissimus dra[illegible]co inficiens atque dilanians mentem : [illegible]t ita non solum est culpa, sed et gravi[illegible]ssima pœna et quasi quædam gehenn[illegible]a ; nec habet aliquid delectationis ut[illegible] cetera vitia, sed est pura malitia. Nec [illegible]solum animæ nocet gravissime, sed et [illegible]corpori valde, cujus complexionem in ta[illegible]tum discruciat, quod signa ejus turpissin[illegible]a apparent in vultu, in oculis, in ore, [illegible]in dentibus, et sæpe in corpore toto, u[illegible] infra patebit. Sicque invidia propriam[illegible] impietatem primo ulciscitur proprio in sul[illegible]jecto ; et quantum ad hoc veraciter asseri[illegible] Augustinus : Invidia nihil est justius, [illegible]quoniam protinus suum rodit cruciat[illegible]e auctorem. Ideo vermi assimilatur, qui l[illegible]ignum in quo nascitur, demolitur. Hinc [illegible]innotescit maximam esse invidorum stult[illegible]itiam, qui non solum tantæ malitiæ, se[illegible] tanto quoque supplicio subdunt sponte se[illegible] ipsos.

[illegible]Nono, quia invidia ita excæcat mentem et [illegible] pervertit omne rectum rationis judiciu[illegible]m, quod invidus nemini parcit, nec pa[illegible]tri, nec fratri, nec fidelissimo suo ami[illegible]co, nec innocenti : imo parricidia, fratricidia, traditiones, perjuria et cuncta abominabilissima perpetrat scelera. Hoc patet de fratribus Joseph, et Judæis crucifixoribus Christi. Sicque invidia parit non solum temeraria, sed et omnino falsa ac perversa judicia. Omnia etenim bona ejus cui invidet, interpretatur in pejus ; et quanto ille peragit meliora, tanto conatur ostendere ea pejora. Unde communiter dicitur : Amor et odium pervertunt judicium. *Gen.* XXXVII, 11-32. *Matth.* XXVII, 18.

Decimo, quia invidia potissime contrariatur bonitati, communicabilitati multisque proprietatibus atque operibus Dei. Deus namque summe ac naturaliter est sui communicativus : imo se totum communicat, nec aliquid sibi reservat non communicatum. Invidus vero non solum non communicat sua, sed nec alteri favet aliena, nec vult ut a[illegible] sua communicent illis quos odit. [illegible]Deo quoque complacet omne bonum, et displicet ei malum. Invido econtrario displicent bona, et placent mala. Rursus, sicut Deus tam bonus est, quod de malis elicit bona ; sic invidus est tam malus, quod de bonis elicit mala. Et sicut bonis etiam mala cooperantur in bonum, sic invidis etiam bona cooperantur in malum. Sicque invidus bestiis irrationabilior viliorque comprobatur. Nam leo, qui animalium rex est, est animal liberale et communicativum, secundum Philosophum. Sunt quoque et alia quædam animalia talia. Postremo, invidus de aliorum prosperitate facit sibi calamitatem, de aliorum luce caliginem, de aliorum vita et gaudio mortem atque mœstitiam, de suavitate fœtorem, de rosa urticam, de balsamo quoque venenum. *Rom.* VIII, 28.

ARTICULUS LXX.

De causis invidiæ.

NON *efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* Secundum Gregorium, invidia est vanæ gloriæ filia, proles pestifera, ne- *Galat.* V, 26.

quior sua matre. Nec obstat quod invidia est vitium capitale, quia et ipsa capitalia peccata ita cohærent, quod unum eorum frequenter generatur ex alio. Itaque, quoniam vana gloria proprium optat honorem, laudem ac famam, facit hominem aliis non favere quod ipsa cupit, sicque parit invidiam.

art. LXVII. Rursus, ostensum est quod invidia sæpe nascatur ex superbia et ambitione, itemque ex pusillanimitate, et interdum dispositive ex melancholica complexione. Interdum quoque procedit ex ira, impatientia atque tristitia quadam. Quemadmodum enim homo incitatur ad amorem et dulcem affectum eorum qui faciunt ea quæ eum delectant eique placent, sic incitatur ad odium invidiamque illorum qui ipsum [illegible] irrident. Ideo Solon [illegible] homi- [illegible] contristant, gravant, [illegible] philosophus dixit : Non derideas [illegible] nem, quia derisio gignit invidiam. Hinc in Sapientia impii dicunt : Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris ; gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius. (Sap. II, 12, 15.)

Postremo, communiter dicitur, Veritas parit odium : non tamen directe, sed mediante ira, impatientia, aut simili passione. Qui enim informari et corripi dedignantur, odium concipiunt atque invidiam contra docentem et corripientem : ut patet de Herodiade contra beatissimum Joannem Baptistam, et de Scribis, Pharisæis ac sacerdotibus contra Christum. Ideo scriptum est per Amos : Odio habuerunt corripientem. Et Salomon loquitur : Non amat pestilens eum qui se corripit. (Marc. VI, 17-19. Matth. XXI, 45, 46; XXVII, 18; Luc. XX, 19. Amos V, 10. Prov. XV, 12.)

ARTICULUS LXXI.

De differentia inter iram, odium et invidiam, et de filiabus invidiæ.

(Lev. XIX, 17.) *NON oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Caritas et odium directissime et immediate contrariantur, quemadmodum tristitia et lætitia. Invidia autem essentialiter quædam tristitia exstat, non odium. Sed sicut, juxta Philosophum, amare est alicui bonum velle, ita odire est alicui bonum nolle seu malum velle. Atque, ut Thomas ait in secunda secundæ, quæstione tricesima quarta, (art. 4-6.) odium ex invidia nascitur, nec est vitium capitale, sicut invidia, sed est quasi ultimum vitiorum, graviusque invidia. Verumtamen odium et invidia in multis conveniunt : propter quod unum nonnunquam pro alio sumitur. Nam et Augustinus invidiam describens : Invidia, inquit, est odium felicitatis alienæ. Ubi accipit odium prout est quasi genus invidiæ.

Aristoteles quoque, imo et theologi, inter iram odiumque distinguunt : quoniam ira vult alteri malum non absolute, sed quasi sub ratione cujusdam justæ vindictæ. Propter quod ait Philosophus, quod [illegible] cum ratione, quia videlicet confert [illegible] pœnam ad culpam sub colore [illegible] Odium vero vult malum [illegible] ira est [illegible] ibus elicit Augustinus, et comparat [illegible] uærere et optare cujusdam justitiæ [illegible] scitur, invidus alicui absolute. Ex qu[illegible] endationem quod irascens potest q[illegible] insuper diemendationem ejus cui ir[illegible] erta, quia vero non quærit nec optat e[illegible] illatam ejus quem odit. Philosophus [illegible] em seu cit, quod ira est evidens et ap[illegible] rit nisi non quærit absolute nocere, se[illegible] potest injuriam recompensare; invidia au[illegible] do : si odium quærit latere, quia non quæ[illegible] m obnocumentum inferre, quod facilius [illegible] quod implere latendo quam se manifestan[illegible] ione enim odiens se manifestet, alius illu[illegible] non servat. Ex quibus ultra concluditur, [illegible] ento, iratus ab iracundia sua quiescit u[illegible] iens illata. Invidus vero vel odiens a sua [illegible] cessat invidia illato alteri nocum[illegible] t, quamdiu alter est aut habet quod od[illegible] ed non vult eum esse neque habere. Veru[illegible] ne (Luc. I, 37.) tamen per gratiam Dei potest qui talis es[illegible] pœnitere : difficulter tamen curatur ; s[illegible] as apud Deum non est impossibile om[illegible] verbum.

Præterea, Gregorius ponit quinque fili[illegible] invidiæ. Prima est detractio, qua quis pu-

blice obloquitur alteri quamvis absenti. Dicitur tamen detractio esse occulta, quoniam fit non audiente eo cui detrahitur. Secunda filia est susurratio, qua quis intendit alterius famam, gloriam aut honorem minuere per verba latenter prolata. Tertia est exsultatio in adversitatibus proximi. Quarta est afflictio in prosperis ejus. Ista tamen afflictio, quum sit quidam dolor, uno modo est realiter ipsa invidia, in quantum quis dolet de proximi bonis secundum quod bona illa habent gloriam quamdam seu laudem; sed in quantum proveniunt alteri contra invidentis conatum, sic affligi de eis, exstat invidiæ filia, ut asserit Thomas. Quinta est odium.

Summ. n. 2a 2æ, q. xxvi, a. 4 d 3um.

Postremo, nec Cassianus in libro de Institutis cœnobiorum seu Patrum, neque Isidorus ponit invidiam inter capitalia vitia, forsan idcirco, quia invidia ex alio oritur vitio evidenter. Cassianus autem inter capitalia ponit tristitiam quæ est genus invidiæ; et quæ de ipsa conscribit tristitia, possunt pro maxima parte ad invidiam trahi.

De Instit. atr. lib. ix.

ARTICULUS LXXII.

Contra invidiam, ex Scripturis atque dictis Sanctorum.

Joann. iii, i.

QUI *non diligit, manet in morte.* Contra odium atque invidiam jam inductæ sunt multæ auctoritates Scripturæ: nihilo minus quasdam nunc addam. Itaque in libro Proverbiorum Salomon protestatur: Odium suscitat rixas; et rursus: Melius est vocari ad olera cum caritate, quam ad vitulum saginatum cum odio; itemque: Vir qui festinat ditari et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. Et denuo: Non comedas (inquit) cum homine invido, et ne desideres cibos ejus, quoniam in similitudinem arioli et conjectoris, æstimat quod ignorat. Comede et bibe, dicet tibi; et mens ejus non est tecum. Insuper, in Ecclesiastico legitur: Improperium et contumeliam malus hereditabit; et omnis peccator, invidus et bilinguis. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum; dolor consumet eos antequam moriantur. Oculus malus, ad mala; et, Malus est oculus invidi *. Joannes quoque apostolus ait in sua epistola prima: Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.

Prov. x, 12. Ibid. xv, 17. Ibid. xxviii, . Ibid. xxiii, 7. Eccli. vi, Eccli. xxvii, 32. Ibid. xiv, 10. Ibid. xxxi, 14. * nequam Joann. iii, 15. Ibid. ii, 11.

Amplius, contra hæc vitia ferventer locuti sunt sancti Doctores et Patres. Ait enim sanctus martyr ac præsul Cyprianus: Zelus invidiæ modum non habet, sed permanet jugiter, quum cetera vitia finiantur; quantoque ille cui invidetur, successu meliori profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardescit. Rursus de misero ac deformi invidi apparatu loquitur Cyprianus: Invido minax vultus, torvus adspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida et effrenata convitia, manus quoque ad violentiam pronæ.

Hinc asserit Augustinus: Licet per omne peccatum diabolus virus infundat cordi humano, in zelo tamen invidiæ tota sua concutit viscera, atque ut imprimat eam, quasi pestem vomit. Ideo invidi sunt genimina viperarum, serpentibusque pejores: vix enim unus serpens persequitur alium; et tamen invidus homo persequitur proximum suum. Hinc invidi assimilantur ciconiis, quæ vescuntur carnibus venenatis: quoniam invidi aliorum adversitatibus miseriisque pascuntur, et de aliorum felicitate, bonitate, profectu, pinguedine, fiunt infeliciores, pejores, remotiores a gratia, miserabiliusque marcescentes.

Verum, ut sanctus ait Hieronymus, sola miseria caret invidia, estque difficile in prosperis non pati invidiam.

Iterum asserit Augustinus: Merita aliorum, quæ invidi essent si ea diligeret, sunt contra eum. Pensent invidi quantum bonum est caritas, quæ bona opera proximorum facit esse nostra absque nostro labore.

Præterea Bernardus : Cupis, inquit, nosse oculum venenatum, oculum nequam et fascinantem? Invidiam cogita. Timore pessimo, livore proprio quasi velamine quodam pravissimo invidus præpeditur ne sublimiora prospiciat. Quis tam gravis oculorum pruritus sicut invidia? Invidus in superioribus ac melioribus nunc eorum felicitate, nunc gloria, modo utroque pariter contabescit.

A

Hinc dicit Gregorius : Invidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens inflammatur, membra frigescunt; in cogitatione fit rabies, in dentibus stridor. Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, hereditatem hanc diligat quam coheredum numerus non angustat.

B

Ait quoque Chrysostomus : Quemadmodum columna si recta fuerit, accepto onere amplius confirmatur, si autem modice fuerit obliquata, non solum non confirmatur ex pondere, sed magis declinat ad latus : sic cor hominis si fuerit rectum, videns opera viri justi, audiensque doctrinam sapientiæ ejus, amplius roboratur; si autem perversum fuerit cor ipsius, non solum non confortatur, sed magis ad invidiam excitatur ac magis pervertitur. Iterum dicit : O invidia, quæ semper sibi ipsi est inimica! Qui etenim invidet, sibi ignominiam et alii gloriam parat. Invidus demum tot habet tortores, quantos is cui invidet, habuerit laudatores.

C

Hinc loquitur Hugo : Invidia est reciprocus in suum auctorem cruciatus animi tabescentis de bono alterius. Nempe, ut Augustinus fatetur, invidia est odium alienæ felicitatis, respectu superiorum, quoniam eis non æquatur; respectu inferiorum, ne sibi æquentur; respectu parium, quia sibi æquantur. Unde Cain invidit Abel prosperitati, Rachel Liæ fecunditati, Saul David felicitati. Invidia procuravit lapsum mundi et mortem Christi.

D

Gen. IV, 3-8; Ibid. XXX, 1; I Reg. XVIII, 28, 29. Sap. II, 24; Matth. XXVII, 18.

Ecce quam grave est scelus invidiæ et rancoris, quum dicat Hieronymus : Qui occidit, et qui proximum odit, et qui obloquitur, pari pœna digni censentur. Unde et gentiles philosophi hoc vitium sunt maxime detestati : quoniam Socrates et Seneca dixerunt : Utinam invidi oculos haberent et aures in civitatibus universis, ut de omnium prosperitatibus torquerentur. Nam quanta felicium sunt gaudia, tanti sunt gemitus invidorum.

Postremo, quod asserit Augustinus, odium esse iram inveteratam, intelligendum est per modum prædicationis causalis, non essentialis. Non enim realiter idem sunt ira et odium; sed ex ira frequenti ac diuturna odium generatur. Juxta hunc modum loquendi intelligendum est illud Gregorii : Amor ipse notitia est; illud quoque : Dies est latio solis super nostrum horizontem.

ARTICULUS LXXIII.

De remediis invidiæ.

PUTREDO *ossium invidia.* Aristoteles secundo Rhetoricæ ait, quod homo non invidet his qui sunt eo multo superiores, quia ad illorum excellentiam, honorem et statum non adspirat; sed invidet his a quibus non multum distat, quorum honorem et eminentiam reputat sibi possibilem esse. Hinc de B. Bernardo in sua habetur Legenda, quod quum omnes excederet, nemo tamen ei invidebat, quia tam admiranda et rara fuit excellentia ejus in sanctitate, sapientia, eloquentia, fama, miraculis, quod nullus audebat ad talia adspirare.

Prov. XIV, 30.

Itaque, sicut præhabitum est, propinquæ causæ invidiæ sunt superbia, ambitio inanisque gloria; deinde ira, tristitia, pusillanimitas, impatientia. Primum ergo et optimum prorsus remedium contra invidiam et rancorem est, præfatas ejus causas abjicere, exstirpare, destruere. Nam causa sublata, tolletur effectus. Vitetur omnis elatio, ira, tristitia, gloria vana, et facile erit conculcare invidiam.

art. LXX.

Secundum remedium est, diligenter pensare quam vitiosa, detestanda et odibilis

sit invidia in se ipsa, quantum etiam affli- A gat atque dilaniet odientem in vita præsenti, et quanta mala ei ingerat in hoc sæculo ac futuro : de quibus omnibus in
art. LXIX, .XXII. præcedentibus est tractatum articulis.

Tertium est, bona spiritualia, divina, cœlestia et æterna præferre rebus caducis, terrenis, carnalibus, et necessaria ad salutem primo ac maxime quærere. Nempe hæc omnia possunt cunctis esse communia ; nec ab horum adeptione impedit unum, quod alii habent ea : imo ex aliorum opulentia in talibus bonis alter ju- B vatur.

Quartum est, prudenter advertere quam periculosum sit temporaliter prosperari, aliis præsidere, propriam excellentiam affectare, et velle placere hominibus : quo-
Tim.I,17. niam soli Deo debetur omnis honor et gloria. Evidensque reprobationis ac futuræ damnationis indicium est, in transitoriis prosperari et cuncta habere ad libitum.
Ps. XXXIII, 20. Multæ enim tribulationes justorum, et per
Act.XIV,21. multas tribulationes oportet nos intrare in
Sap.VI,6. regnum cœlorum. Judicium quoque duris- C
Ps.LII,6. simum in his qui præsunt fiet. Et Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent ; confusi sunt, quoniam Deus sprevit
Galat.I,10. eos. Propter quod ait Apostolus : An quæro hominibus placere ? Si hominibus placerem, servus Christi non essem.

Quintum est, considerare propriam insufficientiam, vilitatem, vitiositatem, quotidianasque culpas, sicque omni honore et eminentia propria indignissimum se putare, imo omni vilipensione, subjectione, adversitate arbitrari se dignum ; bona quo- D que aliorum perpendere, et illos sibi præferre, sicque sentire quod digniores se sint eminentia et honore.

Sextum est, ponderare quod omnia in hoc mundo aguntur juxta occultam providentiam Dei, et contentari de ea ; et rursus attendere quod quamvis is cui quis invidet, non haberet bona quæ invidet ei, non tamen ipse haberet ea, sed alius forsan.

Septimum est, pensare qualiter Christus verbis et exemplis docuit et præcepit omnes amari, imo et adversarios diligi, quanta etiam suis donavit inimicis ; postremo, quod homo nunquam potest salvari aut Deo placere, nisi omnem deponat invidiam et rancorem ; quod item is qui vel unum odit, nullum vere ac spiritualiter diligit, nec Deum, nec se ipsum, nec Christum, nec Virginem gloriosam, nec parentes, nec aliquem prorsus in toto mundo, quippe quum in mortali exstet peccato. Ideo cum infinito horrore repellamus omne odium atque invidiam.

ARTICULUS LXXIV.

Quid sit vana gloria, et quodnam ejus objectum.

NIHIL agatis *per contentionem, neque* Philipp.II,
per inanem gloriam. Vana gloria est 3.
multum propinqua superbiæ. Unde et quidam posuerunt eam esse superbiæ speciem, et quandoque sic sumitur in Scripturis. Verumtamen proprie de ea loquendo, est distinctum a superbia vitium. Propter quod Cassianus et Climacus, doctoresque scholastici, Thomas, Albertus, Raimundus ac alii, de vana gloria tractant prout a superbia diversificatur.

Itaque gloria tribus modis accipitur. Primo, pro lætitia, ut quum ait Apostolus :
Gloria nostra hæc est, testimonium con- II Cor.I,12.
scientiæ nostræ. Secundo, pro majestate,
juxta illud Isaiæ : Plena est omnis terra Is.VI,3.
gloria ejus. Tertio, pro laudantium notitia ; et ita nunc sumitur. Sicque ait Augustinus : Gloria est judicium hominum bene de aliquo sentientium. Et Tullius : Gloria, inquit, est frequens de aliquo fama cum laude illius. Hoc est quod ait Augustinus : Gloria est clara cum laude notitia.

Interdum quoque accipitur gloria pro objecto seu materia gloriæ, ut quum dicit
Apostolus : Gloria vestra nos sumus, sicut II Cor.I,14.
et vos nostra.

Rursus accipitur gloria quandoque pro claritate seu luce sensibili. Unde est illud

I Cor. xv, 41. Apostoli : Alia est claritas solis, alia lunæ, et alia stellarum. Sic enim habet translatio alia : Alia est gloria solis, alia lunæ, etc. Et ita Augustinus allegat.

Hinc Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima tricesima secunda, art. 1. effatur : Gloria importat manifestationem alicujus quod hominibus decorum videtur sive laudabile, sive illud sit bonum corporale sive spirituale. Et quia id quod simpliciter clarum est, a remotis atque a multis conspici potest, ideo gloria proprie est manifestatio alicujus decori in notitia et approbatione plurimorum. Communius tamen accipitur gloria prout consistit in agnitione paucorum, sive unius, aut sui ipsius, secundum quod aliquis bonum proprium considerat tanquam laude dignum. Porro propria bona seu dona concessa cognoscere et approbare, non est malum in se, sed laudabile esse potest, quum Paulus I Cor. II, 12. testetur : Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Et rursus in Apostolorum persona Rom. VIII, 23. fatetur : Nos ipsi primitias Spiritus haben- Ibid. 35. tes ; et, Quis nos separabit a caritate Dei ? David quoque sine superbia, imo ex virtu- I Par. XVII, 17. te gratitudinis loquitur Deo : Domine Deus, fecisti me spectabilem præ cunctis hominibus. Iterum non est in se malum quod homo velit bona sua ab aliis sciri et approbari : imo meritorium esse potest, utputa dum aliquis homo hoc vult ad Dei honorem et proximorum ædificationem, Matth. v, 16. quum dicat Salvator : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hinc constat quod appetitus gloriæ secundum se non importat aliquid vitiosum ; sed appetitus vanæ gloriæ est peccatum.

Denique, gloria fit vana tripliciter. Primo, ex parte rei de qua quis gloriam quærit aut intra se gloriatur : ut quum res illa est caduca, vilis et parva, nec gloria digna. Secundo, ex parte ejus a quo vel cujus quis gloriam quærit, videlicet hominis, cujus judicium est incertum, cui non debet quis velle placere secundum se, sed solum in Deo. Tertio, ex parte ejus qui gloriam quærit, quando videlicet non ordinat eam ad Dei honorem proximique salutem. Boni etenim homines per gloriam eis impensam student in bonis perseverare ; et quando laudantur, magis humiliant se ; habentque curam de bono nomine, ne Eccli. XLI, 15. quis scandalizetur in eis. — Hæc Thomas.

Itaque vana gloria est immoderatus propriæ gloriæ seu manifestationis aut reputationis appetitus, vel amor seu complacentia, aut certe inordinata seu fallax reputatio aut innotescentia proprii boni : ut dum quis bonum esse arbitratur quod forsitan non est tale, vel illud non refert ad Deum, sed complacet sibi et gloriatur in se, aut taliter reputari quærit aut putat ab aliis.

Insuper quidam dicunt, quod objectum vanæ gloriæ sit laus vana seu propria et humana ; sed ex præinductis videtur quod innotescentia seu manifestatio laudativa proprii boni non ordinata, sit gloriæ vanæ objectum. Verum hæc concordari possunt, dicendo quod etiam talis manifestatio seu notitia laudativa, sit laus interior, vel sumendo laudem cum inclusione talis notitiæ.

ARTICULUS LXXV.

An vana gloria sit peccatum mortale ac capitale.

I Cor. IV, 7. QUID *habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?* Quidam dicunt vanam gloriam non esse mortale peccatum, sed valde propinquam ad illud. Ait enim Thomas de Argentina : Vana gloria ex genere suo est venialis : quia genus cujuslibet operis sumitur ex objecto ; vanum autem, secundum se, non est objectum mortalis sed venialis peccati : idcirco, quum vana laus sit objectum hujus peccati, non erit semper mortale. Potest tamen esse mortale

dupliciter : primo, ex parte finis propter quem laus optatur ; secundo, ratione operis in quo laus quæritur. Porro laus appeti potest quadruplici fine. Primo, ad vitandum diffamiam propriam aut scandalum aliorum : et istud est bonum ac opus prudentiæ ; sicque Samuel primo Regum legitur se laudasse, Apostolus quoque, præsertim in epistolis ad Galatas atque Corinthios, apud quos pseudoapostoli et quidam hæretici diffamaverunt eum. Secundo appetitur laus propter aliquam utilitatem, videlicet ad Dei honorem et proximorum ædificationem : quod bonum est, caritatisque actus ; sicque sancti viri frequenter leguntur suas prædicasse virtutes. Tertio, propter commodum temporale : et hoc ex suo genere est mortale ; sicut apud Matthæum ait Salvator de Pharisæis, qui devorant domos viduarum, simulantes longas orationes. Quarto, propter aliquid in se veniale : sicut dum aliquis cupit laudari quia in ipsa laude venialiter delectatur; et hoc est veniale peccatum. Insuper, vana gloria est peccatum ex parte operis in quo gloria quæritur, tribus modis : quia laus aliquando quæritur per opera illicita, quandoque per opera ex se indifferentia, interdum vero per actus virtutum. Si primo modo, tunc est mortale peccatum quando opus illud mortale est ; si autem opus sit veniale, gloria vana circa illud est venialis. Si secundo modo, tunc rursus est veniale peccatum. Si tertio modo, hoc accidere potest dupliciter. Primo, dum appetitus laudis incidentaliter actui bono se miscet, quemadmodum in prædicatione aut cantu contingere solet : et ita est veniale peccatum, nisi ratio nimis consentiat appetitui tali. Secundo, dum tale opus bonum ex genere, fit principaliter propter laudem humanam, cui inhæretur ut fini et plus quam Deo : quod est culpa mortalis.

I *Reg.* XII, 2-5; *Galat.* I, II; I *Cor.* IX; II *Cor.* IV, XI, XII.

Luc. XX, 47.

Præterea, de ista materia scribit sanctus Doctor in secunda secundæ, quæstione centesima tricesima secunda : Vana gloria non contrariatur caritati proximi : idcirco ex hac parte non est mortalis. Sed caritati

art. 3.

A Dei contrariari potest dupliciter. Primo, ex parte objecti de quo quis inaniter gloriatur : ut si glorietur de eo quod non est, vel si bonum creatum præferat Deo, aut testimonium hominum testimonio Dei, ita ut amplius quærat gloriam Dei in cordibus hominum quam coram Deo. Secundo, ex parte gloriantis : ut si homo intentionem suam finaliter figat in gloria vana, propter eam opera ex se bona efficiens, et in ipsa tanquam in fine quiescens. Sicque his modis vana gloria est culpa mortalis.

B Insuper, de numero principalium et capitalium vitiorum sancti Patres diversimode sensisse videntur. Quidam enim posuerunt octo capitalia ac principalia vitia, ut Cassianus : qui tamen inter illa non numerat invidiam, sicut neque Isidorus ; sed tristitiam computat inter ea, et etiam gloriam vanam. Alii posuerunt septem principalia ac capitalia vitia, inter quæ numeraverunt superbiam, sed non vanam gloriam, ut Gregorius Nazianzenus : quam opinionem magis approbat Climacus. Alii C posuerunt septem vitia capitalia atque mortalia, inter quæ computaverunt vanam gloriam eo modo quo mortalis censetur, non autem superbiam : ut S. Gregorius Papa, qui præter superbiam ponit septem capitalia vitia, de quibus hucusque tractatum est ; superbiam vero vocat non capitale vitium per modum specialem quo alia septem capitalia nuncupantur, sed omnium vitiorum originem, reginam ac matrem, ita quod generalem habet super omnia cetera vitia causalitatem. Quam D opinionem magis approbat Thomas. Superbia namque est inordinatus excellentiæ appetitus. Ex omni autem bono concupito aliquanta excellentia sequi videtur. Propter quod omnium vitiorum fines in finem superbiæ ordinantur : sicque super omnia illa habet superbia causalitatem communem.

Summ. th. 2ª 2ᵉ, q. CXXXII, a. 4.

Porro vana gloria, secundum Gregorium, Cassianum, Isidorum, Thomam, ponitur vitium capitale : quoniam ad excellentiam, quam homines præcipue cupiunt,

gloria potissime confert, quum gloria sit manifestatio bonitatis alicujus, unumquodque vero propter bonitatem suam honorabile atque amabile reddatur. Sicque propter adeptionem finis vanæ gloriæ multa fiunt peccata, quæ procedunt ac generantur ex ea secundum rationem causæ finalis : unde et filiæ ejus vocantur. Gloria quippe est finis honoris ac laudis. Ideo namque homines optant laudari ac honorari, quatenus in aliorum notitia ac reputatione fiant præclari.

ARTICULUS LXXVI.

De filiabus vanæ gloriæ, et de gravitate earum.

Joann. v, 44. *QUOMODO potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis?* Sicut in fine præcedentis tangebatur articuli, illa peccata sunt filiæ gloriæ vanæ quæ ordinantur ad ejus finem, qui est propriæ excellentiæ seu bonitatis manifestatio inordinata ac laudativa. Quam manifestationem potest aliquis intendere ac quærere directe ac indirecte. Directe, dupliciter, puta : per verba, et ita *jactantia* est filia vanæ gloriæ ; vel per facta, et hoc rursus dupliciter : quia aut per facta vera et quasi miranda, et sic *novitatum præsumptio* est gloriæ vanæ filia ; vel per ficta, sicque *hypocrisis* filia ejus est. Indirecte autem intendit et quærit quis manifestationem prætactam, ostendendo se aliis non esse minorem. Quod quadrupliciter fieri potest. Primo, quod non sit minor alio quantum ad intellectum : et ita est *pertinacia,* qua homo suæ sententiæ nimis inhæret, ita quod alterius meliori judicio cedere aspernatur. Secundo, quod non sit minor quantum ad voluntatem : et sic est *discordia.* Tertio, quantum ad locutionem : et ita *contentio* ponitur vanæ gloriæ filia. Quarto, quantum ad opus, sicut dum homo exsequi renuit superioris sui præceptum : sicque *inobedientia* est filia gloriæ vanæ.

A Verumtamen jactantia quantum ad suam causam, quæ est arrogantia, ponitur filia superbiæ ; sed quoad finem suum, fertur vanæ gloriæ filia. Istæ ergo sunt septem pestiferæ filiæ hujus inanis ac fatuæ gloriæ.

Quod si quæratur an unaquæque filiarum illarum sit mortale peccatum, de discordia, contentione et inobedientia constat quod sint mortales, quoniam ab Apostolo inter mortalia statuuntur, et caritati seu æquitati directe contrariantur. Rom. I, 32.

B Porro de jactantia scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima duodecima : Jactantia est, dum aliquis se ipsum verbis inordinate extollit : quod dupliciter potest accidere. Primo, dum aliquid dicit de se supra id quod est in reputatione atque notitia hominum, non tamen supra id quod est in re ipsa. Quod vitandum esse docet Apostolus : Parco (inquiens), ne quis existimet me supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. II Cor. XII, 6. Secundo, dum aliquid dicit de se supra id C quod est secundum rei veritatem. Et istud est gravius primo. Considerando ergo jactantiam prout est quoddam mendacium, quandoque est mortale peccatum, aliquando veniale. Est namque mortale, dum homo aliquid profert jactanter contra Dei honorem aut gloriam, aut proximi caritatem : ut si in verba aliis contumeliosa prorumpat, quemadmodum Pharisæus qui dixit : Non sum sicut ceteri homines, etc. Luc. XVIII, 11. Veniale autem peccatum est jactantia, quando non contrariatur caritati, neque D justitiæ : ut quando aliquis talia de se jactat quæ non sunt contra Deum aut proximum. Insuper utraque jactantia jam præfata considerari potest quoad causam suam sive originem, quæ est superbia, aut appetitus lucri vel inanis gloriæ. Dum ergo origo ejus seu causa est culpa mortalis, tunc et ipsa.

Præterea, sicut ait Isidorus, hypocrita interpretatur simulator. Hypocrisis ergo est simulatio. Non tamen omnis simulatio est hypocrisis, sed illa qua quis personam

alterius simulat : ut dum peccator fingit et exhibet se quasi justum. Itaque duo sunt in hypocrita, videlicet, sanctitatis carentia, et simulatio ipsa. Si quis ergo dicatur hypocrita quia intentio ejus fertur ad horum utrumque, ita ut non curet sanctitatem habere, sed solummodo eam ficte ostendere, sic hypocrisis est mortale peccatum ; sicque in Scripturis accipi solet.
Is. XVI, 14. Unde super Isaiam affirmat Hieronymus : In comparatione duorum malorum, levius est aperte peccare quam sanctitatem simulare. Atque, ut asserit Augustinus, simulata æquitas est duplex iniquitas. Et super il-
Thren. IV, 6. lud Threnorum, Major facta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, habetur in Glossa : Planguntur scelera animæ quæ in hypocrisim labitur, cujus iniquitas major est peccato Sodomorum. Si vero dicatur hypocrita ille qui sanctitatem simulare intendit, qua caret propter mortale peccatum quo sordet ; tunc, quamvis simulatio sit cum mortali peccato, non est tamen semper mortale peccatum, sed interdum veniale, interdum mortale, secundum quod finis quem intendit, contrariatur caritati, aut non. Si enim contrarietur caritati, est culpa mortalis : ut si quis sanctum se simulet ut falsam inducat doctrinam, aut alios fallat seu noceat, mortale est vitium. Si autem finis intentus non opponatur caritati, veniale censetur : ut quando quis simulat sanctitatem quia in ipsa simulatione delectatur, nisi forte delectetur in ea nimis intense. Unde de tali hypocrita scribit Philosophus quarto Ethicorum, quod potius esse videtur vanus quam malus. Aliquando etiam aliquis simulat sanctitatem ad quam non tenetur : quæ simulatio potest esse sine mortali et sine veniali peccato.

Amplius, pertinacia, qua homo nimis immansivus est in suo sensu, est grave et valde periculosum peccatum, imo contrarium docilitati, quæ ponitur prima pars prudentiæ. Et præsertim vitiosum est, esse pertinacem contra judicium seu doctrinam superiorum ac sapientiorum seu communitatis.

Postremo, novitatum præsumptio, quæ et singularitas aliquando appellatur, est mortale peccatum, si aliquid superstitiosum includat, aut ex superbia oriatur, vel directe scandalizativa sit graviter aliorum. Unde de talibus ait in sua Canonica Judas apostolus : Hi sunt qui segregant semet- *Judæ* 19.
ipsos, animales, spiritum non habentes.

ARTICULUS LXXVII.

Quam periculosum, insidiosum, inquietum procaxque vitium sit vana gloria.

N*ON glorietur sapiens in sapientia* *Jer.* IX, 23, 24.
sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis ; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, ait Dominus. Cicero primo de Officiis ait : Cavenda est vanæ gloriæ cupiditas, quoniam eripit animi libertatem soli bono honesto intentam, pro qua viris magnanimis esse debet omnis contentio. Cui auctoritati concordat illud Chrysostomi : Inanis gloria occulte ingreditur, et omnia interiora bona insensibiliter aufert. Quod de inani gloria secundum quod est mortale peccatum, dictum censetur.

Denique, vana gloria est vitium tam inquietum, insidiosum et procax, ut in infinitum se ipsam extendat, immisceat et impugnet. Nam si quis tentationi viriliter reluctetur, mox de ipso suo triumpho inani gloria tangitur ; et si huic inani gloriæ protinus renitatur, rursus de hac ipsa provida agilique renitentia, inani gloria mox pulsatur ; quod si omne bonum Deo totis adscribat præcordiis, denuo pulsat eum hæc gloria maledicta, quasi multum sapienter peregerit. Et quanto quis profundius contempletur aut victoriosius egerit, tanto subtilius et pene imperceptibilius ipsum invadit gloria ista stultissima : imo, etsi profundissime se ipsum humiliet, de hac tanta sui humiliatione nonnunquam tentabitur. Ideo ait Chrysostomus : Cetera vitia locum habent in servis diaboli, sed

vana gloria locum habet etiam in famulis Christi. Quod dictum videtur de vana gloria quæ est veniale peccatum. Verumtamen viri perfecti huic vanæ gloriæ faciliter obviare solent et prævalere, in tantum ut ex ejus impugnatione non inquinentur, sed gloriosius coronentur.

Primo igitur aspernanda et repellenda est vana gloria, quoniam tantæ est vanitatis ac fatuitatis, quod quamvis omnia sub sole contenta, vana vanitasque vocentur, *Eccle.* I, 2. juxta illud Ecclesiastæ, Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, attamen vana gloria tanquam prorsus vanissima sibi hoc nomen appropriavit. Denique, secundum Alexandrum de Hales, creatura dicitur vana, in quantum distat a vero et incommutabili esse : sicque gloria ista dicitur vana, tanquam penitus aliena, aversa, distorta ab increata lege ac sapientia Dei.

Secundo abominanda et extrudenda est vana gloria, quoniam vane gloriosus sibi usurpat quod Dei est, et se ipsum reputat quasi Deum. Deo namque tanquam primo ac summo principio effectivo, debetur *I Tim.* I, 17. omnis honor et gloria : et tamen vane gloriosus hæc sibi usurpat, quod est sacrilegum furtum divini honoris; et ita gloriatur, quasi a se ipso omnia habeat; finem quoque sibi constituit in reputatione ac laudibus hominum, sicque homines constituit sibi finem magis quam Deum.

Tertio odienda est gloria vana, quoniam vane gloriosus frequenter facit se tanto magis contemptum et semper tanto contemptibiliorem, quanto plus cupit, quærit ac satagit ab hominibus reputari ac honorari. Qui enim vanitatem et fatuitatem ejus considerant, ipsum irrident ac asper- *Eccli.* X, 7. nantur. Quemadmodum enim superbia, ita et vana gloria coram Deo atque hominibus exstat odibilis. Unde et homines illum præsertim glorificant quem totius vanæ gloriæ contemptorem consistere intuentur. Sicque vana gloria impugnat ac demolitur se ipsam.

Quarto, quoniam gloriæ vanæ amator est specialiter Luciferi imitator, et ejus in- A sipientiam sequitur. Quemadmodum enim Lucifer maluit ab angelis glorificari quam a Deo, sic vane gloriosus potius ab hominibus quam a Deo reputari desiderat. Rursus, sicut Lucifer gloriam illam inanem quam affectavit, multo præclarius ac melius obtinuisset non vanam, sed veram, si eam non appetisset ; sic homo inanis gloriæ servus humanam gloriam sublimius sortiretur, si ad eam non afficeretur, juxta illud Philosophi : Hoc solum humana gloria habet gloriosum, quod fugit se appe- B tentes, et appetit atque insequitur se fugientes, quemadmodum corporis umbra. Unde et Tullius recitat de Catone, quod quanto plus fugiebat gloriam, tanto plus illa eum insequebatur. Quod utique in Ecclesia Christi sublimius invenitur, quia videmus quod humillimi maxime exaltantur a Deo in triumphanti ac militanti Ecclesia, et frequenter in præsenti vita præ ceteris promoventur. Propter quod Salomon ait : Humilem spiritu sus- *Prov.* XXI 23. cipiet gloria. In Ecclesiastico quoque ha- C betur : Sedes ducum superborum destru- *Eccli.* X, 1 xit Deus, et sedere fecit mites pro eis. Quod sacratissima Virgo in se ipsa experta, fatetur : Deposuit potentes de sede, et *Luc.* I, 52 exaltavit humiles. Nabuchodonosor quoque rex humiliatus pro vana gloria sua, Hu- *Dan.* IV, 1 millimum (inquit) hominem constituet Deus super regnum, ut in Daniele describitur.

Quinto, quoniam gloria vana ita infatuat miserrimum hominem, quod rem prorsus incertam, instabilem, vilem ac D momentaneam, scilicet gloriam ipsam humanam, præponit rei dignissimæ, infallibili ac æternæ, videlicet gloriæ Dei. — Sexto, quoniam pretio digno, utpote opere ex suo genere bono, quo sibi posset mercari regnum cœlorum, præparat sibi ac emit infernale tormentum. Idcirco ineffabiliter stultus est, quemadmodum stolidissimus, imo et penitus insensatus reputaretur, qui pretiosissimo auro, quo posset adipisci regnum terrenum, emeret funem ad suspendendum se ipsum.

Septimo, quoniam vane gloriosus subdit se ipsum diversis ac vilibus suspicionibus ; estque valde instabilis corde, et tanquam arundo vento agitata, ac gallus in cacumine turrium positus, in omnem flectitur partem, et modo exsultat, quum putat se reputari, modo tristatur, dum videt se despici, imo frequenter timore despectionis torquetur. Sed et vili se subjicit servituti, quia eorum voluntatibus satagit deservire, quorum corde et ore appetit honorari atque famari. Sicque impletur in eo
Job xv, 21. illud Job : Sonitus terroris in auribus impii ; et quum pax sit, ille insidias suspicatur.

Abhorreamus ergo hoc crimen, atque in Deo stabiliamus cor nostrum.

ARTICULUS LXXVIII.

Contra vanam gloriam, ex dictis Patrum.

Osee iv, 7. *GLORIAM eorum in ignominiam commutabo.* Valde periculosa est vana gloria, quia per eam fit homo præsumptuosus, et de se ipso nimis confidens, atque ad diversa peccata proclivis : imo desiderio vanæ gloriæ multi magnis etiam corporis se exponunt periculis. Hinc ait Chrysostomus : Qui omnium pecuniarum et opum habuerunt contemptum, et nulli totius mundi imaginationi se miscuerunt, atque tyrannicas corporum concupiscentias devicerunt, multoties a vana gloria capti, perdiderunt omnia bona illa. Iterum ait : Nihil sic facit pecunias affectare, sicut vanæ gloriæ cupido. Ob hanc namque famulorum greges et equos auro opertos mensasque argenteas expetunt homines, non ut utilitatem aut voluptatem hinc hauriant, sed ut plurimis ostendantur ac extollantur. Pro hac gloria eriguntur ædificia pretiosa, et bella geruntur acerrima, exquisiti quoque et curiosi parantur vestitus. — Hinc recte hortatur Isidorus : Quicumque ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat diligenter de collatis sibi virtutibus inaniter gloriari aut erigi, ne per inanem
A gloriam gravius corruat quam prius per lapsum vitiorum jacebat.

Denique, quam diligenter ac incessanter oporteat hujus gloriæ vanitatem vitare, constat ex verbo Bernardi, dicentis : Time sagittam : nam leviter volat, leviter penetrat ; sed, dico tibi, non leve vulnus infligit, imo cito interficit. Hæc sagitta est gloria vana. Nempe, ut ait Gregorius, quum bene vivitur, valde timendum est ne mens, despectis ceteris, singularitatis gloria elevetur : etenim sub hoste quem
B prosternit, moritur qui de victoria culpæ inaniter gloriatur. Verum, ut idem ait Gregorius, interdum contingit quod hi qui optatam hominum gloriam nequeunt obtinere, quasi gloriam fugiendo studeant eam per fictam humilitatem acquirere ; in quibus impletur quod in Ecclesiastico scriptum est : Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. *Eccli.* xix, 23. Contra quod hortatur Hieronymus : Ne nimis religiosus aut humilior quam oportet velis videri, nec quæras gloriam quasi fugiendo
C eamdem.

Porro, ut dicit Chrysostomus, si gloriam cupis, gloriam despice, et omnibus gloriosior eris. Eam namque omnino despicere, est virtutis præcipuæ, dignumque laude. Vitemus ergo suggestionem venenatam quasi dulciter irrepentem. Nam, teste Gregorio, inanis gloria dicit : Age bonum quod vales, ostende cunctis bonum quod facis, ut bonus a cunctis dicaris, ut sanctus ac venerabilis ab hominibus prædiceris, ut nemo te spernat, sed honorem tibi
D omnes impendant. Ecce quam vere asserit Augustinus : Inanis gloria est fallax suavitas, labor infructuosus, timor perpetuus, periculosa sublimitas ; initium ejus sine providentia, finis ejus cum pœnitentia. Nam, ut scribit Ambrosius, non est tanti gaudii excelsa tenere, quanti mœroris de excelsis corruere ; nec tanta gloria sequitur post victoriam, quanta ignominia post ruinam. Idcirco Cassiodorus vere disseruit: Magna est gloria ejus qui nullius laudibus crescit, nullius vituperatione minuitur.

Insuper advertentia dignum est quod ait A Valerius : Expedita et compendiaria via eos ad gloriam pervenire Socrates dixit, qui id agerent, ut quales videri vellent, tales etiam esse satagerent. Qua quidem prædicatione aperte monebat ut homines potius ipsam virtutem haurirent, quam umbram ejus consectarentur. Huic dicto consonat illud Chrysostomi : Dic mihi, hypocrita, quare vis apparere quod non satagis esse ? Si bonum est esse virtuosum, cur non studes esse hujusmodi ? et cur vis esse hypocrita, quod reputari ab- B horres ?

Præterea, contra cenodoxiam, id est vanam gloriam, scribit Cassianus libro de Institutis cœnobiorum undecimo : Certamen nobis est contra cenodoxiam multiformem, variam ac subtilem, ita ut a quibuslibet (licet perspicacissimis) oculis, non dicam caveri, sed prævideri aut deprehendi vix queat. Non solum enim, ut cetera vitia, tentat hominem in parte carnali, sed etiam spirituali, ingerens se menti nequitia subtiliori, ita ut qui non potuerunt carnalibus C vitiis decipi, ex spiritualibus profectibus per vanam gloriam acrius saucientur : quæ est tanto perniciosior ad conflictum, quanto obscurior ad cavendum. Ceterorum namque vitiorum apertior est congressus ; et vitium semel devictum, de cetero impugnat debilius. Sed gloria vana scuto responsionis semel repulsa, rursus ut quædam multiformis bestia, victorem suum sub virtutum specie confodere et jugulare conatur ; atque ex omni parte occurrit, et militem Christi nititur vulnerare in habitu, D forma, incessu, voce, opere, vigiliis, jejuniis, oratione, solitudine, lectione, scientia, taciturnitate, obedientia, humilitate, longanimitate, ceterisque virtutibus. Denique, quem cenodoxia non potuit lædere sub specie vestis speciosæ ac pulchræ, conatur ex squalida et inculta veste ad vanitatem moveri. Quem non potuit per honorem dejicere, humilitate supplantat. Quem scientiæ et eloquentiæ ornatu nequivit extollere, gravitate taciturnitatis elidit. Si quis manifeste jejunet, hujus gloriæ vanitate pulsatur ; si jejunium suum absconderit ad præcavendum gloriam vanam, eodem vanitatis vitio impugnatur. Si palam et prolixius oret, a gloria vana invaditur ; si ob eam vitandam breviter aut secretius preces fundat, similiter mox tentatur. Ideo seniores pulchre describunt naturam hujus vanæ gloriæ per qualitatem similitudinemque cæparum, quæ decoriatæ tegmine uno, inveniuntur alio rursus vestitæ, totiesque reperiuntur obtectæ, quoties fuerint exspoliatæ. Amplius, vana gloria tanto periculosius tentat, quanto plus virtutibus se permiscet ; victa quoque, fortior surgit ad impugnandum. Nec solitudine superatur : imo eos qui fugiunt mundum, validius insectatur ; et eos magis impugnat qui ad spiritualem profectum ferventius se accingunt. Quæ etiam quandoque adeo inebriat mentem, ut phantasiis suis intenta, ita propriis vanitatum suarum imaginationibus occupetur ac obruatur, ut quasi putet se agere aut habere quod cogitat et affectat, quemadmodum somniantibus solet accidere.

Postremo, his per omnia consonant quæ de hac peste gehennali Climacus scribit : Scal. parad. grad. xxi. Vana (inquiens) gloria immutatio est naturæ, perversio morum, laborum perditio, thesauri proditio, proles infidelitatis, præcursatrix superbiæ, naufragium in portu (id est periculum in virtute), formica in area. Gaudet formica ut granum furetur ; gaudet vana gloria ut dispergat virtutes. Spiritus desperationis gaudet videns multiplicatam malitiam ; spiritus autem vanæ gloriæ gaudet videns multiplicatam virtutem. Vigilanter observa, et invenies immundum spiritum vanæ gloriæ florentem usque ad monumentum (id est valide impugnantem homines usque ad mortem eorum) : nam super cunctis adinventionibus vana gloria gaudet. Quale aliquid dicam : jejunans, vane glorior ; et frangens jejunium ne jejunare cognoscar, iterum tanquam prudens inaniter glorior. Præclare vestitus, vincor ab eadem gloria ; et vilia

induens, rursus glorior vane. Loquens, vincor ; et tacens, iterum succumbo. Quocumque projeceris tribulum istum, stat erectis aculeis. Vane gloriosus, est idolorum cultor fidelis : nam Deum colit secundum apparentiam, hominibus vero, et non Deo, placere desiderat. Omnis ostentator sui ipsius et ostentationis amator, est vane gloriosus. Jejunium vane gloriosi et oratio ejus carent mercede, quoniam propter laudem hominum facit utrumque. Sed et corpus suum abstinendo facit tabescere, mercedem vero non accipit. Non suscipias spiritum vanæ gloriæ quum tibi ducatum Fratrum aut magisterium submittit : labor est enim canem istum a macelli mensa repellere. Qui de naturalibus donis inaniter gloriatur, indignus est supernaturalia charismata obtinere. Hæc Climacus.

Itaque, juxta Augustini doctrinam, quales esse volumus in laudibus hominum, tales esse operibus studeamus. Nec ideo nos bonos esse putemus quia ab hominibus dicimur boni, sed proprio judicio magis quam alieno nos discernamus. Quis enim scit quid agatur in homine, nisi spiritus ejus ? (I Cor. II, 11.)

ARTICULUS LXXIX.

De multiplici divisione vanæ gloriæ, et de remediis contra eam.

(Joann. VII, 18.) *QUI a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit ; qui autem quærit gloriam* Dei, *hic verax est, et injustitia in illo non est.* Vana gloria dividitur in diabolicam et humanam. Diabolica est, quando quis gloriatur de culpa, juxta illud : Lætántur quum malefecerint, etc. (Prov. II, 14.) Humana autem dividitur in carnalem ac spiritualem. Carnalis est de exterioribus rebus, excellentiisque sensibilibus ac terrenis : qualis solet esse gloria hominum mundanorum. Spiritualis est de interioribus et supernaturalibus donis.

Præterea, quam acriter hominem tentent hæ gloriæ vanæ, præsertim eum qui ex naturalibus suis aut prava consuetudine

A exstat ad eas proclivis, constat ex præinductis (art. LXXVII, LXXVIII.). Unde et Augustinus fatetur : Quas nocendi vires habeat amor gloriæ vanæ, non novit nisi qui ei bellum indixit, id est, qui ei idonee reluctari assumpsit : quia etsi cuique est facile laudem non cupere dum negatur, difficile tamen est ea non delectari quando offertur. Denique, teste Hieronymo, quidam de ipsa victoria vanæ gloriæ periculosius impugnantur vana gloria ; et hoc procedit in infinitum, quemadmodum de relationibus secundum B rationem Avicenna, Algazel et alii quidam philosophi dicere solent non esse inconveniens eas in infinitum multiplicari. Necesse est ergo hominem undique ac fortiter esse armatum contra gloriam vanam.

Contra quam primum remedium est, sapienter attendere quam vilis, periculosa, damnosa ac odienda sit ipsa in se, et quanta vitia in homine gignat : de quibus in prætactis articulis est tractatum (art. LXXVI-LXXVIII.).

Secundum remedium est, sapienter pensare quod Christus in toto Evangelio pene C de nulla impietate in tantum redarguit Scribas ac Pharisæos, sicut de eorum hypocrisi et gloria vana ; et contra hæc vitia præsertim et copiose ac terribiliter fatur, de vane gloriosis atque hypocritis dicens frequenter, quod receperunt mercedem suam (Matth. VI, 2, 5, 16.). Et rursus : Væ (inquit) vobis, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia : sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus vero pleni estis hy- D pocrisi et iniquitate (Ibid. XXIII, 27, 28.).

Tertium remedium est, attendere quod Christus in omnibus summe vitavit gloriam vanam : Ego (inquiens) non quæro gloriam meam (Joann. VIII, 50.) ; itemque : Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil est (Ibid. 54.). Si Filius Dei non quæsivit gloriam suam, nos qui sumus, qui quæramus gloriam nostram ? Numquid servus major est domino suo (Ibid. XIII, 16.) ? Et si Filii Dei gloria ab ipso quæsita nihil fuisset, quid erit nostra gloria vana, nisi fatuitas pura et impietas infinita ?

Quartum remedium est, rite pensare quod sumus in sæculo isto tanquam in exsilio et via periculosa, atque in valle lacrimarum et carcere quodam : in quibus nequaquam decet nos inaniter gloriari, superbire et in securitate incauta torpere, sed jugiter deflere, humiliare et custodire nos ipsos, et in grandi esse timore, præsertim quia quotidie tam frequenter graviterque peccamus.

Quintum est, occasiones gloriæ vanæ vitare, videlicet : propria bona, quantum rationabiliter fieri potest, abscondere, verba propriam laudem resonantia coercere, facta omnia supererogationis et excellentiæ pro posse celare, non quærere associationem eminentiorum aut familiaritatem prælatorum aut principum, singularitatem quoque et gestus specialem devotionem prætendentes coram aliis præcavere.

Sextum est, simili diligentia observare ne bonis nostris actibus sincera intentione inchoatis, vana gloria ex latere misceatur; atque, ut breviter plura concludam, cogitare quod cito adstabimus ad tribunal Christi, ab eo infallibiliter atque justissime judicandi, qui vane gloriosis non solum nihil mercedis et gloriæ, sed væ æternalis
Ps. xxiv, 15. miseriæ reddet. Sicque sint oculi nostri semper ad Dominum, cui soli placere optemus, et aliis non nisi in ipso.

Postremo, remedia contra superbiam in-
art. xxix. troducta, etiam contra vanam gloriam valent : contra quam et assidua oratio necessaria exstat ac saluberrima medicina, atque dominicæ passionis recordatio præcordialis, quotidiana quoque et assidua interior exercitatio hominis coram Deo, ut quotidie suam conscientiam examinet, peccata sua dijudicet, seque salubriter mortificare, humiliare, contemnere jugiter assuescat.

ARTICULUS LXXX.

Contra choreas.

Job xxi, 12-14. *TENENT tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi ; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Hucusque de peccatis mortalibus ac capitalibus habitus est tractatus ; nunc contra quasdam vanitates, abusiones et impietates in populo magis vigentes, breviter est tangendum, et primo contra choreas, quibus quidam tam incorrigibiliter delectantur, ut prædicantibus contra eas, etsi non verbis, tamen opere dicant : Recedite a nobis, scientiam viarum Dei et doctrinam nostræ salutis audire non volumus, sed viam choreæ ad infernum pergentem tenaciter prosequemur. O qualis est eorum pœnitentia, confessio atque communio, qui circa solennitatem paschalem confitentur et communicant, et in Octavis Paschæ aut paulo post resumunt choreas !

Præterea, in Summa virtutum ac vitiorum, contra choreas chorizantiumque peccata diffuse ac notabiliter scriptum est :

Sex sunt ex quibus perpenditur quam malum sit chorizare. Primum est, quod in choreis habet diabolus non tantum unum gladium ad necandum, sed tot quot sunt ibi personæ ornatæ et pulchræ, quum dicat Hieronymus : Gladius igneus est species mulieris. Nec dubium quin et species viri formaque adolescentium sit igneus gladius mulieri ac adolescentulis. Hinc in Ecclesiastico legitur : In specie mulieris *Eccli.* xxv, 28, 29.
ira et irreverentia et confusio magna. Timendum est igitur quod in choreis multi spiritualiter occidantur, ubi dæmones habent tot gladios ad animarum occisionem paratos, præsertim quia diaboli habent ibi gladios evaginatos, exacutos, et ex omni parte lædentes. In choreis namque pallia et supertunicalia removentur, et chorizantes personæ cum prævia ornatione veniunt ad choreas, atque ex omni parte se ibi ostendunt ac intuentur. Sicque agitur ibi contra id quod in Ecclesiastico sapienter docetur : Averte faciem tuam a muliere *Ibid.* ix, 8.
compta ; et, Virginem ne conspicias, ne *Ibid.* 5.
scandalizeris in decore ejus.

Secundum est, quod in chorea diabolus

utitur non unica facula, sed pyra incensa A ad inflammandum chorizantium atque adstantium corda concupiscentiæ igne. Quemadmodum enim puella aut femina ignis est ad incendendum corda juvenum ac virorum, ita econtra. Quum ergo vix aliquis valeat diu esse juxta unam hujusmodi facularum quin calefiat æstu libidinis, qualiter non calefiet ubi concurrunt tot faculæ, et tot ac tanta objecta ad concupiscendum se repræsentant?

Tertium est, quod in choreis utitur diabolus potentioribus armis quæ habet, et B fere omnibus modis quibus potest. Potentiora quippe diaboli arma sunt mulieres. Gen. III, 1-5. Idcirco mulierem elegit ad decipiendum II Reg. XI, 2-4; III Reg. XI, 1-4; Judic. XVI. primum hominem; et per eas decepit sanctissimum David, Salomonem sapientissimum ac Samsonem fortissimum. Balaam Num. XXXI, 15, 16. quoque elegit ac misit mulieres ad decipiendum filios Israel. Quumque tribus modis tentet diabolus viros per mulieres, videlicet tactu, visu, colloquio; his tribus modis tentat in choreis insipientes, videlicet tactu manuum, dulcedine vocum seu C cantuum, inspectioneque vultuum. Et sicut his tentat viros per feminas, sic econtra. Quomodo ergo non prævalebit in choreis, præsertim quum in Ecclesiastico scriptum Eccli. IX, 1. sit, Colloquium mulieris quasi ignis exardescit? Vir quoque ad feminam est quasi stuppa ad ignem.

Quartum est, quod chorizantes nulli Sancto aut Sanctæ deferunt, sed omnibus eis contumelias faciunt. Quemadmodum enim contumeliam infert Sancto, qui peccat in loco ei dedicato, ita qui peccat in tempore D ei consecrato. Quumque diebus festivis prohibitus sit labor etiam utilis, nequaquam tunc licitus est labor et motus, seu cursus et gressus Sanctis contumeliosus.

Quintum, quoniam chorizantes quodammodo faciunt contra omnia Ecclesiæ sacramenta, scilicet : contra Baptismum, frangendo pactum quod ibi inierunt cum Deo, quum patrinus eorum dixit pro eis : Abrenuntio diabolo et pompis ejus. Dum enim intrant choreas, intrant pompam ac processionem diaboli. Idcirco patrini eorum habent timere ne de violatione pacti illius apud Deum sint rei, nisi admonuerint chorizantes ut inde abstineant. Est autem chorea processio diaboli : in qua chorizantes et cantantes, sunt quasi clerici et monachi aut moniales diaboli ; adstantes vero, sunt quasi conversi et conversæ diaboli. In choreis quoque sunt multa incitamenta ad violationem fidei conjugalis, et carmina ad hoc incitantia. Inferunt quoque chorizantes contumeliam sacramento Pœnitentiæ, frangendo pacem quam per pœnitentiam inierunt cum Deo ; similiter Sacramento altaris, quod acceperunt, et statim gratiæ ejus ingrati sunt, dæmoniisque concordant, similes Judæ proditori, qui quum comedisset cum Christo, paulo Joann. XIII, 26, 27. post tradidit eum hostibus ejus.

Sextum, quoniam chorizantes peccant curioso incessu, ornatu pomposo, tactu lascivo, inspectu incauto, audituque vano, cantu libidinoso. Provocantque adstantes, atque ad consimilia incitant innocentes adhuc puellas ac juvenes, in tantum quod sæpe contra voluntatem et prohibitionem parentum accedunt choreas ; conducunt quoque musicos, qui diebus festivis ludunt et personant eis, quum tamen non liceat eis laborare pro pretio illis diebus, faciendo opera in se bona, honesta, utilia ; saltant quoque, et vana atque fatua delectatione ita inebriantur, quod Deum prorsus obliviscuntur, atque adstantes ad consimilia incitant, et carmina sæpe mendosa ac scurrilia canunt. — Hæc in Summa præfata.

Præterea, primo libro Revelationum S. Brigittæ, beatissima Virgo legitur ad S. Brigittam sic locuta : In chorea sunt tria, videlicet, inanis lætitia, vox effusa, et supervacuus labor. Chrysostomus quoque : Ubi, inquit, saltatio seu chorea, ibi diabolus ; neque enim ad hoc dedit nobis Deus pedes ut cum camelis saltemus, sed ut cum angelis chorum faciamus.

Insuper Jacobus de Voragine in suis ait

sermonibus : Vani homines laudant diabolum ducendo diversas choreas : quod valde fatuum est propter quatuor rationes. Primo, quia choreæ mundi frequenter ducunt ad choreas inferni : cujus signum est, quod chorizantes tendunt ad sinistram ; per quod etiam innotescit quod choreæ sint processio diaboli. Sunt autem in inferno multæ choreæ seu processiones impiorum, scilicet superborum, luxuriosorum, avarorum, jugiter ululantium atque dicentium : Væ, væ, væ. Dicunt enim : Væ quia peccavi, væ quia natus sum, væ quia consensi diabolo, væ quia sic torqueor, væ quoniam mori non valeo, væ quoniam nunquam liberabor. Secundo, quoniam privant chorizantem choreis cœli. Tertio, quoniam chorizantes violant pactum quo promiserunt abrenuntiare diabolo et omnibus pompis ejus ; et magis Deum contemnunt quam si servili incumberent operi, juxta illud Augustini : Melius (id est minus malum) est, diebus dominicis fodere et arare quam choreas ducere. Quarto, quoniam choreæ sunt arma diaboli : sicut est declaratum.

ARTICULUS LXXXI.

Qualiter prædicandum sit caute contra choreas, et de remediis contra ipsas.

Tob. III, 17. *NUNQUAM cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui.* Ex introductis in præcedenti articulo, videtur chorizare esse peccatum mortale, et frequenter sic est : imo chorizans sæpe incurrit simul diversa peccata mortalia, ut ex præhabitis constat. Verumtamen advertendum, quod secundum doctores, chorizare non est ex suo genere peccatum mortale. Unde in Summa Pisana sic quæritur : Utrum chorea et hujusmodi ludi sint liciti. Responsio : Secundum Albertum in quarto, distinctione sextadecima, hujusmodi ludi secundum se non sunt mali, quoniam bene fieri possunt. Sed ex triplici causa possunt fieri mali : primo, si fiant ad provocandum libidinem aut aliquid tale ; secundo, si non conveniant personis, ut religiosis et clericis aut consimilibus ; tertio, si fiant tempore incompetenti, videlicet tempore tristitiæ aut pœnitentiæ. Si autem fiant causa honestæ lætitiæ, et a sæcularibus personis, ac congruo tempore, et aliis circumstantiis debitis observatis, non sunt illiciti.

Deinde in eadem quæritur Summa, an ducentes choreas illicitas peccent mortaliter. Ad quod respondet Guillelmus : Credo quod sic, præsertim si ob provocandam libidinem fiat, aut de consuetudine. Ait namque Hieronymus : Non credo viro, si dicat se illæsum evasisse a spectaculis talium, quum David ex intuitu Bethsabee se lavantis, sit ad libidinem provocatus. — (II *Reg.* XI, 2-4.) Durandus quoque de Ordine S. Francisci scribit in Summa sua : Quædam est chorea laudabilis, quæ fit ad Dei honorem : sicut in Exodo legitur de Maria sorore Moysis, quod sumpsit tympanum et duxit choreas, transito mari Rubro. (*Exod.* XV, 20.) Quædam vero est chorea vituperabilis, puta quæ fit ad dissolutionem. Hæc tamen esse potest sine mortali peccato, si quatuor concurrant. Primum est, si fiat tempore non prohibito. Secundum, si non fiat mala intentione. Tertium, si fuerit non lasciva, ita quod modus chorizandi non sit lascivus. Quartum, si non fiat a persona inde prohibita.

Denique, ut resolutius agnoscatur quid de choreis sentire oporteat, advertendum quod (juxta Philosophum in Ethicis) est quædam virtus moralis quæ eutrapelia vocatur, per quam homo bene se habet circa ludos aut jocos. Quocirca scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima sexagesima octava : Homo interdum indiget corporali quiete et recreatione per ludicra et jocosa, quia non potest jugiter spiritualibus actibus inhærere. Ut autem talia licite fiant, tria principaliter exiguntur : primum, ut delectatio hujusmodi non quæratur in verbis aut factis turpibus aut (art. 2.)

nocivis ; secundum, ne gravitas animæ totaliter resolvatur ; tertium, ut ludi conveniant personæ et loco ac tempori, et aliæ virtutum circumstantiæ observentur. Quum igitur ista in choreis rarissime aut nunquam observentur, certum est quod choreæ rarissime aut nunquam fiant sine peccato.

Quando autem mortaliter vitiosæ sint, constat ex dictis. Imo, quum choreæ sint semper ad minus tam propinquæ ad culpam, imo et ad culpam mortalem, atque tam multæ occasiones in eis consistant ad tantam ruinam, valde vitandæ sunt, et nimis incautum est se periculis tantis committere, parentes quoque sobolem suam et mariti conjuges suas debent inde compescere. Quod si proles aut conjux contra parentis aut mariti prohibitionem visitet aut exerceat eas, aggravatur peccatum, et inobedientia illa videtur esse mortalis. Adstantes quoque et consentientes, involvuntur chorizantium vitiis. Præterea, quantumcumque bona aut simplici intentione quæcumque persona dicat se chorizare, si tamen ex tactu, inspectu, cantu sentiat se libidinose moveri aut stimulari, nisi mox a chorea se abstrahat, peccat mortaliter : quod satis est evidens ex iis quæ circa
art. XL. peccatum luxuriæ sunt conscripta.

Amplius, quia in aliquo casu potest chorea esse sine peccato, atque absque mortali peccato quando exercetur, non videtur securum simpliciter prædicare quod chorizare sit ex suo genere aut semper peccatum mortale : præsertim quoniam verisimile est quod multi non cessabunt a chorizatione, quantumcumque contra eam quis prædicet ; et ita, si putarent chorizationem semper esse culpam mortalem, et tamen accederent exercerentque eam, peccarent semper mortaliter quando hoc agerent, quamvis interdum non esset mortale. Religiosis vero claustralibusque personis, ut dicitur, semper mortale est vitium istud. Quod si fiat in claustro, crimen hoc aggravatur.

Innotescit demum ex præinductis, quam fatue ac vitiosissime agant parentes qui filios suos aut filias docent, incitant aut assuefaciunt ad choreas. Similiter peccant enormiter et valde mortaliter, qui hastiludia, torneamenta, spectacula ab Ecclesia nunc prohibita, et ad choreas quæ post talia exercentur, accedunt aut faciunt, aut uxores seu filias suas ad ea sinunt transire, vel filios aut cognatos suos mancipant exercitiis illis, in quibus jam multæ ac magnæ crudelitates, abusiones, vanitates et carnalitates contingunt.

Postremo, de remediis contra choreas nunc aliqua sunt tangenda.

Primo igitur a choreis omnique vanitate et delectatione inani nos debet retrahere diligens recordatio quod Filius Dei pro nostra redemptione tot et tanta in præsenti sustinuit sæculo, præsertim quod S. Bernardus effatur in Christi persona : Ego Deus et homo, pro te, o homo, spinis coronor, et tu caput tuum sertis et rosis coronas ; ego pro te alba veste irrideor, et tu vestium varietate ac pretiositate lætaris ; ego pro te expansis brachiis in cruce suspendor, et tu brachia tua in choreis vane extendis. Secundo, vigilans consideratio quod choreæ tam periculosæ exstant, atque tam multa ac gravia inducunt peccata. Tertio, quod exsules sumus a paradiso cœlesti, et in loco exsilii constituti lacrimarumque valle et statu miseriæ, infinitis periculis, laqueis vitiisque circumdati. Quarto, quoniam tota vita nostra est cursus ad mortem, appropinquatioque ad divini rigorem judicii. Propter quod debemus quotidie esse magis solliciti, custoditi ac timorati. Quinto, quoniam incessanter tot mala fiunt in mundo, tanta injuria, inhonoratio et offensa fit Deo, tot animæ pereunt ac damnantur, tot pauperes affliguntur ; et nos ipsi toties periclitamur ac labimur, nec scimus diem nec *Matth.*
horam, nec constat nobis an simus æter- XXV, 13.
naliter condemnandi. Quæ omnia si quis rite intueatur, non chorizare, sed flere seque deflere et aliis condolere libebit, ut in Regula sua sanctus tangit Basilius.

At vero, si pensemus in quantis nunc affligantur suppliciis in æternum, qui ante paucos dies aut annos ludis, jocis, choreis, risibus ceterisque mundi vanitatibus ac voluptatibus erant intenti, facile erit omnia illa contemnere. Quid nunc prodest, imo quam ineffabiliter obest nunc eis brevis illa voluptas ac vanitas, quæ tanquam umbra præteriit, jamque æternam patitur ultionem? Siquidem breve est quod delectat, æternum vero quod cruciat. Sed et terribilis illa comminatio Christi dicentis, Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis et flebitis, debet quemlibet Christianum a præfatis vanitatibus merito refrenare. (*Luc.* VI, 25.)

ARTICULUS LXXXII.

De peccato lusorum, potissime de sceleribus taxillatorum.

(*Jer.* XV, 17; XVII, 16.) *NON sedi in concilio ludentium, et diem hominis non desideravi.* Qualiter liceat uti ludis recreativis non prohibitis, tactum est præcedenti articulo. Certumque quod nunquam ludere liceat ex avaritia seu cupiditate lucrandi : imo hoc diebus festis præcipue exstat illicitum ; et ita lucrata, sunt injuste adepta ac restituenda, seu in pios usus vertenda.

Denique, in ludis potest esse excessus dupliciter. Primo, si quis in ludendo utitur turpibus verbis, aut factis nocivis, gestibusve lascivis aut scandalosis : sicque excessus ludi est mortale peccatum ex genere. Secundo, quando in ludo debitæ circumstantiæ non servantur : ut quando non convenit loco, tempori, negotio aut personæ. Et hoc interdum mortale peccatum est, aut propter prohibitionem, aut propter vehementiam affectionis ad ludum, quando videlicet illa affectio tanta est, quod propter eam aliquis ageret aut agit contra Dei caritatem aut jussionem : alias esset veniale peccatum.

Præterea, de hac materia plenissime (A) scribit frater Durandus in Summa sua ; sed brevitati studens, non nisi pauca et huic proposito convenientiora inde accipiam. Itaque inter cetera scribit :

Quidam est ludus probationis et experientiæ : sicut tirones vires suas exercent ac probant luctando, saltando, currendo, equitando, lapides jaciendo, atque in torneamentis ac hastiludiis se viriliter exercendo. Sed quia in torneamentis et hastiludiis fiunt frequenter fraudes, injuriæ, violentiæ, ostentationes, pompæ et expensæ (B) notabiliter excessivæ, multaque alia quæ ludum de se licitum inhonestant, idcirco sunt modo prohibita. De tali ludo dixit ad Joab Abner : Surgant pueri, et ludant coram nobis. (II *Reg.* II, 14.) Est item ludus insolentiæ : sicut sunt ludi chorearum et monstra larvarum. Unde in Exodo legitur : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. (*Exod.* XXXII, 6.) Sub hoc ludo continentur derisiones et illusiones quæ irrogantur viris devotis ac sanctis : quemadmodum Philistæi illuserunt Samsoni, quem eductum de car(C)cere, fecerunt adduci ut luderet coram eis, ut in libro Judicum narratur. (*Judic.* XV, 25.) Alius est ludus vanitatis et evagationis : ut in venationibus atque aucupiis. De quibus Baruch ait : Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, qui in avibus ludunt? (*Baruch* III, 16, 17.) De quibus subditur ibi : Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt. (*Ibid.* 19.) Insuper alius est ludus confusionis : sicut est ludus taxillorum et aleæ. Qui merito dicitur ludus confusionis, quia in ipso bona omnia confunduntur, videli(D)cet bona naturæ, gratiæ ac fortunæ, redditque hominem dignum confusione. De hoc ludo nunc specialiter est tractandum.

De quo quæritur primo, quid sit ludus aleæ. Respondetur : Ludus aleæ appellatur omnis ludus qui viribus fortunæ innititur. Ludus autem qui innititur viribus naturæ, fieri potest in pecunia, dummodo fiat sine periculo : nam ludus noxius est in culpa. Quis enim eos ludos appellet, ex quibus crimina oriuntur? Item, si fiat sine dolo. Ludus autem qui innititur vi-

ribus fortunæ, non potest fieri in pecunia, nisi sex concurrant. Primum est congruitas personæ. Clericis namque in alea ludere non licet. Secundum est congruitas materiæ, ut scilicet fiat pro esculento aut poculento. Tertium est finis, ut scilicet fiat non propter avaritiam seu lucrum, sed propter recreationem. Quartum est mensura : quia non licet sic ludere ultra solidum unum, quamvis lusor sit multum dives. Quintum est congruitas temporis, ut non fiat tempore pœnitentiæ aut luctus, vel communionis. Sextum est congruitas modi, ita ut modus sit sine dolo, ita quod nec contra legem faciat ludi, nec ludentem provocet. Quia vero ludus iste aliter illicitus est, ideo lex punit cooperantes et inspicientes : quia clericus inspiciens arcetur a ministerio per tres annos. Punit quoque ludentes : quoniam quod lucrantur retinere non possunt. Punit item ad ludum cogentes : quia mulctantur pecunia, vel incarcerantur, vel in vincula publica dantur.

Insuper ait : Qui ludunt ad aleas vel taxillos, et qui ludo intersunt, participes quoque et inspectores, peccant, et maxime si clerici sint. Et quam graviter peccent tales, patet ex novem quæ in ludis hujusmodi committuntur. Primum est desiderium lucrandi : ecce cupiditas, quæ est radix omnium malorum. Secundum est voluntas spoliandi proximum : ecce rapina. Tertium est usura maxima, scilicet undecim pro duodecim, non solum in anno vel mense, sed in eodem die. Quartum est multitudo mendaciorum atque otiosorum inaniumque verborum. Quintum est blasphemia. Sextum est multiplex corruptio proximorum qui ad videndum ludum conveniunt. Septimum est scandalum, etiam bonorum. Octavum est contemptus prohibitionis sanctæ matris Ecclesiæ, quæ ludos hos specialiter vetuit. Nonum est amissio temporis, scilicet negligentia bonorum operum quæ tunc fierent. Hæc novem mala ponunt Ostiensis et Raimundus. — Ostiensis vero addit septem alia

Tim. vi.

A vitia. Primum est furtum : quia lusores, cogente inopia, sæpe discunt furari. Secundum est violentia, qua quis quasi violenter tenetur ad ludum. Tertium est crimen falsi, quod committitur in faciendis falsis taxillis, et ex certa causa commodandis aut locandis. Quartum est homicidium : quia de ludo veniunt ad verbera, deinde ad vulnera, et tandem ad homicidium. Quintum est fraus : quia qui melius scit decipere, credit se melius ludere. Sextum est adulatio : nam dicitur : Ecce B quam bonus et pulcher lusor est iste. Septimum est vita turpis et inhonesta. — Hæc Durandus.

Quæ etiam in Summa confessorum habentur pro maxima parte, et partim habentur in Summa virtutum, ubi his additur : Lusor vult spoliare proximum suum rebus ipsius, et etiam proditionem committit, quia illum vult spoliare cum quo paulo ante comedit et bibit. Est quoque in ludo immisericordia, quia unus vult alium spoliare camisia et bracis : quod C non faceret latro spolians peregrinos in nemore. Insuper lusor affligit Patrem suum cœlestem, blasphemando eumdem dum perdit pecuniam. Sæpe quoque jurat, et interdum perjurat, lusor uterque. Irascitur item et comminatur, et violat festa. Postremo, in hoc horum lusorum et taxillatorum apparet insipientia et mens prorsus intimorata, quod volunt ita ludendo acquirere temporalia ad quæ restituenda aut in usus pios convertenda tenentur : ita quod ea quæ perdunt, perdita manent ; D quæ autem lucrantur, tenere non possunt, si unquam velint salvari. Qui vero alium allicit ad ludendum, aut ludendo dolum committit, aut ante ludum simulat se ludum nescire, tenetur quod lucratur reddere ei quem sic allicit aut defraudat. Et præsertim restituendum est eis qui rem suam alienare non possunt : quales sunt furiosi, prodigi, juniores viginti quinque annis, præsertim pupilli ; item mente capti, surdi, muti, cæci, et qui perpetuo morbo laborant.

Hæc et alia materiam istam concernen- A
tia, in præallegatis Summis plenius continentur.

ARTICULUS LXXXIII.

De novem alienis peccatis, descendendo ad particularia, et qualiter quidam in illis enormiter peccant.

Ephes. v, 11. NOLITE *communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem re-*
art. xxi. *darguite.* Superius tactum est aliquid in
communi de novem alienis peccatis : de B
quibus nunc particularius atque diffusius fari oportet. Tanguntur autem novem illa peccata his versibus :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manife-
[stans.

Itaque primum vitiorum illorum est jussio, qua aliquis jubet aliis committere malum vel omittere bonum. Nam quidquid mali ex ejus jussione committitur,
similiter quidquid boni ex ejus præcepto C
omittitur, totum redundat in ipsum, et universorum ex sua jussione peccantium vitia, ei a Deo justissime imputantur ; et quo plures ei in malo obediunt, eo plurium peccatis ipse solus involvitur. Ex quibus probatur quam enormiter peccent principes et præsidentes qui concitant bella injusta. Et quando ex tali jussione procedit spoliatio aliorum, tenetur jussor ille ad restitutionem.

Secundum est consilium, quo aliquis
præstat scienter prava consilia ad mala D
agenda sive ad bona impedienda. Ideo consiliarii magnatum, nisi fuerint vere prudentes et timorati, ac boni communis æmulatores, illud magis optando et exquirendo quam propria commoda, incidunt multa enormia crimina : imo interdum plus peccant quam principes qui mala fieri jubent. Idem suo modo dicendum est de consiliariis communitatum et quorumcumque superiorum aut congregationum.

Tertium est, consentire aliorum peccatis, ita quod illa placent alicui. Sic enim voluntas ejus conformis est perversæ voluntati illorum ; et quod reprobat, odit ac prohibet Deus, complacet ei, estque aversus a Deo ; et Dominus, qui cordis inspe- Prov. xxiv, 12.
ctor est, atque secundum cordis affectionem dispositionemque judicat, talem judicat ita reum ut sunt quorum peccatis consentit.

Hinc primo constat quam periculosum ac vitiosum sit peccatis communitatis seu plurimorum consentire ; item quam grave et periculosum sit, ad spectacula et choreas, ad hastiludia et torneamenta transire, aut ludos inhonestos, in quibus turpia fiunt, accedere, et ea cum risu et complacentia intueri, atque cum dissolutione et complacentia inde loqui. Quæ nequaquam carent culpa mortali, maxime si religiosus aut clericus ita consentiat, inspiciat, recitet, delectetur, et non potius oculos inde avertat, vel cum interna errantium compassione ac deploratione inspiciat. Quid enim deterius quam delectari et complacere in talibus, in quibus nihil est nisi Dei offensa, vanitas, dissolutio multiplexque injustitia ?

Amplius, innotescit ex iis quam ineffabiliter peccent parentes qui filios suos aut filias simoniace, id est cum pacto, conditione aut conventione, ponunt in claustris, vel ad beneficia ecclesiastica promovent. Tales quippe non solum simoniacam pravitatem, quæ est peccatum gravissimum, in propria persona committunt, sed et universas personas conventus quæ ad receptionem talem concurrunt, faciunt sic peccare ; similiter propriam sobolem, si rationis sit capax et præstet consensum, imo et universos qui ad rem illam illicitam cooperantur sive consentiunt, nisi forte sint adeo idiotæ et simplices, quod per ignorantiam excusentur. Similiter peccant qui prolem suam ponunt in claustris non reformatis, sed deformatis, in quibus non est observantia regularis. Exponunt equidem prolem suam discrimini maximo

et damnationi gravissimæ, quoniam valde probabile est quod proles in religione et congregatione tali professa, vivet ut ceteri qui sunt ibi. Nec videntur parentes per ignorantiam excusari, quum jure naturali atque divino teneantur esse solliciti pro sobole sua, ita quod dum ponunt eam ad certum statum in quo debeat secundum eorum æstimationem usque ad finem vitæ perseverare, obligantur attendere aut investigare qualiter id congruenter sit faciendum, actumque suum per virtutem prudentiæ rite dirigere, præsertim actum tam specialem et magnum. Nempe, si nuptui traderent eam, nonne attenderent aut diligenter perquirerent de qualitate, parentela et rebus ejus cui danda esset proles eorum ad nuptias ? Quanto magis dum eam volunt in claustro locare et Deo offerre cœlestique tradere Sponso, sciscitari debent aut scire qualiter id agi oporteat ? Est autem vitium simoniæ tam grande, ut dicat Tarasius episcopus, quod tolerabilior est impia hæresis Macedonii, qui deitatem Spiritus Sancti negavit, quam simoniaca pravitas. Quam et S. Gregorius hæresim vocat. Sanctus quoque Hieronymus in Regula sua districte præcipit monialibus Ordinis sui, ut in recipiendo Sorores ad Ordinem, omnem vitent simoniacam pravitatem ac hæresim, ita ut nulla interveniat pactio, nulla conventio de aliquo dando. Præterea, si aliqui ita carnales et excæcati exsistant, ut prolem suam ponant in claustro non principaliter propter Deum, et ut proles vere claustraliter juxta regulam Ordinis vivat, sed ut exonerati sint ab ulteriori prolis provisione, vel propter mundi honorem, sive ut proles in temporalibus satis abundet ; tales parentes enormiter peccant, sacrilegiumque committunt, abutendo sacra religione, eam ordinando ad commoda carnis honoremque sæculi, bona quoque temporalia claustri referendo ad vitam irregularem, quum tamen bona illa solum sint data ac ordinata ad sustentationem eorum qui regulariter conversantur, ita quod alii, scilicet irreligiose in claustro post professionem viventes, nihil juris habent in bonis illis, secundum Guillelmum Parisiensem : hoc enim elicitur et probatur ex dictis ejus in libro de Collationibus ecclesiasticorum beneficiorum.

Decret. p. II, caus. 1, q. 1, c. 21.

Ibid. c. 3 et 8.

Quartum inter aliena peccata est palpatio, qua quis adulatur peccanti, et approbat ejus peccatum seu laudat, juxta illud Psalmi : Laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Et istud tunc maxime vitiosum censetur, quando quis agit hoc intuitu sui commodi aut honoris, seu desiderio complacendi ei qui peccat. Quocontra ait vir sanctus : Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Porro, si fiat timore pœnæ aut damni, adhuc exstat peccatum ; sed tanto plus alleviatur quanto minus de voluntario habet. Ait enim Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Idcirco non debemus aliquam adversitatem sic formidare, ut a justitia recedamus aut vitia commendemus.

Ps. x, 3, sec. Hebr.

Ps. CXL, 5.

Matth. x, 28.

Quintum est recursus, hoc est hospitare transgressorem propter peccatum commissum aut committendum, sive ad defendendum eumdem contra justitiam.

Sextum est, participare, id est aliquid sibi assumere de re injuste adepta, si sciatur aut æstimetur eam injuste acquisitam.

Septimum est, esse mutum, id est celare et dolose tacere excessum quem videt aliquis aut scit, si tamen ad statum ejus pertineat talia non celare, sed propalare. Religiosis quippe non convenit ea in lucem producere, præsertim si reo inde immineret periculum captivitatis aut mortis.

Octavum est, non obstare, id est peccatum alterius non impedire nec ei resistere loco et tempore congruo quantum convenienter ac rationabiliter fieri posset. Quod tamen potissime spectat ad præsidentes et superiores quantum ad subditos suos, et ad parentes quoad sobolem suam atque familiam. Et quanto plus posset quis alios a peccato retrahere, sive ex potestate jurisdictionis, sive ex cognatione

aut familiaritate, seu societate et amicitia, A tanto gravius peccat hoc omittendo, particepsque efficitur vitiorum ita peccantium. Ex quibus facile perpenditur quam innumerabilia, multa et magna incurrant peccata episcopi et alii magni prælati, principes quoque terreni, qui tot et tanta possent in territoriis aut populis eis subditis emendare, reformare et præcavere, nec faciunt, quia non habent ferventem ad Deum amorem neque sincerum justitiæ zelum, nec spiritualiter diligunt subditos, imo, proh dolor! nec se ipsos, sed B quærunt quæ sua sunt, vel potius quæ suæ adversantur saluti. (Philipp. II, 21.) Iterum constat ex iis quam graviter peccent parentes qui sobolem suam non reprimunt a peccatis pro posse, et qui filios suos sciunt vivere incontinenter, nec curant eos compescere, vel saltem per matrimonium refrenare.

Nonum est, non manifestare peccatum, causa id exigente, præsertim si quis juridice requiratur ad testimonium perhibendum. C

O quam faciliter potest unus fieri particeps vitiorum alterius modis præfatis, nisi sit valde custoditus, timoratus ac justus! Ideo quidam sanctorum Patrum in eremo jugiter clamavit ad Dominum : Custodi me, Domine, a proximo meo. Ecce qualiter miseri homines currunt ad torneamenta et hastiludia, præsertim in Carnisprivio! Quam stolidissime arrident, si quis aliquam imprægnavit, si quis animose locutus est et fortiter restitit aut plurimos vulneravit, si quis plura et magna D beneficia procuravit et habet, si quis in vestibus, victualibus et thesauris consimilibusque abundat! Sicque in diversa ac gravia præcipitant se peccata, et non habentes effectum operis, in reatum se jactant impiæ voluntatis. Timendum quoque quod paucissimi veram de iis faciant confessionem, imo nec ponderent ista.

Præterea advertendum, quod dum aliorum peccata exstant mortalia, tunc et ii qui eis communicant in peccatis hujusmodi aliquo horum novem modorum, peccant mortaliter, nisi forte ex parvitate imperfectioneque actus a mortali aliquando excusentur. Postremo, si alicui auferatur injuste res sua ab aliquo, illi qui in peccato participant sive communicant auferenti, tenentur etiam spoliato seu damnificato aut diffamato ad restitutionem, sive in toto sive in parte, secundum quod præstant causam, occasionem aut cooperationem in toto sive in parte, vel non impediunt neque redarguunt sicut tenentur.

Vere arcta et valde arcta est via salutis. (Matth. VII, 14.) Ideo unusquisque quotidie conscientiam suam examinet, sicut hortatur Aggæus propheta : Ponite (inquiens) corda vestra super vias vestras. (Agg. I, 7.) Et juxta Joannis et Ezechielis oraculum, simus animalia oculata ante et retro plenaque oculis, ut simus undique circumspecti et timorati, (Apoc. IV, 6. Ezech. I, 18; X, 12.) studeamusque scire, memoriter retinere, efficaciter adimplere necessaria ad salutem.

ARTICULUS LXXXIV.

Quod gubernatio ac refrenatio linguæ sit valde necessaria ad obtinendam gratiam ac salutem.

SI quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. (Jacob. I, 26.) Religiosi uno modo dicuntur, qui sæculo renuntiaverunt, atque per tria vota solennia, scilicet paupertatis, castitatis et obedientiæ, obtulerunt se et consecrati sunt Deo, puta claustrales. Unde et religio uno modo accipitur pro Ordine monastico seu observantia hujusmodi regulari. Ad hos refrenatio linguæ in tantum pertinet, quod sancti Patres qui Ordines instituerunt, diligenter ordinaverunt ut observent silentium, et sine superioris sui licentia non loquantur.

Alio modo religiosi dicuntur omnes vere devoti. Sicque omnes veraciter christiani, sunt religiosi, quia religio proprie di-

citur virtus moralis per quam creatura rationalis Deo cultum cærimoniamque impendit : quæ virtus alio nomine latria appellatur. Juxta quem modum gloriosi imperatores, Constantinus, Theodosius, Carolus, leguntur fuisse religiosi imperatores, id est multum devoti. Et juxta istam religionis acceptionem loquitur sanctus apostolus Jacobus de religiosis in auctoritate præfata, per religiosum intelligens quemcumque fidelem seu Christianum. Nam post verba præallegata protinus subdit : Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, etc. Quod ad quemlibet Christifidelem certum est pertinere loco et tempore congruenti.

Jacob. I, 27.

Denique, quam necessaria ac salubris sit refrenatio linguæ, quam item periculosa atque damnabilis sit irrefrenatio ejus, apostolus Jacobus in sua Canonica frequentissime ac plenissime docet : Lingua (inquiens) modicum membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus (id est quam parvus) ignis quam magnam silvam incendit ! Et lingua ignis est. Universitas iniquitatis lingua (id est per linguam) constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus nostrum, et inflammat rotam nativitatis nostræ (hoc est totum vitæ nostræ gyrum incessantemque processum atque decursum assiduum ab infantia usque ad senium), inflammata a gehenna (id est a diabolo habitatore inferni), plena veneno mortifero. Multaque alia scribit sanctus iste Apostolus de hac ipsa materia, quæ nunc partim tangentur.

Ibid. III, 5, 6, 8.

Primo igitur necessarium est diligentem esse ad refrenandum gubernandumque linguam, quoniam Christus in Evangelio protestatur salutem et condemnationem hominis consistere in lingua ipsius : salutem videlicet, si linguam recte gubernet, inutilia, illicita et nociva verba vitando, utilia vero et salubria proferendo ; condemnationem vero, si ita non egerit. Etenim apud Matthæum ait : Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. Hinc Sapiens ait : Mors et vita in manibus (id est potestatibus seu usibus) linguæ. Hinc Salomon diversis in locis Proverbiorum ait : Qui custodit os suum et linguam suam, ab angustiis custodit animam suam ; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

Matth. XII, 37. *Prov.* XVIII, 21. *Ibid.* XXI, 23 ; XIII, 3.

Secundo, quoniam Christus specialiter comminatur homines judicandos ac puniendos pro verbis illicitis. Siquidem apud Matthæum loquitur : Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Quod si de verbis otiosis, quæ sunt venialia peccata, exigenda est ratio infligendaque ultio, quanto magis de verbis mendosis, perniciosis, detractoriis, discordiæ seminativis, lubricis, præsumptuosis, superbis, quæ omnia sunt mortalia peccata et valde mortalia ? Ecce quam custoditos Christus voluit esse Christianos, quos etiam a verbis otiosis ac levibus ita compescuit ! Noverat quippe quam pronus sit homo ad verba inania ; quod item paulatim corruit homo a levioribus ad graviora, et quod cito ac facile labitur ad verba mortaliter vitiosa, qui non est sollicitus præcavere verba venialiter culpabilia.

Matth. XII, 36.

Tertio, quia pro uno verbo prohibito asserit Judex summus infernale atque perpetuum esse supplicium infligendum. Dicit namque apud Matthæum : Qui dixerit fratri suo, Raca (id est verbum aspernativum), reus erit consilio ; qui autem dixerit, Fatue (id est verbum superbum), reus erit gehennæ ignis. Ecce quam ineffabiliter necessaria est linguæ custodia ! Et mirum atque deflendum, quod multi Christiani intimorati tam specialiter proni sunt ad proferendum de proximo suo, Fatuus est, vel ad eum, Stulte, quasi Christus non dixisset : Qui dixerit fratri (id est proximo) suo, Stulte, indignus est regno cœlorum.

Ibid. V, 22.

Quarto, quoniam lingua est maxime proclivis ad mala ; et quanto proclivior est ad ea, tanto plus necessarium est eam

reprimere. Rursus, quanto proclivior est A ad peccandum, tanto difficilius est ipsam domare ac regere ; et quanto id difficilius laboriosiusque consistit, tanto salubrius magisque meritorium exstat. Idcirco ad insinuandum hæc omnia beatissimus Ja-
Jacob. III, 7, 8. cobus ait : Omnis natura bestiarum et volucrum et serpentium domantur et domita sunt a natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest (videlicet brevi debilique conatu, aut sine auxilio gratiæ Dei), inquietum malum. Itaque per verba hæc innuit sanctus Apostolus, quod B lingua pravorum sit ferocior bestiis, levior avibus, venenosiorque serpentibus.
Ps. LXIII, 4. Ideo de maleloquis ait Psalmista : Exacuerunt ut gladium linguas suas ; et rursus :
Ps. CXXXIX, 4. Venenum aspidum sub labiis eorum. Hinc quilibet homo debet Deum jugiter exorare pro gratia gubernandi refrenandique propriam linguam. Hoc enim est donum Dei.
Prov. XVI, 1. Propter quod in Proverbiis dicitur : Hominis est animum præparare, et Domini, gubernare linguam. Propheta quoque orat
Ps. CXL, 3. in Psalmo : Pone, Domine, custodiam ori C meo, etc. Et in Ecclesiastico ait vir sa-
Eccli. XXII, 33. piens : Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea me perdat ? Oportet igitur unumquemque Deo placere volentem, infatigabiliter laborare ad refrenandum linguam suam ab omni verbo illicito. Unde sanctus quidam eremita jugiter clamavit ad Dominum : Custodi me, Domine, a lingua mea. In ore quoque infantium qui baptizantur, sal ponitur, ad insinuandum quod membrum D illud faciliter scateat vermibus vitiorum, nisi per sapientiam et discretionem regatur.

Quinto, quoniam nisi lingua frenetur, homo innumerabilia vitia etiam valde horrenda illabitur. Propter quod sanctus Ja-
Jacob. III, 6. cobus dixit (quod tactum est) : Universitas iniquitatis lingua constituitur in membris nostris, etc. Nonne ex incustodia linguæ nascuntur mendacia, perjuria, lites, contentiones, detractiones, verba injuriosa, bella, homicidia, et consimilia, ita quod incontinens proprii oris universis patet peccatis ? Ideo in Proverbiis asseritur : Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita et vir qui non potest in loquendo *Prov.* XXV, 28. cohibere spiritum suum. Hinc homo loquax assimilatur vasi operculum non habenti, quod immunditiis mox repletur, et equo sine freno, navi quoque et currui gubernaculum seu ductorem nullum habenti, quæ faciliter evertuntur. Quemadmodum ergo specialiter est necesse januam castri portamque urbis ab hostibus custodire, ita oportet os proprium observare, ne invisibiles hostes introeant animam.

Sexto, quoniam lingua data est homini ad laudandum benedicendumque Deum : idcirco nefarium est eam ad verba laxare iniqua. Quod innuens Jacobus : In *Jacob.* III, 9, 11. ipsa (scilicet lingua) benedicimus (inquit) Deum, et in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem et similitudinem Dei facti sunt. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam ?

Septimo, quoniam refrenatio linguæ est sapientiæ signum et effectus prudentiæ, irrefrenatio autem linguæ signum est et effectus stultitiæ. Propterea in Proverbiis fertur : Qui moderatur labia sua, pruden- *Prov.* X, 19. tissimus est. Et sanctus Job : Utinam (in- *Job* XIII, 5. quit) taceretis, ut putaremini esse sapientes. Rursusque Salomon ait : Vidisti *Prov.* XXIX, 20. hominem velocem ad loquendum ? Stultitia magis speranda est quam illius correctio.

Sunt autem et aliæ causæ diversæ ob quas tam necessarium ac salubre est reprimere linguam. Quod etiam philosophi agnoverunt. Unde super illud Jacobi, Sit *Jacob.* I, 19. autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, recitat Beda : Pythagorici naturalis scientiæ magisterio præditi, auditores seu discipulos suos per quinquennium jusserunt silere, et postmodum loqui ac docere sinebant.

Legitur quoque in Vitaspatrum, quod abbas Agathon per triennium tulit in ore

proprio lapidem, ut disceret plene silen- A tium. Unde quum abbas Pastor coram aliquibus Fratribus Agathonem vocaret abbatem, et Fratres illi dixissent, Juvenis est, cur vocas eum abbatem? abbas Pastor respondit : Os ejus fecit eum vocari abbatem.

Postremo, sicut moderate taciturnus, amabilis venerabilisque censetur ; sic loquax, contemptibilis atque odibilis perhibetur. Hinc in Ecclesiastico ait Scriptu- Eccli. xxi, 11. ra : Tacitus et sensatus honorabitur ; et Ibid. xx, 5. iterum : Odibilis est qui procax est ad lo- B quendum.

ARTICULUS LXXXV.

De quibusdam vitiis linguæ vitandis, videlicet mendacio, detractione, susurratione, et de gravitate vitiorum istorum.

Sap. i, 11. OS *quod mentitur, occidit animam.* Ex hoc verbo elicitur quod mendacium sit peccatum mortale. Nam et Psalmista Ps. v, 7. loquitur Deo : Perdes omnes qui loquun- C tur mendacium. Quum etenim Deus sit essentialiter veritas ipsa, valde displicet ei mendacium. Verumtamen ponitur triplex mendacium : unum jocosum, quod fit propter delectabile seu causa ludi ; secundum officiosum, quod fit alicujus utilitatis intuitu. Et hæc duo mendacia sunt ex suo genere venialia mala. Tertium est perniciosum, quod fit intentione nocendi, estque mortale. Præcipue autem est vitiosum, ex consuetudine seu sola mentiendi ac fallendi libidine mentiri : quod D oritur ex habitu vitioso. Idcirco in Eccle- Eccli. xx, 7. siastico dicitur : Potior est fur quam assiduitas viri mendacis. Hinc in Proverbiis Prov. xxx, 8. Salomon loquitur Deo : Duo rogavi te, ne deneges mihi : vanitatem et verba mendacii longe fac a me. Rursus alibi in Pro- Ibid. vi, 16, 17. verbiis inter sex quæ odit Deus, ponitur unum lingua mendax. Imo et apud homines sæculares valde honestum est, esse veracem in verbis ; valdeque turpe, faciliter et frequenter mentiri.

Insuper, contra detractionem Scriptura copiose et acriter loquitur. Detractio quippe est denigratio famæ alienæ per verba occulta. Detractor namque, quantum in se est, inducit audientes ad male sentiendum de eo cui obloquitur. Dicitur quoque detractor, non quod in detrahendo semper de veritate aliquid subtrahat, sed quoniam, quantum in se est, bonitatem famæ alterius semper dirimit aut corrumpit in cordibus audientium suam detractionem. Imo, si quis dicat veraciter mala de alio, adhuc est detractio, si famam illius denigrare intendit, nec ex rationabili causa, loco et tempore opportuno profert mala illa de illo. Detrahit quoque, qui bona alterius asserit mala intentione peracta ; item qui bona alterius opera negat, aut malitiose reticet ea. Insuper, quoniam bona fama præferenda est cunctis divitiis exterioribus, ideo detractio est gravior culpa quam furtum. Detractor quoque tenetur ei cujus famam commaculavit, restituere pristinam famam, fatendo se detraxisse seu mendose aut inordinate locutum. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. O quam pauci ponderant ista, et quam raro detractores talem faciunt restitutionem, quum tamen absolvi non valeant, nisi proponant et fateantur se eam facturos ! Est autem detractio contra legem naturalem et divinam ac positivam, et secundum Gregorium, ex invidia oritur, et mentem excæcat.

Hinc ait Salomon : Cum detractoribus Prov. xxiv, 21, 22. ne commiscearis, quia repente consurget perditio eorum ; itemque : Si mordeat ser- Eccle. x, 11. pens in silentio, nihil minus eo habet qui occulte detrahit. Jacobus quoque apostolus : Nolite (inquit) alterutrum detrahere, Jacob. iv, 11. fratres : qui enim detrahit fratri, detrahit legi. Hinc demum scriptum est in Sapientia : Custodite vos a murmuratione, et a Sap. i, 11. detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus non ibit in vacuum.

Præterea, ex inductis paulo ante de no- art. lxxxiii. vem peccatis alienis, perpendi faciliter potest qualiter et quam multum peccet

qui audit detractionem. Peccat enim, si consentit aut complacentiam habet in ea; aut si non resistit debito modo, videlicet detrahentem increpando, si ei sit spes de illius emendatione, et præsertim si sit prælatus ipsius; vel si saltem non avertit se a detractore pro posse, aut si non ostendit ei faciem tristem ad innuendum quam invite audiat detractionem ejus, et quam grave crimen sit ipsa. Nempe, ut in Ecclesiaste legitur, per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. In Proverbiis quoque conscriptum est : Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Nemo ergo ex carnali amore aut humano timore, vel ad complacendum obloquenti, æquanimiter audiat eum, sed neque intuitu alicujus commodi proprii aut honoris. Hinc constat quam gravissime peccet detractor, quia non tantum interimit propriam animam, sed et animas universorum, quantum in se est, qui suam audiunt detractionem, imo et animam ejus cui obloquitur, dando ei incitamentum peccati mortalis : si enim ille perceperit a quo et qualiter ei detractum sit, habet occasionem et incitamentum iræ, indignationis, invidiæ et oblocutionis contra detractorem. Hinc, teste Bernardo, lingua detractoris est gladius triceps, id est tripliciter scindens seu tres occidens.

Eccle. VII, 4. — *Prov.* XXV, 23.

Denique, recitat S. Clemens, quod sacratissimus princeps Apostolorum Petrus dixit tria esse homicidii genera : unum corporale, alia duo spiritualia, scilicet detractionem et odium. Quo constat quam vehementissime summus ille Apostolus detractionem abhorruit. Detractor namque occidit eum cui obloquitur, in cordibus audientium detractionem, quantum ad esse bonæ reputationis quod in illorum habuit mentibus, quibus reddit eum cui detrahit, despectum ac vilem : per quod consequenter nocet ei frequenter in pluribus aliis tam corporalibus quam spiritualibus bonis. Ideo periculosissimum est cuicumque detrahere.

Amplius, in Summa virtutum et vitiorum ponuntur sex species detractionis, partim prætactæ. Prima et pessima est, alteri imponere crimina falsa; secunda, revelare mala ejus secreta; tertia, mala audita cum aggravatione ultra referre; quarta, bona aliorum occulta negare; quinta, manifesta bona minuere; sexta, bona aliorum in mala convertere seu in pejus interpretari.

Insuper, secundum Thomam in secunda secundæ, quæstione septuagesima quarta, art. 1, 2. susurratio convenit cum detractione in materia ac modo loquendi : tam enim susurrator quam detractor dicit de aliis malum occulte. Idcirco unum vitiorum istorum frequenter pro alio sumitur. Proprie tamen distinguuntur differuntque in fine : quia detractor intendit et cupit famam alterius maculare; susurrator vero intendit et appetit inter alios discordiam seminare amicitiamque corrumpere. Propter quod etiam dici potest bilinguis, quia duabus utitur linguis inter duos loquendo, unicuique eorum loquens occulte de alio ea quæ incitativa sunt ad inimicitiam atque discordiam. Hinc susurratio est enormius crimen quam detractio. Peccata quippe in proximum tanto sunt graviora quanto majoris nocumenti sunt illativa. Amicitia autem et concordia sunt bona majora quam fama bona, præsertim quum in Ecclesiastico dicatur : Amico fideli nulla est comparatio; amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis. Rursus, peccata tanto sunt graviora quanto plus contrariantur caritati atque justitiæ : quibus certum est susurrationem magis contrariari quam detractionem. Hinc quoque periculosius est susurranti consentire quam detrahenti. Eisdem etiam modis quibus fit detractio, fieri potest susurratio. Suntque vitia ista tunc graviora, quando quis detrahit superioribus suis aut virtuosis hominibus, aut inter tales ac inferiores conatur seminare discordiam.

Eccli. VI, 15, 16.

At vero contra hoc vitium diabolicum copiose ac terribiliter loquitur sacra Scriptura. Scriptum est enim in Levitico : Non *Lev.* XIX, 16

eris criminator nec susurro in populo. Et in Proverbiis : Detestatur Domini anima eum qui seminat inter fratres discordias ; itemque : Susurrone subtracto, jurgia conquiescunt ; et rursus : Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad intima ventris. In Ecclesiastico quoque asseritur : Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes.

Prov. VI, 16, 19. *Ibid.* XXVI, 20. *Ibid.* 22. *Eccli.* XXVIII, 15.

ARTICULUS LXXXVI.

De contumelia, derisione et maledictione.

Prov. XI, 2.

UBI *fuerit superbia, ibi erit et contumelia.* Quemadmodum rapina in hoc differt a furto, quod rapina est ablatio rei alienæ injusta per violentiam manifestam, furtum vero in occulto ; sic contumelia differt a detractione, quia contumelia est prolatio verborum injuriosa, minorativa honoris alterius, aperte in faciem ejus expressa, detractio autem est injuriosa verborum prolatio, minorativa honoris seu famæ, in absentia ejus cui detrahitur facta. Ideo dicit Thomas in secunda secundæ, quod sicut aliquis lædit alium facto dupliciter, scilicet evidenter et secrete, ita et verbis. Denique, sicut rapina est majus peccatum quam furtum, quia in rapina major aspernatio, injuria ac violentia irrogatur ei cui res sua aufertur, quam in furto ; ita contumelia detractione est gravior eadem ex causa.

q. LXXIII, a. 1.

Insuper, sicut Thomas tangit, atque in Summa confessorum ac Summa Pisana habetur, derisio est speciale peccatum. Quemadmodum enim aliquis alteri convitiando seu contumeliam inferendo, intendit deprimere aut auferre convitiati honorem, et detrahendo, minuere alterius famam, ac susurrando, tollere aliorum amicitiam mutuam ; sic irridendo intendit quod is quem deridet, erubescat erubescentia confusibili, inhonesta. Et quia hic finis est distinctus ab aliis, derisio est speciale peccatum.

Summ. th. 2a 2æ, q. LXXV, a. 1.

A Si autem quæratur an sit mortale peccatum, respondetur in libris prætactis, quod derisio dicitur, dum quis defectum aut malum alterius vertit in risum, ludum aut jocum. Et si fiat hoc in quantum malum illud est parvum in se, vel in quantum putatur parvum, quamvis sit magnum ; tunc est veniale peccatum. Si autem accipitur tanquam parvum ratione personæ derisæ, hoc est mortale peccatum : quoniam hoc est personam nimis parvi pendere, atque tam vilem reputare, ut de B malo ejus non sit curandum, sed sit pro ludo aut pro nihilo reputandum. Sicque derisio videtur esse enormius vitium convitio seu contumelia : quoniam contumeliosus accipit malum alterius seriose, irrisor autem accipit illud illusorie, sicque magis contemnit et inhonorat proximum quam convitiator. Unde derisor, quantum in se est, derisi conscientiam inquietat, et pacem ejus perturbat. Et quanto aliquis est honorabilior in se vel per respectum ad irridentem, tanto gravior culpa est deC risio ejus.

Summ. th. 2a 2æ, q. LXXV, a. 2.

Unde Scriptura communiter loquitur de derisione tanquam de mortali peccato. Scriptum est enim in Proverbiis : Abominatio Domini est omnis illusor, et illusores ipse deludet. Et in eisdem alibi habetur : Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. Rursusque Salomon ait : Qui illusor est, non audit quum arguitur. Sed et in Isaia fertur : Væ qui spernis : nonne et ipse sperneris ? Quum fatigatus desieris conD temnere, contemneris. Sic et Apostolus ad Romanos loquitur : Tu quare spernis fratrem tuum ?

Prov. III, 32, 34. *Ibid.* XXII, 10. *Ibid.* XIII, 1. *Is.* XXXIII, 1. *Rom.* XIV, 10.

Videtur autem derisio ex superbia aut invidia seu ex negligentia propriæ considerationis oriri. Qui enim propriam naturam, originem, defectuositatem et culpam idonee pensat, se ipsum, non alios irridet. Ad quod insinuandum scriptum est in Malachia : Numquid non pater unus omnium nostrum ? numquid non Deus unus creavit nos ? Quare ergo despicit

Malach. II, 10.

unusquisque fratrem suum? Est autem irrisio non solum contra caritatem, sed et contra justitiam : quoniam proximus, quantumlibet pauper et modicus, est magni pendendus atque curandus, in quantum superaltissimæ Trinitatis imagine insignitus, ad æternam beatitudinem conditus, et Christi sanguine liberatus.

Præterea, maledictio proprie sumpta, est imprecatio mali, qua quis appetit aut imperat alterius malum in quantum malum. Quod vitiosum est, et mortale ex genere suo, quia caritati contrarium, quum dicat Apostolus : Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et rursus : Benedicite (inquit) persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere. Et respicit maledictio proprie malum pœnæ. Si quis autem optet alteri malum pœnæ ex zelo justitiæ, vel ut castigetur salubriter, non est malum nec maledictio proprie. Potest quoque maledictio esse veniale peccatum propter parvitatem mali quod unus alteri imprecatur; vel si ex ludo, subreptione aut levitate verbum maledictionis quis proferat, quoniam vitia oris ex affectu et intentione cordis potissime ponderantur.

I Cor. VI, 10. Rom. XII, 14.

Vitanda sunt ergo omnia vitia ista tam gravia, et summe cavendum ne in consuetudinem trahantur. Sed, proh dolor! multi parum attendunt hæc, et vix reputant hæc esse peccata mortalia.

ARTICULUS LXXXVII.

De adulatione, murmuratione et contentione, et de gravitate vitiorum istorum.

Prov. I, 10. FILI, *si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.* Affabilitas dicitur esse virtus per quam homo decenter et amicabiliter se habet in verbis ad alios. Huic virtuti opponitur adulatio per excessum. Dicitur enim adulator, qui immoderate et indiscrete studet aliis complacere, etiam contra veritatem atque justitiam, utpote qui in cunctis quærit alios commendare et

A oblectare. Quod tunc potissime vitiosum est, quando injusta et falsa approbantur. Porro alium discrete laudare ac delectare, et ei velle placere propter caritatem fovendam aut ædificationem, laudabile est, quum dicat Apostolus : Unusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Sed ob temporalem gratiam seu propriam commoditatem quemquam laudare aut alicui velle placere, est vitiosum, quum scriptum sit : Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent.

Rom. XV, 2. Ps. LII, 6.

B Præterea, adulatio contrariatur caritati tripliciter. Primo, ratione materiæ : ut quum unus laudat alium in peccato. Et hoc est mortale, juxta illud Isaiæ : Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum, etc. Et istud intelligendum est, quando quis laudat alium in peccato mortali. Secundo, propter finem intentum : ut si unus quærat fraudulenter decipere alium. Quod item ex suo genere est mortale. Idcirco de iis adulationibus ait Hieronymus : Nihil tam facile mentem corrumpit ut C adulatio. Et iterum dictum est : Plus nocet lingua adulatoris quam gladius persecutoris. Tertio, ex occasione : sicut dum adulator sua adulatione dat alteri incitamentum audaciamque peccandi. Hinc contra vitium istud in Proverbiis Salomon loquitur : Ne lactes quemquam labiis tuis; et rursus : Vir iniquus lactat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam; item : Vir qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, expandit rete pedibus ejus. Climacus quoque ait : Adulator D est dæmonum minister, superbiæ manuductor, compunctionis dispersor, bonorum operum exterminator, viæ seductor. Hinc per Isaiam loquitur Deus : Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.

Is. V, 20. Prov. XXIV, 28. Ibid. XVI, 29. Ibid. XXIX, 5. Scal. parad. grad. XXI. Is. III, 12.

Ecce quanta pericula et peccata ex adulatione nascuntur. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Non laudes hominem in specie sua; et, Ante mortem non laudes quemquam. Nempe, si mortale est vitium non corripere delinquentem, quanto mor-

Eccli. XI, 2. Ibid. 30.

talius est etiam laudare peccantem, vel adulari eidem? Ideo Seneca dixit : Parce lauda, parcius vitupera. Sed heu, quam male ista servantur! quoniam, ut Propheta fatetur, laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et benedicitur iniquus. *Ps.* x. 3, sec. Hebr.

Præterea, de murmuratione Durandus et alii quidam dicunt, quod sit oblocutio indebito modo facta contra Deum aut proximum. Sed murmuratio sic sumpta, non videtur a detractione distincta. Appropriatius ergo loquendo, videtur quod murmuratio sit locutio tumultuosa de aliqua operatione seu permissione Dei aut aliorum. Et venit murmuratio quandoque ex invidia, interdum ex avaritia, aliquando ex impatientia, nonnunquam ex acedia, sæpe etiam ex gula. Murmuratio autem contra Deum tam grave peccatum est, ut asserat Augustinus populum Israeliticum nullo peccato tam graviter offendisse Deum ut murmurando adversus eum. Deinde contra superiores et præsidentes murmurare, est valde enorme. Interdum tamen accipitur murmuratio in bono : sicut ait Gregorius quod Ecclesia contra pastorem suum aliquando juste murmurat, utpote dum pastor populum non instruit neque ædificat, sed publice scandalizat. Attamen murmuratio illa debet esse honesta ac moderata, atque ad superioris referri judicium. Vitanda est autem omnis murmuratio ex vitiosa radice seu præfatis peccatis proveniens, quum apud Joannem dicat Salvator : Nolite murmurare in invicem. Et Apostolus : Neque murmuraveritis, sicut quidam ex ipsis murmuraverunt. Et rursus : Omnia (inquit) facite sine murmurationibus. Hinc de murmuratorum damnatione ait sanctus apostolus Judas in sua epistola : Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, et os eorum loquitur superbiam ; quibus procella tenebrarum conservata est in æternum. Moyses quoque in persona prælatorum ait ad subditos : Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Vitanda est ergo omnis murmuratio ista, et exstirpanda sunt vitia interiora ex quibus oritur ipsa. *Joann.* vi, 43. I *Cor.* x, 10. *Philipp.* ii, 14. *Judæ* 16, 13. *Exod.* xvi, 8.

Insuper, secundum Ambrosium, contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris ; estque ex suo genere peccatum mortale. Imo, ut adstruit Augustinus, nihil similius est actibus dæmonum quam litigare : ideo litigatores ostendunt se esse ministros diaboli. Ad quod insinuandum ait Apostolus : Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei ; et rursus : Servum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Itemque : Noli (inquit) verbis contendere : ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Denique, etiam apud homines est inhonestum contendere, juxta illud Proverbiorum : Honor est homini quum separat se a contentionibus. Et iterum Salomon ait : Semper jurgia quærit malus ; angelus autem crudelis mittetur contra eum. Inter superbos semper sunt jurgia. Labia stulti miscent se rixis. Omnes stulti miscentur contumeliis. Est autem contentio valde periculosa, quoniam rationem valde excæcat, displicentias, aversiones, temeraria judicia parit : imo frequenter ad verbera, vulnera ac homicidia trahit. Idcirco potissime est vitanda inter potationes et ebrietates. I *Cor.* xi, 16. II *Tim.* ii, 24. *Ibid.* 14. *Prov.* xx, 3. *Ibid.* xvii, 11. *Ibid.* xiii, 10. *Ibid.* xviii, 6. *Ibid.* xx, 3.

ARTICULUS LXXXVIII.

Contra cetera vitia linguæ.

DENOTATIO pessima super bilinguem. Supra ostensum est qualiter susurrator specialiter appelletur bilinguis. Communius tamen loquendo, bilinguis vocatur qui alium in præsentia sua laudat, in absentia vituperat. Contra quod vitium ait Dominus in Proverbiis : Os bilingue detestor. Est autem bilinguis prorsus vilissimus, multum odibilis, omni fide indignus, et inter homines omnino periculosus. Idcirco cum summa diligentia vitium istud est fugiendum. *Eccli.* v, 17. art. lxxxv. *Prov.* viii, 13.

Insuper vitanda est commendatio sui ipsius incauta, quum ad jactantiam, vanitatem atque superbiam pertinere monstretur. Unde Apostolus : Non (inquit) qui se ipsum commendat, ille probatus est. Salomon quoque in Proverbiis : Laudet te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non labia tua. Similiter est vitandum ne quis in laude sibi exhibita inaniter delectetur, præsertim si non vere laudetur ; sed omne bonum Deo attribuat, seque ab eo esse judicandum jugiter contempletur.

II *Cor.* x, 18.

Prov. xxvii, 2.

Præterea vitanda est omnis scurrilitas, et verba ad risum ac dissolutionem moventia, multitudo quoque verborum non solum mortaliter vitiosorum, sed et venialiter culpabilium. Imo et ipsa loquacitas turpe ac fatuum est peccatum. Qui enim loquax est et multiloquium non abhorret, non solum proprium tempus infructuose ac male expendit, sed et aliis hoc ipsum ingerit damnum. Talis etiam debet timere ne otiosa ac levia proferendo, incidat in verba mortaliter prava, præsertim quum veniale sit via ac dispositio ad mortale. Hinc etenim Salomon protestatur : In multiloquio peccatum non deerit ; et, Stultus verba multiplicat ; itemque : Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt et reservat in posterum. Hinc in Ecclesiastico legitur : Qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam ; qui autem procax est ad loquendum, odibilis est. Amplius, valde vitanda est revelatio secretorum : quia quod quis in secreto recepit, celare tenetur, nisi forte ex hoc communitati periculum immineret.

Ibid. x. 19.

Eccle. x, 14.

Prov. xxix, 11.

Eccli. xix, 5; xx, 5.

Hinc de odibilitate, periculositate atque effectibus multiloquii Climacus scribit : Multiloquium est vanæ gloriæ cathedra, per quam ipsa se pandit. Multiloquium est insipientiæ argumentum, detractionis porta, manuductor scurrilitatis, minister mendacii, compunctionis resolutio, acediæ causa, dissipatio boni mœroris, exterminatio custodiæ cordis, frigefactio caritatis. Gregorius quoque testatur : Pravi homines sicut in sensu sunt leves, ita in locutione præcipites : quia quod levis mens concipit, levior lingua protinus prodit. Et Bernardus : Levis est sermo, quia leviter volat, sed non leviter vulnerat ; leviter transit, sed graviter urit ; leviter animum intrat, sed non leviter exit ; leviter pronuntiatur, sed non leviter revocatur. Garruli igitur et verbosi sua loquacitate propriam vanitatem, incustodiam insipientiamque demonstrant. Propter quod Seneca protulit : Qualis vir, talis et sermo. Et Hugo : Vanus sermo, vanæ conscientiæ index est. Mores hominum lingua pandit, et qualis sermo profertur, talis esse animus declaratur, quia ex abundantia cordis os loquitur. Hinc ait Scriptura : Cor fatuorum in ore ipsorum, et os sapientium in corde eorum.

Scal. parad. grad. xi.

Luc. vi, 4[5].

Eccli. x[xi], 29.

Postremo, inter vitia linguæ prorsus vitanda est versuta atque sophistica omnis locutio, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Qui sophistice loquitur, odibilis est ; in omni re defraudabitur. Non est illi data a Domino gratia : omni enim sapientia defraudatus est.

Ibid. xxxvii, [23], 24.

Inter peccata quoque omissionis computanda est taciturnitas indiscreta, qua homo tacet loco et tempore importuno, seu quando caritas aut alia rationabilis causa requirit ut loquatur. Potissime vero vitanda est taciturnitas illa quæ ex indignatione, elatione, ira aut simili vitiosa procedit radice. Quæ etiam taciturnitas prattatio dici solet; estque vitium puerile, et frequenter a prattante ordinatur ad aliorum provocationem : propter quod pessima est, et caritati prorsus contraria.

ARTICULUS LXXXIX.

Contra inordinata et temeraria judicia.

NON *amplius invicem judicemus, sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Sic et Christus apud Matthæum et Lucam effatur : Nolite judicare, et non judicabimini. Quocirca mirum satis videtur, cur Chri-

Rom. x[iv], 13.

Matth. [vii], 1 ; *Luc.* [vi], 37.

stus et ejus Apostoli tam absolute prohibuerint judicare, quum sine judicio non possit inter homines observari justitia, imo mala sine numero ac mensura multiplicarentur, nec aliquis pacificam posset ducere vitam, nisi inter homines essent judicia. Est itaque advertendum, quod nec Christus nec sancti Apostoli intenderunt simpliciter prohibere omne judicium, præsertim quum apud Joannem Christus locutus sit : Nolite secundum faciem judicare, sed justum judicium judicate. Apostolus quoque : Spiritualis (inquit) homo judicat omnia. Denique Salvator præcepit : Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Nemo autem corripit delinquentem, nisi judicet eum peccasse. Sicque judicare spectat ad omnes ad quos pertinet præceptum illud fraternæ correptionis implere.

Joann. VII, 24. — Cor. II, 15. — Matth. XVIII, 15.

Hinc breviter est sciendum, quod judicare proprie idem est quod sententiam seu assertionem de aliquo dicere, et præsertim ex auctoritate. Sicque potissime pertinet ad superiores, qui jurisdictionem habent super inferiores ac subditos : propter quod dicuntur judices subditorum. Secundo judicare communius sumitur, prout idem est quod aliquid de re aliqua affirmare seu determinare sive in speculativis sive in practicis. Unde dici solet, quod unusquisque bene judicat de iis quæ cognoscit. Sic quoque sumendo judicium, unusquisque, sive inferior sive superior, dicitur judicare de alio homine, sive sit subditus ejus, sive superior, sive extraneus : imo sic quilibet dicitur judicare se ipsum ac proprios actus. Tertio judicare sumitur communissime pro quacumque apprehensione seu cognitione, secundum quod dicitur quælibet potentia cognoscitiva judicare de suo objecto, juxta illud Job : Auris verba probat, et guttur escas gustu dijudicat. Ista est doctrina Alexandri de Hales in Summa sua, et super secundum ac tertium Sententiarum.

Job XXXIV, 3.

Insuper, judicium primo et secundo modo acceptum, est actus rationis atque prudentiæ, tanquam elicientis et producentis hunc actum. Est quoque actus justitiæ, tanquam virtutis disponentis seu dignificantis inclinantisque hominem ad recte judicandum. De judicio autem tertio modo sumpto nihil pro nunc ad propositum.

Porro ad judicium primo modo sumptum, videlicet prout est actus superioris seu judicis, tria requiruntur ut sit rectum ac licitum. Primo, ut procedat ex inclinatione justitiæ, non ex ira, invidia, impatientia, concupiscentia, privato amore, aut simili passione seu vitiosa radice. Judex etenim debet esse quasi viva lex ac animata justitia, ut a justitia nusquam recedat. Propter quod quinto Ethicorum ait Philosophus, quod ad judicem tanquam ad animatam quamdam justitiam confugiunt homines. Secundo exigitur ut procedat ex vera prudentia, utpote secundum tenorem ac regulas juris naturalis, divini aut positivi. Tertio, ut ex auctoritate et jurisdictione judicantis progrediatur : quia non debet judex mittere falcem suam in alienam messem, secundum Hieronymum. Idcirco, si primum horum trium in judicante defuerit, appellatur judicium perversum atque injustum ; si desit secundum, vocatur judicium temerarium aut suspiciosum ; si tertium, dicitur usurpatum. Et hæc tria judicia prohibet sacra Scriptura ; sed judicia eis contraria, utpote judicia justa, ordinata, legitima, prudentialia, approbat.

Præterea, ad judicium secundo modo acceptum non requiritur jurisdictio sive auctoritas ; sed ad hoc ut sit bonum ac licitum, duo requiri videntur. Primum est, ut ex inclinatione virtutis, videlicet justitiæ seu caritatis, emanet ; secundum, ut ex recta profluat ratione. Dicunt namque Ambrosius atque Chrysostomus, quod indigni sunt judicare aut corripere alios, qui in eisdem aut majoribus sunt peccatis quam illi. Verumtamen, sicut aliqui alii actus ex suo genere boni, ut eleemosynam dare, Missam audire, orare, possunt sine

peccato fieri ab iis qui in mortali peccato sunt; ita judicare de iis quæ aperte et inexcusabiliter mala sunt, licet eis qui in mortali sunt culpa, loquendo de solo et simplici isto judicio, ita quod non peccant sic judicando, præsertim de opere malo.

Itaque, quum judicium hoc modo acceptum, sit aliquid affirmare de aliquo, constat quod de ignotis et dubiis non liceat nobis judicare. Quum igitur, teste Apostolo, nemo sciat quid agatur in homine nisi spiritus ejus, non potest unus homo certitudinaliter judicare de intentione, proposito, cogitatione, et consimilibus interioribus actibus aliorum; sed eo modo quo constant seu innotescunt per aliqua signa exteriora seu opera, potest judicare de illis. Et quoniam Deus omnipotens potest omni momento compungere atque convertere peccatorem, non possumus certitudinaliter judicare alium quemcumque esse iniquum, nisi quamdiu videmus aut alio modo certive cognoscimus eum actualiter esse in ipso peccato. Verumtamen actum ejus inexcusabiliter evidenterque malum, sive præsentem, sive præteritum, possumus judicare talem esse sive fuisse. Rursus, dum aliquem videmus et scimus actualiter esse vitiosum, possumus certitudinaliter judicare eum pro tunc esse hujusmodi, quoniam accidens denominat suum subjectum; sed qualis paulo post erit, certitudinaliter judicare nequimus, et multo minus judicare valemus qualis finaliter erit, quum ignoremus an sit electus an reprobus. Ideo neminem sic judicemus quasi nunquam sit convertendus aut finaliter periturus, quamvis hoc de aliquibus valde videatur timendum.

(I Cor. II, 11.)

Ex præinductis quoque doctores concludunt, quod dubia sint in partem meliorem interpretanda. Qui enim de alio male sentit sine sufficienti motivo, injuriatur ei, et eum irrationabiliter vilipendit. Verumtamen in foro conscientioso, quando alicui est impendendum remedium contra peccatum, dubia interpretanda sunt in partem deteriorem propter cautelam, quantum ad hoc ut eis impendatur remedium quasi sint certa, quum hoc exsistat securius, ut scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione sexagesima. (art. 4 a 3um.)

Insuper, dum quis de alio temerarie judicat, hoc ex suspicione aliqua contingere solet. Suspicio autem, ut Tullius ait, est opinio mali de aliquo ex levibus causis concepta : quæ potest ex triplici procedere causa. Primo, ex malitia suspicantis, qui sibi propriæ malitiæ conscius, faciliter æstimat alios sibi esse consimiles. Secundo, ex inordinata affectione aut passione unius ad alterum. Nam qui circa alium male afficitur per invidiam, iram aut impatientiam, malum de illo ex signis levibus opinatur. Tertio, ex longa experientia. Idcirco, teste Philosopho secundo Rhetoricæ, senes sunt multum suspiciosi, quoniam aliorum defectus ac vitia frequenter experti sunt. Quemadmodum itaque duæ primæ causæ suspicionis perversæ sunt, ita et suspiciones quæ nascuntur ex causis illis; sed tertia causa suspicionis, rationem et culpam suspicionis in tantum diminuit in quantum certitudini appropinquat. Suspiciones ergo sunt reprimendæ atque vitandæ. — Præterea, suspicionis triplex est gradus. Primus, dum quis ex parvis, incertis ac levibus signis mali, incipit dubitare de alterius bonitate : quod est levis venialisque culpa, ad tentationem humanam spectans, sine qua non agitur vita præsens. Secundus gradus est, dum quis ex levibus causis pro certo sentit alium esse malum : et si sentit eum esse mortaliter vitiosum, tunc talis suspicio seu tale judicium temerarium, est mortale peccatum. Tertius gradus est, dum aliquis judex ex præfatis suspicionibus non violentis procedit ad aliquem condemnandum ac puniendum : quod non solum est contra caritatem atque prudentiam, sicut gradus præcedens, sed etiam contra justitiam; ideoque est magis mortale quam gradus præcedens.

Ex iis elici potest quam graviter ac mi- A
serabiliter multi offendant Deum quotidie,
inordinate, perverse ac temere alios ju-
dicando, eorumque facta et verba aut etiam
interiorem dispositionem dijudicando, et
dubia in pejus interpretando. Hi sunt
qui facta et vitia propria non attendunt,
audaces, sibi placentes, passionibusque
subjecti ; qui proniores sunt accusare, re-
probare, scandalizare et obloqui, quam
excusare, approbare, ædificare caritative-
que loqui ; qui faciliter offenduntur, atque
ex levi occasione graviter passionantur ; B
quumque contra aliquem conceperint dis-
plicentiam aliquam, mox pronissimi in-
veniuntur ad indignandum, detrahendum,
Ps. XIII, 3. suspicandum ac temere judicandum. Non
enim est timor Dei ante oculos eorum.
Nec pensant nec metuunt verba Judi-
Matth. VII, 2. cis summi, qui loquitur : In quo judicio
judicaveritis, judicabitur de vobis, et in
qua mensura mensi fueritis, remetietur
vobis. Neque attendunt quod Jacobus ait
Jacob. II, 13. apostolus : Judicium sine misericordia fiet
ei qui non fecerit misericordiam, id est, C
qui pius non fuerit, sed crudelis judicando
de aliis. Ideo ait Chrysostomus : Sunt
autem hæc diabolicæ tentationis insidiæ :
nam si quis severe discutit aliena, nun-
quam (id est raro ac difficulter) proprio-
rum reatuum merebitur veniam.

Hinc elucescit (si tamen advertere hoc
dignamur) quod Dominus noster Jesus
Christus, virtus et sapientia Dei Patris, a
multis et magnis periculis ac peccatis nos
I Cor. I, 24. eripuit et salvavit, dum nobis prohibuit
judicare. Primo, quoniam debiles sumus D
in ratione, et valde faciliter fallimur et
erramus in judicando. Secundo, quia fa-
ciliter unus contra alium passionatur :
sicque nisi a judiciis alterius se refrenet,
in periculosa ac damnabilia judicia la-
bitur judicando de iis circa quos male
afficitur. Tertio, quoniam ipsi nos tam
defectuosi vitiosive sumus, quod periculo-
sum est nobis judicare de proximis. Quar-
to, quoniam proximi nostri infallibilem
judicem habent in cœlis, a quo omnes
pariter sumus terribiliter judicandi. Ideo
ad Romanos rigorose loquitur nobis Pau-
lus : Tu quis es, qui judicas alienum ser- *Rom.* XIV, 4.
vum ? Domino suo stat aut cadit. Itemque :
Tu quid judicas fratrem tuum ? Omnes *Ibid.* 10, 12.
enim stabimus ante tribunal Christi, et
unusquisque nostrum pro se rationem red-
det Deo. Quinto, quoniam alios judicando
facimus nos ipsos magis damnabiles. Pro-
pter quod ait Apostolus ad Romanos :
Inexcusabilis es, o homo omnis qui ju- *Ibid.* II, 1.
dicas : in quo enim alium judicas, te
ipsum condemnas. Et rursus : Existimas, *Ibid.* 3.
o homo omnis qui alios judicas et talia
agis, quia tu effugies judicium Dei ? Hinc
quoque dicit Cyrillus : Christus per ver-
ba hæc, Nolite judicare, sedat et tol- *Matth.* VII, 1.
lit pessimam consuetudinem et passio-
nem animarum nostrarum, principiumque
contemptus aliorum. Quum enim deceat
unumquemque circumspicere semetipsum,
hoc tamen multi non faciunt, sed exami-
nant aliena ; et si viderint aliquos infirmari
aut cadere, tanquam propriarum passio-
num obliti, mox detrahunt. Sed et Chry-
sostomus : Non facile (inquit) reperies
quemquam, nec patremfamilias, neque clau-
stralem, hujus erroris (videlicet judicii
inordinati) expertem. Propterea Gregorius
Nyssenus : Non præcipitemus (ait) cum
acrimonia sententiam in conservos, ne
similia patiamur.

Potissime autem damnabile est, ex le-
vibus signis alios graviter judicare, aut
pravos assertive sentire ac affirmare. Ni-
hilo minus, si imminet periculum, pos-
sumus caute nos custodire, tamen absque
definitiva alterius reprobatione. Imo ab
incauta assertione cavendum est prorsus,
estque securius falli bene sentiendo quam
male sentiendo de aliis. Unde nec faci-
liter credamus iis qui de proximis suis
mala loquuntur, nec mala audita leviter
publicemus. Hinc ait Bernardus : Cave
alienæ conversationis esse aut curiosus
explorator aut temerarius judex, etiam si
quid perperam actum deprehenderis ; nec
sic judices proximum, sed magis excusa.

Excusa intentionem, si opus excusare non A potes. Quod si dissimulationem certitudo rei recusat, suade nihilo minus tibi, et dicito : Vehemens fuit tentatio. Quid illa fecisset in me, si permissa fuisset accidere mihi?

Itaque, si præinducta et propria pericula ac peccata rite intueamur, faciliter præfata inordinata, fatua et perversa abhorrebimus vitabimusque judicia, præsertim quia eadem aut majora vitiis aliorum commisimus, aut certe committere poterimus, si parumper a Deo relicti fue- B rimus.

Postremo, juxta apostolicum documentum, hoc diligentissime judicemus, ne proximis nostris scandalum offendiculumve ponamus, quia væ homini per quem scandalum venit. Sed exemplares esse in omnibus enitamur, nec aliquod verbum quis proferat quo alius possit lædi. Deo etenim debemus conscientiam puram obsequiumque devotum, proximis bonam famam atque virtutis exemplum, nobis ipsis vero diligentem cordis custodiam ac salutem. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

Rom. XIV, 13.

Matth. XVIII, 7.

SUMMA

DE VITIIS ET VIRTUTIBUS

LIBER SECUNDUS

PROŒMIUM.

P*OSTULAMUS ut impleamini agnitione voluntatis* Dei, *in omni sapientia et intellectu spirituali, ut ambuletis digne Deo, in omni virtute confortati*. Coloss. I, 9-11.

Hucusque in primo hujus editionis libro tractatum est de peccato in generali, deinde de mortalibus capitalibusque peccatis in speciali, de variis quoque vitiis annexis, atque de multis vanitatibus et abusionibus quæ nunc, proh dolor! vigent in populo. Nunc restat tractare de virtutibus vitiis præmemoratis contrariis, et de quibusdam salutaribus documentis ad universos Christifideles spectantibus. Nempe in iis duobus tota nostra consistit salus, et occupatio saluberrima prorsus est in cognoscendo et expugnando ac eradicando universa peccata, atque in appetendo, amplectendo et exercendo virtutes, juxta quod
Ps. XXXVI, scriptum est : Declina a malo, et fac bonum. Quæ sunt duæ quasi integrales partes justitiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit gratia, et an sit realiter idem quod virtus.

Ps. LXXXIII, G*RATIAM et gloriam dabit Dominus.* Quoniam Deus omnipotens et æternus ex sua incomprehensibili caritate, inæ-

A stimabili liberalitate, ineffabili pietate creavit genus humanum, imo et angelos universos, ad supernaturalem beatitudinem, quæ est immediata ac fruitiva visio Deitatis per speciem clare, videlicet sicut est in se ipsa; hinc Deus multiplici supernaturali dono ornavit angelos sanctos hominesque electos, quatenus ipsi homines per hæc valeant supernaturalem felicitatem mereri ac adipisci: quoniam media fini oportet proportionari, nec per pura naturalia et acquisitas politicasque virtutes
B valet quis supernaturalem illam mereri felicitatem. Porro inter hæc supernaturalia dona, primum ac præstantissimum ponitur gratia. Et quamvis hoc nomen gratiæ multipliciter valde in Scripturis, a doctoribus quoque, imo et in communi usu loquendi, accipiatur, prout hoc alibi, præsertim in Dialogion de fide catholica, Cf. t. XVIII,
declaravi, et nunc propter prolixitatem p. 377 B' et s.
vitandam declarare omitto; tamen hoc loco accipio gratiam solum pro gratia gratum faciente, quæ (ut ex nomine suo
C innuitur) rationalem creaturam efficit proprio Creatori gratam, acceptam, placentem, spiritualiterque viventem, et ad bene agendum ac promerendum felicitatem æternam, idoneam, aptam atque (ut quidam dicunt) condignam.

Præterea, gratiam istam quidam magni ac ingeniosi doctores dixerunt realiter idem esse quod est virtus infusa, potis-

sime caritas. Prætacti namque effectus et A alii quidam actus qui gratiæ adscribuntur, caritati conveniunt. Nec videtur in anima rationali esse nobilior habitus neque præstantius donum caritate infusa, nec sine necessitate pluralitas est ponenda. Hinc quoque in Summa virtutum ac vitiorum asseritur : Nomen virtutis in canone sacræ Scripturæ ut frequentius sumitur pro fortitudine vel potentia, aut pro opere mirabili, raro autem pro virtute infusa seu habitu virtuoso. Sed quod philosophi in morali doctrina virtutem B vocant, Scriptura sacra communiter gratiam nominat. Cujus diversitatis ista est ratio, quoniam virtus duplicem habet comparationem. Unam ad suum datorem, videlicet liberalitatem divinam, cujus donum gratuitum est : propter quod gratia appellatur, quoniam gratis et sine præviis meritis datur. Est enim gratia donum a Deo gratis datum, quod habentem se efficit Deo gratum, et opus ejus reddit Deo acceptum. Aliam comparationem habet virtus ad actum ab ea procedentem, et C ita dicitur virtus. Hæc in Summa præfata. Denique, hujus opinionis videtur esse Magister Sententiarum, libro secundo, inter gratiam et virtutem ita distinguens, quod eadem forma dicitur gratia, in quantum efficit Deo gratum ; et virtus, in quantum reddit hominem promptum et efficacem ad bene agendum.

dist. xxvi. *Cf.* Thom. Summ. th. 1ª 2æ, q. cx, a. 3.

Alii dicunt, quod gratia et virtus infusa seu caritas realiter distinguuntur. Nam et sacra Scriptura in multis locis videtur distincte loqui de eis. Gratia quoque habet generaliorem ac priorem influxum D quam virtus et caritas. Quemadmodum enim res ponitur in esse naturali specifico per formam substantialem, ita ponitur in esse supernaturali deiformi ad promerendum idoneo, per gratiam gratum facientem. Rursus, sicut res primo ponitur in esse suo substantiali per formam, deinde per potentias et habitus acquisitos idoneizatur ad naturales operationes ; ita rationalis creatura per gratiam gratum facientem constituitur in esse supernaturali, sicut prætactum est, et per virtutes ac dona aptificatur ad meritorios actus.

Hanc opinionem tenet Thomas in prima secundæ, quæstione centesima decima. art. 2, 3. Quæ etiam videtur esse de mente Bonaventuræ in Breviloquio suo, ubi tractat quemadmodum gratia gratum faciens ramificat se in virtutes et dona atque beatitudines, et addit quod ipsa est virtutum origo, finis et forma. Tamen super secundum Sententiarum tangit alias opiniones, nec multum declinat ad unam aut aliam. Deinde probat hoc ipsum, dicendo in Breviloquio suo : Sicut principium productivum sua summa perfectione dando vitam naturæ, non tantum dat vivere quantum ad esse primum, verum etiam quantum ad actum secundum, qui est operari ; sic principium reparativum tribuit vitam spiritui in esse gratuito, quantum ad esse et quantum ad operari. Hinc una gratia vivificans quantum ad primam vitam, quæ est esse spirituale, necesse habet ramificari in varios habitus virtutum atque donorum propter operationes diversas.

dist. xxvii.

Hujus quoque opinionis videtur esse Thomas de Argentina, qui in suo ait Compendio : Quamvis virtus gratuita insit animæ simul cum gratia, non tamen habet effectum suum tam cito ut gratia : quoniam effectus gratiæ est facere Deo gratum ac dignum vita æterna, qui effectus inest puero protinus post Baptismum ; effectus autem virtutis est elicere actum meritorium de potentia, quod non fit nisi usu rationis accepto.

Porro Guillelmus Antisiodorensis in Summa sua, libro tertio, de ista materia loquitur recitative, non assertive : Quidam, inquiens, dicunt quod gratia non est virtus, sed quasi ros quidam rigans et formans caritatem ceterasque virtutes.

Postremo, opinio ista secunda, quæ inter gratiam et virtutem ponit distinctionem realem, videtur esse subtilior : quam et Thomas dicit doctrinæ divini et sancti Dionysii amplius concordare. Et qui

eam sequuntur, affirmant subjectum gratiæ gratum facientis esse essentiam animæ rationalis, non aliquam ejus potentiam.

ARTICULUS II.

Quid sit virtus.

Luc. XXIV, 49. *INDUAMINI virtute ex alto.* Augustinus virtutem definit dicendo : Virtus est bona qualitas mentis, qua bene vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Datur autem definitio ista de virtute infusa : quam Deus dicitur operari in nobis sine nobis, quia per creationem eam infundit absque nostra cooperatione causaliter concurrente ad ipsam virtutis productionem. Interdum tamen peccator se disponendo ad veram contritionem et susceptionem virtutum, dispositive cooperatur ad infusarum virtutum adeptionem.

Sed circa hæc quæritur, quia si nullus male utitur virtute, quomodo quidam dicuntur ex nimio caritatis fervore sua corpora destruxisse seu nimium debilitasse, atque insaniam incurrisse. Et respondetur, quod nemo utitur male ipsa virtute, quoniam omnis actus ex virtute directe ac elicitive procedens, est infallibiliter virtuosus seu bonus. Sed occasionaliter dicitur aliquis se ex caritatis seu devotionis fervore destruere aut debilitationem incurrere, in quantum ratio viri ferventis suo fervori intenta, discretionem non pensat, et male subsumit, putans esse ex caritatis ardore quod procedit ex indiscretione.

Rursus quæritur, an definitio ista virtutis conveniat gratiæ. Dicendum, quod illi qui ponunt gratiam gratum facientem a virtute distingui, dicerent prætactam virtutis definitionem non competere gratiæ. Primo, quoniam gratia est bona qualitas essentiæ animæ rationalis, non mentis, id est voluntatis aut intellectus : quia essentia animæ subjectum est gratiæ, mens autem subjectum est virtutis. Secundo, A quoniam gratia non est qualitas qua bene vivitur immediate, sed bona conversatio seu actio virtuosa immediate a virtutibus oritur ; gratia vero perficit et Deo gratam efficit ipsam substantiam animæ. Dicuntur quoque virtutes a gratia ramificari, diffundi, oriri : non quod virtutes quoad suam essentiam a gratia producantur, imo sic a solo Deo immediate causantur ; sed quantum ad naturalem connexionem, ordinem et condependentiam intelligendum est illud, quia virtutes B gratiam naturali ordine præsupponunt.

Rursus Augustinus sic definit virtutem : Virtus est qualitas mentis bene institutæ. Virtus est ordo amoris seu ordinatio caritatis. — Secundum Aristotelem vero, virtus est habitus qui habentem perficit et opus ejus bonum reddit. Est enim virtus formale principium operis boni. Secundum eumdem quoque philosophum, virtus est habitus electivus in medietate exsistens, quoad nos determinatus recta ratione, prout utique sapiens determinaC bit. Quæ definitio virtuti morali et acquisitæ præcipue competit.

Præterea, mens dicitur bene instituta, ad similitudinem politiæ seu urbis in qua unus est sapiens rector, et ceteri prompte obediunt ei : ita in mente ratio est quasi rex ceteris cunctis animæ viribus imperans, et quid agere debeant intelligens, illisque præfigens. Vel, juxta Augustinum, mens dicitur bene instituta, ad similitudinem regni, quod tunc bene asseritur institutum, quando in eo recte consulitur, D recte imperatur, et recte obeditur : sic et mens seu anima bene est instituta, quum ratio recte consulit, voluntas recte imperat, et ceteræ vires recte obediunt. Quam bonam institutionem virtus parit in anima, quoniam virtus illuminat intellectum, dirigit voluntatem, ad cujus imperium facit ceteràs potentias exire in actum.

Postremo, gratiam gratum facientem a virtute distinguentes, possunt dicere quod gratia sit habitus supernaturalis creatus

infusus, essentiam intellectualis formæ immediate perficiens, atque in esse deiformi ad promerendum vitam æternam idoneo eam constituens. Est namque hæc gratia, supernaturalis lux, forma ac participatio increatæ divinæ essentiæ, cui et supernaturaliter assimilatur, gratam amabilemque constituens intellectualem creaturam.

ARTICULUS III.

De commendatione, dignitate et amabilitate virtutis.

Sap. xii, 16. VIRTUS *tua,* Domine, *justitiæ initium est.* Quoniam gratia gratum faciens et virtus infusa vel realiter idem sunt, vel maximam convenientiam habent, et item quoniam multi dixerunt dona Spiritus Sancti non esse realiter a virtutibus distincta, nam ad minus multum conveniunt ; idcirco commendando virtutem, sumam eam communiter et extense, prout videlicet gratia et donum dici possunt virtutes.

Sic itaque virtus accepta, commendabilis est, digna atque amabilis. Primo, ex parte sui auctoris et collatoris. Datur enim et per creationem infunditur a summo et vero Deo dumtaxat, qui sibi soli retinuit donum hoc, quod nullus civium supernorum, nullus angelicorum spirituum nullaque pura creatura potest conferre neque producere, nisi ministerialiter disponendo ad ejus infusionem, incrementum aut perfectionem. Hinc solus Deus dicitur peccata dimittere, hominem justificare, et de immundo facere mundum, quoniam nullum horum sine virtutis infusione contingit. *Marc.* ii, 7 ; *Rom.* viii, 30, 33 ; *Job* xiv, 4.

Secundo commendatur virtus ex parte sui subjecti et loci seu receptoris. Non enim confertur nec inest nisi nobilioribus Dei creaturis, videlicet intellectuali ac rationali substantiæ, id est angelis atque hominibus. In superioribus quoque viribus animæ rationalis potissime sita est.

Tertio commendatur a sua intrinseca bo- A nitate, dignitate ac proprietate. Ipsa etenim virtus ex propria ratione seu definitione est bonitas, imo supernaturalis et præclarissima bonitas intellectualium creaturarum, ita quod eas bonificat atque dignificat absolute. Nam bona fortunæ, dona naturæ, imo et virtutes acquisitæ, possunt malis inesse, nec absolute bonificant eos ; sed eo ipso quo quis suscipit aut habet in se virtutem infusam, fit aut est bonus simpliciter. Si ergo tantæ bonitatis et commendabilitatis est virtus ac- B quisita ac naturalis, quod philosophi asseruerunt jugiter esse laborandum pro ea, magisque moriendum quam eam relinquendam : quantæ bonitatis et excellentiæ est virtus supernaturalis infusa, quæ hominem tam sublimiter Deo conjungit, gratificat et bonum ac dignum constituit ? Imo virtus infusa incomparabiliter melior, dignior desiderabiliorque consistit cunctis bonis præfatis. Nam sine virtute infusa omnia illa nil prosunt ad consequendum veram salutem, nec statuunt possessorem C suum Deo absolute placentem, nec a condemnatione æterna valent eripere quemquam : imo frequenter sunt occasio gravioris ruinæ et condemnationis majoris, iis scilicet qui abutuntur eisdem. Quemadmodum ergo incomparabiliter melius, dignius appetibiliusque censetur, Deo placere, uniri, inhærere, damnationem evadere et salvari, quam sine iis cetera cuncta habere, omnem videlicet temporalium abundantiam, naturalium elegantiam, temporalem prosperitatem, transitoriam voluptatem ; D sic virtus infusa etiam secundum minimum gradum suum est omnibus illis incomparabiliter melior, concupiscibilior atque præstantior. Cum incomparabili ergo diligentia et conatu est exquirenda, custodienda, et excolenda seu perficienda.

Quarto commendatur virtus a suis nobilissimis ac verissimis denominationibus. Ipsa namque est splendidus radius primæ increatæque lucis ; ipsa est divina possessio, angelica locupletatio, ornamentum cœleste ; ipsa est lumen, decor et claritas

animarum, et vera opulentia ac nobilitatio earumdem ; ipsa est via salutis, porta beatitudinis, janua vitæ, stabilimentum et robur omnis mentis creatæ; ipsa est victoria mundi, conculcatio dæmonum, exaltatio angelorum, hereditas atque jucunditas omnium electorum.

Quinto commendatur a multiplici suo effectu, et a præclarissimis, saluberrimis ac potentissimis suis operibus : de quibus erit sequens articulus.

ARTICULUS IV.

De multiplici virtutis effectu et præclarissimis actibus ejus.

I Cor. IV, 20. NON *in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Non tantum distant ab invicem cœlum et terra quantum virtus et vitium : quod ex eorum effectibus clarissime innotescit. Virtus enim efficit hominem Dei filium et amicum, Christi servum et membrum, Creatoris sui pugnatorem ac militem, summi Regis universorum secretarium ac consiliarium, familiarem et hospitem, domum, templum ac thronum Omnipotentis, angelorum consortem, cœlestis regni heredem, æternæ felicitatis participem, et erigit eum usque ad cœlum empyreum ac supremum. Econtrario vitium seu peccatum efficit hominem dæmonum servum et membrum ac vile jumentum, et deprimit eum usque in tarart. IV. tarum, prout in præcedenti est declaratum libello. Verum nunc de virtutis effectu multiplici et præclaro distinctius est loquendum.

Ephes. II, 3. Itaque, quoniam (teste Apostolo) eramus natura filii iræ, quia ex naturali origine ac primordiali propagine nascimur in originali peccato, cujus demerito ac reatu privatur homo felicitate cœlesti, et indiget reconciliatione cum Deo; hinc primus virtutis effectus in nobis est ereptio seu liberatio ab originali peccato, a quo purgamur atque abluimur in Baptismo non nisi per infusionem virtutis, quæ a peccato purgat formaliter, quemadmodum Deus efficienter, Baptismus vero ac alia sacramenta dispositive ac instrumentaliter, imo et suo modo causaliter, quia efficiunt quod designant. Hinc Apostolus scribit fidelibus : Abluti estis et sanctificati I Cor. VI, 11. estis : abluti videlicet per Baptismum, sanctificati vero per virtutes quæ in Baptismo donantur.

Præterea, quia humana mens ex sua natura est multum instabilis, fragilis et prona ad vitia ; idcirco secundus effectus virtutis est, hominem stabilire, conservare ac roborare in bonis. Propter quod ait Apostolus : Optimum est gratia stabiliri Hebr. XIII, 9. cor. Et rursus hortatur : Confortamini in Ephes. VI, 10. Domino et in potentia virtutis ejus. Christus quoque hominem virtuosum, utpote audientem ac facientem verbum Dei, comparat viro sapienti qui ædificavit domum Matth. VII, 24, 25. suam supra petram, ita quod nec flatu ventorum, nec impetu fluviorum, nec strepitu pluviarum potuit domus ita constructa everti. Conformiter homo sic stabilitur ac roboratur virtutibus, quod nec agitationibus tentationum, nec motibus passionum, neque inquietudine vitiorum seu adversitatum dejicitur aut succumbit. Ideo, Salomone testante, justus est quasi Prov. X, 25; XII, 21. fundamentum æternum, et quidquid acciderit ei, non contristabit eumdem.

Insuper, quia in sæculo isto quasi in campo sumus constituti ad præliandum contra hostes nostræ salutis et contra aciem vitiorum, juxta illud Job, Militia est Job VII, 1. vita hominis super terram ; hinc tertius virtutis effectus est, hominem armare, expeditum, accinctum paratumque facere adversus impugnationes dæmonum, stimulos carnis, pravas cogitationes affectionesque cordis, et contra omnem iniquitatem ac sæculi vanitatem, impiorumque hominum suggestionem ac scandalum. Nempe, ut in prima sua epistola sanctus ait Joannes apostolus, omne quod natum est ex I Joann. V, 4. Deo, vincit mundum. Et sacratissimus princeps Apostolorum hortatur : Sobrii I Petr. V, 8. estote et vigilate, quia adversarius vester

diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Hinc Vas electionis nos admonet : Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Hæc etenim armatura est apparatus et robur connexioque virtutum, seu ipsa virtutum acies ordinata, per quam universis tentationibus, erroribus ac peccatis resistitur. Unde denuo hortans Apostolus : Accipite (inquit) armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo.

Ephes. VI, 11.

Ibid. 13.

Amplius, quia non potest anima nostra superpulcherrimo Deo ac Sponso suo placere, uniri, et amplexari ab ipso, nisi fuerit condecenter ornata, spiritualiter quoque vestita, et ab omni turpitudine desideriorum carnalium ac nuditate erubescibili (quæ est virtutum carentia) emundata et tecta ; hinc quartus virtutis effectus est, mentem vestire ac decorare. Unde in Apocalypsi loquitur Sponsus : Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ. Apud Isaiam quoque sponsa, hoc est anima virtuosa, fatetur : Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. De hoc amictu atque decore loquitur Dominus per Ezechielem plene : Expandi (inquiens) amictum meum super te, et operui ignominiam tuam, et facta es mihi; et lavi te aqua, et emundavi sanguinem tuum ex te, et unxi te oleo, et vestivi te discoloribus, et calceavi te hyacintho, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus, et ornavi te ornamento, et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum, et inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo, et vestita es bysso et polymito et multicoloribus, et decora facta es vehementer nimis. Longum esset hic omnia ista exponere, sed super Ezechielem exposita sunt.

Apoc. III, 18.

Is. LXI, 10.

Ezech. XVI, 8-13.

Cf. t. IX, p. 476 C' et s.

Adhuc, quia non potest anima pervenire ad nuptias gloriæ æternales et beatifici fruitivum Sponsi amplexum, nisi in præsenti sit sponsa ejus per gratiam et nuptias sacramentales, inchoatas ac internales ; A idcirco quintus effectus virtutis est, quod animam Christo desponsat secundum modum viæ ac fidei convenientem. Unde per Osee Dominus protestatur : Sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia et miserationibus.

Osee II, 19.

Rursus, quia indignus est homo Deum æternaliter possidere in patria tanquam præmium objectale beatificumque objectum, nec ei uniri potest unione jugiter actuali dilectionis plenissimæ per incessantem fervorem, nisi nunc diligat atque B desideret eum super omnia ; hinc sextus virtutis effectus est, quod facit hominem Dei filium adoptivum et amicum, Deo super omnia intentum ac inhærentem, imo et Creatori suo valde amabilem atque desiderabilem, juxta quod ait Propheta : Audi, filia, et vide, et concupiscet rex decorem tuum. Propter quod Sponsus ait in Canticis : Aperi mihi, soror mea, columba mea, etc. Unde et ipsa fatetur : Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

Ps. XLIV, 11, 12.

Cant. V, 2.

Ibid. VII, 10

At vero, quia indignus est homo æternaliter in Deo quiescere in regno superno, C nisi jam habeat Deum in se quiescentem ac habitantem ; hinc septimus virtutis effectus est, quod facit hominem Dei templum, habitaculum, thronum ac mansionem, sicut ait Apostolus : Vos estis templum Dei vivi. Apud Joannem quoque ait Salvator : Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.

II Cor. VI, 16.

Joann. XIV, 23.

Deinceps, quoniam omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur; hinc octavus virtutis effe- D ctus est, quod assimilat hominem paradiso terrestri. Nam reddit eum in bonis actibus fructuosum, sanctis desideriis floridum, meditationibus sacris virentem, sed et bonæ famæ odore respersum, deliciosamque mansionem, in tantum ut in Proverbiis Dominus fateatur : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Et sicut in paradiso terrestri nulla invenitur tempestas, nulla caligo, nulla defectio ; ita in anima virtuosa est mentis tranquillitas, splendor gratiæ, lux virtutum, assiduusque profectus. Et

Matth. III, 10.

Prov. VIII, 31.

Gen. II, 10. sicut in paradiso terrestri ascendit ac oritur fons, qui inde dividitur in quatuor capita seu flumina ; ita in anima virtuosa est gratia, quæ ramificatur in quatuor cardinales virtutes. Quemadmodum etiam paradisus in summo terræ loco est situatus, sic anima virtuosa super terrena levatur, et super omnes terrena carnaliaque amantes in sublime sustollitur.

Deinde, quoniam spiritualium hominum Philipp. I, 20. conversatio est in cœlis, hinc nonus virtutis effectus est, quod assimilat animam etiam paradiso cœlesti. Primo, quoniam B sicut in paradiso cœlesti seu cœlo empyreo est clara et incessabilis ac ferventissima contemplatio Dei, sic anima virtuosa habens fidem cum rationibus credendorum et purificatæ mentis intelligentiam, per donum sapientiæ et mysticam theologiam Deum (quantum in hac vita fieri potest) sinceriter contemplatur, fervide amplexatur, et si non jugiter, tamen frequenter intuetur : sicque futuram beatitudinem nunc prælibat, inchoat, participat ac degustat. Secundo, quoniam sicut in paradiso C cœlesti est incessabilis laus Creatoris altis- Ps. LXXXIII, simi, juxta illud, Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te ; sic homo virtuosus conatur Deum jugiter intra se laudare, quemadmo- Ps. XXXIII, dum ait Psalmista : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Tertio, nam sicut in paradiso cœlesti est summa et indirupta jucunditas, sic homo virtuosus in prosperis et adversis delectatur in Domino atque in hilaritate obsequitur ei, bona cum ingenti exercens D Philipp. IV, lætitia, ut impleat illud Apostoli : Gaudete in Domino semper. Quarto, quoniam sicut inter cives paradisi cœlestis est plenissima caritas, inviolabilis pax imperturbabilisque concordia, sic homo virtuosus ad universos Ecclesiæ filios, imo et ad inimicos sincerum gerit affectum, et pectoris habet pacem, atque cum omnibus tenet in bonis concordiam.

Rom. VIII, 7. Postremo, quoniam (teste Apostolo) si filii sumus, erimus et heredes, heredes A quidem Dei, coheredes autem Christi ; hinc decimus virtutis effectus est, quod perducit electos ad hereditatem regni cœlestis ac Christi consortium : sicque præservat et eripit eos a damnatione perpetua, a jugo diaboli, a servitute peccati.

Possent demum et alii virtutum effectus ac opera assignari, quæ ad istos possunt reduci : ideo hos nunc tetigisse sufficiat.

ARTICULUS V.

De multiplici distinctione ac divisione virtutum.

ADSTITIT *regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Ps. XLIV, 10. Regina ista uno modo intelligi potest omnis anima virtuosa, regia via incedens seque sapienter gubernans, et motibus passionum imperans ac vitiis prævalens : quæ circumdata est varietate, id est multiplici ornamento virtutum numero et specie aut etiam genere differentium, utpote virtutibus theologicis, intellectualibus atque moralibus.

Itaque Philosophus secundo Ethicorum dividit virtutem in virtutem moralem et intellectualem. Intellectus namque, ad quem pertinent et in quo sunt virtutes intellectuales, atque appetitus, in quo ponuntur virtutes morales, sunt duo principia motiva et productiva actuum humanorum. Denique, inter has virtutes medio modo se habet prudentia : quia secundum essentiam suam est virtus intellectualis, in intellectu subjective exsistens ; sed quoad suum objectum, est virtus moralis, sicut justitia, quoniam circa contingentia et agibilia humana versatur. Loquitur autem Philosophus in divisione prætacta de virtute humana. Nam virtus theologica est divina et superhumana. Ideo divisio illa Philosophi secundum ejus intentionem fuit sufficiens. — Ponit quoque quinque virtutes seu habitus intellectuales, qui sunt, sapientia, prudentia, intellectus, ars atque scientia. Inter quas

prudentia pertingit ad perfectam rationem virtutis : propter quod, secundum Philosophum sexto Ethicorum, non inest malis hominibus. Sapientia quoque præ ceteris habitibus intellectualibus rationem virtutis sortitur, in quantum affectionem et saporem boni includit. Porro virtutem moralem Philosophus dividit in principalem seu cardinalem, et in virtutem moralem ei annexam. Ponitque quatuor cardinales virtutes, quibus ceteras virtutes morales asserit esse annexas. In toto autem ponit undecim virtutes morales in genere.

Theologi vero distinguunt virtutem in virtutem theologicam et moralem ac intellectualem. Rursus distinguunt virtutem in acquisitam et infusam, et item in virtutem naturalem et supernaturalem. Nam et infantulis in Baptismo, pœnitentibus quoque in ipsa contritione seu attritionis completione, dantur virtutes, quæ non sunt acquisitæ et naturales.

Postremo, secundo super Somnium Scipionis narrat asseritque Macrobius, quod Plotinus inter philosophiæ professores cum Platone princeps, dividit virtutes in virtutes exemplares, politicas, purgatorias, animique purgati. Omnes quippe virtutes in Deo exemplariter idealiterque consistunt : sicque in Deo acceptæ, exemplares vocantur, quæ sunt virtutum creatarum ideæ. Ideo, secundum Macrobium et Plotinum, prudentia exemplaris, est ratio mentis divinæ in Deo consistens, quam nostra imitatur prudentia, si fuerit vera. Temperantia autem exemplaris in Deo, est concupiscibilis conversio divinæ intentionis ad se ipsam reflexæ. Fortitudo quoque exemplaris, est incommutabilitas Dei in se ipso. Justitia autem exemplaris in Deo, est activa observatio legis æternæ in actibus ejus. — Præterea, si objiciatur quod Aristoteles negat præfatas virtutes esse in Deo, ut nono Ethicorum habetur, dicendum quod non sunt in Deo eo modo quo circa res humanas versantur.

Insuper, virtutes istæ seu eis annexæ, vocantur politicæ, in quantum conveniunt
A homini secundum quod est animal sociale, civile, ita quod per eas bene se habet in conversatione humana cum proximis suis, juxta illud : Cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate. *Ephes.* IV, 2. Sicque convenit eis contra passiones et peccata pugnare, et hominis vitam quoad exteriora opera gubernare. — Dicuntur autem virtutes hæ purgatoriæ, secundum quod jam sunt in victoria passionum ac vitiorum, et interiores actus respiciunt, hominemque assi-
B milant actioni ac vitæ Dei et supernorum spirituum, ad quorum imitationem et aliqualem conformitatem debet homo conari, quia per intellectum et intellectivum appetitum habet participationem et parilitatem quamdam cum illis propter mentis splendorem, immortalitatem et immaterialitatem, ut Rabbi Moyses contestatur. Propter quod ait Salvator : Estote misericordes, *Luc.* VI, 36. sicut et Pater vester cœlestis misericors est. Et rursus : Estote (inquit) perfecti, *Matth.* V, 48. sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.
C Unde et Paulus admonuit : Estote imitatores Dei sicut filii carissimi. *Ephes.* V, 1. Sicque prudentiæ purgatoriæ est, cuncta mundana contemplatione divinorum contemnere, et omnem cogitatum in divina defigere, sicut ait Apostolus : Quæ sursum sunt quærite *Coloss.* III, 1, 2. et sapite, non quæ super terram ; et rursus : Omnia arbitror ut stercora propter *Philipp.* III, 8. eminentem scientiam Dei. Temperantiæ vero est, ea quæ corporalis requirit necessitas relinquere, quantum natura permittit. Fortitudinis autem, non terreri propter
D recessum animæ a corpore et conscensum ejus ad superiora, ita ut dicamus : Quis me *Rom.* VII, 24. liberabit de corpore mortis hujus? et item : Cupio dissolvi et esse cum Christo ; rursus- *Philipp.* I, 23. que : Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? *Ps.* XLI, 3. Justitia autem purgatoria est, toto corde consentire ad hujuscemodi vitæ custodiam ac tenorem. — Porro virtutes purgati animi appellantur virtutes eorum qui præfatam perfectionem adepti sunt, in quibus plenarie facta est interiorum reformatio atque perfectio, ita quod virtutum

Ps. IV, 9. possessor jam quiescit in pace in id II Cor. III, 8. ipsum, revelata facie gloriam Dei assidue speculando. Sicque prudentia est quæ sola intuetur divina; temperantia, quæ terrenas cupiditates ignorat, id est, non experitur; fortitudo, quæ passiones et vitia nescit; justitia, quæ divinæ menti perpetuo fœdere sociatur.

In iis vero locutionibus virtutes istæ videntur extense sumi, prout sapientiam prudentia comprehendit, justitia caritatem, etc. Hoc quoque tangendum, quod virtutes politicæ pertinent ad statum animalem et ad incipientes; virtutes purgatoriæ, ad statum rationalem et ad proficientes; virtutes purgati animi, ad statum spiritualem atque perfectionis.

ARTICULUS VI.

De virtutibus theologicis.

I Cor. XIII, 3. NUNC *autem manent fides, spes, caritas, tria hæc.* Hæ tres virtutes inter omnes virtutes et dona ac habitus animæ rationalis sortiuntur primatum; atque, ut asserit Augustinus in libro de Doctrina christiana, per has virtutes anima hominis immediate conjungitur Deo, desponsaturque Christo, et veste nuptiali induitur. In libris quoque de Trinitate fatetur, quod propter has tres virtutes in hominum corde plantandas ac construendas, omnium divinorum librorum machinamenta consurgunt. Hinc ceteræ virtutes ordinantur ad istas, præsertim ad caritatem. Ad hoc etenim debemus per virtutes morales refrenare ac moderari passiones, et per virtutes intellectuales clarificare ac perficere rationem, per justitiam quoque dirigere voluntatem, ut actibus fidei, spei et potissime caritatis valeamus sincerius stabiliusque insistere, Deum ex fide perfectius cognoscendo, in eo quoque efficacius confidendo, et ipsum ardentius desiderando atque affectuosius ac dulcius amplectendo.

Circa hæc quæritur primo, cur istæ virtutes theologicæ appellentur; secundo, cur A tres dumtaxat exsistant; tertio, qualiter distinguantur a virtutibus ceteris, et item ab invicem.

Ad primum horum respondet Thomas in prima secundæ, quæstione sexagesima secunda, dicendo : Beatitudo hominis ponitur duplex. art. 1. Una naturalis, ad quam per vires naturales et virtutes humanas et acquisitas potest homo pertingere : de qua loquuntur philosophi. Alia supernaturalis, quæ est immediata et clara per speciem visio Dei : ad quam homo sine supernatu- B rali adjutorio Dei nequit pertingere. Ideo dantur ei virtutes supernaturales infusæ, quibus Deo supernaturaliter assimilatur per gratiam, quæ est divinæ naturæ similitudo participata ac supernaturalis. Hæ autem virtutes theologicæ nuncupantur, id est divinæ : primo, quoniam Deum habent pro immediato objecto; secundo, quoniam a solo Deo per creationem infunduntur ac conferuntur; tertio, quoniam sola Dei revelatione in Scripturis sunt traditæ. — Potest addi et ratio quarta : quoniam ulti- C mo fini, qui Deus est, mentem conjungunt. Unde Thomas de Argentina in suo ait Compendio : Per has tres virtutes anima fertur in summam Trinitatem secundum tria appropriata tribus Personis. Fides quippe credendo et Scripturis assentiendo dirigit in summam veritatem, quæ appropriatur Filio. Spes autem innitendo et exspectando dirigit in summe arduum, hoc est in primam beatitudinem, quæ communicatur intellectualibus creaturis per Dei omnipotentiam, quæ appropriatur Patri. D Caritas vero desiderando et amando dirigit in summam bonitatem, quæ appropriatur Spiritui Sancto.

Ad secundum respondet in Breviloquio suo et super tertium Bonaventura : Necesse est animam, dist. XXVI. quantum ad superiorem suam faciem, in qua consistit Trinitatis æternæ imago, perfici per theologicas tres virtutes, quatenus sicut imago creationis consistit in trinitate potentiarum et unitate essentiæ ipsius animæ rationalis, sic imago recreationis consistat in trinitate

harum virtutum et unitate gratiæ. — De A
q. LXII, a. 3. hoc ait Thomas in prima secundæ: Virtutes theologicæ sunt tres. Ordinatur enim homo ad Deum per intellectum, et quoad hoc infunditur fides; et item per voluntatem, quæ se habet dupliciter ad ultimum finem seu Deum, puta in ipsum tendendo, quod pertinet ad spem, et ipsum tenendo seu amplectendo, quod pertinet ad caritatem. Quæ etiam in præsenti hoc agit aliquo modo, quamvis non ita complete sicut in patria. — Hinc quoque in Summa virtutum habetur : Tres sunt istæ virtutes, quia ne- B cesse habemus ultimum finem aliquo modo cognoscere, quod fit per fidem ; et bonitatem ipsius desiderare, quod fit per caritatem; fiduciam quoque obtinendi ipsum habere, quod fit per spem.

Ad tertium respondetur, quod virtutes theologicæ a ceteris distinguuntur, quoniam circa ultimum finem immediate versantur, habentque Deum pro immediato objecto, et supernaturales sunt, secundum quod Deus omnem cognitionem et omne desiderium mentis humanæ excedit. Cete- C ræ autem virtutes circa creata objecta et circa media finis ultimati versantur. Et quamvis sapientia philosophica, imo et theologica, seu sacra Scriptura, Deum habeant pro objecto, alio tamen modo quam fides. Habent enim Deum pro objecto, secundum quod Deus est aliquo modo cognoscibilis, sive per creaturas et per naturale lumen rationis, sive per lumen supernaturale et miraculosos effectus. Fides autem habet Deum pro objecto, in quantum est incomprehensibilis : ideo di- D citur fides, tanquam a notitia differens. — Insuper differunt virtutes theologicæ ab invicem, quamvis habeant materialiter idem objectum, quoniam Deus sub ratione formali distincta est objectum ipsarum. Deus namque in quantum prima veritas incomprehensibilis seu clare non visa, objectum est fidei ; et in quantum summa et objectalis felicitas nondum adepta, sed adipiscibilis, objectum est spei ; atque in quantum summa bonitas fruibilis, objectum est caritatis. Fides quoque est in intellectu, spes et caritas in voluntate. Bonaventura tamen et alii multi doctores dicunt, quod istæ virtutes differunt in subjecto, ita quod fidem ponunt in rationali, spem in irascibili, caritatem in concupiscibili. Sed istud non contrariatur prædictis, quia per irascibilem et concupiscibilem non intelligunt appetitum duplicem sensitivum, sed solam voluntatem, quæ propter similitudinem quamdam, concupiscibilis et irascibilis appellatur.

ARTICULUS VII.

De fide et rationibus credendorum,
et qualiter instruendus sit populus in fide.

SINE *fide impossibile est placere Deo.* Hebr. XI, 6.
Quemadmodum in libro de Fide et legibus Guillelmus Parisiensis declarat, Deus requirit a nobis ut intellectum nostrum offeramus ei in sacrificium, subdendo eum auctoritati divinæ in his quæ rationem transcendunt, consentiendo credendis hoc solo intuitu, quoniam Deus hoc exigit et testis est veritatis, ita ut suspendamus propriæ rationis discussionem atque judicium. Propter quod scribit Apostolus : In II Cor. X, 5.
captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Hinc idem Apostolus ad Hebræos fidem subtiliter, sed obscure definiens : Fides Hebr. XI, 1
(inquit) est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Quam definitionem doctores exquisite explanant. Quod, brevitati studens, dimitto, præsertim quia in isto opusculo pauca aut nulla inserere volo quæ non deservire valeant populo. Verum, ut in secunda secundæ, quæstione quarta, Thomas testatur, definitio art. 1.
illa Apostoli potest in formam hanc redigi ac clarius exprimi : Fides est habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis per assensum supernaturalis veritatis. Denique definitioni Apostoli consonat descriptio fidei quam septimo de Divinis nominibus capitulo tradit divus Dionysius, dicens :

Fides est manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, et veritatem in ipsis. Augustinus quoque : Fides, ait, est virtus qua creduntur quæ non videntur. Et Damascenus : Fides, inquit, est consensus non inquisitivus. Potest item fides sic clare definiri : Fides est virtus supernaturalis infusa, intellectum illuminans et inclinans ad consentiendum veritatibus Scripturarum transcendentibus rationem, intuitu summæ et increatæ veritatis, videlicet ideo quia revelatæ sunt a Deo. Hinc septimo de Divinis nominibus S. Dionysius ait : Est autem fides circa æternaliter subsistentem ac simplicem veritatem.

Itaque fides est radius primæ et increatæ veritatis, inchoatio futuræ beatificæ visionis, oculus mentis, dirigens eam ut sciat ad quid omnia opera sua debeat ordinare et in quosnam debeat figere intentionem, quia de ultimo fine et vera beatitudine erudit eam. Ideo asserit Augustinus in libro quarto contra Julianum, quod nulla est vera virtus nisi fide supposita, quoniam fides ostendit omni virtuti debitum finem. Hinc quoque per se loquendo, fides dicitur virtutum omnium prima. Virtutes namque theologicæ ceteris sunt priores ordine naturali ac dignitate, quia earum objectum est ultimus finis. Finis enim in agibilibus est sicut principium in speculabilibus, eo quod finis primum sit in intentione, moveatque agentem ad operandum. Sed necesse est ultimum finem prius esse in intellectu per cognitionem, quam esse possit in voluntate, in qua est per spem et caritatem. Intellectus etenim movet et excitat voluntatem, quæ de se cæca perhibetur, et cujus objectum est bonum intellectivum, id est intellectualiter cognitum, secundum Philosophum. Quum itaque naturalis cognitio Deum attingere nequeat secundum quod est veræ et supernaturalis felicitatis objectum, oportet ut homo uniatur Deo primo per fidem.

Ex quibus patet responsio ad quæstionem qua aliqui curiose et anxie quærere A solent, an in philosophis et aliis quibusdam gentilibus, quorum quidam dicuntur fuisse quasi viri heroici, fuerint veræ virtutes. Et videtur quod imo, quia totis viribus videntur fuisse intenti virtutibus. Oppositum tamen apparet, quoniam non fuerunt fideles, sed infideles, et per consequens vitiosi atque in statu damnationis. — Ad quod respondetur, quod habuerunt virtutes naturales et acquisitas : quæ tamen non attingunt ad perfectam rationem virtutis, quia non faciunt suum subjectum B simpliciter bonum, Deoque gratum aut capax salutis, sed simul stant cum peccato mortali : imo fides informis, quæ scilicet non ornatur caritate aut actibus bonis, non est perfecte ac proprie virtus, sed mortua est in se ipsa. Jacob. II, 17.

Præterea, sicut in secunda secundæ, quæstione secunda, Thomas declarat, quan- art. 5. tum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, omnes tempore legis evangelicæ tenentur habere fidem explicitam. Idcirco de symbolo fidei ab Apostolis edito in- C struendus est populus, tamen sine curiosa subtilitatum ac difficultatum fidei discussione. Verumtamen, sicut rursus in secunda secundæ, quæstione decima, sanctus art. 7. Doctor rationabiliter docet, non expedit coram simplicibus et idiotis disputare de fide, aut infidelium perfidias recitare, nisi forte simplices essent male informati, aut sollicitati, vel quasi dubitantes de fidei veritate. Simplices quippe communiter sunt tanto firmiores in fide, quanto minus aliquid audierunt fidei suæ contrarium, et D quo amplius putant omnes credere quod ipsi credunt.

Insuper, quamvis ea quæ fidei sunt, ratione demonstrativa nequeant comprobari, evidenter tamen et insolubiliter potest probari quod vera sint, utpote a Deo revelata, attestata et confirmata [illegible]nec solum
racula soli omnipotenti [illegible]ogicarum virtu-
ad fidei christianæ co[illegible]um et causa effi-
osissime facta sunt [illegible]ideratio namque pri-
equidem secta au[illegible]at fidem, id est fidei
argumenta, nisi [illegible]atio primæ largitatis et

que catholica a principio mundi habuit A diversa miracula : primo in lege naturæ, in Abel, Enoch, Noe, Abraham, et consimilibus. Deinde in populo Israelitico tempore Moysis et aliorum sanctorum veteris Testamenti aucta sunt vera miracula in Ægypto, in mari Rubro, in deserto, in Jordane, in terra promissionis ; et usque ad Christi adventum habuit populus ille interdum miracula ac Prophetas. Deinde Christus per se ipsum innumerabilia præclarissima fecit miracula, quæ et in ejus passione mirabiliter aucta sunt, facta ecli- B psi tempore oppositionis, quo luna exstitit plena. Christus quoque suis discipulis dedit virtutem faciendi miracula, etiam mul-
Joann. xiv, 12. to plura atque majora quam ipsemet fecit. Quumque Judæi animo obstinato repulissent Apostolorum prædicationem, translata sunt omnia illa mirabilia per Apostolos aliosque primitivos fideles a Synagoga ad Ecclesiam Christi ex Judæis gentibusque collectam, et usque in præsens perseverant. Ac frequenter innovata sunt miracula illa incomparabiliter plus quam unquam C in Synagoga, in tantum quod inter atrocissimas tyrannorum persecutiones fides christiana maxime crevit, et miro modo prævaluit, quamvis interdum propter peccata Christianorum permiserit Deus Ecclesiam Christi in pluribus locis per infidelium violentias vastari ac minorari. Amplius, finalis ista Judæorum relictio, et item quod universa quæ de Christo credimus, ostendimus in veteri Testamento a sanctis Prophetis copiose ex divina revelatione prænuntiata, sed et alia multa, de quibus D in aliis diversis tractatibus multa conscripsi, de quibus et Guillelmus Parisiensis et auctor Summæ virtutum ac vitiorum subtiliter scribunt, certissime probant sanctæ fidei veritatem. Sanctissima demum conversatio Christianorum qui a principio Ecclesiæ usque nunc fecerunt miracula, a quibus luce clarius scimus omnem magicam artem fuisse penitus alienam, certum est argumentum veritatis fidei christianæ.

Postremo circa hæc una oritur quæstio, an scilicet expediat ita diligenter attendere et narrare ea quæ fidei roborant veritatem. Et videtur quod non, quum dicat S. Gregorius : Fides non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum. Ex quo sequi videtur, quod quanto fidei veritas clarius comprobatur, eo plus credendi meritum amittatur. — Ad hoc B. Thomas in secunda secundæ, quæstione secunda, respondet, quod humana ratio art. 10. potest se habere ad fidei probationem dupliciter. Uno modo antecedenter et quasi causaliter, ita quod homo non crederet, nisi ex ratione induceretur humana : sicque rationis discursus dirimit aut penitus tollit fidei meritum. Alio modo consequenter, ita quod homo prompte crederet, hujusmodi ratione non audita, propter auctoritatem divinam ; sed quoniam diligit fidei veritatem, clarius eam cupit cognoscere, ideoque libenter legit, audit et pensat ea ex quibus in ejus cognitione crescere, roborari inflammarique potest : et hoc meritum fidei auget. Unde inducta Gregorii auctoritas intelligenda est, quando homo non habet promptam voluntatem credendi nisi ex vi rationis humanæ. Hoc quoque scire oportet, quod ea quæ fidem impugnant, sive sit interior hominis consideratio, sive exterior persecutio, tanto plus meritum fidei augent quanto in eorum resistentia ostenditur voluntas ad credendum Deo promptior atque robustior. Hinc beatissimi martyres maximum habent fidei meritum, deinde viri ingeniosi et eruditi qui nec propter argumenta hæreticorum, nec propter doctrinas philosophorum, nec ex propriis considerationibus recedunt a fide, proprium ingenium Deo mactantes.

Denique, etsi articuli fidei sigillatim, seorsum et per se considerati, videantur quasi incredibiliter resonare, tamen dum omnia quæ fidei sunt, cum suis rationibus, fundamentis ac declarationibus comportantur, nihil rationabilius, nihil subtilius nihilque certius fide catholica invenitur. Quemadmodum enim, secundum Philoso-

phum, in exercitu unus roboratur et fulcitur ex alio, ita eorum quæ fidei sunt, unum fulcitur, declaratur ac confirmatur ex alio.

ARTICULUS VIII.

De spe, et ejus proprietate, dignitate ac opere.

Rom. VIII, 24. Ibid. V, 4. SPE *salvi facti sumus*. Super illud ad Romanos, Probatio vero operatur spem, Haymo ait : Spes est certa exspectatio futuræ gloriæ. Hinc Magister Sententiarum, dist. XXVI A. libro tertio spem ita definit : Spes est certa exspectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei et propriis proveniens meritis. Quocirca quæri potest, quomodo spes dicatur ex meritis propriis provenire, quum infundatur a Deo, nec ante ejus infusionem possit quis promereri. Respondetur, quod definitio ista potius datur de actu spei, videlicet de ipsa speratione, quam de virtute seu habitu spei. Hinc virtutem spei Thomas de Argentina et alii quidam ita definiunt : Spes est audacia mentis de largitate Dei concepta habendi vitam æternam per merita bona. Verumtamen ista definitio non plus videtur competere virtuti spei quam prima. Spes namque habitualis, quæ est virtus infusa, non est audacia mentis concepta de largitate Dei, sed prævenit talem mentis conceptionem, et parit illam audaciam, quanquam proprie loquendo audacia sonet malum.

Potest ergo spes habitualis sic definiri : Spes est virtus theologica infusa, per quam rationalis creatura viatrix præstolatur obtinere a Deo æternam salutem per adjutorium gratiæ et meritorios actus. Et potest definitio ista convenire non solum spei formatæ, sed etiam spei informi. Fides quippe et spes possunt esse informes, id est sine caritate et meritoriis actibus, quoniam secundum essentias suas manent in peccatore caritate amissa, nisi in hæresim aut perfidiam cadat. Itaque per spem informem præstolatur homo obtinere a Deo A æternam salutem per adjutorium gratiæ et meritorios actus, quam gratiam et quos actus non habet, sed acquirere et exercere proponit, confidit vel habere se putat, quemadmodum aliquis confidit se adepturum necessaria victui per pecuniam, quamvis nondum habeat ipsam pecuniam, sed laborando aut alio modo proponat eam acquirere. Porro per spem formatam præstolatur homo salutem per auxilium gratiæ et actus bonos quos habet. Prima autem definitio spei non competit nisi spei B formatæ seu actui ejus formato, videlicet ex caritate procedenti. — Insuper spes potest sic definiri : Spes est virtus infusa per quam viatoris voluntas fertur in Deum tanquam in beatificativum objectum nondum adeptum.

Attamen, sicut de fide præcedenti articulo tangebatur, quod scilicet fides informis non attingit perfectam rationem virtutis, ita de spe informi tenendum est. Potest tamen dici quodammodo virtus, præsertim quoniam spes informis spesque C formata realiter idem sunt, sicut et fides informis et fides formata, non obstante quod dominus Antisiodorensis in tertia suæ Summæ asserat parte : Fides informis et fides formata non sunt ejusdem speciei, quia circumstantiæ sunt de esse virtutis, quum in definitione virtutis ponatur : in medietate exsistens. Et idem doctor ille dicere habuit de spe. Sed non concludit quod ait, et est contra communem theologorum doctrinam. Verumtamen ultima quam posui de spe definitio declarari pot- D est ex dictis doctoris illius. Nam ait in Summa sua : Deus est tripliciter finis et objectum theologicarum virtutum. Est etenim finis et objectum fidei, ut prima lux et prima sapientia ; spei autem, ut summe largus atque omnipotens ; caritatis vero, ut summa bonitas ac dulcedo. Nec solum iis modis est finis theologicarum virtutum, sed etiam principium et causa efficiens earumdem. Consideratio namque primæ veritatis generat fidem, id est fidei actum ; consideratio primæ largitatis et

omnipotentiæ parit spem; consideratio summæ bonitatis ac suavitatis generat caritatem. Cetera quoque quæ dicuntur de Deo, reducuntur ad ista : ideo non sunt nisi tres virtutes theologicæ. Iterum scribit : Non delectamur immediate in Deo nisi virtutibus theologicis : idcirco non sunt nisi tres virtutes theologicæ, quia non sunt nisi tres modi delectandi in primo et summo delectabili, scilicet, per modum æstimationis, quod fit per fidem; per modum confidentiæ, quod fit per spem; et per modum conjunctionis, quod fit per caritatem.

Præterea quæritur circa prædicta, qualiter spes dicatur certa exspectatio futuræ felicitatis, ex gratia Dei ac propriis meritis veniens, quum absque divina revelatione nemo sit certus se esse in gratia gratum faciente, aut meritorios actus habere, quos constat sine caritate haberi non posse. — Respondetur secundum Thomam, Richardum et alios quosdam, quod certitudo spei attenditur ex parte omnipotentis misericordiæ Dei, de qua certum est quod ex parte ipsius non erit defectus nostræ salutis. Verumtamen certitudo ista non est certitudo demonstrativa naturalis scientiæ, sed fidei : quæ habet certitudinem adhærentiæ, non evidentiæ; certitudinem quoque ex parte infallibilis sui objecti, quod est incommutabilis veritas. Denique, teste Apostolo, Spiritus Sanctus testimonium perhibet spiritui nostro quod sumus filii Dei. (*Rom.* VIII, 16.) Atque, ut ait Bernardus, de homine alacri ac fervido in divino obsequio non est dubitandum quin in caritate exsistat. Sicque, secundum Bonaventuram in Scripto tertii, (dist. XXVI.) habetur certitudo probabilis quod habeat merita ex quibus confidere debeat. Nihilo minus, secundum Thomam de Argentina, certitudo ista quamdam formidinem habet annexam : propter quod devoti inter timorem et spem fluctuare ac moli dicuntur. Siquidem timent ex consideratione propriæ defectuositatis et culpæ atque incerti status sui, et maxime quia ignorant qualiter finient cursum suum;

A sperant vero ex consideratione pietatis divinæ. Sicque timor spem deprimit, ne sit nimis secura et præsumptuosa reddatur; spes vero timorem erigit, ne in pusillanimitatem aut desperationem labatur. Hinc Antisiodorensis dicit in quarta parte Summæ suæ : Timor et spes sunt duæ molæ inter quas moli (id est ab omni pravitate frangi ac conteri) debet quilibet Christianus, ut fiat et sit mundus panis Christi. Timor quippe tanquam mola inferior reprimit spem, ne luxuriet in præsumptionem; B spes autem tanquam mola superior elevat timorem, ne ruat in desperationem.

Rursus oritur quæstio circa præhabita. Sancti enim ac devotissimi viri frequenter professi sunt totam spem suam esse in misericordia Dei, nec se in propriis actibus aut viribus aliquo modo confidere. Unde et super illud in Psalmo, Salvabit eos, (*Ps.* XXXV 40.) quia speraverunt in eo, sic scribunt : Quibus actibus, quibus meritis eos salvabit? Et respondent : Quia speraverunt in eo. Quomodo ergo spes dicitur certa exspecta- C tio gloriæ, non solum ex gratia, sed ex meritis quoque proveniens? — Et respondendum, quod sancti et devotissimi viri ita locuti sunt, quoniam principaliter in Dei pietate et gratia sunt confisi : non quod sine propriis meritis putaverunt se posse salvari, quum dicat Gregorius, Spes sine meritis præsumptio est; sed quia et ipsa merita sua cognoverunt esse Dei dona, eaque Deo totaliter adscripserunt. Hinc ait Bernardus super illud, Tu es, Domine, spes mea (*Ps.* XC, 9) : Quidquid agendum, quid- D quid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum occurrit, tu es, Domine, spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum est causa, hæc tota ratio exspectationis meæ. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstus, jejunare se bis in sabbato dicat, (*Matth.* XX, 12; *Lu*[c.] XVIII, 11, 1[2].) postremo, non esse sicut ceteri hominum glorietur; mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. (*Ps.* LXXI 28.)

Amplius, circa hæc quærunt Alexander

de Hales et Antisiodorensis in Summis suis, an spes sit mercenaria. Videtur quod imo, quia intuitu sui commodi seu proprii præmii operatur : quod videtur puritati caritatis contrariari. — Respondetur, quod spes perfecta nequaquam contrariatur sincerissimæ caritati, quia non quærit præmium suum nisi in Deo et propter Deum et secundum Deum. Quærit enim beatitudinem ad Dei honorem et gloriam, quoniam sine beatitudine non potest homo plene uniri Deo prout caritas cupit, et quoniam Deus id jussit.

Debemus ergo in Deo confidere, et confidendo medium observare, ut nec ex consideratione propriæ defectuositatis, vitiositatis et insufficientiæ desperemus, nec ex consideratione infinitæ misericordiæ Dei inaniter præsumamus, aut in spe peccemus ; sed quidquid boni potest manus nostra, instanter ac indeficienter exercere debemus. Nempe, ut Climacus ait, peccantibus persuadet diabolus Deum esse misericordem, et omnia posse peccata in fine deleri, ut sic eos in peccatis detineat. Pœnitere autem volentibus atque agonizantibus suggerit infinitum esse rigorem divinæ justitiæ, ut ad desperationem eos inducat.

Eccle. IX, 10. — Scal. parad. grad. VII, XV.

Porro, quam fiducialiter debeat omnis homo in Deo sperare, probatur ex multis. Primo, ex infinita bonitate, pietate, munificentia et misericordia Dei, quæ omnem nostram malitiam et offensam infinite excedunt. Secundo, quoniam Deus in Scripturis tam uberrime nos hortatur ut confidamus in eo, nec fallaciter agit hoc. Tertio, quoniam universis pœnitentibus et ipsum invocantibus misericordiam suam veniamque promisit. Quarto, quoniam Pater æternus unigenitum Filium suum voluit pro nobis incarnari, in mundo conversari ac mori. Quinto, quoniam Filius Dei pro nostra salute tot et tanta fecit ac pertulit. Sexto, quoniam innumerabilia beneficia corporalia et spiritualia, generalia et specialia, naturalia et supernaturalia jam contulit nobis. Septimo, quoniam multis gravissimis peccatoribus ineffabilem misericordiam fecit, et maximam gratiam condonavit, ut constat de multis Sanctis utriusque Testamenti. Octavo, quoniam multa et magna subsidia nobis parata sunt, scilicet Virginis gloriosæ, angelorum sanctorum, et ceterorum civium supernorum.

ARTICULUS IX.

Quid sit caritas, et de excellentia ejus.

QUI *diligunt te, Domine, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* Inter omnes virtutes et habitus animæ, virtutes theologicæ exstant dignissimæ : inter quas caritas summa est. Ideo omnium virtutum vita, regina, mater, imperatrix, forma et finis est caritas. Quumque præcepta dentur de vitiis evitandis et virtutibus exercendis, constat quod exercitatio caritatis sit finis et consummatio ceterarum cunctarum virtutum, et actionum seu exercitiorum earum, imo et omnium præceptorum, ita quod omnium aliarum virtutum actus et opera ad hoc ordinare debemus, ut per ea in Dei actuali amore crescamus ac fortius accendamur, et in ipsa quoque habituali caritate roboremur ac stabiliamur. Hinc ad Timotheum ait Apostolus : Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. Finis quippe præcepti, id est finalis perfectio et consummatio ultimata legis divinæ et omnium præceptorum utriusque Testamenti, est caritas, hoc est actualis dilectio Dei, procedens de corde puro, et appetitu intellectivo seu voluntate a passionibus vitiisque purgata, et conscientia bona, id est cognitione intellectus sincera, et fide non ficta, quia ex actu veræ fidei procedit dilectio. Hinc in Evangelio Christus testatur, quod primum maximumque mandatum est, Deum toto corde diligere. Unde et princeps Apostolorum hortatur : Ante omnia caritatem continuam in vobismetipsis

Judic. V, 31. — I *Tim.* I, 5. — *Matth.* XXII, 37, 38. — I *Petr.* IV, 8.

Rom. XIII, 10. habentes. Et Paulus : Plenitudo (inquit) legis est dilectio.

Denique caritas sic solet definiri : Caritas est dilectio qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum. Verumtamen per caritatem non solum Deum et proximos diligimus, sed item nos ipsos, imo et omnes tam Beatos quam beatitudinis susceptivos, videlicet angelos sanctos et universos cives cœlestes, cunctos quoque viatores, et eos qui in purgatorio detinentur. Potest ergo caritas sic definiri : Caritas est virtus infusa ac summa, voluntatem directe perficiens, per quam Deus propter suam propriam bonitatem diligitur super omnia, et cetera diligenda spiritualiter diliguntur.

Circa hoc quæri potest quid sit vere diligere Deum. Et respondendum, quod quum (teste Philosopho) diligere sit alicui bonum velle, et ipse Deus sit in se ipso naturaliter, incomparabiliter infiniteque bonus ; ideo primus et potissimus actus caritatis divinæ est, ex intimo corde velle et favere omnem infinitam bonitatem, beatitudinem et perfectionem ipsius, et congratulari ei complacentiamque habere de omni infinita excellentia, majestate ac gloria ejus. Deinde, quoniam caritas est virtus unitiva, idcirco Deum diligere et secundarius actus caritatis est, desiderare ejus præsentiam gloriosam, clarum intuitum, dulcem fruitionem, ejus quoque gratiosam præsentiam, quæ nunc haberi potest, et intra affectuose amplecti. Insuper, quoniam Deo debetur omnis honor et gloria, ideo tertius actus divinæ caritatis est, Deum totis viribus honorare et glorificare, atque optare et conari ad hoc ut ipse ab omnibus honoretur et glorificetur. Propter quod asserit Augustinus, quod ille est major in caritate, qui plures ad Dei amorem ac cultum inducit. Iterum, quoniam amicorum est eadem velle ac nolle, ideo quartus caritatis Dei effectus est, universa quæ Deo sunt placita, præsertim quæ jubet, velle et adimplere, et quæ prohibet, nolle ac devitare. Ex quibus elici potest quis vere diligat Deum, et quæ sint veræ caritatis certiora indicia aut probabilia signa.

Postremo, quanta sit excellentia caritatis, clarius ac subtilius edoceri non valet quam ex verbis sanctissimi Pauli, qui ad Corinthios loquitur : Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Deinde illo in loco fatetur, quod quantumcumque multa et magna Spiritus Sancti charismata quis habeat, et quantumlibet multa et magna ac mira operetur aut etiam patiatur, nil penitus prosit ei, nisi habuerit caritatem, in tantum quod etsi omnia bona sua pauperibus dederit, atque pro fidei defensione se comburi permittat, tanta quoque fidei certitudine polleat, ut orando aut imperando transferat montes de locis suis, attamen totum hoc ei nil prosit ad salutem nec meritorium ei consistat, nisi habeat caritatem : imo, si eam non habens moreretur, cum omnibus illis prætactis charismatibus atque operibus descenderet in infernum. Propterea Alexander de Hales et Antisiodorensis in Summis suis conscribunt, quod si quis ex fide informi et timore servili sustineret mortis supplicium propter fidem, nihilo minus damnaretur. Hinc caritas dicitur spiritualis vita animæ, et forma atque vivificatrix virtutum, sine qua homo spiritualiter mortuus est et vile coram Deo cadaver, nec aliqua virtus formata censetur.

(I Cor. XIII, 1. — Ibid. 2, 3.)

Ex quibus perpendi potest quam summe sollicitus ac studiosus esse debeat quilibet Christianus ut sit semper in caritate, ne et cetera opera ex genere bona quæ facit, sint ei infructuosa ; et item, quoniam præmium essentiale in cœlo correspondet caritatis perfectioni, ita quod unusquisque tanto plus apud Altissimum promeretur, et tanto major erit in felicitate et gloria, quanto plus fervet perfectiorque consistit in Dei amore. Propter quod disseruit Augustinus : Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major caritas meritum auget ac præmium.

ARTICULUS X.

De rebus diligendis ex caritate, et de ordine caritatis, ac dilectione fraterna.

Joann. IV, I. HOC *mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Caritas in quadam communione supernaturalis felicitatis fundatur. Ideo quidquid beatum est aut beatitudinis capax, ex caritate est diligendum. Nam et caritas est spiritualis dilectio qua quis sibi aut alteri vult veram salutem. Quumque solus Deus sit essentialiter felix et ipsa beatitudo immensa, ipse solus primo ac maxime est amandus. Cetera autem quæ beatitudinis ejus sunt susceptiva, sunt ex caritate amanda, in quantum spectant ad eum per intellectualis naturæ participationem, et veræ felicitatis capacitatem aut communionem vel inexsistentiam.

Hinc Augustinus primo libro de Christiana doctrina dicit quod quatuor sint ex caritate amanda. Unum, quod supra nos est, quod est Deus Trinitas. Aliud, quod juxta nos est, quod est proximus, imo et omnis creatura intellectualis. Quamvis etenim angeli sancti sint supra nos dignitate naturæ, loco et gloria atque multiplici perfectione, tamen juxta nos sunt per convenientiam in genere et finis identitate. Ad eamdem namque supernaturalem salutem homines et angeli sunt creati. Juxta quem modum loquendi asserit Augustinus, quod nihil sit supra hominem nisi Deus. Nam etsi angelus sit supra hominem dignitate formæ, non tamen dignitate finis. Tertium ex caritate amandum, est ipsemet homo amans. Quartum est proprium corpus : quod quamvis sit hominis pars, ponit tamen in numerum in catalogo diligendorum, quoniam aliter est amandum quam ipse homo. Homo quippe est diligendus, quia directe est beatitudinis capax aut particeps; corpus vero, quia per redundantiam quamdam ab anima, susceptivum est glorificationis.

Denique, inter diligenda est ordo servan- A dus, ita quod homo tenetur primo et super omnia incomparabiliter diligere Deum : incomparabiliter, inquam, loquendo appretiative, non intensive. Tenemur enim Deum cum tanta suæ bonitatis appretiatione amare, quod pro nulla re creata, imo nec pro toto universo, nec pro innumerabilibus mundis, si essent, vellemus eum offendere, postponere sive relinquere : quoniam ipse vere in se ipso bonus, perfectus, felix et amabilis est infinite. Deinde post Deum debet homo potissime se B ipsum diligere. Propter quod ait Salvator : Quid proficit homo, si lucretur universum Luc. IX, 25. mundum, se ipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat? Tertio, proximum. Quarto, proprium corpus. Magis quippe desiderare, velle et appretiare, imo et in certo casu conservare ac tueri spiritualem vitam salutemque proximi debemus, quam corporis proprii vitam naturalem ac corporalem. Insuper, in dilectione proximorum ordo servandus est : quia, ut ait Ambrosius, post Deum et se ipsum debet C homo præsertim amare suos parentes, deinde propriam prolem, deinceps domesticos, consequenter extraneos, qui si fuerint boni, malis filiis et domesticis sunt præponendi ; ultimo, inimicos.

Itaque omnis Christifidelis tenetur diligere omnem hominem, fidelem et infidelem, bonum et malum, amicum et inimicum, in quantum ad Dei imaginem et similitudinem est creatus, et rursus in quantum capax est felicitatis, et quoniam Christi sanguine est redemptus. Hinc pro D omnibus, saltem in generali, orandum est, atque in certo casu, præsertim in necessitatis articulo, impendenda sunt etiam inimicis beneficia caritatis, tam spiritualia quam corporalia, signa quoque amicitiæ aut familiaritatis. Et quantum ad hoc, dilectio inimicorum et beneficentia, sed et caritatis ostensio circa eos, sunt in præcepto et de necessitate salutis. Verum extra hujuscemodi casum, in speciali impendere eis caritatis affectum, effectum ac signum, dicitur esse supererogationis atque consi-

lii ; et quanto plus agit quis hoc propter Deum, tanto in caritate perfectior ac melior esse censetur.

Innotescit ergo ex iis, quod quantumcumque quis forefaciat alteri pertinentibusque ad eum, tamen præcepto divino tenetur illum spiritualiter diligere, ipsius conversionem et salutem optando. Sicque obligatur injuriam quantum ad culpam dimittere ; satisfactionem vero seu debitam ultionem potest sine peccato, imo et virtuose exigere et inferre ex caritate ac zelo justitiæ, non propria ac privata auctoritate violentaque manu, sed secundum processum ac ordinem juris. Laudabilius tamen asseritur etiam satisfactionem ac ultionem hujusmodi propter Deum dimittere, præsertim si alter ex infirmitate aut ignorantia forefecit, ac pœnitet veniamque precatur. Porro, si ex remissione hujusmodi pœnæ derogetur communi reipublicæ bono, et justitia patiatur jacturam, aut injuriator fiat ad injuriandum procacior, melius est præfato modo optare, exigere et inferre debitam pœnam, quatenus qui peccavit, in præsenti sic castigetur, ne pereat in æternum.

Postremo constat ex præinductis, quam periculosa, vitiosa ac deploranda sit consuetudo, imo abusio atque temeritas, quæ in aliquibus territoriis viget, ut aliquo læso aut interfecto, consanguinei ejus se congregent, et propria auctoritate pergant ad ulciscendum illatam injuriam ex ira ac odio : quod totum est mortale ; et sibi invicem communicant in peccatis, ac pessima voluntate peccant sæpissime. Interdum quoque occidunt innocentes, quibus injuria illa multum displicuit : imo nonnunquam et ipsi qui ad alios occidendos aut vulnerandos proficiscuntur, subito in suis sceleribus perimuntur. Ideo dominus terræ deberet hujusmodi consuetudinem prorsus eradicare a territorio suo. Alioqui timendum quod prætacta subditorum facinora in ipsum redundent : siquidem impietati cui non resistitur, consentitur. Quod si ex cupiditate commodi temporalis negligeret tantam exstirpare abusionem, enormiter nimis inexcusabiliterque peccaret, et aliorum crimina redundarent in ipsum.

ARTICULUS XI.

Quod non solum universa præcepta, sed cuncta quoque evangelica Christi consilia finaliter ordinentur ad perfectam impletionem præcepti caritatis divinæ.

Æ*MULAMINI charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* (I Cor. XII, 31) Dominus noster Jesus Christus, qui tanquam virtus et sapientia Dei Patris (Ibid. I, 24) optime noverat impedimenta humanæ salutis, compendiosiora quoque itinera pertingendi ad beatitudinem æternalem, duas in Evangelio docuit vias perveniendi ad felicitatem. Una est via præceptorum, ad quam omnes tenentur : quia per eam vitantur ea quæ a salute directe impediunt, ut sunt peccata mortalia ; per eam quoque implentur quæ ad salutem obtinendam necessario exiguntur, ut sunt actus caritatis atque justitiæ, et aliarum quarumdam virtutum. De qua via ait Salvator : Si vis ad vitam intrare, serva mandata. (Matth. XIX, 17.)

Alia est via consiliorum, per quam ea vitantur quæ indirecte impediunt a salutis adeptione, difficultatemque pariunt bene agendi, et plurimos retrahunt a virtute, vel caritatem frequenter diminuunt : ut sunt terrenarum rerum possessio, propria libertas, uxor et consanguineorum præsentia. Ideo Dominus Jesus consuluit ista relinqui. (Ibid. 29. Luc. IX, 2) Per hanc quoque consiliorum viam illa implentur quæ compendiosius ac fructuosius ad felicitatem perducunt : ut sunt religionis ingressus, obedientia, castitas et paupertas, ac ceteræ observantiæ regulares. Ideo Dominus consuluit ista assumi et exerceri.

Verum omnium horum finis est, ut per ea in caritate perficiamur. Consuluit equidem Christus temporalia deseri, et proprium nil habere : (Matth. XIX, 21.) non quod temporalia sint in se mala, nec quasi in se malum sit

proprium aliquid possidere ; sed quoniam A occupatio, sollicitudo atque affectio circa terrena et propria valde difficulter ac raro sic refrenantur ac moderantur, quin multa gignant in mente obstacula puritatis et quietis ac spiritualis profectus in divino amore : imo frequenter retardant, infrigidant vel etiam penitus exstinguunt ac auferunt caritatem. Sic quoque Salvator
Luc. XVIII, 9, 30. consuluit parentes, cognatos conjugemque relinqui : non quod in se illicitum sit aut peccatum, cum illis esse et conversari aut in statu conjugali sedere, sed quia perrarum prorsusque difficile est, esse cum illis et uxorem habere, nec tamen inordinate affici circa illos, neque illorum occasione ab internæ dilectionis retrahi in-
I Cor. VII, 3. cremento. Nempe, ut ait Apostolus, qui uxorem habet, sollicitus est quæ sunt mundi. Augustino quoque testante, nihil ita effeminat mentem sicut muliebris ille contactus. Ideo dicit Hieronymus : Tanto debilius cor ad Deum afficitur, quo amplius circa plura dividitur, occupatur ac detinetur. Hinc Antisiodorensis ait in tertia parte Summæ suæ : In via amor carnalis impedit caritatem ne efficiatur omnino spiritualis, quoniam occupatur ad carnalem præsentiam ejus quem diligit, ut patet in Apostolis adhuc infirmis, qui amore carnali quo tenebantur in corporali præsentia Christi, sic impediebantur a per-
Joann. XVI, fectione, quod non poterant in tali statu recipere Spiritum Sanctum ad robur.
Luc. IX, 23. Conformiter Christus consuluit propriam voluntatem penitus abnegare, et sub obedientia vivere : non quod humana voluntas liberumque arbitrium sint mala aut vitiosa in se per naturam, sed quoniam multa et magna vitia solent oriri ex eis, quando obedientiæ jugo non refrenantur, estque rarissimum et omnino difficile ea regere per se ipsum.

Verumtamen Christus non consuluit præinducta quasi sine eorum observantia nemo effici possit in caritate perfectus : siquidem gratia Dei communi lege non stringitur. Idcirco ex gratia valde speciali quidam in sæculo propria possidentes, aut matrimonio sociati, ad caritatis perfectionem et sanctitatem perducti sunt. Unde et beatissimo patri nostro Antonio aliisque eremitis sanctis nonnunquam legitur revelatum, quod nondum pervenissent ad sæcularium quorumdam perfectionem. Quemadmodum enim quidam in statu perfectionis vivunt imperfecte ac negligenter, sic quidam in statu imperfectionis vivunt perfecte : qui quamvis habeant divitias, uxorem ac sobolem, aut B etiam principatum ac dignitatem, non tamen abutuntur eisdem, nec inordinate, sed solum in Deo afficiuntur ad ea. Quod si interdum circa talia aut alia venialiter peccent, de hoc quotidie tam cordialiter pœnitent, quod non colligunt lignum, fœnum et stipulam. I Cor. III, 12.

Ad hoc itaque omnia evangelica ordinantur ac tendunt consilia, ut præceptum illud caritatis divinæ, Diliges Dominum Deut. VI, 5. Deum tuum, etc., impleatur perfecte, quantum in hac vita exstat possibile, ita ut C omni inordinata affectione expulsa, homo indesinenter in actu feratur in Deum, et figatur in eo toto corde totaque anima, tota mente et omnibus viribus suis.

ARTICULUS XII.

De gradibus caritatis.

CARITAS vestra magis ac magis abundet, ut probetis potiora. Præceptum Philipp. I, 9, 10. diligendi Deum a diversis diversimode adimpletur. Quod enim præcipimur toto Luc. X, 27. D corde, tota mente, tota anima totisque viribus Deum diligere, tripliciter potest intelligi, et tribus modis impleri. Primus ac infimus modus intelligendi præceptum hoc, est ut Deum sic diligamus totis corde, mente, anima ac viribus, ut nihil caritati contrarium appetamus, admittamus aut operemur, ea quoque quæ caritas exigit, operemur servando præcepta. Et hoc est necessarium ad salutem, atque in isto primus et infimus caritatis gradus consistit.

Secundus modus intelligendi præfatum A præceptum, est ut Deum totis corde, mente, anima et viribus sic amemus, ut non solum vitemus ea quæ caritati contrariantur, ut sunt peccata mortalia, sed ea quoque quæ ab ejus profectu ac frequentatione impediunt, quæ sunt possessio temporalium rerum, præsentia propinquorum, conjugium, ac libertas voluntatis non resignatæ; nec solum impleamus præcepta Dei atque Ecclesiæ, sed et operibus supererogationis et interioris profectus seu observantiæ regularis viriliter insistamus. B In iis itaque secundus ac medius gradus caritatis constitutus est : qui ad religiosos potissime pertinet. Potest tamen etiam ad sæculares spectare, si tam custodite se habeant, ut circa terrenas opes et contoralem seu consanguineos non afficiantur nec occupentur inordinate, juxta quod ait

Ps. LXI, 11. Psalmista : Divitiæ si affluant, nolite cor

I *Cor.* VII, 29, 31. apponere. Et Apostolus : Qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Quod quamvis sit rarum ac arduum, non C tamen est impossibile apud Omnipotentem, sed per specialem ejus gratiam a quibusdam impletur.

Tertius modus intelligendi præceptum illud, est sic totis corde, mente, anima viribusque Deum amare, ut per omnia tota hæc homo sine interruptione actualiter feratur in Deum et vivat secundum ipsum. Sicque præceptum istud non potest plene ac indesinenter seu continua ac nunquam interrupta actuatione impleri nisi in patria, prout in libro de Perfectione justitiæ D asserit Augustinus. Nempe Sancti in patria stant indesinenter Deo intenti, actualiterque in æternum uniti secundum extremum et ultimum posse totius voluntatis et intellectus omnisque fortitudinis suæ, quia in eis omnis potentialitas est perfecte reducta ad actum, sicut in Sacramentali suo et in libro de Universo Guillelmus Parisiensis testatur. Verumtamen præceptum istud hoc tertio modo intellectum, potest in via hac semiplene et ad tempus impleri, præsertim a viris heroicis et perfectis. Unde Antisiodorensis in tertia parte Summæ suæ, contra præallegata Augustini verba sic objicit : Aliquis contemplativus potest ad tempus tota mente totoque corde et anima ferri, moveri, affici et delectari in Deo, et omnes motus suos referre in ipsum : ergo implet istud præceptum, præsertim quia affirmativum est, nec obligat ad semper. Deinde solvit, dicendo : Respondemus quod verum est hoc, sed non potest homo diu manere in tali elevatione ad Deum : quoniam corpus *Sap.* IX, 15. quod corrumpitur, aggravat animam. Itaque tertius gradus caritatis consistit in ista hujus præcepti impletione, ut scilicet tam frequenter ac fervide atque stabiliter uniamur Deo per caritatem, sicut jam tactum est et in præsenti exsilio fieri potest.

Primus igitur gradus caritatis pertinet ad incipientes, secundus ad proficientes, tertius ad perfectos. Hinc Thomas in secunda secundæ, quæstione vicesima quarta, distinguens hos gradus, ait : Sicut in art. 9. motu corporali primo receditur a termino *a quo,* secundo acceditur ad terminum *ad quem,* tertio in termino ipso quiescitur; ita distinctio graduum caritatis ac statuum incipientium, proficientium ac perfectorum, attenditur penes diversos actus ac studia ad quæ perducitur homo per caritatem et ejus augmentum. Primo namque incumbit homini ut recedat a vitiis, concupiscentiisque resistat : quod spectat ad primum gradum caritatis, ad quem status incipientium pertinet. Porro huic studio succedit secundum, ut homo principaliter occupetur circa spiritualem in omni virtute profectum : quod ad secundum caritatis gradum et proficientium statum pertinet. Ex caritate etenim elicitive procedit, quod homo conatur in ipsa caritate proficere; imperative vero procedit ex ea, quod in ceteris quoque proficere conatur virtutibus. Sicque secundus caritatis gradus est, spirituali profectui operam istam impendere. Tertio

studendum est homini ut in ipso fine A quiescat, seu Deo inhæreat ac fruatur prout in vita hac exstat possibile : quod ad tertium caritatis gradum perfectorumque statum certum est pertinere.

Denique, in Profectu religiosorum habetur : Primus gradus caritatis est, concessa ita diligere et eis sic uti, ut non præponantur divino amori : quemadmodum boni sæculares sic utuntur rebus mundi, quod tamen in earum usu vitant peccata mortalia. Secundus est, dum homo meliori affectu studet in se atque in aliis B promovere ac implere omnia quæ sunt Dei, ultra quam obligatur. Tertius est, vehementi desiderio sic æstuare ad Deum, ut ejus diutius ferre absentiam nequeat, *Philipp.* I, 23. cupiatque dissolvi et esse cum Deo. Qui *Cant.* II, 5. taliter amat, dicere potest : Amore langueo ; et, *Ibidem*, juxta LXX. Vulnerata sum caritate ; itemque : *Ps.* CXIX, 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est ; *Ps.* XLI, 3. et, Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei ?

Denique, præinducta graduum carita- C tis distinctio fundatur in verbis Augustini, super primam S. Joannis Canonicam protestantis : Caritas perfecta est, esse paratum mori pro Deo aut proximis. Sed numquid statim ut nascitur sive infunditur, ita perfecta est ? Non utique, sed nascitur ut perficiatur. Nempe, quum fuerit nata, nutritur ; quum fuerit nutrita, roboratur ; quum fuerit roborata, perficitur ; quum ad perfectionem venerit, dicit : *Philipp.* I, 23. Cupio dissolvi et esse cum Christo. Ad hanc caritatis perfectionem semper cone- D mur, et quantumcumque profecerimus, semper plus proficere enitamur : quia in hoc tertio gradu caritatis est multiplex latitudo ac diversa mensura incessabilisque durante hac vita processus, quia non omnes perfecti et sancti æque fuerunt perfecti et sancti. Postremo, qui ad hunc tertium gradum caritatis pertingunt, dono sapientiæ eatenus decorantur, quod per apicem mentis stant quasi in contactu Solis justitiæ ac Sapientiæ sempiternæ, a qua et frequenter uberrime illustrantur, valide inflammantur, misericordissime rapiuntur, atque in divitias gloriæ Dei immerguntur et absorbentur.

ARTICULUS XIII.

De causis ac rationibus Deum amandi.

DILIGAMUS *Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.* *I Joann.* IV, 19, 10. Solus Deus est causa efficiens, infundens et creans habitum caritatis. Multæ autem sunt causæ et rationes ex quarum consideratione incitari debemus ad actualem Dei amorem, profectum et perfectionem. Prima et maxima est infinita bonitas Dei. Si enim creaturæ amabiles sunt quia bonæ et in quantum bonæ, quam summe et ferventissime est amandus is qui naturaliter, essentialiter et prorsus incircumscriptibiliter bonus est ?

Secunda est, plena, universalis et absoluta perfectio Dei. Nempe, si quosdam amamus quoniam pulchri sunt, et tanto plus, quanto sunt pulchriores ; alios vero, quoniam nobiles sunt, et tanto plus, quo nobiliores ; alios autem, quoniam ingeniosi et sapientes ; alios, quoniam pii et dulces ; alios, quia fortes sunt et liberales ; alios, quoniam justi sunt ; alios, quoniam facundi et agiles ; alios, quia valde virtuosi et sancti fuerunt aut sunt ; alios, quia præclara et mira opera quædam fecerunt ; et tanto plus diligimus quoslibet horum, quanto amplius tales sunt : nonne decentissimum justissimumque censendum est, ut illum toto corde, ardentissime et incomparabiliter diligamus, qui solus omnia ista cum infinita excellentia habet et est ? Ipse etenim Deus excelsus et gloriosus, superpulcherrimus est et pulchritudo separata, in se subsistens, supermundissima, exemplaris, supersplendidissima ac penitus infinita ; ipse quoque tam nobilis, perspicax et sapiens, quod suæ nobilitatis nullus est finis, suæ perspicacitatis nulla mensura consistit, suæque sapientiæ nullus est numerus. *Ps.* CXLVI, 5. Con-

formiter de ejus pietate, dulcedine, fortitudine, liberalitate, justitia, efficacia, virtuositate et sanctitate sentire oportet. Ipse itidem totius eloquentiæ et loquelæ est institutor : cujus locutio tantæ est potestatis, quod eam mox concomitatur effectus, in tantum quod vere omnipotens Ps. CXLVIII, 5. perhibetur, quoniam eo loquente creata sunt omnia. Sed et intra se loquitur locutione æterna, immanente, productiva Verbi æterni, per quod facta sunt universa. Joann. I, 3. Ipse etiam est qui facit mirabilia magna solus, cujus opera incomparabiliter sunt præclara. Ps. LXXI, 18. Si ergo multi homines tantum arserunt, laboraverunt, profecti sunt ad videndum aliquem virum in una prædictarum virtutum aut eminentiarum præclarum, quam fortiter et infatigabiliter æstuare, laborare, proficere nos debemus, ut Deum, qui in omnibus virtutibus et eminentiis istis prorsus perfectionaliterque immensus est, æternaliter ac beatifice videamus ?

Tertia causa et ratio est, quoniam ipse Deus prior dilexit nos, non propter merita nostra, sed ex bonitate et pietate sua immensa : imo tam ineffabiliter nos dilexit, quod nec parentum nec aliquorum quorumlibet amicorum dilectio ad nos, comparari potest dilectioni Dei qua nos gratiosissime prævenit. I Joann. IV, 19.

Quarta ratio est, propter universa beneficia Dei, generalia et specialia, naturalia et supernaturalia, corporalia ac spiritualia ; potissime quoniam Pater æternus proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum, Rom. VIII, 32. et quoniam Unigenitus Dei ita dilexit nos, et ex dilectione tradidit semetipsum pro nobis. Galat. II, 20. Demum et Spiritus Sanctus non tantum charismata sua, sed et se ipsum dedit et infudit cordibus nostris cum affluentia et dignatione misericordissima. O quantum diligeremus eum qui manum aut pedem abscisum aut erutos oculos restitueret nobis ! Quantæ ergo perversitatis et ingratitudinis est non diligere Creatorem, a quo corpus et animam cum omnibus suis membris viribusque habemus, a quo esse, vivere, intelligere ac liberum velle sortiti sumus ?

Quinta ratio est, universitas promissorum cœlestium et omnis beatitudo ac gloria sempiterna, utputa bona quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec mens comprehendere valet, quæ Deus omnipotens nobis promisit ac præparavit in cœlis. I Cor. II, 9. Si diligimus aliquem quia ad cœnam delicatam aut nuptias nos invitavit, quantæ amentiæ et improbitatis putandum est, si non totis præcordiis illum diligimus qui ad tam beatissimam refectionem æternam nos invitare, eamque nobis polliceri ac præparare dignatus est ?

Sexta est, quoniam caritas Dei est in se ipsa tam nobilissima virtus, primo ac summe necessaria, et maxime meritoria, summe perornans, dignificans, ditans atque deificans hominem.

Sunt autem et aliæ multæ rationes amandi Deum. Nam et naturalis lex id requirit, naturalis hoc ratio dictat, omnis creatura instigat, Scriptura copiosissime exhortatur, fama decurrens accendit. Vere namque, ut ait Isaac Israelita philosophus in exordio libri Definitionum, fama Dei sublimis est, imo et præclarissima. Etenim nihil de Deo cognoscimus, legimus vel audimus, nisi honestum, præclarum et amabile. Si ergo diligimus interdum aliquem quem nunquam conspeximus, ex solo rumore quo aliquid magni de ipso percipimus, quam summe amandus est Deus, de quo tot et tanta bona audivimus ?

Postremo, de causis amandi proximos, etiam inimicos, aliqua sunt prætacta : quibus nunc breviter addi potest ideo quoque proximos esse amandos, quia sine eorum vera et spirituali dilectione Deum diligere non valemus, et etiam propter dona gratiæ et virtutum quæ insunt aut eis inesse possunt. art. X. Si enim diligimus quosdam propter corporalem eorum pulchritudinem, naturalem pietatem aut ingeniositatem, quanto magis propter supernaturalia gratiæ dona incomparabiliter præstantiora di-

ligendi sunt? Sed et propter communionem naturæ, atque ob fidei ac Baptismi religionisque christianæ unitatem ac conformitatem, specialiter amandi sunt Christiani.

Occurrit præterea septima ratio Deum amandi, puta propinquitas quædam præcipua. Si enim cognatos, præsertim parentes, valde specialiter adamamus ex attinentia et propinquitate, quanto magis præamandus est Pater spirituum, Deus verus, a quo secundum animam immediate conditi sumus, qui et Pater noster appellari dignatur, imo et jubet?

Hebr. XII, 9. *Matth.* VI, 9.

Amplius, introducta in primo tractatu, præsertim articulo septuagesimo tertio, pro remediis contra invidiam et rancorem, valere possunt ad caritatis fomentum. Expulsio enim unius oppositorum, est alterius introductio quædam, quemadmodum et generatio unius, corruptio fertur alterius.

ARTICULUS XIV.

Qualiter in Dei amore possimus ac debeamus proficere.

Ephes. V, 1, 2.

ESTOTE *imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos.* Aristoteles ait in Ethicis : Quid est virtus scrutamur non ad hoc finaliter ut sciamus, sed ut boni reddamur. Siquidem finis virtutis est praxis, non speculatio, nisi quod ultimatus universarum finis virtutum est contemplatio summæ veritatis sincera, præsertim beatifica visio illa in patria. Ad hoc itaque præinductorum de caritate cognitio est ordinanda, ut proficiamus et exerceamur, inflammemur atque perficiamur in illa.

Sunt itaque diversæ viæ ac modi pertingendi ad caritatis incrementum, fervorem et perfectionem. Primus modus est, consideratio eorum vivax ac diligens quæ ad actualem Dei amorem inducunt ac incitant. Et posset hic modus in septem modos speciesque subdividi, secundum quod præcedenti articulo assignatæ sunt septem rationes et causæ amandi Deum : quarum

A omnium vigilans ac profunda pensatio sigillatim ac distincte peracta, vehementer caritatem inflammat. Ideo in caritate cupiens crescere et accendi, omnia illa intente consideret, et protinus fructum grandem experietur. Denique considerationes trium primarum rationum amandi Deum, magis excitant et accendunt perfectos, videlicet consideratio divinæ bonitatis, consideratio quoque omnimodæ perfectionis ipsius, et quod ipse prior dilexit nos. Considerationes vero beneficiorum et promis- *I Joann.* IV, 19.
B sorum Dei magis movent et excitant imperfectos. Attamen quod Deus prior dilexit nos, in promptu inflammat.

Secundus modus est, considerare imperfectiones, vanitates, fallacias, vilitates rerum terrenarum atque carnalium, et præsertim infinitam earum distantiam ab excellentia, bonitate, amabilitate omnique perfectione superdignissimi Creatoris, sicque ab inordinata ac superflua illarum affectione averti, imo omnia illa respectu *Philipp.* III, 8.
Dei arbitrari ac aspernari ut stercora; et
C cum Salomone fateri : Vanitas vanitatum, *Eccle.* I, 2.
et omnia vanitas ; et cum Psalmista : Mihi adhærere Deo bonum est. Quid enim *Ps.* LXXII, 28.
sunt parvuli rivi ac modici radii comparatione fontis immensi ac luminis prorsus incircumscripti?

Tertia via ac praxis est, circa carnalis ac privati amoris exstirpationem diligens studium : quia caritatis venenum, est cupiditas seu amor privatus ; diminutio quoque privati amoris, est augmentatio caritatis ; mera vero privati amoris evulsio,
D est caritatis perfectio.

Quarta est, diligens cordis custodia non solum ab omni mortali, sed item ab omni veniali peccato pro posse. Quemadmodum enim mortalia caritatem totaliter exstinguunt ac tollunt, sic venialia ejus fervorem diminuunt, profectum retardant, sinceritatem coinquinant. Quumque Deus sit liberalitatis ac opulentiæ infinitæ, constat quod ipse, quantum in se est, promptissimus sit largissima gratiarum impertiri charismata, dummodo ex parte nostri non

inveniatur indignitas, incapacitas et defectus propter culpas, aversiones et negligentias nostras. *Is.* LIX, 2. Solæ etenim iniquitates nostræ dividunt inter Deum nostrum et nos, et dona gratiæ ejus a nobis impediunt. Idcirco, si a Deo cupimus visitari, amari, accendi, oportet nos omni diligentia ea vitare quæ displicent Deo et inhonorativa ac offensiva sunt ejus. Nempe, ut *Deut.* XXV, 16. in Deuteronomio Moyses protestatur, aversatur Dominus omnem impietatem *. Hinc per Isaiam loquitur Deus : Ego Dominus *Is.* XLVIII, 17, 18. Deus tuus, docens te utilia ; utinam attendisses mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. Ad Moysen demum ait Dominus *Deut.* V, 29. in Deuteronomio : Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea, et bene sit eis in sempiternum ? Quod sicut ad litteram de filiis Israel dictum est, ita nunc dici potest de Christianis, imo de cunctis hominibus. Ex quibus verbis docemur quam paratus sit Deus communicare nobis largissime gratiam suam, et quantum ipse optet nostram salutem, qui (ut in prima ad Ti- *I Tim.* II, 4. motheum asseritur) vult omnes homines salvari, et ad agnitionem veritatis venire.

* injustitiam

Quinta via est, frequens et assidua ad Deum adspiratio per verba affectuosa mente aut etiam ore prolata, dicendo hoc modo aut simili : O Deus dulcissime, quando te toto corde amabo ? Utinam tua sancta caritate totaliter implear. O benignissime Domine, quando tuo amore purissimo perfecte accendar ? Amabilissime et desiderabilissime Deus, dignare me tua saluberrima dilectione jugiter inflammare.

Sexta est, quotidiana et frequens examinatio conscientiæ propriæ et expurgatio ejus, ac deploratio, confessio et emendatio *Eccli.* XIX, 1. quotidianarum culparum. Nempe qui negligit modica, paulatim decidit : nam et veniale ad mortale disponit.

Septima est, Deum assidue invocare pro incremento dilectionis divinæ.

Octava est, mundum et ea quæ mundi sunt relinquere, ac religionem in qua regu- A lariter vivitur introire. Nam quanto mentis affectio circa plura dispergitur, tanto remissius in Deo defigitur.

Nona est, omnem creaturam considerare ut Dei effectum, sicque ex omnium creaturarum intuitu omnipotentis Dei sapientiam, bonitatem ac omnipotentiam considerare, mirari, diligere, et quidquid bonitatis, dulcedinis, utilitatis aut excellentiæ in rebus invenitur creatis, mox ad Creatoris laudem gratiarumque actionem referre, et ita dicere cum Propheta : Quam *Ps.* CIII, 24. B magnificata sunt opera tua, Domine ! Omnia in sapientia fecisti.

Decima est, propriam defectuositatem, frigiditatem evagationemque cordis etiam in divinis, sapienter pensare, abhorrere, deplangere, atque ex hoc intensum proficiendi affectum concipere : siquidem magnus caritatis profectus est grande desiderium proficiendi in ea.

Undecima est, considerare quam fructuosum ac meritorium sit in caritate proficere ; quam periculosum quoque sit in C ea non crescere, quum non procedere in via virtutum, sit retrocedere ac periclitari.

Idcirco iis modis exerceamus nos omni die in caritate. Et qui exteriora sive mechanica faciunt opera, vitent in eis verba illicita, cogitationes affectionesque pravas, et corda sua cum oratione mentali aut vocali et cum cogitationibus et affectionibus virtuosis elevent saltem interdum, imo et sæpe, ad Deum.

Postremo, pectus tundere, in cœlum adspicere, manus levare ad Deum, et con- D similes quidam gestus ac motus, ad caritatis fervorem atque devotionem cooperantur, incitant et deducunt.

ARTICULUS XV.

Qualiter diversi diversimode diligant Deum ; et de caritate ex dictis sanctorum Patrum.

DILIGITE *Dominum, et illuminabuntur corda vestra.* *Eccli.* II, 10. Paulo ante assignati *art.* XII. sunt gradus tres caritatis. Porro quicum-

que vere ac spiritualiter diligit Deum, A plus diligit eum quam se ipsum ac universum ; et nisi homo sic stet coram Deo, quod mallet propriam vitam et universa quæ habet amittere, quam peccando mortaliter Deum offendere, tunc non est in caritate, sed in statu damnationis ac culpa mortali. Quicumque ergo in caritate consistunt, in quocumque sint gradu caritatis, hoc habent commune, quod diligunt Deum magis propter propriam ejus bonitatem et amabilitatem, quam propter se ipsos. Rursus hoc habent commune, quod agunt bo- B na loco et tempore opportuno magis propter Deum et ejus honorem, quam propter propriam remunerationem aut propter evadenda tormenta. Oportet enim ut principaliter atque finaliter ament et agant propter Deum, non propter propria commoda : alioqui uterentur Deo, et fruerentur se ipsis, et finem constituerent sibi non in summo et incommutabili bono, sed in se ipsis et rebus creatis caducis : quod prorsus perversum esset ac mortale peccatum. Hinc qui amat Deum principa- C liter propter beneficia aut promissa ipsius, videlicet quia sibi bonus atque beneficus est, non principaliter quoniam in se ipso summe bonus consistit, non diligit Deum vero ac spirituali amore, qui proprie caritas appellatur. Conformiter, qui mala vitat et bona exercet principaliter mercedis intuitu, vel ut evadat supplicia, beatitudinem non meretur, nec spiritualiter amat.

Verumtamen incipientes et qui in infimo sunt caritatis gradu, non solum amant D Deum bonaque agunt propter Dei bonitatem et ejus honorem ac virtutis amorem, sed et partim ex timore servili, et partim mercedis intuitu, hoc est partim propter se ipsos, videlicet ut incommoda sua evadant, suaque commoda seu gaudia consequantur. Non enim sunt pure et plene ad Deum conversi, nec integraliter recti corde, sed partim ad se reflexi. Similiter proficientes et qui in secundo caritatis gradu sunt constituti, aliquid habent admixtum de timore tormenti affectioneque commodi seu mercedis per reflexionem ad se, minus tamen quam incipientes; magis quoque videntur diligere Deum ac facere bona intuitu præmii quam horrore supplicii : ideo propinquiores sunt puro amori. Porro perfecti, qui in tertio caritatis gradu locati sunt, non pœnarum formidine, neque mercedis affectu in quantum mercedis, sed ob infinitam Dei bonitatem, majestatem ac honorabilitatem amant et colunt ipsum, linealiter in ipsum erecti et corde rectissimi.

Denique veritas horum elucescit ex doctrina Cassiani in secundo Collationum volumine, ubi ex ore sancti anachoretæ Chæremonis abbatis describit qualiter quidam a peccatis se retrahunt bonaque operantur metu gehennæ, vel increpationis ac castigationis in præsenti vita, quos nominat servos Dei ; alii autem spe regni cœlestis, quos mercenarios vocat. Et hos ambos dicit Deo placere : idcirco intelligit eos non sola pœnarum formidine aut præmiorum cupidine, sed principaliter ex amore vitia fugere ac bona prosequi. Alios asserit ex ipso bonitatis affectu et virtutum amore abhorrere peccata ac agere virtuosa : quos Dei filios et amicos appellat, affirmans Dei imaginem ac similitudinem esse plene reformatam in ipsis, quoniam instar Patris cœlestis, qui solem suum facit oriri bonis ac malis, pluitque super justos et injustos, atque benignus et misericors est pessimis et ingratis, etiam isti circa omnes tam bonos quam impios caritative ac pie afficiuntur, condolentque peccantibus, imo et propriis injuriatoribus ac persecutoribus et irrisoribus intime compatiuntur, et orant pro illis ac benefaciunt ipsis. In quorum persona ait Joannes apostolus in prima sua Canonica : Fiduciam habeamus, quoniam sicut ille (videlicet Deus) est, et nos sumus in hoc mundo. Circa quæ verba abbas Chæremon optime ac subtiliter dixit : In quo infirma ac fragilis humana natura esse potest sicut ille, nisi ad imitationem

Collat. XI.

Matth. V, 45.

I *Joann.* IV, 17

Dei semper extenderit placidam sui cordis caritatem in bonos ac malos, opereturque bonum propter ipsius boni affectum?

Insuper, S. Bernardus in libro de Amando Deum, ostendit qualiter aliqui diligunt Deum quoniam sciunt eum sibi necessarium esse, quum sine ipsius conservatione esse non valeant; deinde ex amore illo imperfecto incipiunt Deum amare propter bonitatem ipsius, dum frequenter experiuntur subventionem ac beneficia ejus; tandem gustata dulcedine Dei, assuescunt eum pure diligere propter se ipsum. Rursus docet ibidem, quod tunc amor noster ad Deum est perfectissimus in hac vita, quando in hoc assimilatur divino amori, quod sicut Deus amat se pure propter se, et similiter cetera universa amat finaliter solummodo propter se, ita nos diligimus Deum sinceriter propter se, et neque nos ipsos nec quidquam creatum diligimus nisi finaliter propter Deum atque in ipso. Hinc iterum protestatur : Caritas laborem non sentit, meritum non intuetur, præmia non requirit, et tamen plus omnibus urget. Nullus terror ita sollicitat, nulla præmia sic invitant, nulla justitia sic exigit. Quod tamen de caritate perfecta quoad tertium ejus gradum, est intelligendum.

Scal. parad. grad. xxx. Postremo, de caritate Climacus ait : Caritas est similitudo Dei, atque omnimoda depositio perversæ intentionis ac malæ I Cor. xiii, 5. cogitationis, quia non cogitat malum. Beatus qui tam fervide diligit Deum sicut insanus amator dilectam suam. Non ita lactenti puero mater adhæret sicut filius caritatis Deo : quoniam qui vere diligit, faciem dilecti semper imaginatur, et hanc ex nimia dilectione intrinsecus amplexatur. Qui taliter diligit Deum, neque in somno valet quiescere ab affectu desiderati. Ideo quidam caritatis sagitta plaga- Cant v, 2. tus, dixit : Ego dormio, et cor meum vigilat. Si facialis præsentia dilecti hominis nos immutat, et claros ac hilares facit, quomodo non magis gratiosa præsentia Dei in anima lætificabit nos totos? Etenim dum totus homo caritati coadunatur ac

A jungitur, tunc extra in corpore quasi in speculo resplendent claritas et lætitia cordis. Qui taliter Deum diligunt, multoties corporalem cibum obliviscuntur, nec cum aviditate aut desiderio eum accipiunt, neque cum delectatione.

Ad hunc igitur caritatis gradum ac verticem pertingere indefesse conemur : ad quem et beatissimus Dei electus, christianæ sapientiæ signifer gloriosus, admirabilis ille Franciscus, sublimiter valde in hac vita pervenit, in tantum quod frequenter B quasi totus madidus vino ac totus æstuans intus incendio, in signa sanctæ dilectionis erupit, continere se nequiens. Unde frequenter vi deificæ caritatis elevabatur etiam corpore sublime in aere, semelque flatu suo Fratrem (puto Massæum) ante se elevavit ac movit in aerem ipsum.

ARTICULUS XVI.

De timore Dei, et de divisione timoris, et qualiter quidam sit bonus, et quidam malus.

C

TIMOR non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate. I Joann. iv, 18. Divina Scriptura de multiplici timore loquitur, frequentius tamen de bono et virtuoso timore. Hinc sancti Patres docuerunt multiplicem esse timorem. Primus est timor naturalis, quo quisque naturaliter detestatur et fugit malum sibi nocivum : qui D timor est de se indifferens et passio naturalis, nec bona nec mala moraliter.

Secundus est timor carnalis seu humanus, quo homo immoderate timet propriæ pelli, seu corporis læsiones aut mortis pericula. Contra quem ait Salvator : Nolite Matth. x, 28. timere eos qui corpus occidunt. Unde ait et Isaias : Quis tu, ut timeas ab homine Is. li, 12. mortali? Idcirco ab hoc timore culpabili petiit præservari qui ait in Psalmo : A ti- Ps. lxiii, 2. more inimici eripe animam meam. Circa quod loquitur Augustinus : Non ut me non

occidat inimicus, sed ut non timeam occidentem inimicum : quoniam homo debet esse paratus pati et mori pro Deo, pro fide, pro æquitatis ac veritatis defensione. Tertius est timor mundanus, quo homo inordinate atque superflue timet damna temporalium rerum, quum talia sint æquanimiter toleranda, sicut et cetera adversa, in quantum Deo moderante contingunt pro purgatione culparum et aliis rationabilibus causis. Hi duo timores perversi oriuntur ex amore improbo sui, seu ex timore carnali aut cupiditate : quia hoc timet homo amittere quod cupit habere aut retinere. Ideo isti timores sunt peccata mortalia, quando inducunt ad aliquid quod est contra caritatem sive justitiam seu contra præceptum.

Quartus est timor servilis, quo quis timet Deum ac vitat peccatum intuitu ac pavore damnationis æternæ. Hic timor, in quantum est timor Dei, et retrahens a pec-
Eccli. I, 16. cato et ad justitiam præparans, initiumque sapientiæ, bonus est, non tamen meritorius, quia non est ex caritate ; sed in quantum servilis, dicitur malus : nam quantum in se est, inclinatur ad vitium et diligit illud, nec abstinet inde nisi ex tormenti horrore, quemadmodum mulier adultera amat vitiosum concubitum, quamvis timore sui mariti, ne puniatur ab eo, ab actu contineat adulterino. Idcirco de isto timore asseritur quod non sit in caritate. Unde et apud Joannem habetur, quod
Joann. VIII, 35. servus non manet in domo in æternum : quia videlicet servus servitute servilis timoris a regno excluditur.

Quintus est timor initialis, quo culpa vitatur et bona aguntur partim horrore gehennæ, partim amore justitiæ. Ideo timor iste est bonus ac meritorius, in quantum initialis et ex caritate procedens. Oritur autem ex caritate quantum ad secundum gradum ipsius, ad statum proficientium pertinente.

Ps. XVIII, 10. Sextus est timor filialis, castus et sanctus, perseverans in patria, ex perfecta caritate procedens, quo nunc peccata vitantur, ne Deus Pater offendatur, inhonoretur, aut deserat male agentem.

Itaque, quum timor sit realiter interior fuga mali, et malum sit duplex, videlicet malum pœnæ et malum culpæ, malum quoque pœnæ duplex exsistat, utpote malum sensus et malum damni, quorum utrumque dividitur in malum temporale et malum æternum : hinc timor filialis est fuga mali culpæ seu peccati ; timor vero servilis est fuga mali pœnæ æternæ, scilicet incendii infernalis ; timor autem mundanus est fuga mali pœnæ temporalis seu damni terreni ; sed timor humanus est fuga pœnæ sensus temporalis, utpote præsentis in corpore læsionis ; timor demum initialis est fuga damni æterni.

Præterea Damascenus libro secundo dividit timorem qui est passio animæ, in sex species. Prima vocatur segnities, quæ est timor futuræ operationis ; secunda, erubescentia, quæ est timor in exspectatione convitii ; tertia, verecundia, quæ est timor de re turpi ; quarta, stupor, qui est timor ex imaginatione magna ; quinta, terror, qui est timor ex imaginatione inconsueta ; sexta, angor, qui est timor ex casu seu infortunio.

Itaque qui Deum serviliter timet, ad initialem conetur timorem ascendere : quo adepto, ad filialem festinet timorem, quatenus piissimi atque dulcissimi Dei Patris vultum metuat inhonorare, vereatur offendere ; nec quidquam ita abhorreat ut separari a Deo per culpam ; incomparabiliter quoque plus expavescat Creatoris sui offensam quam propriam condemnationem, et malum culpæ ineffabiliter amplius exhorrescat quam malum pœnæ. Qui vero adhuc tam alienus a Deo est, tamque longissime a salute, ut nec serviliter Deum formidet, redeat ad cor, et infinitam suam cæcitatem, vitiositatem miseriamque discat advertere, incipiat deplorare ; et si non Dei amore, nec filiali timore, neque æternæ beatitudinis appetitu, saltem horrore suæ condemnationis perpetuæ assuescat pravissimis suis consuetudinibus re-

luctari, concupiscentiis repugnare ac bonis A insistere.

Præterea, damna temporalium rerum et corporis proprii læsiones ac mortem, potest homo ordinate timere, quemadmodum potest temporalia et sanitatem vitamque corporalem ordinate amare ac custodire, referendo ea ad spiritualia bona ac veram salutem. Sed non debet exteriora illa adversa ita vereri, ut ex tali timore relinquat justitiam et illicitum aliquid operetur : imo per patientiam debet ea æquanimiter ferre, quia non sine divinæ providentiæ B dispositione ei contingunt, et quoniam saluberrimum multipliciterque fructuosum est ea patienter sufferre, prout infra in articulis de patientia hoc tangetur. Postremo, spiritualia animæ damna, mortem culpæ, calamitates damnationis æternæ, tam vehementissime debemus metuere, ut mundanum atque humanum omnem timorem prorsus abjiciamus, et cuncta adversa cum gaudio toleremus. (art. XXIII et s.)

ARTICULUS XVII.

Quam necessarius et salubris ac commendabilis sit timor Dei, et de causis atque effectibus ejus.

(*Is.* VIII, 13.) DOMINUM *exercituum ipsum sanctificate ; ipse sit pavor vester et terror vester.* Quam summe necessarius sit hominibus in hac vita timor Dei initialis, et maxime filialis, constat ex hoc quod utriusque Testamenti Scriptura tam seriosissime atque uberrime ad timorem Dei nos D exhortatur. Ait quippe Salvator : Eum timete qui potestatem habet corpus et animam perdere in gehennam ignis. Et repetivit : Ita (inquiens) dico vobis, hunc timete. Paulus quoque apostolus : Cum metu (ait), timore et tremore vestram salutem operamini. Et istud rationabiliter hortatur Scriptura : quoniam proprius actus divini timoris in vita præsenti, est retrahere a peccato, et hominem sollicitum facere ad cavendum damnationis suæ peri- (*Matth.* X, 28; *Luc* XII, 5. *Philipp.* II, 12.)

cula, atque ad custodiendum spiritualem suum thesaurum, videlicet dona et merita gratiæ ac virtutum sibi concessa. Quum igitur Isaias testetur, Hic est omnis fructus ut auferatur peccatum; et Salomon exhortetur, Omni custodia custodi cor tuum : constat quod timor Dei sit quasi tutela, consummatio, ornamentum et conservatio universarum virtutum. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : Timor Dei corona justitiæ; itemque : Timor Dei paradisus benedictionis. Includit namque et servat in se cunctarum virtutum divitias. Ad quod insinuandum ait Psalmographus : Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. Propter quod locutus est Isaias : Divitiæ salutis sapientia et scientia ; timor Domini ipse thesaurus ejus. Circa quem versum sanctus anachoreta Chæremon in secundo Collationum volumine contestatur : Non potuit Propheta hujus timoris dignitatem ac meritum magis evidenter exprimere, quam ut divitias nostræ salutis, quæ in vera sapientia C atque scientia Dei consistunt, diceret non nisi a timore Dei posse servari. Hinc quoque sanctus pater Bernardus disseruit : In veritate didici nihil tam efficax esse ad gratiam Dei promerendam, conservandam ac recuperandam, quam si omni tempore inveniaris coram Deo non altum sapere, sed timere. (*Is.* XXVII, 9. *Prov.* IV, 23. *Eccli.* I, 22; XL, 28. *Ps.* XXXIII, 10. *Is.* XXXIII, 6. Collat. XI. *Rom* XI, 20.)

Præterea, quum simus proclives ad vitia, et proni ad vanitates, atque instabiles corde, maxime indigemus præfato Dei timore, quatenus jugiter custoditi ac solliciti coram Deo perseveremus. Propter quod ait Scriptura : Si non in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Et Salomon ait : Timor Dei fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. Imo tanta est magnificentia et excellentia timoris Dei, ut totam nostram salutem Scriptura in timore Dei constituat, juxta illud : Beatus cui datum est habere timorem Dei ; et, Nihil melius quam timor Dei ; et, Beatus homo qui semper est pavidus. Ad quod insinuandum in Ecclesiaste dicitur : Facien- (*Eccli.* XXVII, 4. *Prov.* XIV, 27. *Eccli.* XXV, 15. *Ibid.* XXIII, 37. *Prov.* XXVIII, 14. *Eccle* XII, 13.)

di plures libros nullus est finis ; finem loquendi pariter omnes audiamus : Deum time, et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.

Insuper multa sunt quæ ad saluberrimum hunc timorem excitare nos debent, et eum nobis semper incutere possunt. Primum est metuendum ac districtum Dei judicium nobis futurum tam in hora nostræ mortis quam in die novissimo. Propter quod ad Hebræos fertur : *Hebr.* x, 27. Terribilis est quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios ; itemque : *Ibid.* 31. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Hinc ait gloriosus Hieronymus : Quoties diem illum considero, toto corpore contremisco. Secundum est incertitudo proprii status, quia nescimus an digni simus amore an odio, *Eccle.* IX, 1. et quid finaliter fiet de nobis, an scilicet æternum evademus supplicium. Tertium est multitudo pereuntium in hac vita, quoniam respective non nisi paucissimi salvantur, etiam de fidelibus solis loquendo. Quartum est crudelitas, fortitudo, pluralitas, versutia, invidia, infatigabilitas invisibilium hostium nostræ salutis. Quintum est multitudo laqueorum et periculorum quibus expositi sumus. Sextum est propria fragilitas nostra, et difficultas consequendi salutem. Septimum est, quod tam frequenter ac graviter offendimus judicem Deum. Octavum est omnipotentia ac infallibilitas Judicis summi, cui nullus potest resistere, et a quo nemo poterit appellare. Nonum, quod sancti viri tam timorati fuerunt, quemadmodum sanctus Job loquitur de se ipso : *Job* XXXI, 23. Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui ; et denuo : *Ibid.* XXIII, 13, 15. Deus solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest, et quodcumque voluit fecit : idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Decimum, quod tam incomprehensibilia et occulta sunt judicia Dei. *Rom.* XI, 33. Propter quod ait Psalmista : *Ps.* LXV, 5. Venite et videte opera Dei terribilis in consiliis super filios hominum. Undecimum, quod tam multi jam corruerunt ac perierunt, qui ad tempus, imo et diu, magnæ sanctitatis, famæ, sapientiæ et excellentiæ exstiterunt, et nobis multo meliores fuerunt : idcirco quod contigit illis, multo facilius nobis accidere potest. Hinc ergo jugiter custoditi, timorati, solliciti permaneamus.

At vero de effectibus timoris jam tacta sunt aliqua. Etenim timor Dei primo peccata commissa expellit, deinde a futuris præservat, quemadmodum scriptum est : Timor Domini expellit peccatum ; *Eccli.* I, 27. et rursus : Timor Domini odit malitiam ; *Prov.* VIII, 13. itemque : Per timorem declinat unusquisque a malo. *Ibid.* XV, 27. Secundo conservat virtutes, estque meritorum thesaurus, juxta illud : Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccle.* VII, 19. Ideo ait Hieronymus : Timor est custos virtutum, securitas ad lapsum proclivis. Tertio mentem justificat, sicut ait Scriptura : Qui sine timore est, justificari non potest. *Eccli.* I, 28. Quarto sapientiam introducit, Scriptura dicente : Radix sapientiæ timor Domini. *Ibid.* 25. Quinto mentem confortat, secundum illud : In timore Domini fiducia fortitudinis. *Prov.* XIV, 26. Sexto consolationem meretur, quum scriptum sit : Timor Dei delectat cor. *Eccli.* I, 12. Sunt et alii multi effectus ipsius : quia timenti Deum bene erit in extremis, *Ibid.* 13. et Deus in tentatione eum conservabit ac liberabit ; *Ps.* XC, 14, 15. voluntatem quoque timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos ; *Ps.* CXLIV, 19. et beneplacitum est Domino super timentes eum. *Ps.* CXLVI, 11. Postremo, timor filialis inducit hominem ad reverentiam Creatoris, facitque hominem resilire in propriam parvitatem ex consideratione summæ et incircumscriptibilis majestatis Altissimi. Ideo hoc timore repleri ac stabiliri semper conemur.

ARTICULUS XVIII.

Quid sit humilitas, et de causis et actibus ejus.

HUMILIAMINI *sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* I *Petr.* V, 6. Humilitas, secundum Augustinum, est

voluntaria inclinatio mentis sub Creatore ex intuitu propriæ conditionis ac Conditoris. Humilitas namque est interior prostratio, genuflexio et incurvatio cordis sub majestate et excellentia Creatoris cum debita veneratione ejusdem. Porro, secundum Bernardum, humilitas est virtus qua homo verissima sui cognitione sibi vilescit. Potest quoque sic definiri : Humilitas est virtus moralis vim appetitivam refrenans ac animum temperans, ne in magna et ardua tendat ultra suas vires. Magnanimitatis quippe objectum est bonum arduum ; et humilitas refrenare habet passionem spei, qua tendit homo in hujuscemodi bonum, ne immoderate adspiret seu feratur in alta et magna, sive ad sui excellentiam ac honorem.

Denique humilitas et magnanimitas circa eamdem versantur materiam, sed modo contrario. Humilitas enim reprimit animum a motu in alta et ardua ex consideratione propriæ insufficientiæ et defectuositatis. Magnanimitas vero confortat atque impellit animum ad tendendum ac prosequendum magna et ardua secundum ordinem condecentem, ex confidentia divini auxilii, vel ex consideratione donorum sibi inexsistentium. Hinc asserit Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima sexagesima prima (art. 1.) : Bonum arduum, in quantum bonum, attrahit appetitum et causat spem ; sed in quantum arduum, retrahit appetitum, causans pusillanimitatem seu desperationem consequendi hujusmodi bonum. Ideo circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus : una reprimens animum, ne immoderate tendat in magna, et hæc virtus exstat humilitas ; alia quoque quæ contra desperationem præfatam seu pusillanimitatem cor roboret, quæ virtus magnanimitas appellatur.

Insuper, secundum Tullium, humilitas est pars modestiæ, et ad eam reducitur. Modestia namque respicit multa, videlicet : appetitum excellentiæ, quem moderatur humilitas ; appetitum scientiæ, quem moderatur ac ordinat studiositas curiositati opposita ; et apparatum in vestibus, exterioresque actus et motus, circa quæ sunt speciales virtutes. Hinc Origenes super Lucam : Vis, inquit, nomen humilitatis audire, qualiter a philosophis nuncupetur? Adverte hanc esse quam illi μετριότητα, id est moderationem sive modestiam, vocant.

Præterea, humilitas prout theologi de ea loquuntur, et quæ hominem efficit Deo placentem, est virtus infusa : ideo quantum ad habitum seu essentiam suam, est effective a solo Deo per creationem. Sed potest se homo ad ejus infusionem disponere, in ea quoque jam infusa proficere per actus suos ac studia. Et quantum ad hoc, assignantur multæ causæ ac rationes humilitatis, seu potius humiliandi se ipsum ; et quanto causæ illæ acutius profundiusque pensantur, tanto ad profundiorem ac pleniorem humilitatem ac humiliationem inducunt.

Prima ergo harum causarum est sincera consideratio infinitæ excellentiæ Dei in omni perfectione et eminentia : quam quanto quis clarius intuetur, tanto vehementius parvi pendit, contemnit ac dejicit, imo et nihili pendit se ipsum in omnibus, quantumcumque fuerit eruditus aut virtuosus. Si enim perpenderit infinitam sapientiam et supersplendidissimam Dei scientiam, clarissime mox advertit omnem sapientiam et scientiam suam non esse nisi insipientiam et ignorantiam comparatione sapientiæ et scientiæ Dei, quemadmodum Jeremias propheta fatetur : Stultus (Jer. x, 14.) factus est omnis homo a scientia sua. Unde quum Salomon expressisset, Visio quam (Prov. xxx, 1.) locutus est vir cum quo est Deus, et qui Deo secum morante confortatus est, mox adjecit : Stultissimus sum virorum, et sa- (Ibid. 2.) pientia hominum non est mecum. Hinc quoque Abraham loquens cum Deo, pulve- (Gen. xviii, 27.) rem cineremque vocavit se. Conformiter, si pensemus immensam sanctitatem, perfectionem, justitiam invariabilitatemque Dei, videmus quod quidquid virtutis, æquitatis, stabilitatis aut perfectionis in nobis fortassis est aut esse potest, magis repu-

tandum sit vitium, iniquitas, instabilitas et imperfectio, respectu sanctitatis, perfectionis, incommutabilitatis atque justitiæ Dei. (Is. LXIV, 6.) Propter quod fassus est Isaias : Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ; (Job IV, 17.) et Job : Numquid homo Dei comparatione justificabitur ? Propterea dicit Bernardus : Nusquam melius deprehendit se modus imperfectionis humanæ, quam in lumine vultus Dei. Hinc electi quanto sublimius atque sincerius contemplantur increatam et incircumscriptibilem lucem, tanto profundius humiliant semetipsos : imo et in triumphanti Ecclesia quanto mentes angelicæ et cives superni Deum vicinius clariusque conspiciunt, tanto humiliores consistunt. Unde et anima Christi vere humilior est infima anima Beatorum, et summus Seraph exstat humilior infimo angelorum.

Secunda ratio humiliandi se valde, est consideratio meliorum et perfectiorum : quia non solum vilescit sibimet homo comparatione Creatoris altissimi, sed etiam angelorum et hominum perfectorum. Ideo unusquisque semper considerare se debet per respectum ad sanctiores, ut tanto amplius sibi vilescat, quanto se sanctiores fuerunt aut sunt, quorum respectu se intuetur. Sic electus Dei Bernardus comparatione S. Benedicti se profundissime humiliavit, quo tamen fortassis non erat inferior.

Tertia ratio est consideratio propriarum iniquitatum et quotidianarum culparum, evagationum quoque, negligentiarum et imperfectionum quæ indesinenter admiscentur etiam actibus nostris quos bonos esse confidimus, ita quod actus illi potius possent Deo displicere quam complacere, si rigorose nobiscum procederet.

Quarta est naturalis defectuositas nostra in corpore et in anima, fœtor et abundantia immunditiarum ac superfluitatum nostrarum, et quotidiana indigentia nostra qua pene rebus omnibus indigemus, cibo, potu, vestitu, domo, somno, lecto, igne, aqua, terra et aere.

Quinta est pronitas nostra ad omne peccatum. — Sexta, quod prorsus nil boni

A habemus a nobis, et quod non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, (II Cor. III, 5.) nec aliquid promereri valemus, nec ad momentum subsistere aut perseverare in bonis sine indesinenti manutenentia ac gratia Dei, ita quod merita nostra sunt Dei dona, et quod tanto plus tenemur Deo esse subjecti ac grati, quanto plura egerimus bona, et quo majora ab eo sumpserimus munera; quod item donis nobis a Deo concessis admiscemus tot mala.

Insuper, se ipsum ad opera vilia et ab-B jecta, ad infima loca, ad assiduam sui ipsius aspernationem, ad subjectionem assuescere, multum confert ad humilitatis profectum; similiter considerare quod multi viri nobiles, magni, sancti et sapientissimi tam vehementissime humiliaverunt se ipsos. Et super omnia ad omnem sui ipsius plenariam humiliationem valet, diligenter attendere quod unigenitus Filius Dei in sæculo isto se ipsum in omnibus tam profundissime humiliavit verbis et factis. Rursus, ad idem valet consideratio C qua consideramus quod ipsa humilitas est in se ipsa tam nobilissima virtus, et quod tam maxime necessaria nobis est, atque tam placita Deo, quod item tam efficax est ad promerendum exuberantissima gratiarum charismata in præsenti, et copiosissimam gloriam in futuro. De his omnibus, quia communia sunt, atque in aliis locis ac sermonibus diffusius scripsi de eis, nunc currenter pertranseo, arbitrans sufficere nunc ea sic tangere.

Postremo, ad humilitatis profectum va-D lent remedia primo libro, articulo vicesimo nono, contra superbiam introducta. Quod enim expellit et sanat quodcumque vitium, inducit et roborat virtutem ei oppositam.

ARTICULUS XIX.

De dignitate et laude humilitatis, ac præclaris ejus effectibus.

QUI *humiliatus fuerit, erit in gloria.* (Job XXII, 29.) Contrariorum contrariæ exstant proprietates. Idcirco quanto superbia vilior

vituperabiliorque consistit, tanto humilitas ei contraria dignior ac laudabilior rite asseritur. Nam et teste Philosopho, optimum opponitur pessimo, et quo aliquid pejus est, tanto bonum ei contrarium melius perhibetur. Idcirco ex præinductis primo libro de vilitate, odibilitate ac fugibilitate superbiæ, elici valet quanta sit præclaritas, amabilitas atque amplexabilitas humilitatis.

art. xxiv, xxx.

Itaque prima dignitas ejus et laus est, quod ipsa est fundamentum virtutum et quodammodo prima virtus. Quidquid etenim boni quis egerit, quidquid virtutis et gratiæ aut etiam excellentiæ habere quis videatur, nisi in vera ac stabili humilitate fundetur ac radicetur, cito deperditur, faciliter exsufflatur, celeriter superatur. Quemadmodum ergo volens turrim construere, tanto profundius ac fortius collocat fundamentum, quanto ipsam turrim intendit facere altiorem et inexpugnabiliorem ; ita qui cupit in via virtutum proficere, et spiritualem construere machinam in medio animæ suæ, in qua Dominus commorari dignetur, quanto amplius in virtutibus crescere optat, et quanto ad sublimiorem proficisci ac pervenire perfectionem molitur, tanto in profundiori ac firmiori humilitate se fundare debet ac indiget. De hoc sancti Patres multa locuti sunt : quæ prolixum est allegare.

Secunda humilitatis dignitas et laus est, quod sicut superbia dicitur omnium vitiorum regina ac mater, quoniam universa peccata secum adducit et ingerit, sic humilitas fertur omnium actuum virtuosorum parens et causa, quoniam mentem quam ipsa inhabitat, omni bono adimplet.

Tertia dignitas ejus est, quod Christus tam specialiter atque solenniter eam nobis præcipit et commendat, atque se ipsum ejus magistrum et exemplar proponit : Discite (inquiens) a me quia mitis sum et humilis corde. Primam quoque beatitudinem in ea constituit, dicens : Beati pauperes spiritu, id est humiles, secundum unam expositionem. Et in Evangelio eam frequenter ac specialissime commendavit, ac glorificandam promisit, dicendo : Qui se humiliat, exaltabitur. Et rursum loquitur : Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Hinc et in Cœna pedes lavit discipulorum, quibus et dixit : Exemplum dedi vobis, etc. Et denuo dixit : Qui major est vestrum, sit vester minister ; itemque : Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat ; et, Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Hinc demum statuit parvulum in medio discipulorum, dixitque : Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum ; et rursus : Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Ex quibus omnibus evidentissime elucescit quam specialiter ac mirabiliter nobilis, desideranda ac necessaria virtus sit gloriosa humilitas.

Matth. xi, 29. — Ibid. v, 3. — Luc. xiv, 11; xviii, 14. — Ibid. xvi, 15. — Joann. xiii, 15. — Matth. xxiii, 11. — Luc. xxii, 27. — Matth. xx, 28. — Ibid. xviii, 2, 3. — Ibid. 4.

Quarta dignitas ejus est, quod Christus eam specialiter præelegit pro armatura ad expugnandum aerias potestates, ad destruendum opera diaboli, ad recuperandum hominibus altitudinem et decorem regni cœlestis : quia, ut beatissimus Leo Papa testatur, tota Salvatoris victoria qua diabolum vicit ac mundum, humilitate est concepta ac consummata, et ipsam humilitatem pro omni fortitudine et armatura Filius Dei elegit atque assumpsit.

Quinta dignitas ejus est, quod ipsa est character ac titulus inter filios Dei et filios diaboli separans ac distinguens. Ipsa quoque probabile signum est prædestinationis, sicut elatio reprobationis. Quemadmodum enim Augustinus inter cives Jerusalem civesque Babylonis, seu inter ministros ac filios Dei et ministros diaboli, distinguit per caritatem et improbum sui ipsius amorem ; ita inter eos discernit Gregorius per humilitatem et elationem.

Sexta est, quod humilitas est specialiter via redeundi ad regnum cœlorum, sicut superbia causa fuit et via perdendi illud.

Septima dignitas ejus est, quod a sanctis Patribus tam specialiter ac magnifice

collaudatur. Vocatur namque ab eis fundamentum, custos, radix, tutela, robur, regina, fotrix, mater virtutum.

Octava dignitas ejus est, quod tam præclaros parit effectus in anima. Disponit namque in primis ad omnem gratiam ac virtutem, seu incrementum virtutum, sicque ditat spiritualiter animam : propter
Jacob. IV, 6. quod fertilissima vallis vocatur. Nam Deus, qui superbis resistit, humilibus dat gratiam, in quibus præcipue adimpletur quod
Matth. XXV, 29. ait Salvator : Habenti dabitur, et abundabit. Denique ipsa specialiter parat mansionem Spiritui Sancto, sicut antiqua trans-
Is. LXVI, 1, 2. latio continet in Isaia : Super quem requiescet Spiritus meus, dicit Dominus, nisi super quietum et humilem? Deinde humilitas facit hominem proximis et contubernalibus suis specialiter carum, gra-
Eccli. X, 7. tiosum, portabilem. Nam sicut coram Deo et hominibus odibilis est superbia, sic coram eis amabilis exstat humilitas. Quem-
Prov. XIII, 10. admodum etiam superbia generat jurgia, ita humilitas pacem. Amplius, humilitas sapientiam et illuminationem promeretur
Ibid. XI, 2. a Deo. Nam ubi humilitas, ibi et sapientia.
Matth. XI, 25. Christus quoque in Evangelio : Confiteor (inquit) tibi, Pater, quia revelasti hæc parvulis, id est humilibus. De quibus et
Ps. CXVIII, 130. Psalmista loquitur Deo : Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat
Ps. XVIII, 8. parvulis ; itemque : Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Deinceps humilitas promeretur exaltationem
Prov. XXIX, 23. in regno, juxta illud Proverbiorum : Humilem spiritu suscipiet gloria. Ipsa quoque specialiter conculcat diabolum, et omnes laqueos ejus evadit, quemadmodum sancto patri Antonio Dominus revelavit. Quum enim vidisset Antonius aerem dæmonum laqueis plenum, et exclamasset, Domine, quis evadet hos? vox de cœlo respondit : Sola humilitas. Sic et diabolus admirabili patri Macario occurrens, coactus est dicere : Unum est in quo me superas. Et interrogante Macario, Quid est hoc? respondit : Humilitas tua. Postremo, humilitas facit hominem suis proximis obsequiosum, singularitatem vitare, hypocrisim abhorrere, signa specialis devotionis coram aliis præcavere, modicis esse contentum, honore alios prævenire, propriam laudem odire, ex aliorum veneratione ac laude sibi exhibitis se ipsum magis despicere, viliora implere obsequia.

Quum ergo tanta sit humilitatis necessitas, dignitas, amabilitas, fructuositas, decor et gloria, jam totis præcordiis eam affectemus, amplectamur, custodiamus, perficiamus et operemur; atque in causis ejus præcedenti articulo introductis, exerceamus nos indesinenter. Nam posita causa, ponitur et effectus. Ideo illa ex quorum consideratione humilitas generatur, augetur et conservatur, assidue et acute consideremus. Sic quippe in ea indubitanter crescemus, stabiliemur ac perficiemur.

ARTICULUS XX.

De gradibus humilitatis, secundum sanctorum Patrum doctrinam.

GLORIAM *præcedit humilitas.* Gloriosus legifer monachorum, re et nomine Benedictus, in Regula sua assignat duodecim gradus humilitatis, quibus totidem contrarios superbiæ gradus assignat electus et præelectus Bernardus. Prov. XV, 33.

Itaque, secundum hos beatissimos Patres, primus gradus humilitatis est, corde et corpore semper humilitatem ostendere, defixo in terram adspectu. Cui gradui contrariatur curiositas, qua homo inordinate et vage circumspicit, et erecto collo incedit. Oculi namque stultorum in finibus terræ, ut Salomon protestatur ; atque Ibid. XVII, 24.
ut sanctus Job fassus est, vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri se liberum natum putat. Hinc de se ipso fatetur Hieronymus : Nihil ab infantia studui sic vitare sicut tumenti corde et erecto collo incedere. Verumtamen potest quis ex sinceritate transire corpore non depresso. — Secundus humilitatis Job XI, 12.

gradus est, non nisi pauca et rationabilia A
verba loqui modeste, non clamorose, jux-
Coloss. IV, 6. ta illud Apostoli : Sermo vester semper
in gratia sale sit conditus. Cui gradui op-
ponitur secundus superbiæ gradus, videli-
cet levitas mentis, per quam homo in ver-
Eccle. X, 14. bis superfluit, juxta illud : Stultus verba
multiplicat. Quemadmodum autem, teste
Hieronymo, canes qui plus latrant, sunt
minus audaces, ita qui plus abundant in
verbis, sunt minus sapientes. — Tertius
gradus humilitatis est, non esse promptum
ad risum. Propter quod in Ecclesiaste le- B
Ibid. VII, 7. gitur : Sicut sonitus spinarum ardentium
sub olla, sic risus stulti; in Ecclesiasti-
Eccli. XXI, 23. co quoque : Fatuus in risu exaltat vo-
cem suam, vir autem sapiens vix tacite
ridebit. Unde legitur de S. Bernardo, quod
nunquam sic risit, quin majorem vim si-
bi fecerit ad risum quam ut reprimeret
eum. Huic gradui opponitur inepta lætitia.
Eccle. VII, 5. Hinc in Ecclesiaste fertur : Cor sapien-
tium ubi tristitia, et cor stultorum ubi
Jer. XXXI, 22. lætitia. Jeremias quoque ait : Usquequo
deliciis dissolveris, filia vaga? De talibus C
Is. LIX, 4. vane lætantibus loquitur Isaias : Lætan-
* Confidunt tur * in nihili, et loquuntur vanitatem.
Quocontra apud Osee dicitur peccatori :
Osee IX, 1. Noli lætari, Israel, et noli exsultare, quia
fornicatus es a Deo tuo. — Quartus gradus
est taciturnitas usque ad interrogationem.
Eccli. XXXII, 9. Ideo Ecclesiasticus monet : Audi tacens,
et pro reverentia accedet tibi bona gra-
tia. Huic opponitur jactantia, contra quam
Ibid. 12. in Ecclesiastico edocetur : In multis esto
quasi inscius, et audi tacens simul et quæ-
rens. — Quintus gradus est, tenere quod D
communis regula continet. Cui opponitur
singularitas, qua quis specialia aliqua agit,
ut sanctior videatur. — Sextus est, cre-
dere et pronuntiare se omnibus viliorem,
quum et sacratissimus Paulus locutus sit :
I Tim. I, 15. Venit Jesus peccatores salvos facere, quo-
rum primus ego sum. Sic S. Franciscus,
quum omnibus esset admirationi ob suam
eximiam sanctitatem, interrogatus ab uno
de primis Fratribus suis quid de se ipso
sentiret, cum ingenti humilitate respon-
dit : Hoc sentio de me, quod omnium
peccatorum sim maximus. Huic gradui op-
ponitur arrogantia, qua unus præfert se
alteri. — Septimus, ad omnia se inutilem
et indignum reputare et confiteri. Cui
contrariatur præsumptio. — Octavus est,
propriarum culparum professio. Cui op-
ponitur earumdem defensio. Unde in Pro-
verbiis asseritur : Qui abscondit scelera *Prov.* XXVIII, 13.
sua, non dirigetur; qui autem confessus
fuerit et reliquerit ea, misericordiam con-
sequetur. Quidam autem iniquitatem suam
negant aut celant, quoniam nolunt pra-
vam delectationem suam dimittere. Unde
in libro Job de impio atque hypocrita di-
citur : Quum dulce fuerit in ore ejus ma- *Job* XX, 12
lum, abscondet illud sub lingua sua. —
Nonus gradus est, in duris ac asperis pa-
tientem exsistere. Cui contrariatur simu-
lata confessio, qua quis non vult pœnam
subire pro culpis suis, quas simulatorie
confitetur. Qui autem peccata sua digne
ponderat, ad omne quod sibi pro ipsis
injungitur sive infligitur, est paratus. —
Decimus est obedientia. Cui contrariatur
rebellio. — Undecimus est, non delectari
in faciendo propriam voluntatem. Cui op-
ponitur mala libertas, quam Deus per Je-
remiam improperat impio : A sæculo (in- *Jer.* II, 20
quiens) confregisti jugum meum, rupisti
vincula mea, et dixisti : Non serviam. Un-
de et Osee effatur : Confundetur Israel in *Osee* X, 6.
voluntate sua. — Duodecimus est timor
Dei. Cui opponitur consuetudo peccandi,
quæ contemptum Dei includit. Propter
quod in Proverbiis inducitur : Impius quum *Prov.* XVIII, 3.
in profundum venerit peccatorum, con-
temnit; et alibi : Qui timet Deum, faciet *Eccli.* XV, 1.
bona.

Præterea, alii ponunt tres gradus humilitatis. Primus est, proprios defectus et excessus corde agnoscere et proprio ore fateri, nec reputare se plus esse quam est. — Secundus gradus est, quod homo libenter et æquanimiter sustinet quod ejus defectus ac vitia etiam ab aliis sibi objiciantur, nec indignatur dum increpatur, corripitur atque despicitur propter sua

peccata, imo, quantum in se est, cupit ab omnibus increpari ac despici, quum dicat Gregorius : Sicut superbi honoribus, sic humiles plerumque sua despectione lætantur, quia judicium quod ipsi de se intra se habent, approbari ab aliis audiunt. Sunt autem nonnulli qui accusant se ipsos, sed dum corripiuntur ab aliis, indignantur. Tales palpant et fallunt se ipsos. — Tertius gradus est, ex eminentibus donis ac meritis magnisque laudibus atque honoribus nequaquam extolli, imo se magis humiliare, et omnium fonti bonorum omne bonum suum cum omni gratiarum actione, reverentia ac filiali timore adscribere, cum Psalmista dicendo : Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus; itemque : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? — Isti tres gradus in Profectu religiosorum diffusius describuntur.

Ps. CII, 2. — s. CXV, 12.

Insuper, Climacus tangit tres gradus humilitatis. Primus est, cum labore et pœna quadam omnem humanam laudem, gloriam et famam odire ac fugere. — Secundus gradus, omnia opera bona ac merita propria pro nihilo reputare, imo et abominari propter mala eis adjuncta, et dolere quod quotidie peccata peccatis adjicimus. Tunc quidquid vere boni egerimus aut habemus, quasi Dei depositum arbitramur, et illo nos indignos fatemur, atque nisi custodierimus illud, gravius nos esse puniendos pensamus : per quod imprædabilis fit mens, dum ita se ipsam in pera propriæ parvitatis includit. — Porro tertium gradum subticet Climacus. Alicubi tamen tangit illum, videlicet insaniam simulare, ut homo ab omnibus vehementissime contemnatur. Sed viris sapientibus multis videtur hoc ipsum non expedire, quoniam debet se homo aliis exemplarem præbere, nec amore virtutis abusiva nec indecentia exercere aut fingere, nec aliis occasiones peccandi ingerere. Quid circa hoc sentire oporteat, nuper plenius scripsi in expositione Climaci.

:al. parad. ·ad. XXV. — id. grad. :I. — Cf. t. XVIII, p. 5 B et 8.

Postremo, circa sextum humilitatis gradum a B. Benedicto traditum, quæritur an perfecte humilis possit aut debeat se omnibus viliorem aut deteriorem credere ac pronuntiare. Videtur quod non, quia hoc veritati repugnat, quum revera sit virtuosior multis. Ad hoc Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima sexagesima prima, respondet : In quolibet homine duo possunt considerari : unum quod est hominis, quod scilicet ad defectuositatem, vilitatem culpamque pertinet; aliud quod est Dei, quod ad virtutem ac gratiam spectat. Ideo unusquisque considerando se secundum id quod suum est, debet se subjicere unicuique alteri secundum id quod in illo est ex dono Dei. Sicque quilibet potest æstimare aliquid boni esse in alio quod ipse non habet, et aliquid mali esse in se quo alius caret; atque secundum hoc potest se reputare aliis viliorem. Hæc Thomas. — Postremo, in his unctio melius docet. Etenim quanto quis propria peccata diligentius particulariusque perpendit, tanto plus displicet sibi. Quumque in lumine vultus Dei suas ærumnas, defectuositates, offensiones clarissime ac distinctissime intuetur, in tantum detestatur ac vilipendit se ipsum, et ita circa aggravationem propriorum vitiorum occupatur atque intentus est, quod neminem putat tam vilem ac pravum et aspernabilem sicut se ipsum.

art. 3. — I Joann. II, 27.

In iis gradibus humilitatis exerceamus nos fortiter, et ab infimo usque ad summum pertingere festinemus.

ARTICULUS XXI.

De humilitate hominis ad Deum, ad se ipsum, et ad proximos; de speciebus quoque humilitatis.

SUBJECTI *estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Humilitas hominis circa Deum consistit in actibus istis. Primo, ut homo recognoscat se a Deo esse, et recepisse quidquid boni est et habet aut agit, incessabiliter quoque indigere conservatione, ope ac gratia Dei, hincque

I Petr. II, 13.

omne bonum Deo adscribat. Secundo, ut A recognoscat se in infinitum Deo esse inferiorem, atque ab eo infinite distantem in omni bonitate, virtute et perfectione, ideoque nihil condignum se posse operari aut pati pro Deo, sed omne bonum quod agit aut agere valet, infinite distare a cultu ac reverentia qua Deus in se ob suam majestatem immensam superdignissimus est. Quod qui rite intelligit, non superbit : imo, ut sic loquar, quasi infinite se dejicit atque humiliat, quantumcumque patiatur aut laboret pro Deo, cer- B tus quod Deus dignus sit servitute ac reverentia in infinitum majori quam ei queat impendi ab universa militanti simul ac triumphanti Ecclesia. Hoc est Deum
Ps. cl, 2. laudare ac honorare secundum multitudinem magnitudinis suæ, totis videlicet viribus eum laudare ac venerari, et tamen fateri nil Deo condignum se agere, sed ipsum infinite laudabiliorem honorabilioremque esse quam a cunctis simul creatis et creabilibus posset laudari ac honorari. Tertio consistit humilitas hominis ad Deum C in hoc, quod ipsum non solum corde et ore, sed conversatione quoque magnificet, et quidquid ex divina dispositione sibi contigerit in adversitatibus, tribulationibus et tormentis, humiliter, quasi de manu Dei, sine murmuratione ac mœrore
Sap. vi, 8; xii, 13; I Petr. v, 7. suscipiat, certus quod Deo sit cura de nobis. — Præterea ad nos ipsos humiles esse debemus, proprias vilitates et vitia cordialiter recolendo, graviter ponderando, sinceriter confitendo ; deinde in vestitu, gestibus ac moribus humilitatem tenendo, D viliora quoque opera libenter exercendo. — Insuper ad proximos humiles esse debemus, bene de eis (quantum fieri potest) sentiendo, neminem temere judicando, ir-
Rom. xii, 10. ridendo, aspernando, imo alios honore præveniendo, proximis obsequendo, imperfectiones et defectus eorum pro posse excusando, dissimulando ac tolerando, correptiones quoque et correctiones ab ipsis, præsertim a superioribus, grata ac hilari mente suscipiendo.

Postremo, ex dictis in primo libro, articulo vicesimo sexto, de speciebus superbiæ, potest nunc elici diversitas specierum humilitatis : quia, ut ait Philosophus, quot modis dicitur unum oppositorum, tot et reliquum. Sed brevitati studens, istius declarationem non prosequor. Servemus itaque humilitatem in intellectu, in voluntate, in vi irascibili, in verbis, in apparatu et oculis, in vestitu, incessu ac moribus, in ciborum ac potuum exhibitione, in ædificiis, ornamentis, lectisterniis, equitaturis, familiis, ac ceteris universis, omnique actione, intentione ac motu.

ARTICULUS XXII.

De humilitate,
ex verbis sanctorum Patrum.

In humilitate nostra memor fuit nostri Ps. cxxxv, 23, 24.
Dominus, *et redemit nos ab inimicis nostris.* De humilitatis excellentia et medela qua ipsa sanat vulnera animæ universa, loquitur Augustinus : O medicinam omnibus consulentem, omnia medelam timentia comprimentem, omnia tabescentia reficientem, omnia superflua resecantem, omnia depravata corrigentem ! Quæ superbia sanari valebit, si Christi humilitate non curatur ? Hinc quoque Ambrosius : Quisquis, inquit, cupit Divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicumque vult fratrem prævenire in cœlis regnando, prius illum præveniat obsequendo ; vincat eum obsequiis, ut possit vincere sanctitate.

Hieronymus etiam dixit : Nihil facit nos tam gratos Deo atque hominibus, quam si magni simus merito vitæ, et infimi humilitatis virtute. Humilitatem sectare, non quæ simulatur corporis gestu aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Est quippe qui ne- Eccli. xix, 23.
quiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo. Vera autem humilitas, virtutum observatrix et custos est. Ait namque Gregorius : Quia virtutum origo humilitas

est, illa in nobis virtus veraciter crescit ac proficit, quæ in humilitate perdurat : a cujus radice si abscidatur, arescit. Humilitas vera est, qua quis parva de se æstimat, et bona aliorum sine invidia ac livore commendat. Perit omne bonum quod agitur, si non humilitate custodiatur.

Denique S. Basilius protestatur : Tria humilitatem gignunt ac nutriunt : assiduitas subjectionis, consideratio propriæ defectuositatis, intuitio melioris. Hinc præsidentibus atque majoribus humilitas summe necessaria est, quia in prælatione et præsidentia, in honoribus ac laudibus nequaquam extolli, sed in Dei timore et cordis profunda ac stabili humilitate jugiter permanere, magna est virtus. Hinc super Cantica scribit Bernardus : Magna et sublimis virtus humilitas, quæ meretur quod ab homine non docetur, digna adipisci quod non valet addisci, digna a Deo et de Deo concipere quod ipsa suis verbis nequit exprimere. Alibi quoque testatur : Divinæ gratiæ humilitas semper est familiaris. Divina etenim pietas conservandæ humilitatis gratia sic disponit, ut quanto quisque plus proficit, eo minus reputet se profecisse. Nam etsi quis profecerit usque ad summum spiritualis exercitii gradum, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix primum sibi videatur adeptus. Magis ergo attende quid virtutis et gratiæ tibi desit, quam quod forsitan habes, et aliorum bona ac meliorum intuere virtutes, ut te semper humilies et perfectiora secteris.

cal.parad. rad. xxv. Insuper Climacus loquitur : Humilitas est innominabilis gratia animæ, ab his tantum nominabilis qui eam experti sunt in se ipsis. Ipsa est ineffabilis divitiarum Dei nominatio atque largitio. *Matth.* xi, 9. Discite (inquit) a me, non ab angelo, neque ab homine, nec ex libro, sed a me, id est ex mea in vobis habitatione et illuminatione et operatione, quia mitis sum et humilis corde ; invenietisque animabus vestris requiem a tentationibus et cogitationibus pravis. Humilitas est vilitatis abyssus (id est profunda et copiosa cognitio seu virtus cognoscitiva propriæ vilitatis). Ipsa est turris fortitudinis a facie inimici. *Ps.* lx, 4. Nihil proficiet in ea inimicus. *Ps.* lxxxviii, 23. Impossibile est ex nive procedere flammam, impossibilius vero est humilitatem esse in eo qui quærit ab hominibus gloriam, quoniam humilitatem præcedit omnis vanæ gloriæ odium. — Hinc ait et Cassianus : Nullo modo poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius in ea jactata fuerint veræ humilitatis fundamenta, sine quibus nec vitiorum purgatio, nec emendatio morum, nec consummatio virtutum poterit apprehendi. De Instit. Patr. lib. xii, c. 30.

ARTICULUS XXIII.

De patientia, quid sit, et quam necessaria ac salubris sit omni homini virtus ista.

IN *patientia vestra possidebitis animas vestras.* *Luc.* xxi, 19. Inter virtutes morales sunt duæ quæ circa operationes humanas directe versantur, puta prudentia atque justitia. Ceteræ circa refrenationem ac moderationem passionum, quæ sunt quædam affectiones et motus appetitus sensitivi, dicuntur versari. Porro appetitus sensitivus, qui in concupiscibilem irascibilemque dividitur, circa exteriora, scilicet sensibilia, carnalia et terrena, quæ sunt ejus objecta, variis modis afficitur, movetur et occupatur, ea desiderando, amando, amplectendo, et in ipsis delectando, quando ea sub ratione boni delectabilis aut utilis apprehendit ; vel ea abominando, fugiendo, timendo, seu de eis irascendo, contristando vel dolendo, quando sub ratione mali, inconvenientis aut læsivi apprehenduntur. Hos autem motus et affectiones seu passiones appetitus sensitivi necesse est ratione dirigi, refrenari ac rectificari. Ad quod peragendum indiget ratio vera prudentia, virtuosis quoque habitibus, per quos sensitivus appetitus sub rationis im-

perio ac domatu constituatur, ita ut juxta A rationis imperium prompte obediat, quatenus nihil appetat, refugiat, timeat, amplectatur, neque de aliquo oblectetur aut contristetur, nisi secundum censuram rectæ rationis, non solum per virtutem prudentiæ, sed etiam per fidem evangelicamque doctrinam instructæ.

Præterea, inter passiones animæ una est quæ vocatur tristitia, quæ est quidam mœror sensualis de malo sensibili nocivo et conjuncto, sive quod contigit et læsit aut nocuit. Estque tristitia ista in appetitu B sensitivo ut in subjecto, et respicit malum pœnæ pro objecto. Est autem et alia bona tristitia, quæ est de malo culpæ, videlicet de proprio aut alieno peccato. De qua ait Apostolus : Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur ; Salomon quoque : Cor sapientium ubi tristitia. Unde et in Evangelio legitur Christus contristatus super cæcitate cordis Pharisæorum.

II Cor. VII, 10. *Eccle.* VII, 5. *Marc.* III, 5.

Præterea, tristitia quæ est passio, inter omnes animæ passiones est maxime af- C flictiva, et non animæ tantum, sed corpori quoque nociva, et vitam abbrevians, animum gravans, harmoniam complexionis distemperans, motum cordis inordinans. Consistit etenim vita corporalis humana in connaturali moderataque motione a corde per spiritus vitales ad membra : quam motionem summe deordinat ista tristitia. Quæ etiam mentem reddit ineptam ad addiscendum, ad contemplandum, et ad ceteros usus rationis; facitque hominem tardum, inagilem, desolatum, et quasi ita D depressum, quod cœlum videtur sibi ferreum terraque ænea ; tandem vero tædium vitæ ac desperationem inducit. Quum ergo tam nociva, detestanda, mordax, periculosa ac pessima sit passio ista, constat quod virtus moralis ad quam pertinet illam refrenare ac moderari et rectificare, sit vehementissime necessaria, desideranda, amplectenda et custodienda. Hæc autem est patientia. Propter quod ad Hebræos scriptum est : Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.

Hebr. X, 36.

Denique patientia ita describitur : Patientia est æquanimis tolerantia adversitatum intuitu Dei propter salutem. Unde Gregorius dicit : Patientia est aliena mala æquanimiter perpeti, et contra eum qui irrogat mala seu adversa, nullo dolore morderi. Tullius autem in sua scribit Rhetorica : Patientia est rerum arduarum ac terribilium voluntaria ac diuturna perpessio causa honestatis aut utilitatis.

Patientia vero prout est virtus infusa ac meritoria, et prout nunc est de ea sermo, potest et sic definiri : Patientia est virtus moralis passionem tristitiæ moderans, omnem adversitatem et tribulationem æquanimiter ferens propter Dei honorem et felicitatem æternam.

Quocirca pensandum, quod quædam sunt principalia hominis bona, videlicet æterna felicitas, et virtutes ac merita ad beatitudinem obtinendam necessaria. Idcirco de talium amissione bonorum et de omni peccato salutis impeditivo, est absolute dolendum ; et tristitia de malo culpæ tanto est melior quanto major, nisi forte per accidens ex ea sequatur debilitatio corporis, aut impedimentum boni melioris, aut aliquod malum incidentale. Alia vero sunt bona hominis secundaria et minus principalia, ut sunt bona terrena, honor, prælatio, delectatio quoque recreativa, et sanitas, imo et vita præsens in corpore, et dona naturæ ac bona fortunæ. Quæ omnia in tantum sunt amanda ac appetenda, in quantum necessaria sive utilia sunt ad spiritualia ac principalia hominis bona. Ideo de malis quæ directe contrariantur his bonis, videlicet de eorum privatione, subtractione, carentia, de paupertate, aspernatione, injuriatione, ægritudine, claudicatione, surditate, cæcitate, balbutientia, et consimilibus malis pœnalibus, non est immoderate et absolute omnino dolendum, sed ordinate, in quantum aliquo modo a principalibus bonis gratiæ et gloriæ ac virtutum sunt impeditiva : a quibus tamen non im-

pediunt aliquem necessario ac directe, imo A multum possunt occasionaliter ac dispositive conferre atque cooperari hominibus ad obtinenda, custodienda ac perficienda principalia bona præfata, in quantum videlicet mala illa pœnalia æquanimiter tolerantur intuitu Dei, propter principalia bona, ad Dei honorem. Idcirco qui aliter de malis illis tristatur, videlicet immoderate et absolute in se, considerando ea dumtaxat ut sunt mala pœnalia, afflictiva et contristativa, peccat et passione tristitiæ superatur : imo mortaliter peccat, si B ratio absorbetur tristitia, ita quod negligit quæ sunt salutis, aut contra præceptum aliquid agit.

ARTICULUS XXIV.

De multiplici causa ac rationibus patientiæ.

Hebr. xii, 2. *PER patientiam curramus ad propositum nobis certamen, adspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum,* C *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* In hac auctoritate tanguntur patientiæ aliquæ rationes. t. præced. Porro, ut tactum est, objectum tristitiæ est malum pœnale. Malum autem pœnale seu adversitas, in quantum hujusmodi, non habet in se rationem amabilitatis aut delectabilitatis, sed in quantum est bonum quoddam et utile delectationisque causa : quemadmodum etiam potio amara, sectio, adustio et consimilia, non amantur nec appetuntur neque delectant infirmum in D quantum sunt dura et afflictiva, sed in quantum sunt infirmitatum remedia.

Sic ergo adversa, sive intus orta, sive foris inflicta, sunt æquanimiter sustinenda, aut etiam appetenda atque cum gaudio perferenda, multiplici consideratione et causa. Primo, in quantum ex divinæ providentiæ dispositione ac ordine nobis eveniunt. Debemus etenim Deum tanquam optimum, fidelissimum ac sapientissimum patrem diligere, atque in manu ipsius nos ponere, et ei nos cum omni fiducia commendare, ideoque jugiter contentari de dispositione ipsius circa nos, et secundum ipsius voluntatem, doctrinam ac jussionem in omnibus nos habere ac gubernare. Istud nos docuit Christus in Evangelio copiose, inter cetera dicens : Scit enim Pater vester cœlestis quid opus Matth. vi, 8. sit vobis. Hinc in adversis impatientiam habere, est contra Dei providentiam murmurare.

Secundo, in quantum adversa sunt curativa culparum præteritarum, et præservativa a futuris. Sunt enim medicinalia quædam a cœlesti Medico applicata. Hinc pœnæ præsentis vitæ medicinales dicuntur. Sunt enim correctiones summi Magistri. Propter quod ad Hebræos scriptum est : In disciplina perseverate. Hebr. xii, 7.

Tertio, in quantum ad gratiam ac virtutes disponunt aut eas perficiunt. Mente enim per adversa purgata atque a vitiis multis retracta, invenit eam Deus gratiæ ac virtutis capacem, a quibus sola peccata impediunt. Deus quoque specialiter pronus est afflictis, desolatis, abjectis miserabilibusque personis misereri, succurrere, elargiri, quoniam infirma et abjecta I Cor. i, 27, 28. mundi elegit Deus, hosque assumit quos mundus contemnit. Unde in Psalmo testatur : Cum ipso sum in tribulatione. Ps. xc, 15.

Quarto, in quantum per ea a futuris suppliciis diuturnis gravissimisque eruimur, ac per hoc ad æternam beatitudinem celerius pervenimus. Deus namque peccata inulta abire non patitur, prout apud Job Job xxiv, 12. habetur. Ideo pœnæ præsentis vitæ, quæ respectu futurorum suppliciorum breves ac minimæ exstant, cum gratiarum actione et jucunditate sunt sustinendæ.

Quinto, in quantum sunt signa paternæ dilectionis Dei ad nos, ac probabilia æternæ prædestinationis indicia, quum Dominus protestetur : Ego quos amo, arguo et Apoc. iii, 19. castigo. De reprobis vero : Dimisi (inquit) Ps. lxxx, 13. eos secundum desideria cordis eorum. Hinc in Proverbiis admonetur : Discipli- Prov. iii, 11, 12. nam Domini, fili mi, ne abjicias, neque

deficias quum ab eo corriperis: quem enim A
diligit Dominus, corripit, et quasi pater
in filio complacet sibi. Unde et Paulus
Hebr. xii, 8. fatetur : Si extra disciplinam estis, ergo
adulteri, et non filii estis. Porro de repro-
Ezech. xvi, 42. bis per Ezechielem Dominus loquitur : Ze-
lus meus auferetur a te, non irascar tibi
Osee iv, 14. amplius ; et per Osee : Non visitabo super
filias vestras quum fuerint fornicatæ, nec
super sponsas vestras quum adulterave-
rint. Hæc est metuendissima atque gravis-
sima ultio justi Dei, dum permittit homi-
nem, quasi non pertinentem ad curam B
suam, impune peccare atque ad libitum
prosperari. Ideo sanctus Jeremias oravit :
Jer. x, 24. Corripe me, Domine. Qui igitur in adversis
tristatur, indignatur aut murmurat, inter
electos ac filios Dei abnuit computari.

Sexto, in quantum per eas conformamur
Christo regi ac Domino nostro, pro nobis
acerbissime passo, de quo princeps ait
I Petr. ii, 21. Apostolorum : Christus passus est pro no-
bis, vobis relinquens exemplum, ut sequa-
mini vestigia ejus.

Septimo, quia per ea illuminatur et in- C
struitur homo, sicut per Isaiam loquitur
Is. xxviii, 19. Deus : Tantummodo vexatio dabit intelle-
ctum. Et rursus Isaias ait ad Dominum :
Ibid. xxvi, 16. In tribulatione murmuris doctrina tua eis.
Sicque adversa humiliant hominem, et fa-
ciunt eum redire ad cor ac suam per-
pendere pravitatem, quemadmodum filius
Luc. xv, 16-18. prodigus quum siliquis vesceretur porco-
rum non ad satietatem, in se reversus :
Surgam (inquit) et ibo ad patrem meum.
Jer. xxx, 11. Hinc in Jeremia Dominus protestatur : Ca-
stigabo te in judicio, ut non videaris tibi D
innoxius. Rursus quoque in Jeremia vir
Ibid. xxxi, 18. correctus a Domino profitetur : Castigasti
me, Domine, et eruditus sum quasi juven-
culus indomitus.

Octavo, in quantum per adversitatum
sufferentiam perficitur homo in omni vir-
tute, et maximam gloriam promeretur.
Jacob. i, 2. Propter quod Jacobus ait apostolus : Omne
gaudium existimate, fratres mei, quum in
tentationes varias incideritis.

Nono, quoniam non est alia via perve-
niendi ad regnum cœleste, nisi sustinendo
adversa, Paulo testante : Quia per multas Act. xiv, 21.
tribulationes oportet nos intrare in re-
gnum cœlorum ; et denuo : Si compati- Rom. viii, 17 ; II Tim. ii, 12.
mur, et conglorificabimur ; si sustinemus,
et conregnabimus. Hinc Judith ait : Omnes Judith viii, 23.
qui Deo placuerunt, per multas tribulatio-
nes transierunt fideles.

Si ergo hæc omnia diligenter pensemus,
et propria intueamur peccata, quantamque
felicitatem et gloriam electi Dei per pa-
tientiam sint adepti, et quanta pro nobis
sustinuerit Christus ; erimus in omni ad-
versitate tranquilli, jucundi et Deo grati,
atque in ipsa sancta patientia proficiemus
quotidie, imo et multo plus metuemus si
desint quam si adsint adversa, pensantes
quod ait Gregorius : Quamvis judicia Dei
occulta sint, dum electis et bonis contin-
gunt adversa, et reprobis ac impiis pro-
spera, tunc tamen sunt secretiora, quando
electi nunc prospera sortiuntur, et reprobi
aspera patiuntur.

ARTICULUS XXV.

De effectibus patientiæ, et qualiter ipsa sit radix custosque virtutum.

Qui patiens est, multa gubernatur pru- Prov. xiv, 29.
dentia. Patientia tot et tanta bona
operatur in homine, ut nequeat explicari.
Pauca tamen de multis breviter sunt tan-
genda.

Primus ergo patientiæ effectus est, quod
hominem eruit, purgat, præservat a pœ-
nalissima ac pessima passione tristitiæ,
quæ ob suam amaritudinem ac mordacita-
tem recte vocari potest passio infernalis.
Unde de ea in Ecclesiastico legitur : Tristi- Eccli. xxx, 22-25.
tiam non des animæ tuæ, et non affligas
te ipsum in consilio tuo ; jucunditas cor-
dis, hæc est vita hominis. Tristitiam longe
expelle a te : multos enim occidit tristitia,
et non est utilitas in ea. Hinc in Prover-
biis dicitur : Animus gaudens ætatem flo- Prov. xvii, 22.
ridam facit ; spiritus tristis exsiccat os-
sa. Et denuo Salomon ait : Sicut tinea Ibid. xxv, 20.
vestimento et vermis ligno, sic tristitia

nocet cordi. Ex isto effectu patientiæ alii multi optimique sequuntur effectus. Patientia quippe eruendo hominem a prava ista tristitia, eruit eum ex consequenti a malis prætactis quæ ex tristitia oriuntur, quæ sunt : dejectio animi, amaricatio cordis, tædium vitæ, acedia, obscuratio mentis, ira, invidia, ac multa similia. Sicque patientia eripit animam etiam in præsenti ex quodam inferno, utpote ab his vitiis, afflictionibus, desolationibus atque miseriis ex tristitia provenientibus.

Secundus effectus patientiæ est, quod ipsa facit hominem sui ipsius laudabilem possessorem ac dominum. Possessio namque importat quietum dominium. Quum ergo patientia expellat ab homine tristitiam, et ex consequenti turbulentiam et inquietudinem, et consimilia vitia mentem inquietantia, ita quod perdit se ipsam et vincitur a parte sensitiva; constat quod per patientiam efficiatur homo sui ipsius possessor et compos ac dominus.

Tertius est, quod hominem valde confortat, imo fortissimum facit, quemadmodum Salomon dixit : Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. (*Prov.* XVI, 32.) Circa quod scribit Gregorius, quod majus ac fortius sit per patientiam superare se ipsum ac propriam animositatem atque mordacem tristitiam, quam per fortitudinem urbes expugnare et hostes.

Quartus est, quod facit hominem præcipue exemplarem, atque ad aliorum instructionem idoneum, quemadmodum scriptum est : Doctrina viri per patientiam noscitur. (*Ibid.* XIX, 11.) Quocirca affirmat Gregorius, quod tanto unusquisque convincitur minus doctus, quanto fuerit minus patiens; et item, quod nequit salubriter alios docere, qui non novit aliorum mala æquanimiter ferre.

Quintus est, quod ipsa est aliarum virtutum probatrix ac demonstratrix : quia per eam potest specialissime agnosci an homo veraciter virtuosus sit, quoniam ex adversitatibus, irrisionibus ac persecutio-

A nibus non tristari, est signum præcipuum exstirpationis privati amoris, cujus plena evulsio est perfectæ caritatis adeptio omniumque virtutum possessio. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. (*Eccli.* XXVII, 6.) Quemadmodum enim mala olla in igne posita crepit et exsilit, sic homo ficte et apparenter virtuosus, si tribulationibus, increpationibus, irrisionibus exerceatur, per impatientiam crepit, atque per gestus et verba prava erumpit.

B Sextus, quoniam patientia operatorem suum etiam in hac vita remunerat. Nam parit in eo magnam quietem, consolationem præcipuam, opulentiam spiritualem, sapientiam salutarem, et quemdam in hoc sæculo paradisum. — Hinc ait Gregorius, quod patientia omnium virtutum radix et custos est. Quod Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima tricesima sexta, exponit, dicendo : Patientia ceterarum virtutum custos et radix est, non eas (art. 2 ad 3um.) directe causando, imo multæ virtutes eam C præcedunt, sed prohibens removendo, id est impedimenta virtutum tollendo. Ex eventu namque adversitatum primo oritur in homine quædam tristitia, et ex tristitia sequitur ira, ex ira odium, ex ira quoque et odio vindicta seu læsio aliorum. Per hoc ergo quod patientia tristitiam domat ac moderatur aut pellit, tollit omnia mala illa ex tristitia provenientia. Humilitas quoque dicitur radix et fundamentum ac custos virtutum, prohibens removendo, in quantum expellit superbiam omnium vitiorum D originem.

Infatigabiliter igitur enitamur patientiam in nobis habere, perficere, custodire, præfatos quoque ipsius effectus incessabiliter possidere.

ARTICULUS XXVI.

Commendatio patientiæ, et de gradibus ejus.

PATIENTIA *opus perfectum habet.* (*Jacob.* I, 4.) Quamvis sint multæ virtutes patientia digniores, tamen patientia dicitur specia-

liter opus perfectum habere, quia in ea præsertim relucet privati amoris evulsio et ceterarum virtutum possessio. Per eam quoque præcipue investigatur atque percipitur an homo sit vere virtuosus, ut dictum est præcedenti articulo. Hinc de Sanctis canonizandis valde specialiter solet inquiri an fuerint perfecte patientes. Religiosi quoque se invicem et eos qui ad religionem suscipi petunt, per patientiam seu adversa exercent ac probant. Hæc ergo est prima laus et excellentia patientiæ. — Secundo commendabilis est, quoniam Christus in tota vita sua et passione eam plenissime demonstravit ac docuit, in tantum quod cruci affixus, pro suis exoravit crucifixoribus. (*Luc.* XXIII, 34.) Et in hac virtute omnes Sancti Christum specialiter sunt secuti. — Tertio, quoniam Scriptura ad eam frequentissime ac specialissime nos hortatur, et beatitudinem ei sæpe promittit, imo frequentius in novo Testamento quam alicui alteri virtuti, si non fallit memoria; et hoc in sequenti patebit articulo. — Quarto, quoniam ipsa summam promeretur aureolam. Quamvis enim in virginibus castitas et in doctoribus sapientia aureolam mereatur, gloriosissimam tamen in martyribus sanctis aureolam patientia promeretur, prout in quarto Sententiarum habetur. (dist. XLIX) — Quinto commendatur ab actibus suis, quorum quidam sunt valde difficiles et præclari, ut patuit. (art. præced.)

Præterea, tres gradus patientiæ assignantur. Primus est, motus tristitiæ et impatientiæ cum laboriosa diligentia refrenare, retundere et contra eos pugnare, ne saltem erumpant, et ne per verba aut signa aliis ostendantur. In principio etenim grandis est difficultas passionibus reluctari ac prævalere. Secundus patientiæ gradus est, ex adversitatum eventu parum aut nihil tristari, insurgentesque motus impatientiæ ac mœroris cito reprimere ac satis faciliter expugnare. Tertius gradus est, in adversis quasi in omnibus divitiis gloriari, adversa magis quam prospera affectare, in correptionibus et castigationibus magis quam in laudationibus et honorationibus delectari, ex infirmitatibus in virtute et gratia perfici. Hinc princeps Apostolorum in prima sua hortatur epistola : Communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis. (I *Petr.* IV, 13.)

Præterea dici posset, quod unus ac infimus patientiæ gradus sit, pro propriis culpis æquanimiter ferre justas increpationes et pœnas, juxta illud Ecclesiastici : Quam bonum est correptum ostendere pœnitentiam ! sic enim effugies peccatum. (*Eccli.* XX, 4.) Secundus gradus est, increpationes patienter sufferre absque propria culpa. Tertius gradus est, etiam æquanimiter tolerare increpationes et persecutiones pro propriis bonis actibus seu pro fide atque justitia irrogatas. Comparatione hujus gradus, modici momenti est gradus primus. Quod beatissimus Petrus insinuans : Hæc est (inquit) gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim est gratia, si peccantes et colaphizati suffertis? Si autem bene facientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum. (I *Petr.* II, 19, 20.)

Iterum dici potest, quod unus et infimus patientiæ gradus est, dum juniores et subditi ac pusilli a suis superioribus aut senioribus ac sapientioribus æquanimiter increpationem suscipiunt. Secundus, dum homo a coæqualibus et sociis suis adversa pati seu increpari non respuit. Tertius, dum superiores, seniores et sapientiores ab inferioribus, junioribus et indoctioribus adversitates et correptiones pati non dedignantur.

Itaque in his patientiæ gradibus exercitari, crescere ac perfici non cessemus. Ante pugnam armemus nos, et tempore tranquillitatis pensemus quam salubre ac gloriosum sit in omni adversitate patientiam observare. Discamus in parvis adversitatibus patientiam possidere, quatenus paulatim discamus magna adversa cum gaudio sustinere. Quanta Christus ac martyres sancti passi sint contemplemur, eo-

rumque comparatione omnem patientiam nostram pro nihilo reputemus. Omnem inordinatam abjiciamus tristitiam, justam autem et bonam tristitiam amplectamur. Quæ multiplex esse potest. Prima, de propriis aut proximorum peccatis, ut dictum est (art. XXIII). Secunda, ex consideratione propriæ imperfectionis : quæ tristitia oritur ex ardenti proficiendi affectu. Tertia, ex desiderio regni cœlestis, juxta illud Apostoli : Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ? (Rom. VII, 24.) Quarta, ex adversitatibus et afflictionibus proximorum, quibus ex caritate debemus compati ordinate, quemadmodum sanctus hortatur Apostolus : Flere cum flentibus (Ibid. XII, 15). Quinta, ex consideratione dominicæ passionis : cui quasi præsentialiter et exsistentialiter consideratæ compati debet quilibet Christianus, in quantum fuit tam amarissima afflictio innocentissimi Salvatoris propter nostra piacula crucifixi ; sed in quantum fuit salvativa generis humani, sic gloriari debemus in cruce Christi.

ARTICULUS XXVII.

Exhortatio ad patientiam ex Scripturis et dictis Sanctorum, et quod patientia sit virtus ad Christianos specialiter pertinens.

NOLI *vinci a malo, sed vince in bono malum* (Rom. XII, 21). Jam ex Scripturis adductæ sunt multæ auctoritates ad patientiam pertinentes : quibus nunc aliquæ sunt addendæ. Porro quod patientia ad Christianos potissime spectet, constat ex eo quod Christus legifer noster in lege sua hoc copiose edocuit, et proprio exemplo firmavit. Sancti quoque Apostoli et ceteri Christiani perfecti, idem verbis atque operibus ostenderunt. Ait etenim Christus : Audistis quia dictum est antiquis : Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo ; sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe ei et alteram, et ei qui vult tecum A judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium (Matth. V, 38-40). Hinc iterum ait : Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (Matth. V, 43, 44). Denique, quum princeps Apostolorum dixisset, Si benefacientes sustinetis, hæc est gratia apud Deum (I Petr. II, 20) ; mox addidit : In hoc enim vocati estis (Ibid. 21), id est, ad hoc estis ad fidem et evangelicam legem B pie adducti, ut adversa æquanimiter toleretis, etiam dum bene egeritis, nec increpationem aut pœnam promerueritis. Hinc namque ait discipulis Salvator : Si me persecuti sunt, et vos persequentur (Joann. XV, 20). Unde et Paulus testatur : Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur (II Tim. III, 12). Non ergo dignus est Christianus vocari, qui adversa renuit æquanimiter pati. Quam longe igitur sunt a Christo, qui nec pro excessibus suis volunt condignas reprehensiones et correctiones suf- C ferre !

Insuper, inter beatitudines computat Christus patientiam, dicens : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth. V, 10). Hoc tamen non de quacumque patientia, sed de ea quæ suffert adversa absque propria culpa, pro vera justitia, certum est dici. De qua patientia Christus subjungit ibidem : Beati estis, quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum D vos, mentientes, propter me ; gaudete in illa hora et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis (Ibid. 11, 12; Luc. VI, 22, 23). Verum sunt quidam perversi qui et temere excusant se ipsos dum corripiuntur, quumque pro suis castigantur excessibus, quasi consolando se ipsos allegant verba prætacta, dicentes, Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quum tamen ipsi non persecutionem, sed justam correctionem, imo et caritativam increpationem patiuntur propter injustitiam suam. Porro

quam periculosa atque enormis sit excusatio talis, præsertim dum quis loco et tempore opportuno accusatur et increpatur a suo superiore, constat ex eo quod secundum Thomam in secunda secundæ, aliosque doctores in Summis suis, reus, videlicet fur, latro seu homicida, peccet mortaliter culpam suam negando aut non propalando, quando opportune exigitur dicere veritatem, quum tamen pro culpa sua sit occidendus ; non tamen obstante quod timor mortis possit negationem seu absconsionem illam non minime alleviare.

q. cx, a. 3 ad 4um.

Rursus ad patientiam ac mansuetudinem hortatur nos Christus in multis Evangelii locis, dicendo in quadam parabola : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ? Et tandem concludit : Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis, etc. Unde et iterum jubet alibi : Quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem ; quod si non dimiseritis, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Hinc et in Oratione dominica nos docuit sic orare : Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quo constat, quod qui aliis non dimittit, sed comminatur, irascitur, aut contra eum tristatur, indignum se exhibet miseratione divina ; atque orationem illam fundendo, ore proprio se condemnat : quamvis in persona Ecclesiæ eam sine peccato dicere possit, sicut et symbolum fidei, Credo in Deum, quum tamen ipse qui in mortali est vitio, non credat in Deum.

Matth. XVIII, 32, 33. Ibid. 35. Marc. XI, 25, 26. Matth. VI, 12.

Præterea ad patientiam hortatur nos Paulus copiosissime ac ardenter. Etenim ad Corinthios : In omnibus (inquit) exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia. Et alibi : Patientes estote ad omnes. Atque ad Colossenses : Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Christus donavit vobis. Alibi quoque : Gloriamur in tribulationibus. Maledicimur, et benedicimus. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.

II Cor. VI, 4. I Thess. V, 14. Coloss. III, 12, 13. Rom. V, 3; I Cor. IV, 12; II Cor. IV, 8.

Denique et Jacobus ait : Patientes estote usque ad adventum Domini, et confirmate corda vestra. Et rursus : Exemplum accipite longanimitatis et laboris et patientiæ Prophetas. Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Et iterum ait : Nolite ingemiscere in alterutrum, fratres : hoc est, unus alium cum gemitu quodam ex impatientia aut simili passione ortum habente non intueatur nec cogitet.

Jacob. V, 7, 8. Ibid. 10, 11. Ibid. 9.

Sed et princeps Apostolorum in prima sua ait Canonica : Omnes unanimes, non reddentes malum pro malo, sed econtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis ; et rursus : Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis ; qui autem patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendant animas suas.

I Petr. III, 8, 9. Ibid. IV, 14, 19.

At vero ad commendandam et imprimendam virtutem patientiæ omni fideli, multum valet historia sancti Job ac Tobiæ, et item Legenda S. Eustachii, beatissimi quoque Clementis et parentum ipsius. Unde de Tobia narratur in ejus historia : Hanc tentationem (videlicet cæcitatis plagam) permisit Deus evenire ei, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et sancti Job : nam quum ab infantia sua timuerit Deum, non est contristatus contra Deum quod plaga cæcitatis evenerit ei. Unde legitur et angelus Raphael dixisse venerando Tobiæ : Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio (id est adversitas) probaret te.

Tob. II, 12, 13. Ibid. XII, 13.

Quemadmodum autem per patientiam et mansuetudinem sapientia hominis potissime innotescit, ita per impatientiam insipientia ejus comprobatur. Propter quod in Proverbiis dicitur : Impatiens exaltat stultitiam suam. Impatientia quippe ita obtenebrat atque deordinat mentem, ut fatuitatem suam non solum demonstret, sed et exaltet, eam cum impetu evidenter

Prov. XIV, 29.

coram aliis pandens. Ideo ait Hugo : Impatientia est, impetuosum animi motum non refrenare. Cassiodorus quoque fatetur: Patientia est quæ omnia vincit adversa, non colluctando, sed sufferendo, non murmurando, sed gratias agendo. Ipsa est quæ animas reddit limpidas Deo. Estque egregium, audire noxia et non respondere contraria. Hinc dicit Ambrosius : Illud magnificum est, si subjectus contumeliis, judicium Dei laudes, si vexatus ægritudine, Dominum depreceris, si te inopia a bono non retrahit.

Porro, ut effatur Gregorius, patientia vera est quæ et ipsum amat quem tolerat. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Si autem mens forti intentione in Deum dirigitur, quidquid in hac vita amarum est, dulce sibi videtur, et omne quod cruciat, requiem putat. Iterum ait : In hoc mens justi ab injusto discernitur, quod justus Omnipotentem inter adversa collaudat, quod asperis rebus non frangitur, quod exterioris gloriæ casu non labitur. Ideo autem Deus donis suis adversa permiscet, ut quidquid in sæculo delectabat nos, amarescat, illudque incendium surgat in animo, quod cœlestium amore nos semper accendat, atque (ut sic loquar) delectabiliter mordeat, suaviter cruciet hilariterque contristet.

Asserit etiam Augustinus : Facile est vestem vilem portare, capite inclinato incedere, super oculos velum demittere; sed verum humilem patientia pandit. Hinc in
Collat. XVIII, 13. secundo Collationum volumine abbas Piammon loquitur : Patientia vera et tranquilla absque profunda cordis humilitate non acquiritur nec tenetur. Si autem ab aliquo injuriati movemur, certum est non esse in nobis humilitatis fundamenta firmiter stabilita. Ideo ad incursum exiguæ tempestatis ædificium nostrum concutitur.

Postremo Bernardus disseruit : Quam pauci post te, o Domine, ire volunt, quum tamen ad te pervenire omnes velint! Volunt te frui, quoniam delectationes in dex- (Ps. XV, 10.) A tera tua usque in finem ; sed nolunt te imitari per patientiam ; cupiunt conregnare, non compati, cupientes consequi, sed non sequi. Iterum protestatur : Res utilis ac necessaria est tributatio, quæ in gloriam vertitur ; tristitia, quæ in gaudium sempiternum mutatur. Gloriemur ergo in tribulatione, quia in ea spes gloriæ : imo in tribulatione gloria continetur sicut fructus in semine. Propter quod Jacobus ait apostolus : Beatus vir qui suffert tentationem (id est adversitatem), quoniam (Jacob. I, 12.) B quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

ARTICULUS XXVIII.

Quam præclara ac desiderabilis virtus sit mansuetudo.

FILI, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. (Eccli. III, 19.) Patientia et mansuetudo in multis conveniunt, et frequenter sancti Patres C unam earum pro alia sumunt : proprie tamen de eis loquendo, realiter distinguuntur, suntque virtutes distinctæ. Quemadmodum enim patientia passionem tristitiæ moderatur, sic mansuetudo est virtus moralis iram refrenans ac moderans, loquendo præsertim de ira ut est passio naturalis. Sed et iram per vitium mansuetudo restringit, nisi hujusmodi ira in tantum excrescat, quod fiat mortalis, sicque mansuetudinem perimat. Iram quoque per zelum, quæ aliqualiter turbat mentis oculum, D mansuetudo coercet.

Denique, sicut tristitia est de aliquo malo adversante seu nocivo, ita et ira est de malo pœnali illato, videlicet de injuriatione aut parvipensione seu læsione inflicta. Ideo ex eisdem causis oritur mansuetudo ex quibus et patientia, utpote ex diversis considerationibus quibus adversa et mala pœnalia irrogata considerantur ut multipliciter bona atque utilia homini. De quibus causis et considerationibus dictum est paulo ante, articulo vicesimo quarto. Si

enim mala pœnalia taliter attendantur et A
acceptentur, nequaquam de eis irascemur,
sed magis lætabimur. Ideo ex considerationibus illis mansuetudo generatur, loquendo de mansuetudine acquisita. Mansuetudo vero infusa ex eis augetur, perficitur, conservatur et actuatur.

Amplius, quum mansuetudo habeat iram refrenare ac moderari, idcirco quam detestabilis, inhonesta, afflictiva, scandalizativa, nociva, periculosa ac vitiosa est ira, tam desideranda, honesta, suavis, exemplaris, fructuosa, secura ac virtuosa B
est mansuetudo. Quam detestanda autem et scandalosa ac prava in se atque in suis effectibus ac filiabus sit ira, dictum est
art. LV-LVIII. primo tractatu.

Rursus, ad amplectendam mansuetudinem et ad proficiendum in ea, valent omnia illa quæ quinquagesimo nono articulo ejusdem tractatus sunt adducta pro remediis contra iram, et alia multa quæ ante articulum illum de fugibilitate et reproba-
ibidem. tione iræ sunt dicta. Nempe quæ iram expellunt et ejus sanant languorem, inducunt C
et nutriunt mititatem.

In primis ergo mansuetudo facit hominem suis proximis et condomesticis, imo et ceteris, valde amabilem, gratiosum, exemplarem, portabilem et delectabiliter conversativum.

Secundo assimilat hominem Deo, qui
Sap. XII, 18. cum tranquillitate imperturbabiliter judicat, sicut in libro Sapientiæ fertur. Qui et
Jer. VII, 19. per Jeremiam contestatur : Numquid me ad iracundiam provocant impii? nonne semetipsos in confusionem vultus sui? D
Ps. LXXXV, 5. Cui cantamus in Psalmo : Quoniam tu, Domine, suavis et mitis. Itaque, sicut ira assimilat hominem brutis, ut cani, ac feris et belluis, sic mansuetudo conformat eum Deo et angelis.

Tertio mansuetudo facit hominem specialiter templum ac thronum Spiritus San-
Is. LXVI, 1, 2. cti, qui (ut in Isaia legitur) super humilem et quietum (id est mansuetum) requiescit.

Quarto facit hominem divinæ illuminationis capacem ac sapientem. Propter quod ait Psalmista : Diriget mansuetos in judi- Ps. XXIV, 9
cio, docebit mites vias suas. Anima namque ab inquietudine iræ et vitiorum eam sequentium quiescendo, fit apta ad illuminationem supernam, sicut per iram præcipue excæcatur.

Quinto parit in homine spiritualem consolationem, juxta illud Psalmi : Mansueti Ps. XXXVI, 11.
delectabuntur in multitudine pacis. Sicut enim ira mentem exasperat, amaricat et affligit ; sic mansuetudo eam lenificat, exhilarat et delectat. Ideo loquitur Isaias :
Addent mites in Domino lætitiam, et in Is. XXIX, 19
Sancto Israel exsultabunt.

Sexto meretur beatitudinem copiosam, imo et tranquillam proprii corporis possessionem in vita præsenti, sicut apud
Matthæum ait Salvator : Beati mites, quo- Matth. V, 4.
niam ipsi possidebunt terram. Et in Psal-
mo : Mansueti autem hereditabunt terram. Ps. XXXVI, 11.
Quod et de beatifica cœlestis patriæ possessione potest intelligi. Propter quod in
psalmo illo subjungitur : Et inhabitabunt Ibid. 29.
in sæculum sæculi super eam. Et rursus
ait Psalmographus : Dominus exaltabit Ps. CXLIX, 4
mansuetos in salutem.

Septimo specialiter promeretur protectionem divinam et judicium Dei pro se,
secundum illud Isaiæ : Arguet in æquitate Is. XI, 4.
pro mansuetis terræ.

Octavo facit hominem apud Deum exaudibilem, complacentem, ac spirituali opulentia redundantem. Propter quod scriptum
est : Humilium et mansuetorum tibi sem- Judith IX, 16.
per placuit deprecatio. Atque de Moyse le-
gitur in Ecclesiastico : In fide et lenitate Eccli. XLV, 4.
(id est in mansuetudine) ipsius sanctum fecit illum Dominus. Hinc divinus Diony-
sius in epistola ad Demophilum asserit, Epist. VIII.
quod Moyses et David præcipuam apud Deum gratiam invenerunt, quoniam mites
erant. Unde quum Aaron et soror ejus Num. XII, 1, 2, 9.
Maria Moysi detraxissent, iratus est Dominus valde ; et causa hujus subjungitur in
Numeris : Erat enim Moyses vir mitissi- Ibid. 3.
mus. Ex quo constat quantum Deus pro mansuetis zeletur et eorum ulciscatur in-

juriam. Nam et Mariam illam pro sua detractione in Moysen ita plagavit, quod fuit instar nivis candens ex lepra. (Num. XII, 10.) Hinc et David sciens mansuetudinem Deo tam placitam, exoravit : Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus. (Ps. CXXXI, 1.) Beatissimo quoque Dionysio apparens Christus in carcere, dixit : Benignitas et dilectio quam semper habuisti, facient ut quidquid petieris pro aliquibus, impetres. Unde in Ecclesiastico dicitur : Beneplacita est Domino fides et mansuetudo. (Eccli. I, 34, 35.)

Nono facit hominem verum Christi discipulum, qui præcepit : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. (Matth. XI, 9.)

Decimo aptat hominem ad informationem humanam. Ideo dicitur in Ecclesiastico : Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei. (Eccli. V, 13.) Et Jacobus ait : In mansuetudine suscipite insitum verbum Dei. (Jacob. I, 21.) Unde quum dixisset Propheta, In Domino laudabitur anima mea, mox addidit : Audiant mansueti et lætentur. (Ps. XXXIII, Ibidem.)

Sunt et alii multi præclari mititatis effectus : per quam etiam fit homo specialiter aptus ad regimen aliorum, sicut per iram ad hoc ineptus efficitur. Propter quod in Proverbiis scriptum est : Roboratur clementia thronus regis ; (Prov. XX, 8.) et in Ecclesiastico : Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens tibi subjectos. (Eccli. IV, 5.) Hinc Scriptura hanc sanctam virtutem valde commendat et necessariam esse fatetur. Propterea ait Apostolus : Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. (II Tim. II, 4.) Et rursus : Sectare (inquit) mansuetudinem. (I Tim. VI, 11.) Unde et in Sophonia habetur : Quærite Dominum, omnes mansueti terræ. (Soph. II, 3.)

Innotescit ergo ex iis, quam sublimis et fructuosa virtus sit mansuetudo, et quam multipliciter commendabilis exstet, qualiter etiam possit acquiri, augeri ac perfici. Cujus possent distingui tres gradus, quemadmodum paulo ante distincti sunt gradus patientiæ, (art. XXVI.) quia æqualis est modus ac ratio distinctionis ambarum. Quod faciliter potest perpendi : idcirco pertranseo.

Hanc ergo virtutem amplectamur, atque in ea nos custodiamus. Nam sicut per iram incurrit homo diversa pericula etiam inter homines, tam in sua persona quam in rebus ac personis attinentibus sibi, ita per mansuetudinem præservatur ab illis. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Fili, in mansuetudine serva animam tuam. (Eccli. X, 31.)

Postremo, ad commendandam mansuetudinem recitari possunt historiæ primo Regum descriptæ de persecutionibus sancti David ab iniquo Saule, (I Reg. XXIV, XXVI.) quam mansuetus fuerat David in illis, in tantum quod ipsemet non exercuit ultionem in Saul, quum hoc facillime facere potuisset, sed nec permisit militem suum Abisai occidere ipsum Saul. Ad idem spectat, quod sanctus Joseph patriarcha tam mitis, clemens atque beneficus exstitit fratribus suis, (Gen. XLII et seq.) a quibus tantam invidiam, persecutionem, aspernationem, et tandem injustissimam venditionem sustinuit. Horum ergo mansuetudinem consectemur.

ARTICULUS XXIX.

Quam præclara, necessaria ac fructuosa virtus sit castitas.

HÆC *est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.* (I Thess. IV, 3-5.) Inter quatuor virtutes cardinales una est temperantia, quæ est virtus moralis delectationes sensuales refrenans. Cujus præcipuæ partes ac species sunt castitas ac sobrietas, ita quod castitas directe contrariatur luxuriæ, sobrietas gulæ. Castitas ergo nunc sumitur prout est virtus concupiscentiam venereorum refrenans ac moderans, et omnem illicitum coitum reprimens ac devitans.

Denique, hujus castitatis triplex est species, utpute castitas virginalis, vidualis et conjugalis. Atque, ut in Evangelio docuit Christus, castitati debetur fructus,

ita quod castitati virginali debetur fructus A centesimus, castitati viduali fructus sexagesimus, castitati conjugali fructus tricesimus, juxta illud Lucæ : Semen cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Semen quippe est verbum Dei : cujus fructus est spiritualitas quædam, quæ in hoc præsertim consistit, quod homo a carnali voluptate se retrahit et divinis inhæret.

Luc. VIII, 8; *Matth.* XIII, 8. *Luc.* VIII, 11.

Denique, quum lex Christi sit lex totius perfectionis ac puritatis, constat castita- B tem ad omnem Christifidelem præcipue pertinere. Quanta autem sit dignitas, puritas, fructuositas castitatis, perpendi potest ex iis quæ supra de vilitate, immunditia, enormitate atque effectibus luxuriæ dicta sunt. Nam sicut in luxuriæ speciebus est maxima turpitudo ac bestialitas, ita in castitate est splendor præcipuus, angelicæ quoque imitatio puritatis. Insuper, quæ supra inducta sunt pro remediis contra luxuriam, valent ad obtinendam, custodiendam ac perficiendam castitatis C virtutem.

lib. I, art. XLI et s. ibid. art. XLVII.

Assignantur etiam castitatis tres gradus. Primus est, ab omni illicito coitu abstinere, ea quoque vitare quæ ad coitum provocant et ex suo genere exstant peccata mortalia : ut sunt amplexus, tactus, osculationes, et similes gestus ac motus sive affatus lascivi. Hæc, inquam, vitare cum difficultate et impugnatione frequenti a stimulis et concupiscentiis carnis, est primus castimoniæ gradus. Secundus gradus est, concupiscentias carnis habere de- D bilitatas, ita ut satis faciliter reprimi queant, et per virtuosa castitatis exercitia ad hoc devenisse, ut homo viriliter et sine formidine impugnationem carnis præstoletur, recipiat, retundat ac superet. Tertius gradus est, concupiscentias ac stimulos carnis habere omnino edomitos, atque insurgentes facillime abjicere, totoque corde omnem impuritatis carnalis fœditatem horrere ac nauseare, et in ipsum puritatis affectum esse cordialiter transformatum, sicque ad neminem carnaliter affici, nec aliquem sensualiter intueri aut recordari.

Insuper, in secundo Collationum volumine Cassianus ex ore S. Chæremonis abbatis et anachoretæ ponit sex gradus castitatis, quibus ad summum castimoniæ pertingitur culmen. Primus est, in vigilia non superari impugnatione carnali. Secundus est, cogitationibus voluptuariis non immorari. Tertius est, femineo aut virili adspectu ad concupiscentiam nequaquam moveri. Quartus, nec simplicem carnis motum in vigilia sustinere. Quintus, ex audita lectione aut memoratione generationis humanæ aut venereorum, nullatenus libidini assentire, nec plus inde moveri quam de lapidum aut lignorum adspectu. Sextus est, illecebrosis phantasmatibus in somno non illudi.

collat. XII, c. 7.

Itaque in castitatis virtute studeamus stabiliri ac crescere, considerando assidue remedia universa luxuriæ præinducta, per quæ homo in castitate perficitur, pensando quoque et cetera quæ supra de enormitate et vilitate ac vitiosis luxuriæ effectibus sunt conscripta, intuendo demum quam nobilis, necessaria ac divina virtus sit castitas, quam fructuosa ac meritoria sit : nam et castitati virginali, qua quis proponit firmiter in virginitate inviolabiliter permanere, debetur aureola.

Hinc ad castitatem et temperantiam Scriptura novi Testamenti copiosissime nos hortatur, prout hoc in primo libro scriptum est, et nunc aliquid addi potest. Ait enim Apostolus ad Galatas : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Et iterum : Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem ; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Rursusque : Qui (inquit) in carne sunt, Deo placere non possunt.

art. XLIV, LI. *Galat.* V, 16, 17. *Ibid.* VI, 8. *Rom.* VIII, 8.

Itaque casti simus in omnibus, casti in cogitando, puri in appetendo, casti in lo-

quendo, in adspiciendo, tangendo, omni- A
Rom. VI, 13. que corporis motu et actu; nec exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo. Hinc ait Bernardus: Continentia carnis diluitur quidquid luxuria inquinavit; continentia restringitur corpus, ne deinceps per mortiferas defluat voluptates. Porro continentia illa non habet meritum apud Deum quæ gloriam quærit humanam. Idcirco in continentia soli Deo placere desideremus ac intenda-
Luc. XII, 35. mus. Et juxta Salvatoris præceptum, sint lumbi nostri præcincti. Quemadmodum B
Eccli. XVI, 20. enim in Ecclesiastico scriptum est, non est digna ponderatio continentis animæ.

Refert S. Hieronymus historiam valde pulchram de monacho captivo, ex quo docet quanta sit castimoniæ virtus. Ad
Judith III et s. quod etiam valet historia Judith, cui Deus dedit inopinatam victoriam de crudelissimo Holoferne, eo quod ipsa castitatem
Luc. II, 36-38. vidualem amavit. Similiter evangelica Anna, quæ Christum infantulum in templo oblatum cognovit atque confessa est, merito suæ castitatis et abstinentiæ ac de- C votionis ad gratiam prophetiæ et Christi corporalem præsentiam est adducta, ut asserit Origenes.

ARTICULUS XXX.

De sobrietate.

Sap. VIII, 7. SOBRIETATEM *et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus.* In libro Sapientiæ de increata Sapientia dictum est D istud, quæ has quatuor virtutes instruit homines. Hæ autem sunt quatuor virtutes cardinales : ideo in hac auctoritate per sobrietatem intelligitur temperantia, et per virtutem fortitudo. Interdum autem accipitur sobrietas pro virtute qua homo temperate se habet circa cibum et potum, et delectationes gustus refrenat : et ita erit de ea nunc mentio ; et ita opponitur gulæ. Quandoque vero accipitur pro virtute moderativa potus et delectationis potandi. Sicque accipitur illud Ecclesiastici : Æqua vita hominibus vinum in sobrietate Eccli. XXXI, 32. potatum ; si bibas illud moderate, sobrius eris. Sicque tractat de ea Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima quadragesima nona, inter cetera dicens : Vir- art. 1. tutes quæ a generali quadam proprietate virtutis communiter sumptæ nominantur, illud concernunt pro materia seu objecto, in quo optimum ac difficillimum est talem servare conditionem. Generales autem conditiones virtutis sunt, moderate ac firmiter agere. Ideo, sicut fortitudo versatur circa pericula mortis et passionem audaciæ ac timoris, atque hujusmodi pericula moderatur, ita sobrietas passionem concupiscentiæ circa potum refrenat. Dicitur enim aliquis sobrius, quasi briam, id est mensuram seu moderantiam, servans. Difficillimum vero optimumque est, servare mensuram in potu. Moderatus etenim potus multum est utilis corpori salubrisque animæ, et immodicus ejus excessus valde lædit utrumque, etiam plus quam excessus ciborum. Unde in Ecclesiastico habetur : Sanitas est animæ et Eccli. corporis sobrius potus. Itaque ad refre- XXXI, 37. nandum concupiscentiam, delectationem et superfluitatem potus, indiget homo speciali virtute, propter specialem difficultatem et utilitatem servandi moderationem in potu. Sicque sobrietas est alia virtus ab abstinentia, per quam medium observatur in cibo.

Insuper dicit Thomas : Sobrietas, sicut Summ. th. et ceteræ virtutes, uno modo comparari 2a 2æ, q. CXLIX, a. 4. potest ad passiones ac vitia quæ refrenat. Sicque sobrietas magis necessaria exstat juvenibus ac mulieribus, in quibus, propter fervorem ætatis ac sanguinis, est major concupiscentia atque debilitas rationis : idcirco per insobrietatem faciliter cadunt. Hinc ait Valerius, quod apud antiquos Romanos mulieres vinum non potabant. Cujus etiam potatio specialiter est periculosa juvenibus, sicut experientia docet. Secundo comparatur sobrietas ad finem ad quem ordinatur ac ducit, qui est

habere cor expeditum ac liberum, in usu A rationis bene dispositum. Sicque sobrietas et moderatio vini potissime convenit eis qui alios habent docere et ædificare opere ac sermone, videlicet senibus, regibus atque episcopis, imo cunctis judicibus, præsidentibus ac prælatis. Hæc Thomas. — Quod item de moderantia in cibo veritatem sortitur, quum in Ecclesiaste
Eccle. x, 16, 17. scriptum sit : Væ tibi, terra cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt; beata terra cujus rex nobilis est, et cujus principes vescuntur in tempore suo B ad reficiendum, et non ad luxuriam. Hinc quoque ait Hieronymus, quod ante diluvium non fuit esus carnium nec vini potatio, sed post diluvium usus vini ac carnium est concessus. Christus vero in fine veniens sæculorum, extremitatem retraxit ad principium, docens a vino et carnibus abstinere, verumtamen per modum consilii, non præcepti. Præterea, loquendo de sobrietate modo præfato, virtus alia ponitur circa moderantiam cibi, atque ad moderandum appetentiam. De qua in se- C cunda sua epistola hortatur princeps Apo-
II *Petr.* I, 5, 6. stolorum : Ministrate in scientia abstinentiam, id est, actum abstinentiæ exhibete cum discretione, medium observando; sic-
Rom. XII, 1. ut et Paulus : Rationabile (inquit) obsequium vestrum.

Præterea, prout Thomas et alii multi dicunt doctores, abstinentia seu sobrietas quæ est virtus infusa, specifice differt ab abstinentia seu sobrietate acquisita. Unde in prima secundæ, quæstione sexagesima
art. 4. tertia, ait Thomas : Virtutes morales acqui- D sitæ et infusæ distinguuntur specifice. Primo, secundum formalem rationem objecti. Objectum enim est, circa quod ratio constituit modum : sicut in concupiscentiis tactus ratio ponit modum, per temperantiam moderando concupiscentiam ipsam, quæ est castitatis objectum. Porro modus in objectis virtutum moralium a naturali ratione impositus, est alterius rationis quam modus quem lex divina constituit : quemadmodum in sumptione cibi ac potus humana ratio hanc ponit mensuram seu modum istum, ut tantum sumatur de cibo ac potu, quantum bona corporis habitudo requirit, et ad rationis expedit actum, ita ut refectio non noceat corporis sanitati, nec rationis impediat actum ; lex autem divina istum instituit modum, ut caro etiam castigetur per hoc quod ejus necessitati aliquid subtrahitur, sicque in I *Cor.* IX, 27
servitutem spiritus redigatur. Secundo differunt hæ virtutes, quoniam ad fines ordinantur diversos. Virtutes namque infusæ ordinantur ad hoc, ut homo per eas fiat civis Sanctorum et domesticus Dei ; *Ephes.* II, 19.
virtutes vero morales acquisitæ, ut homo per eas bene se habeat in rebus negotiisque humanis. Et huic doctrinæ consonare videtur quod tertio Politicæ ait Philosophus : Diversæ sunt virtutes politicæ civium, secundum quod diversas politias concernunt.

ARTICULUS XXXI.

De actibus et gradibus sobrietatis, et de dignitate ejusdem.

EX *die quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* *Dan.* X, 12.
Quemadmodum apud Danielem habetur, ipse sanctus Daniel et tres socii ejus a *Ibid.* I, 8, 12, 17.
delicatissimis ac regiis cibis ac poculis abstinuerunt, potu aquæ leguminibusque contenti : per quod magnam consecuti sunt gratiam, et specialiter data est Danieli revelatio divinorum, præcognitio futurorum, interpretatio secretorum, sapientia copiosa et exauditio gratiosa. Hinc itaque, loquendo de sobrietate infusa prout communis est ad refrenationem concupiscentiæ et voluptatis ac superfluitatis ciborum ac potuum, unus actus ejus exstat jejunium. Ipsum quoque jejunium habet tres speciales effectus, ad quos ordinatur atque assumitur. Primus est, reprimere concupiscentias carnis. Secundus est, illuminatio mentis ad cognoscendum salubria et contemplandum divina. Tertius

est, satisfactio pro peccatis : ideo per jejunium aliquid naturæ subtrahitur, ut pro suis vitiis affligatur. Sunt demum alii multi actus et effectus sobrietatis, quia per eam meretur homo exaudiri a Deo et in omni virtute augeri : imo, ut de pessimo genere dæmoniorum testatur Salvator, hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio. *Marc.* IX, 28.

Ex præhabitis innotescit quam sobrios oporteat esse Christianos. Idcirco væ eis qui ita se replent atque ingurgitant, quod etiam unus purus philosophus hoc horreret, et contra naturalem legem ac rationem se gravant, rationem offuscant, vitam abbreviant, et vitiis pariunt alimenta. Verumtamen immoderata necessariorum subtractio periculosa est et vitanda, quum dicat Hieronymus : Non differt an magno vel brevi te interimas tempore; et rursus : De rapina Deo sacrificat, qui nimia ciborum egestate aut somni penuria corpus suum immoderate extenuat.

Insuper, quæ observanda sint in cibo ac potu, et qualiter multipliciter contingat peccare in illis, constat ex dictis in primo libro de gula et ebrietate. art. XLVIII et s. Specialiter quoque requirit sobrietas, ut homo non excedat in qualitate victualium, quærendo nimis delicata ac pretiosa, nec in quantitate illorum, nec in modo, videlicet irreligiose et nimis avide ac indisciplinate et festinanter et cum sonitu oris edendo sive bibendo.

Præterea, tres assignantur gradus sobrietatis. Primus est, sic sumere cibum ac potum, ut non fiat aliquid in hoc contra præceptum Dei neque Ecclesiæ, ut scilicet vitentur crapula, ebrietas et fractio jejuniorum. Secundus gradus est, aliquid sibi subtrahere de qualitate et quantitate victualium, abstinendo a licitis delicatioribusque nonnullis, etiam quando non est jejunium Ecclesiæ, et grossioribus frugaliter contentari, nec quærere voluptatem in necessariis vitæ, sed necessitatem naturæ ad Dei obsequium. Tertius gradus est, sic esse circa spiritualia exercitia affectatum, ut ex gustu eorum et ex divinæ sapore dulcedinis fastidiat homo omne corporeum alimentum, nisi quantum exigunt natura lexque divina, sicque ad mensam quasi ad tormentum accedere. Ad primum horum graduum pertinet, non murmurare nec contristari quando non adest affluentia aut delicata præparatio alimentorum, sed iis quæ Deus concessit cum gratiarum actione esse contentum ; ad secundum pertinet, paratum esse carere propter Deum delicatis et copiosis quæ apponuntur ; ad tertium vero, concupiscentiam gulæ habere prorsus edomitam.

Denique, sicut gula luxuriam excitat, imo et fovet, sic sobrietas castitatem conservat. Est etiam sobrietati contrarium, instituta Ecclesiæ jejunia violare : a quibus tamen excusantur qui adhuc in incremento sunt corporali, et senes ac debiles, laboratores quoque ac peregrinantes qui laborem et peregrinationem differre aut minuere non possunt sine detrimento corporalis salutis et indigentiæ exterioris. Pauperes etiam a jejunii observatione non excusantur, si habeant quod ad refectionem unam competentem sufficiat.

Amplius, quam necessaria, exemplaris atque præclara virtus exsistat sobrietas, elucescit ex dictis in primo libro de vilitate, art. XLVIII et s. bestialitate enormitateque gulæ, et de pessimis ejus effectibus. Et quæ ibi sunt assignata pro remediis gulæ, valent ad sobrietatem : ex quorum consideratione accenditur homo ad moderantiam cibi ac potus.

Postremo, hanc virtutem Patres excellenter commendant. Ait enim Hieronymus : Mater sanitatis est abstinentia, mater ægritudinis immoderantia et voluptas. Chrysostomus quoque : Nihil, inquit, sic sanitatem, nihil sic sensuum parit acumen, nihil sic ægritudinem fugat, ut moderata refectio. Iterum dicit : Simplicior victus et mensa mediocris plurimum habet jucunditatis ; econtrario divitum mensæ exsecrabiles exstant et horridæ, atque membrorum contaminationibus plenæ.

De effectibus autem sobrietatis asserit Leo Papa : De abstinentia procedunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia ; per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, mens virtutibus innovatur. Et Augustinus : Sobrietas temeritatem fugat, pericula cuncta devitat, domum familiamque recte gubernat, superbiam detestatur. Et rursus : Sobrietas est mentis ac sensus omniumque membrorum cautela, castitatis ac pudicitiæ munimentum, pudori proxima, amicitiæ ac pacis ministra, honestati semper conjuncta, vitiorumque omnium profuga. Ait quoque Bernardus : Bonum et salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum redimuntur hoc modo peccata ; nec solum est absolutio peccatorum, sed et exstirpatio vitiorum ; non solum obtinet veniam, sed meretur et gratiam ; non solum delet peccata commissa, sed et repellit futura.

ARTICULUS XXXII.

Quod misericordia sit virtus valde necessaria et prædigna, ad omnem Christianum præcipue spectans.

1 *Tim.* IV, 8. PIETAS *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Misericordia uno modo est passio sensitivi appetitus : sicque, secundum Damascenum libro secundo, est species tristitiæ, utpote dolor quidam interior appetitivæ potentiæ sensitivæ de malo seu miseria vel adversitate alterius ; et ita non est virtus, sed passio naturalis. Quemadmodum enim omne animal naturaliter diligit simile sibi, ita et naturaliter compassivum est sibi similibus. (*Eccli.* XIII, 19.) Quod homini potissime competit, quamvis quidam per vitia ad inhumanitatem et quamdam belluinam degenerent incompassionem et crudelitatem. — Secundo sumitur misericordia pro voluntatis qualitate qua aliorum calamitati tanquam propriæ intellectualiter condolet et succurrit pro viribus ; et ita est virtus, quam aliqui sic describunt : Misericordia est virtus qua animus super aliorum miseria pie movetur. Hinc, secundum Augustinum nono de Civitate Dei, misericordia est alienæ miseriæ in corde nostro compassio (id est virtus compassiva), qua (si possumus) subvenimus. Convenit autem misericordia Deo, imo misereri et parcere dicitur proprium ei, non in quantum misericordia compassionem includit, quæ impassibili Deo non convenit nisi per metaphoram similitudinemque effectus, qui est subvenire egenti ac misero, sed in quantum misericordia dicitur virtus qua quis alterius miseriam pie tollit seu relevat, suam bonitatem illi communicando ; sicque maxime atque plenissime competit Deo, cujus miserationes sunt super omnia opera ejus. (*Ps.* CXLIV, 9.)

Denique, ad misericordiam excitat nos Deus in primis sui ipsius exemplo, qui tam ineffabiliter et innumerabiliter misertus est nostri, et incessabiliter miseretur etiam ingratis ac pessimis. Hinc Christus hortatur : Estote misericordes sicut et Pater vester cœlestis misericors est. (*Luc.* VI, 36.) Et Paulus : Estote (inquit) imitatores Dei sicut filii carissimi. (*Ephes.* V, 1.) Secundo ad idem hortatur nos Christus suo exemplo in humanitate assumpta, in qua tam misericordissime se habuit in isto sæculo ad peccatores, conversando inter eosdem. Unde et Pharisæis ei super hoc indignantibus dixit : Euntes discite quid est, Misericordiam volo, et non sacrificium ; (*Matth.* IX, 13.) itemque : Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. (*Ibid.* 12.) Tertio ad idem hortatur nos Deus copiosissime in utriusque Testamenti scripturis.

Ad idem nos accendere debet lex naturæ, communisque caritas, et rursus specifica omnium hominum similitudo, de qua in libro Job fertur : Visitans speciem tuam non peccabis. (*Job* V, 24.) Item propria indigentia, qua tot periculis et necessitatibus atque inopiis sumus expositi. Deinde magnitudo felicitatis quæ misericordibus in Scripturis promittitur, quum dicat Salvator : Bea- (*Matth.* V, 7.)

ti misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sed et comminatio quæ immisericordibus intentatur, et gravissima eorum damnatio. Unde apostolus Jacobus (Jacob. II, 13) : Judicium (inquit) sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam ; et Salvator (Matth. VII, 2) : In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Imo Christus in Evangelio (Ibid. XXV, 31-46) protestatur se in extremo judicio de operibus misericordiæ cum hominibus potissime disceptaturum, nec aliam assignat rationem damnationis impiorum, nisi quod misericordiæ opera non fecerunt.

Amplius, ad misericordiam commonemur irrationalium animalium exemplis. Frequenter quippe expertum est quod lupi et lupæ infantulos a matribus expositos ac relictos defendunt ac alunt. Leones quoque homines deviantes reducunt ad viam, et hominibus coram se prostratis atque infirmioribus se animalibus parcunt, nisi vehementia famis eos impellat ad horum opposita. Denique, in libro de Naturis animalium legitur, quod equa mortua, pullum ejus alia equa suscipit nutriendum ; et item quod aves ejusdem speciei non comedunt se ; et quantum porci invicem sibi condoleant, aures hominum ferre vix queunt.

Insuper ad misericordiam excitare nos maxime debet, quod per eam homo assimilatur præcipue Deo, qui etiam omnipotentiam suam parcendo maxime et miserendo declarat.

Miserabilibus quoque personis, videlicet orphanis, viduis, pupillis, peregrinis, captivis, tentatis, afflictis, pauperibus, desolatis, est specialiter miserendum. Igitur unusquisque totis viribus suis misericordiæ actibus tam spiritualibus quam corporalibus sit intentus. Misericordes equidem patentes habent Evangelii litteras, (Ibid. v, 7) quod misericordiam consequentur ; et quoniam alienam miseriam sibi ex pietate assumunt, et Christum in suis membris a calamitate nunc liberant, ideo in futuro a propriis miseriis liberi erunt, vicissitudinemque a Christo recipient.

Amplius, ad misericordiam pertinet opera misericordiæ exercere duplicia, scilicet : corporalia, per quæ corporalibus proximorum defectibus condolet ac subvenit ; et spiritualia, per quæ spiritualibus proximorum defectibus, præsertim culpabilibus, compatitur atque succurrit. De iis demum, quia communia sunt et ubique inveniuntur, pertranseo.

Præterea, quod opera ista misericordiæ ad Christianos præcipue spectant, testatur Ambrosius, dicens : Summa totius christianæ religionis in misericordia et pietate consistit. Ideo unusquisque debet hæc opera exercere juxta suæ facultatis et possibilitatis mensuram, non dumtaxat unum aut pauca eorum, ut illi qui solum porrigunt panem mendicis, non autem dant potum, nec vestiunt, nec visitant, nec hospitant nudos, ægros, peregrinos, nec redimunt captos. Idem quoque de spiritualibus misericordiæ actibus est censendum. Quid ergo in divino judicio sunt dicturi, qui tot habent vestes et tunicas, et tamen permittunt tam multos nuditate affligi ? similiter qui tot habent genera ferculorum et tantam abundantiam potuum, et tamen vix siccum tribuunt panem egentibus ? Et ubi est quod sacratissimus Joannes Baptista præcepit (Luc. III, 11), Qui duas habet tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat ?

Postremo, distingui possunt tres gradus misericordiæ. Primus est, opera misericordiæ exercere quantum præcepti requirit necessitas, de superfluis dando loco et tempore opportuno, et eis qui postulant. Unde ait Salvator (Ibid. XI, 41) : Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Secundus est, ultra hoc aliqua ex grandi caritate et pietate supererogare etiam iis qui non petunt, sicut Tobias hortatur (Tob. IV, 9, 7) : Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si parum, etiam parum libenter impertiri stude ; et noli faciem tuam avertere ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Tertius gradus est, sibi ipsi de utilibus

et competentibus, imo et aliquo modo necessariis, quantum fieri potest, quædam subtrahere, et ea pauperibus affectu promptissimo communicare, imo et domesticos pauperes investigare ad succurrendum eisdem; de laboribus quoque propriarum manuum opera peragere pietatis, sicut testatur ferventissimus Paulus : Mihi et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Hoc fecerunt beatissimi monachi illi in desertis Ægypti ac alibi olim commorati, qui tenuissimo pabulo panis et aqua contenti, reliquum pretium suorum laborum miserunt per loca pauperibus et captivis. Tale quid egit et pia soror patris mei, quæ sibi ipsi ac pueris suis frequenter extraxit vestes, camisias, calceos, caligas, et dedit ea toto affectu pauperibus.

Act. xx, 34.

ARTICULUS XXXIII.

De justitia, quæ est præclarissima virtus.

Ps. x, 8. JUSTUS *Dominus, et justitias dilexit ; æquitatem vidit vultus ejus.* Quum similitudo sit causa amoris et ratio diligendi, quid mirum si justus Dominus justos diligat servos et approbet æquitatem? Deus autem in se ipso substantialiter est virtus ipsa ac sanctitas, rectitudo fontalis, et omnis rectitudinis atque justitiæ causalis et exemplaris origo.

Porro justitia sic ab aliquibus definitur: Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens. In qua definitione voluntas accipitur non pro potentia volitiva, sed pro actu ejus vel habitu, secundum quod justitia accipi potest pro actu et habitu. Idcirco evidentius dici posset : Justitia est constans atque perpetuus habitus voluntatis, seu constans et perpetua virtus voluntatis, jus seu debitum suum unicuique tribuens. Dicitur autem justitia constans et perpetua : non quod interrumpi aut amitti non queat, sed quia propositum justi est immobiliter adhærere justitiæ. Hinc alii dicunt, quod justitia est virtus unicuique quod suum est tribuens. Quam Philosophus in justitiam commutativam distributivamque dividit ; et supra, articulo quinto, divisa est in justitiam politicam et purgatoriam, purgatique animi et exemplarem.

Denique, justitia proprie est ad alterum, quamvis metaphorice dicatur quis habere et exercere justitiam ad se ipsum, in quantum in homine sunt pars superior atque inferior, vel idem diversos induit actus. Hinc Tullius in secundo ait Rhetoricæ : Justitia est habitus animi, communi utilitate conservata, suam cuique tribuens dignitatem. Justitia etenim multum attendit communem utilitatem. Unde quandoque plus aliquem punit quam commeruisse videtur, propter reipublicæ bonum. Hinc Tullius loquitur : Primum justitiæ fundamentum est, ne alicui noceatur ; deinde, ut communi utilitati serviatur aut provideatur. Et rursus primo de Officiis : Justitiæ, inquit, ista est ratio, quod per ipsam societas hominum mutua et vitæ communitas continetur. Ambrosius quoque in libro de Paradiso : Justitia, ait, magis aliis quam sibimet prodest, utilitatesque proprias negligit, communia emolumenta præponens. Verumtamen in iis quæ sunt de necessitate salutis, in primis providet suo subjecto. Porro justitia dicitur unicuique suam tribuere dignitatem, quia impendit cuilibet quod dignum est ei impendi, seu quod ei debetur. Et debitum istud interdum est ex jure aut fœdere naturali ; quandoque ratione prælationis sive officii, sicut obedientia debetur prælatis; aliquando autem ex merito aut demerito, sicut justis debetur laus, injustis tormentum. — At vero, secundum Anselmum, justitia est rectitudo voluntatis propter se servata. Secundum Isidorum vero, est ordo et æquitas qua homo cum unaquaque re bene ordinatur. Macrobius autem : Justitiæ, inquit, est unicuique quod suum est servare et exhibere.

Qualiter demum intelligenda sint præinducta, Thomas in secunda secundæ, quæstione quinquagesima octava, magistra-

liter docet : quod brevitati studens di- A mitto.

Insuper, quia justitia proprie respicit bonum commune, ad quod ordinat cetera bona, ideo omnium actus virtutum possunt ad justitiam pertinere, secundum quod per justitiam referuntur particulares personæ et actus earum virtuosi ad bonum communitatis. Et juxta hunc modum vocatur justitia virtus communis, non utique per prædicationem, quemadmodum genus commune est ad suas species, sed per virtualem quamdam continentiam et B influxum, in quantum imperialiter movet, disponit et refert actus aliarum virtutum ad bonum commune. Idcirco, quemadmodum caritas, quæ pro proprio objecto respicit bonum divinum, est virtus specialis quoad suam essentiam, sed generalis in quantum per imperium et influentiam ordinat ad bonum divinum aliarum actus virtutum ; sic de justitia est dicendum, secundum modum nunc tactum. Verumtamen agnoscendum, quod justitia aliquando in Scripturis tam extense accipitur, C quod quælibet virtus potest dici justitia, et quodlibet opus virtuosum potest vocari justum. Est enim quælibet virtus quædam justitia, in quantum actus ejus cadit sub præcepto, sicque agit quod debet, et per eam homo se habet sicut exigitur vel oportet. Sicque Christus sumpsit justitiam, suo loquens baptistæ : Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam, id est omnem virtutem (quod tamen Augustinus specialiter de humilitate exponit) ; et quum iterum ait : Quærite primum D regnum Dei et justitiam ejus.

Matth. III, 15.

Ibid. VI, 33.

Itaque justitia per respectum ad Deum consistit in hoc, ut ejus obediamus præceptis in omnibus cum reverentia ac diligentia debita, et ei pro viribus grati simus, imo ei nos totos offeramus ac rependamus in omni subjectione, gratiarum actione, laude et cultu nobis possibili, quemadmodum totum quod habemus, sumus, vivimus et valemus, ab ipso accepimus. Ideo ait S. Hilarius : Hoc potissime debeo Deo, ut omnes sensus mei, vires, lingua et ratio eum loquantur ac venerentur. Qui autem ad evangelica se adstrinxit consilia, aut qui aliquid Deo vovit, jam tenetur ad illa veluti ad præcepta : imo ratione professionis aut voti ad illa maxime obligatur. Unusquisque quoque tenetur satisfacere Deo pro injuriis quibus eum inhonoravit peccando. Justitia autem ad proximos est, eis facere quod quis sibi vult fieri rationabili voluntate, debita solvere, satisfacere pro offensa, alios ædificare, superioribus obedientiam reverentiamque impendere, inferioribus ac subjectis sic præesse ut superioritatis requirit officium, parentibus vicem pro posse rependere, atque unicuique loco et tempore opportuno exhibere consilium auxiliumque pro posse. Ad se ipsum vero exercere justitiam, est corpus spiritui subdere, sensualitatem sub rationis gubernaculo continere, corpori necessaria non negare, proprias culpas examinare, dijudicare, punire.

Matth. VII, 12.

Denique de dignitate justitiæ ait Philosophus quinto Ethicorum, quod sit præclarissima virtus, et quod nec Lucifer nec Hesperus tam admirabilis esse videtur. Tullius quoque libro primo de Officiis : Ex justitia, ait, præcipue viri boni vocantur, et in ea virtutis splendor est maximus. De ea etiam in libro de Civitate Dei asserit Augustinus, quod subtracta justitia, regna non sunt nisi latrocinia magna. Et alibi : Habet, inquit, justitia lucem suam, illuminat et perfundit animam sibi inhærentem ; anima autem a justitiæ luce aversa, quanto acutius quærit quid contra justitiam agat aut dicat, tanto plus obtenebratur, et in profunda falsitatum ac vitiorum demergitur.

Hinc ait Bernardus : Justitia virtus est quod suum est cuique tribuens. Tribue ergo tribus quæ sunt sua, scilicet superiori, inferiori, æquali. Superiori redde reverentiam et obedientiam ; æquali, consilium et auxilium jure fraternitatis et societatis humanæ ; inferiori, sollicitam gubernationem ; tibi ipsi, custodiam, ne pecces, et

disciplinam, ne quod peccasti, impunitum relinquas. Pertinet autem justitia præsertim ad præsidentes ac judices, ut sine personarum acceptione in omnibus juste se habeant. Et rursus ait Bernardus : Rectus et justus est ille qui ad terrena non curvatur, qui ad cœlestia ac divina totus erigitur, qui divinæ voluntati in cunctis subjicitur.

ARTICULUS XXXIV.

De prudentia et discretione.

Matth. x, 16. ESTOTE *prudentes sicut serpentes*. Inter virtutes cardinales prudentia ponitur prior ac dignior. Ipsa enim in intellectu consistit, ceterasque virtutes morales et cardinales, sive in appetitu sensitivo sive in voluntate exsistentes, illustrat, conservat ac dirigit, quemadmodum ratio voluntatem.

Denique, secundum Philosophum, prudentia est recta ratio agibilium, id est efficax notitia agendorum, et per consequens vitandorum. Ideo Augustinus : Prudentia, inquit, est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum. Quod non est intelligendum de informi ac nuda cognitione (illa etenim non est virtus), sed de cognitione formata et actuali seu practica, boni approbativa, secundum Alexandrum in Summa sua. Hinc Antisiodorensis in secunda parte Summæ suæ testatur : Duplex est judicium rationis, scilicet discretivum et definitivum. Discretivum est ipsa discretio rationis qua judicat ratio aliquid esse agendum aut non agendum ; et talis discretio non est virtus, sed aliquo modo directiva virtutis, et ad scientiam pertinet. Judicium autem definitivum est quo ratio jubet aliquid fieri aut non fieri ; et hoc ad virtutem prudentiæ spectat, cujus officium est omnia ad rationis normam dirigere. Præinductæ autem descriptioni Augustini consonat descriptio Ciceronis, dicentis : Prudentia est appetendarum fugiendarumque rerum scientia. Porro in libro de Requie mentis sic

A definitur : Prudentia est rerum bonarum cum dilectione earum, et malarum cum earum detestatione scientia. Hinc, secundum Thomam in secunda secundæ, quæstione quadragesima septima, ad prudentiam pertinet disponere de iis quæ sunt ad finem virtutum moralium, et medium invenire in eis, communem quoque considerationem applicare ad particularia et certa agenda. *art.* 6, 7.

Itaque prudentia est virtus moralis et cardinalis per quam practice cognoscimus quid sit vere moraliter bonum ac
B exercendum, quid culpabiliter malum ac fugiendum ; per quam implemus quod per Jeremiam Dominus loquitur : Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. *Jer.* xv, 19. Docet quoque prudentia quid melius, quid optimum, quid pejus, quid pessimum, et qualiter debeamus virtutes ceteras prosequi loco et tempore congruo, recta intentione et modo compendiosiori, ut sic ad uniuscujusque virtutis perfectionem ac finem citius atque salubrius pertingamus.
C Ex quibus constat quam necessaria ac salubris, quam luminosa ac utilis virtus exsistat prudentia.

Insuper, quum prudentia versetur circa contingentia operabilia, utpote circa actus humanos, in quibus consideranda sunt multa, atque in quibus multiplex contingit varietas, quam homo per se solum pensare non sufficit ; idcirco ad prudentiam pertinent memoria præteritorum, intelligentia præsentium, et providentia futurorum, docilitas quoque, per quam homo se exhibet
D informabilem a senioribus, sapientioribus et expertis. Imo, secundum Alexandrum, docilitas appellatur pars prima prudentiæ, quia per eam accedit homo primo atque præcipue ad susceptionem ac incrementum prudentiæ salutaris. Idcirco qui non est docilis, sed immansivus et pertinax, durus et prudens in oculis suis, longe omnino a vera distat prudentia, imo nec initium habet ejus. Rursus ad prudentiam pertinent circumspectio, cautio, expeditusque usus rationis ad consiliandum, et sol-

licitudo seu diligentia exsequendi bene A consiliata ac vitandi pericula, ut præcipitatio omnis vitetur, nec ficta et apparentia bona pro veris bonis accipiantur.

Amplius, quoniam ad prudentiam spectat generalem notitiam agendorum ad particularia applicare, et de iis quæ expediunt sive nociva sunt, efficaciter judicare ; ideo, teste Philosopho, in vitiosis hominibus non invenitur prudentia, sed dumtaxat in virtuosis, qui commoda sua privata non quærant, nec propriis passionibus ac peccatis inficiantur in judicando. B Ad præfatam equidem applicationem et judicationem idoneam, exigitur reformatio passionum et exstirpatio vitiorum. Hinc ad vere prudentem pertinet multa attendere, circumspectionisque oculum longe ac late extendere, atque pensare quid liceat, quid vere expediat, et quid ex quo sequi possit, nihilque agere præcipitanter aut animose, ut sit homo animal undique interius oculatum. Propter quod in Ecclesiastico scri-
Eccli. xxxii, 24. ptum est : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis ; itemque : C
Ibid. xxxvii, 20. Ante omnem actum consilium stabile præ-
I *Tim.* v, 21. cedat te. Apostolus quoque : Sine præjudicio (inquit), id est prævio judicio, nihil
Prov. xii, 5. facias. Ideo Salomon dixit : Cogitationes justorum, judicia. Et Tobias consuluit :
Tob. iv, 19. Consilium semper a sapiente perquire.

Denique, quamvis discretio sit actus prudentiæ, attamen sancti Patres frequenter discretionem pro prudentia sumunt. Sicque abbas Moyses in primo Collationum volumine, in prima sua collatione circa finem, deinde in secunda sua collatione, D pulcherrime tractat de discretione, id est prudentia, docens quod ipsa, lucerna et oculus cordis sit, in omni actu meritorio animam dirigens. Unde et sanctissimus pater Antonius fassus est, quod nulla virtus tam expedite et compendiose dirigat hominem per regiam viam ad veram perfectionem, nec ita devitet insidias hostium et omne periculum, sicut discretio, quam vocat matrem ac fontem cunctarum virtutum.

De hoc S. Bernardus sapientissime scribit : Quo zelus ferventior, eo majori opus est discretione. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit et decorem largitur. Est ergo discretio non tam virtus, quam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrix affectuum, morum doctrix et consummatio perfectionis. Tolle hanc, et virtus vitium erit. Hinc iterum protestatur : Virtus discretionis absque caritatis fervore jacet, et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Idcirco oportet ut fervor erigat discretionem, et discretio regat fervorem. Imo justitia, si desit discretio, excedit modum et gignit crudelitatem, et nimia pietas parit dissolutionem. Ideo discretio veraciter circumcidit, ne quid minus aut plus fiat. Rursus Bernardus : De discretionis (inquit) spiritu scimus quia nihil sic illum exstinguit quomodo voluntas propria (id est pertinacia), subvertens corda hominum et rationis oculos claudens : quæ docet naturæ non parcere, nec acquiescere rationi, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, nec obedire prælato.

Præterea, Seneca in libro de Quatuor virtutibus principalibus ait : Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende, et cuncta quæ possunt contingere, animo tuo propone ; nihil tibi sit subitum, sed totum ante prospicias. Nempe qui prudens est, non dicit, Non putavi hoc fieri : quia non dubitat, sed exspectat ; non suspicatur, sed cavet. Et denuo : Prudentis est examinare consilia, nec facili credulitate cito decipi ; de dubiis quoque non definire, sed suspensam tenere sententiam ; neminem fallere velle, et falli non posse. Hæc virtus stabilem efficit hominem. Hinc rursus asserit Seneca : Si prudentiam amplexaris, idem ubique eris, et prout rerum temporisque varietas exigit, ita te exhibebis.

Postremo, de discretione Climacus diffuse ac profundissime scribit, inter cetera dicens : Discretio est cognitio certa volun- Scal. parad.
tatis Dei in omni tempore, loco et re : grad. xxvi.

quam constat esse in iis tantum qui mundi sunt corde, ore et opere. Hoc tamen de discretione perfecta est intelligendum. Ponit autem Climacus tres gradus discretionis : Discretio, inquiens, in incipientibus, est vera cognitio secundum se ipsos vel sui ipsorum. In mediis vero (id est proficientibus), est intellectualis sensus sine offensione discernens proprie bonum ex naturali et contrario (id est ab indifferenti et malo). In iis autem qui perfecti sunt, est cognitio per illuminationem divinam, qua quis sui ipsius lucerna (id est illuminatione sibi concessa) valet aliis elucidare eorum obscura ac dubia. Discretio est tenebrarum lucerna, errantium a via salubris reductio, cæcitate palpantium illuminatio. Discretus est sanitatis inventor, et infirmitatis emundator. Hæc Climacus.

Hinc itaque veram in omnibus discamus et observemus discretionem, amplectamur prudentiam : quam humilitate, oratione, jejunio studeamus impetrare a Domino, et addiscere in Scripturis ac dictis Sanctorum, imo et in exemplis eorum. De qua in libro Proverbiorum suorum ait Cyrillus : Prudentia est præclarissima ars vivendi cum simplicitate et innocentia. Unde oportet semper addiscere, et in extremis horis fundum sapientiæ desiderabilius indagare. Finis namque prudentis sapientia est. Ideo quanto ei efficimur viciniores, tanto eam avidius affectemus et amplectamur : quia in ea non proficere, est ab ea deficere.

ARTICULUS XXXV.

De liberalitate et ejus præconio.

Matth. VI, 20.

THESAURIZATE *vobis thesauros in cœlo.* Liberalitas est virtus moralis concupiscentiam et amorem pecuniarum et exteriorum divitiarum refrenans ac moderans : per quam virtutem homo bene utitur ipsis divitiis, non eas avariter congregando aut reservando, sed rationabiliter expendendo tam in proprios et sibi attinentium usus, quam in aliorum subventionem per puram earum communica-

A tionem seu irreddibilem dationem, atque in Dei honorem et sui cultus promotionem ac sustentationem ministrorum Ecclesiæ.

Itaque liberalitas medium tenet inter duo vitia extrema sibi contraria, quæ sunt, avaritia, de qua dictum est supra, et prodigalitas, quæ circa divitias valde modicam habet curam, et eas inutiliter irrationabiliterque dispergit, effundit, consumit, quum tamen bona exteriora sint, tanquam beneficia Dei, moderate amanda, conservanda et expendenda, nisi propter Deum B amore spiritualis perfectionis totaliter contemnantur ac pariter dimittantur. Porro qui manet in statu conversationeque sæculari, habere se debet sicut ad suam spectat vocationem ; et præsertim qui sobolem habent, non debent suas possessiones prodigaliter aut gulose expendere : imo, si faciant hæc, peccant enormiter.

lib. I, art. XXXI et s.

Denique, quam vituperanda sunt vitia ista liberalitati opposita, tam præclara et commendanda virtus est liberalitas ipsa. Hinc primo Rhetoricæ ait Philosophus : C Qui fortes et justi sunt, maxime honorantur, quia reipublicæ sunt præcipue utiles : nam fortes in præliis eam tuentur, et justi in pace bene disponunt eamdem. Post eos vero liberales potissime honorantur. Sed et Boetius protestatur : Liberalitas facit homines præcipue claros. Aristoteles quoque fatetur, quod liberales inter virtuosos præsertim amantur. Liberalitas quippe sua communicabilitate et beneficentia reddit hominem cunctis amabilem et acceptum. Unde, secundum Ambrosium primo de Of- D ficiis, quamvis justitia sit liberalitate sublimior, liberalitas tamen est gratior. Insuper libro de Officiis multa de liberalitate scribit Ambrosius : Perfecta, inquiens, liberalitas est in qua opus ejus silentio tegitur et necessitatibus aliorum occulte succurritur, quam laudat os pauperis, non propria lingua. Est et illa liberalitas commendanda, ut proximos seminis tui non despicias. Melius enim est ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab alienis subsidium postulare. Non autem vult Do-

De Consolat. lib. II, pros. 5.

minus opes simul effundi, sed dispensari : A
III Reg. xix, 21. nisi forte ut Eliseus fecit, hoc fiat, qui boves suos occidit et pauperes pavit, ut nulla teneretur cura domestica.

Hinc ait Gregorius : In ipsa liberalitate modus adhibendus est rerum ac personarum : rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur ; et personarum, ut primo justis subveniatur. Non est etiam datio nimis procrastinanda ; imo Cassiodorus ait : Melius est rem negare, quam longos terminos dare, quia minus decipitur, cui celeriter denegatur. Res autem ad B multam instantiam data, care videtur empta : ideo donum est gratius quod tribuitur ante preces.

Postremo, S. Cyrillus præsul in suis ait Proverbiis : Pauper effectus est, qui cupiditate plus sitit : depauperat namque avara voluntas. Re qua bene utimur, hanc habemus : nam fossus humi census non est hominis, sed telluris. Ideo, dum ad usum bonum opes proficiunt, tunc habentur. Usus autem usque ad competentiæ fines est extendendus. Porro qui dat ut re- C cipiat, venditor est, non dator, idcirco nec liberalis : siquidem liberalis sua non commutat, sed donat. Donare autem est tantum gratia virtutis impendere. Qui autem alienum desiderat dando, nequaquam liberaliter tribuit, sed serviliter vendit. Sic impendendo vere liberalis post datum abscondit faciem, fugit laudem, nullam repetit exteriorem mercedem.

ARTICULUS XXXVI.

Quod obedientia ad omnem Christianum spectet præcipue.

Rom. xiii, 1. *OMNIS anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Quantum omnis Christifidelis suis teneatur ac debeat superioribus obedire, Christus per se ipsum verbo ac opere demonstravit ac docuit. Ipse etenim
Philipp. ii, 8. factus est obediens Patri usque ad mortem, imo inclusive usque ad acerbissimam ac ignominiosissimam mortem crucis. Ipse
Joann. vi, 38. quoque in Evangelio protestatur : Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me ; et rursus : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Joann. xiv, 31. Itaque qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. I Joann. ii, 6. Nam et Christus fatetur : Nemo venit ad Patrem nisi per me ; Joann. xiv, 6. itemque : Qui mihi ministrat, me sequatur. Ibid. xii. 26. Et rursus loquitur : Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Ibid. xv, 10.

Denique Deus vult, jubet et exigit ut non solum obediamus ei immediate ac divinis præceptis, sed et vicariis ejus, omnique homini qui jurisdictionem aliquam super nos habet, ita quod unusquisque obedire cuilibet suo superiori tenetur in iis quæ cathedram superioris concernunt, seu ad ejus pertinent jurisdictionem. Sicque hominibus obedire, et juri positivo, sacris canonibus ac decretis Ecclesiæ, virtualiter continetur in divinis præceptis, estque obedire eisdem. Imo formaliter et expresse Deus præcepit obedire cuilibet superiori in his quæ suæ superioritatis mensuram terminumque respiciunt. Hinc Deo est in omnibus absolute obediendum, deinde Romano Pontifici plus quam alicui præsidenti inferiori. Unusquisque quoque suo prælato ac principi proprio in pertinentibus ad illorum primatum obedire tenetur, ita ut milites obediant principi militiæ in pertinentibus ad bellum, servi et ancillæ dominis dominabusque suis in exsecutione servilium operum et obsequiorum ad quæ
D conducuntur aut assumuntur, filii et filiæ suis parentibus in pertinentibus ad educationem, disciplinam et curam domesticam, religiosi quoque Patribus suis in his quæ in eorum regula aut statutis per modum continentur præcepti, parochiani vero suis plebanis et eorum vicariis in spiritualibus et ecclesiasticis rebus ad eorum vocationem spectantibus. Verumtamen nulli horum est obediendum in his quæ evidenter contrariantur præceptis evangelicæ legis.

Præterea, cur tam ordinate, prompte et caritative sit cunctis superioribus obediendum, docet Apostolus Romanos, præallegatis verbis adjiciendo [*Rom.* XIII, 1, 2.] : Non est enim potestas (id est auctoritas, superioritas sive prælatio) nisi a Deo ; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt : itaque qui resistit potestati (hoc est suo superiori), Dei ordinationi resistit. Quod quam mortale sit atque damnabile, subdit Apostolus, dicens : Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. At vero quam prompte, reverenter ac amorose debeant Christiani obedire suis superioribus fidelibus, præsertim prælatis, et item parentibus, constat ex eo quod sacratissimi apostoli Petrus et Paulus in suis Epistolis tam ubertim ac seriose præceperunt fidelibus, ut etiam infidelibus [I *Petr.* II, 18; *Ephes.* VI, 5.] dominis suis cum omni timore, utique filiali, vel saltem initiali, sint subjecti ac servientes fideliter et sincere.

Præterea, objectum obedientiæ est præceptum superioris expressum vel tacitum, dummodo innotescat. Etenim superioris præceptiva voluntas, qualitercumque pateat, vim præcepti obtinet ; et tanto obedientia promptior perfectiorque consistit, quo amplius prævenit expressum præsidentis præceptum.

Hanc virtutem sacra Scriptura et sancti Patres vehementissime laudant, summe extollunt, atque ad eam copiosissime exhortantur. Nempe in Proverbiis Salomon ait [*Prov.* I, 8.] : Audi, fili mi, disciplinam patris tui ; et iterum [*Ibid.* XV, 28.] : Mens justi meditatur obedientiam. Et alibi [*Eccle.* IV, 17.] : Melior est (inquit) obedientia quam victimæ ; et, Qui custodit [*Ibid.* VIII, 5.] præceptum, non experietur quidquam mali. Præterea primo Regum Samuel propheta breviter docet quam virtuosum sit obedire, et quam iniquum sit inobedientem exsistere [I *Reg.* XV, 22, 23.] : Melior (inquiens) est obedientia quam victimæ, et auscultare magis quam offerre adipem arietum : quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare ; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.

Hinc prædicator verbi cœlestis sapienter, frequenter ac fervide debet populum [A] instruere, exhortari et inflammare, quatenus in cunctis juxta prætacta superioribus suis obediant, non ex servili timore aut compulsione, neque cum murmuratione aut indignatione, sed prompte, ex Dei amore ac zelo justitiæ, cum omni fidelitate, patientia et humilitate : quia sic obediendo, ineffabiliter promerentur apud Altissimum et complacent Deo, imo talis eorum servitus atque subjectio est purgatorium eorumdem. Si autem ita non egerint, sed vel rebelles exstiterint, aut cum murmuratione, [B] infidelitate seu irreverentia injuncta sibi compleverint, graviter peccant et pereunt.

Præterea, qui aliis præsunt, et sibi obediri servirique volunt, jugiter pensent quam intolerabile eis instet judicium apud Judicem summum, nisi et ipsi in primis Deo, deinde et superioribus suis cum debita reverentia, corde fideli obediant : quia, ut asserit Augustinus, nihil iniquius est, quam ut quis velit sibi a suis inferioribus obtemperari, et tamen ipse non curet nec satagat suis superioribus obedire. [C] Quum igitur Deus omnipotens sit cunctis superioribus infinite præstantior ac honorabilior, inexcusabiliter damnabiles sunt, qui cupiunt et requirunt sibi ab hominibus reverentiam obedientiamque impendi, et tamen negligentes ac desides sunt suo Creatori cum timore ac reverentia deservire. Imo tales excæcati et miseri se ipsos videntur Deo præferre, et magis se reputare quam Deum, suntque Deo prorsus ingrati ac infideles. De quibus prædixit Apostolus : Erunt homines amantes se [II *Tim.* III, 2, 4.] [D] ipsos, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei.

ARTICULUS XXXVII.

De observantia Decalogi, et specialiter de celebratione diei dominicæ et dierum festorum, et quæ opera exsistant tunc licita.

INTERROGATE *quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.* [*Jer.* VI, 16.] Duplicem viam pertin-

gendi ad æternam salutem docuit in Evangelio Christus. Una est via præceptorum, quæ omnibus est communis, et sine qua nulli est salus, juxta quod ait Salvator : Si vis intrare ad vitam, serva mandata. Alia est via consiliorum, ad religiosos specialiter pertinens. Sunt autem decem mandata Dei, quæ sunt de naturalis dictamine rationis, et per Moysen renovata dicuntur, ac approbata per Christum. De quorum explanatione et observantia nunc aliquid scriberem, nisi in opusculis aliis, præsertim in libro de Regimine curatorum, in libello quoque de Laudabili vita conjugatorum, inde scripsissem. Verumtamen de observatione sabbati, id est, quæ opera sint diebus festivis illicita, et quæ licita, nunc aliqua sunt addenda : præsertim quoniam vir religiosus cujus intuitu et amore ista scribuntur, instanter rogavit de hoc plenius aliqua introduci.

Matth. xix, 17.

Exod. xx, 3-17; *Deut.* v, 7-21; *Matth.* v, 21 et seq.

Itaque in Decreto, de Consecratione, distinctione 3, dicitur ex concilio Lugdunensi : Omnem diem dominicam a vespera usque ad vesperam, omnes sciant esse feriandam, id est celebrandam. Porro quod ex isto continetur concilio, « a vespera usque ad vesperam », intelligendum est (ut infra tangetur) quantum ad divinum Officium. Nam sabbato licitum est operari etiam post vesperam : non tamen post mediam noctem, quia ab illa incipit dies sequens, qui totus est celebris. — Deinde dicitur in Decreto ex concilio Toletano : Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per Sanctorum solennitates agere consuevit, quia dum divina Officia deberent attendere, turpibus saltationibus invigilant, non solum cantica mala canentes, sed et religiosorum (id est devotorum seu clericorum) Officiis perstrepentes. — Ait quoque S. Gregorius, et in præallegata Decreti distinctione habetur : Pervenit ad me, quosdam perversi spiritus homines inter vos seminasse prava aliqua et fidei sanctæ contraria, ita ut in die sabbati aliquid operari, illicitum perhiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerim? qui veniens, diem sabbati atque dominicum faciet ab omni opere custodiri (id est celebrari). Nam quia simulabit se mori ac resurgere, diem dominicum celebrari jubebit; et quia populum judaizare compellet, ut exteriorem legis ritum revocet et perfidos sibi Judæos subdat, sabbatum coli præcipiet. Aliud quoque ad me perlatum est, videlicet a perversis hominibus vobis esse prædicatum ut dominico die nullus debeat lavari. Et quidem, si pro luxuria et pro voluptate appetit quis lavari, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate est, hoc nec die dominico fieri prohibemus.

cap. 1.

De Consecr. dist. III, c. 2.

cap. 12.

Insuper Origenes : Hæc est, inquit, observatio sabbati christiani, si desinas ab omnibus sæcularibus operibus, et nihil hujusmodi geras, sed spiritualibus operibus vaces, ad ecclesiam convenias, lectionibus divinis aurem præbeas, de cœlestibus cogites, de futura spe sollicitudinem geras, venturum judicium præ oculis habeas, nec respicias ad visibilia et præsentia. Ecce hæc agere, est diem dominicum et festivum veraciter celebrare. His concordat quod ait S. Gregorius : Dominico die a labore terreno cessandum est, ut quidquid negligentiæ per sex dies incurritur, die dominico precibus expietur.

At vero contra eos qui in festivitatibus Sanctorum vivunt gulosius, ait S. Hieronymus : Valde absurdum est, nimia saturitate velle martyrem honorare, quem scimus Deo per jejunia placuisse. Ideo Augustinus testatur : Toties dies Sanctorum natalitios celebramus, quoties virtutes eorum recolimus quibus claruerunt in terris ; ita ut totum ad illius gloriam referamus, a quo Sancti habuerunt quidquid virtuose egerunt. Qui ergo Sanctorum virtutes in eorum festis non recolunt nec sequuntur, eorum festa non celebrare monstrantur.

Præterea, de ista materia scribit Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima vicesima secunda : In observantia sabbati (id est diei festivi) duo conside-

art. 4 ad 3um.

rantur : quorum unum est finale ac principale, videlicet Deo vacare ; quod insinuatur quum Dominus ait per Moysen in Exodo : Memento ut diem sabbati sanctifices, id est, in sanctis et virtuosis operibus expendas. Illa namque sanctificari dicuntur, quæ divino cultui applicantur aut deputantur. Aliud est cessatio operum, non quorumcumque, sed servilium. Nam in Levitico præceptum istud quasi exponitur, quo habetur : Omne opus servile non facietis in eo. Opera autem servilia sunt triplicia, secundum quod triplex est servitus. Prima quippe est servitus culpæ : quæ servitus opponitur libertati virtutis et gratiæ. Unde hæc servitus non est aliud quam conversatio prava seu actio vitiosa, qua homo male agendo aut negligenter se habendo, servit peccato aut subditur culpæ. Hinc ait Salvator : Qui facit peccatum, servus est peccati. Sicque omnia opera prava sunt opera servilia. Et ista potissime sunt illicita diebus festivis, quia directe impediunt actus quibus Deo vacatur. Secunda est servitus qua homo homini servit : quæ servitus est quantum ad corpus, non quantum ad mentem, quia (ut Seneca loquitur) corpora servituti obnoxia sunt, mens libera manet. Sicque opera corporalia dicuntur servilia. Quorum quædam diebus festivis non licent. Operum namque hoc modo servilium quædam conveniunt solis servis, sicut arare et texere, et communiter opera mechanica : et ista secundum legem communem prohibentur in festis. Alia vero sunt communia servis ac liberis, utputa sibi de necessariis providere, damna et mortis pericula devitare, vitam corporalem protegere. Hinc quoque in veteri Testamento licuit sabbatis manducare et bibere, pecora a præsepio solvere et adaquare, contra impugnantes pugnare, sicut Machabæi fecisse leguntur. Similiter Elias non peccavit fugiendo a facie Jezabel : in qua fuga ambulavit etiam sabbato plus quam lex admisit, sed præfata necessitas eum excusat. Hinc et Christus excusavit suos

Exod. xx, 8. — *Lev.* xxIII; *Num.* xxvIII, xxIx. — *Joann.* vIII, 34. — *Luc.* xIII, 15. — I *Mach.* II, 41. — III *Reg.* xIx, 8. — *Matth.* xII, 3-8.

A discipulos de hoc quod spicas sabbato colligebant, quia ex famis necessitate hoc faciebant. Conformiter opus corporale necessarium pro corporis sanatione aut conservanda sanitate, licet festis diebus, ut infirmis mederi. Tertia est servitus virtutis ac latriæ, qua Deo servitur : et servitus ista non est in festis prohibita, sed jussa et frequentanda. Hinc et in veteri Testamento licuit sabbato circumcidere hominem, et ministeria Dei in templo explere, ac circumducere arcam per circui- B tum Jericho. In novo quoque Testamento actus docendi verbo aut scripto, est licitus. Hæc sententialiter Thomas.

Joann. vII, 22, 23. *Matth.* xII, 5. *Josue* vI, 3 et seq.

Qui iterum ait loco præallegato : Dies dominica in evangelica lege succedit sabbato Judæorum, non ex Dei præcepto, sed ex institutione Ecclesiæ et consuetudine populi christiani : idcirco operatio corporalis in sabbato seu in festis, non est tam districte prohibita in nova lege sicut in veteri, sed quædam nunc licent quæ tunc erant prohibita, ut præparatio cibi, am- C bulatio, et consimilia. Facilius demum nunc dispensatur cum observantia sabbati quam tunc, quoniam observantia sabbati non est jam figuralis, sicut tunc fuit.

ad 4um.

Ex præinductis concluditur, quod detestabilius violant dies festivos, qui in eis intenti sunt comessationibus, potationibus, scurrilitatibus, ludis ac jocis prohibitis, loquacitatibus criminosis, choreis, et consimilibus vanitatibus, aut spectaculis vetitis, aut consimilibus vitiis, quam si opera mechanica exercerent. Propter quod D asserit Augustinus : Melius (id est minus malum) esset die sabbati seu festivo agrum colere, quam seditioni insistere ; et nere, quam chorizare.

Ideo graviter peccant, qui in festis otiis et verbositatibus et immoderatis potationibus vacant, præsertim qui tunc rixantur, jurant aut pugnant ; item qui tunc desiderio lucri ludunt, aut ludendo fraudem committunt, aut instrumenta ludorum tunc vendunt ; illi quoque qui tunc immoderate se occupant circa delicata et

crapulosa convivia, circa pomposum aut curiosum vestitum, circa exteriorem ornatum superfluum ; et qui pergunt ad loca dedicationum non ex devotione, sed vanitate, ad intuendum aut exercendum ibi inania, nova aut curiosa ; et qui tunc emunt aut vendunt monilia. Hinc S. Bernardus in Christi loquens persona, inquit: Quid tanta ambitione ciborum delicias paras in mea nativitate? Damno ego carnis delectamenta, non approbo. Cur tam immoderate vestium gloriam quæris? Damno ego superbiam, non amplector.

ARTICULUS XXXVIII.

De eadem materia ex domino Bonaventura.

Exod. XXXI, 12, 13. DIXIT *Dominus ad Moysen : Videte ut sabbatum meum custodiatis.* Super tertium Sententiarum, distinctione tricesima septima, scribit doctor egregius ac devotus, dominus Bonaventura : Quæritur a quibus operibus sit cessandum diebus dominicis atque solennibus. Deinde inter cetera dicit : In mandato sabbati erat duo considerare, videlicet : cessationem ab opere servili, ut homo libere Deo vacaret et intenderet ; aliud erat ibi considerare, videlicet determinationem diei et operum exteriorum a quibus erat cessandum. Quantum ad primum, mandatum de sabbato erat morale. Hoc namque Deus semper exegit ab homine, ut homo sibi cordis habitaculum præpararet, atque interdum vacaret et per dilectionem adhæreret eidem. Et quoad hoc, præceptum illud fuit non solum morale, sed et quodammodo contulit ad omnium aliorum moralium præceptorum integram observationem : quia dum homo vacat Deo, melius cognoscit quid sit agendum, quid non.
Ibid. XX, 8. Idcirco huic præcepto præmittitur, Memento : quia in ejus memoratione alia quodammodo memorantur. Sed quantum ad aliud, scilicet diei certam designationem ac operis determinationem, fuit cærimoniale ac figurale, designans a quo esset cessandum, utpote ab opere peccati, et quid credendum ac exspectandum, quia signabat quietem Christi in monumento, et Beatorum quietem in patria. Idcirco istud mandatum ceteris frequentius in lege repetitur. Unde aliquando nominatur inter moralia, interdum inter cærimonialia : et in quantum fuit cærimoniale, est evacuatum ; in quantum vero morale, manet in nova lege. *Lev.* XXIII ; *Num.* XXVIII, XXIX ; etc.

Porro observantia diei dominicæ et aliarum solennitatum, alia de causa est introducta in evangelica lege, utpote : in memoriam beneficii redemptionis humanæ, et in præfigurationem resurrectionis futuræ, atque in remedium * erroris gentilium, qui diem illam in reverentiam solis venerabantur. Propter quod ordinavit Ecclesia ut in Dei honorem sit celebris, quatenus populus christianus tunc specialiter vacet cultui Dei, et illa prætermittat negotia quæ animam distrahunt ne Deo intendat. Ideo opera talia tunc specialiter ab Ecclesia prohibentur ; et talia dicuntur opera servilia : maxime illa in quibus homo inhiat lucris terrenis, et quæ sunt præter necessaria, per quæ homo præcipue occupatur circa hæc inferiora. Nec tantum hujusmodi opera prohibentur, imo magis ac diligentius opera carnalia, ut ebrietates, lites et jurgia. Et hoc est quod dicit Augustinus in libro de Decem chordis : Dicitur tibi ut spiritualiter observes sabbatum, non sicut observant Judæi, carnali otio. Vacare etenim volunt ad nugas et luxurias suas. Melius quippe faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam in theatris seditioni insisteret ; et melius feminæ eorum in die sabbati lanam filarent tractarentque, quam tota die impudice saltarent. Hoc autem dicit Augustinus, non quod diebus festivis cessandum non sit a negotiis actuum exteriorum, sed quoniam sacerdotes et prælati, quorum est hujusmodi festa indicere, et determinare qualiter ab exteriori opere sit cessandum, magis debent populum revocare ab iis quæ

*amotionem

majorem præbent peccandi occasionem, aut magis culpabilia sunt. Unde propter vitandum otium et ineptum solatium, asserit Augustinus quod potius exercere se debeant in operibus pietatis et misericordiæ, quam negotiis inordinatis ac lascivis intendere. — Hæc Bonaventura. Ex quibus elici potest a quibus operibus sit cessandum diebus festivis : quod tamen ex sequenti articulo patebit distinctius.

ARTICULUS XXXIX.

De eadem materia ex Summa Durandi.

Is. LVIII, 13, 14. *SI averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem; tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ,* dicit Dominus. In his verbis edocet beatissimus Isaias quid sit vere ac spiritualiter diem agere sabbatorum. Scribæ etenim et Pharisæi male intellexerunt præceptum de sabbati sanctificatione collatum : ideo sæpe reprehenderunt Christum et ejus discipulos de sabbati violatione, sicut et Thomas in secunda secundæ testatur. Itaque in iis verbis vera intelligentia illius præcepti insinuatur, dum dicitur : « Si averteris a sabbato pedem tuum », id est, si in die sabbati vitaveris processum ad opus iniquum. Unde consequenter Isaias quasi exponendo hæc verba, subjungit, in Dei loquens persona : « Facere voluntatem tuam in die sancto meo », hoc est, si in die sabbati mihi sanctificato et meo cultui deputato, vitaveris agere quod tuæ propriæ ac perversæ complacet voluntati ; « et vocaveris sabbatum delicatum », id est, bene agendo advocaveris ac desideraveris dignum ac nobile sabbatum, ita ut dedigneris in eo perpetrare opera vilia atque servilia, id est peccata, quemadmodum delicata virgo opera turpia tangere dedignatur, « et glorificaveris eum », id est, Deum debite honoraveris, « dum non facis vias tuas », id est prava desideria propriæ voluntatis, « et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem », hoc est, secundum propriam voluntatem nihil locutus fueris : « tunc delectaberis super Domino », id est, spiritualiter gaudebis in Deo, non in confabulationibus, otiositatibus et choreis vanitatibusque similibus, « et sustollam te super altitudines terræ », hoc est, in beatifica regione vivorum et patria Beatorum te ponam. Iste est verus de sanctificatione sabbati intellectus. Quo constat quam virtuose expendendi sint dies festivi, quod item multo iniquius sit tunc vanitatibus lasciviisque insistere, quam temporibus ceteris.

(*Matth.* XII, 1, 2; *Luc.* XIII, 14; *Joann.* VII, 23; IX, 14, 16. — q. CXXII, a. 4.)

Denique, de materia ista Durandus qui fuit Ordinis S. Francisci, scribit in Summa sua, inter cetera dicens : Primo considerandum est quid sit feria, et unde dicatur. Respondetur : Feriæ dicuntur a foro, quasi foriæ, secundum Raimundum : quia in eis vacandum est ab iis quæ fieri solent in foro. Vel dicuntur feriæ quasi festivæ : unde dies dicitur feriata, quando est festiva. Hinc S. Apollonius ait : Die dominica nihil aliud est agendum nisi Deo vacandum ; nulla operatio in die illa sancta agatur, sed tantum in hymnis et psalmis ac canticis spiritualibus dies illa transigatur. De Consecratione, distinctione 3, capitulo *Jejunia.* Ubi et Leo Papa testatur : cap. 16. Hæc dies tantis est divinarum dispensationum mysteriis consecrata, ut quidquid a Domino insigne in terris est constitutum, in hac die digne sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, et in ea per Christi resurrectionem mors interitum et vita sumpsit exordium.

(Decret. p. I, dist. 76, c. 5.)

A quibus operibus est cessandum in festis ? Responsio : Abstinendum est in eis ab operibus servilibus, ut spiritus possit libere Deo vacare. Opus autem servile vocatur tripliciter. Primo, a servitute culpæ. Et de operibus sic servilibus summe tunc cessandum est. — Secundo, a servitute fortunæ, ut opera mechanica : quo-

niam talia olim fiebant a servis, ut in A Politicis ait Philosophus. Ab his tunc abstinendum est, nisi necessitas vel pietas aliud inducat. — Vel a servitute naturæ, sicut quodlibet opus laboriosum, ut itineratio. Tale autem opus aut libertatem spiritus non impedit, ut modica itineratio. Hæc non nocet : quemadmodum in molendinis quæ moventur vento vel aqua ; secus in aliis molendinis. Aut multum impedit. Aut ergo opus illud suadet necessitas, aut pietas, aut mera voluntas. Si necessitas, sic non nocet : ut B quum hostes nos impugnant, necesse habemus nos defendere; vel quum nuntius se offert qui mox recessurus est, potest quis scribere litteras ; vel quando quis scribit sermonem qui de mane debet prædicari ; vel dum quis messem inducit aut haleca capit, propter necessitatem aut propter damnum vitandum. Hæc non sunt illicita, nisi in præcipuis festis : ita tamen quod eleemosynam dent et Missam audiant qui talia faciunt. Idem est de aurigis, qui in via positi, proficisci possunt (dummodo C eleemosynam dent et Missam audiant), præterquam in præcipuis festis. Item minutores et fabri non peccant, si hæc faciant propter necessitatem magis quam propter lucrum. Aut opus illud suadet pietas, ut quum quis laborat in agro pauperis propter Deum, vel quum quis vadit ad prædicandum : quia necessitas et pietas æquiparantur (*extra* de Feriis, capitulo ultimo). Aut opus illud suadet mera voluntas. Sic non est licitum.

Decretal. lib. II, tit. 9, c. 5.

Generaliter nota, quandocumque neces- D sitas aut pietas aliud exigit, non sunt feriandi hi dies (*extra* de Feriis, capitulo *Conquestus*). Unde et Papa indulget diebus dominicis piscari et diebus festivis (præterquam in majoribus solennitatibus), quando congruum tempus est ad capiendum haleca, ita tamen quod post factam capturam congruam faciant portionem Ecclesiis circumpositis atque pauperibus Christianis. Hoc, secundum Guillelmum, potius limitandum est ad arbitrium boni viri, quam

Ibidem.

per doctrinam aliquam generalem. Credo etiam, quod si jacentibus segetibus in agris aut fœnis in pratis, immineat tempestas aut pluvia quæ corrumpat aut deterioret ea multum, non sint prohibendi domini rerum illarum eas removere et periculum præcavere. Carnifices etiam et pincernæ qui in diebus festis præparant ea quæ debent vendere crastino in mercatu vel in stationibus suis, et ceteri qui præparant victualia in diebus festivis, si die præcedenti non poterant commode præparare aut præparata servare sine periculo, non credo quod peccent. Illi autem qui a dominis suis compelluntur in festis laborare, si justo metu inducti hoc faciunt, videntur per necessitatem posse excusari. Qui vero quum debeant vecturam bladorum dominis suis afferre, afferunt eam diebus feriatis, id est festivis, ut reliquis diebus possint liberius consuetis ac propriis vacare laboribus, non sunt excusabiles, nisi forte arcta necessitas eos ad hoc compellat. Credo etiam, quod non liceat scholaribus multum scribere de quaterno in quaternum in festis. Lectiones tamen suas quas sine scriptura non possunt commendare memoriæ, quas stilo vel plumbo notaverunt, credo quod possint tunc scribere, et lectiones librorum quos audierunt, corrigere. Locare autem aut conducere operas suas aut alienas propter corrigendos libros non debent. Aggravat etiam hoc Guillelmus in personis regularium et sacerdotum, qui absque urgente necessitate diebus dominicis quadrigant et hujusmodi faciunt, quia exemplo suo alios corrumpunt. Qui autem in vigiliis festivitatum mittunt equos ad afferendum necessaria in die festo, si ea quæ afferunt, sunt necessaria in ipso die, ita quod sine illis non possunt transigere diem illum, nec ante poterant super his afferendis sibi providere, excusari possunt propter necessitatem, alias non, maxime si hoc faciant ut vehicula sua et jumenta libere habeant ad quotidiana opera exercenda. Per talem quoque necessitatem ex-

cusari credo vectores mercium ad nundinas vel ad loca remota, et vinorum quæ transportantur ad loca remota, dum sine gravi incommodo non possunt in festis vacare a transeundo vel quadrigando. De barbitariis autem, minutariis, et vectoribus peregrinorum in vehiculis suis et jumentis, et de ferratoribus equorum, credo quod possint excusari, si in festis hæc faciant principaliter propter necessitatem eorum quibus hujusmodi operas impendunt; si autem principaliter propter quæstum et cupiditatem, non video quod excusentur. Qui vero tunc faciunt radi barbas suas aut equos ferrari, quum non poterant sibi providere super his ante, credo quod sint excusabiles. Non videtur verum, nisi sit grande periculum in differendo. Viatores etiam cursores non audeo condemnare si hæc sic faciant in festis, maxime quum et in lege licuit ire in sabbato, licet non ultra mille passus, quod appellabatur iter sabbati, ut patet in Actibus. (*Act.* I, 12.) Item quando instat necessitas operandi, dispensare potest episcopus, quando commode potest adiri : alias credo quod sufficit dispensatio simplicis sacerdotis. Imo tanta posset esse necessitas tamque notoria, quod auctoritate propria posset hoc fieri.

Quando debemus festum incipere, et quando terminare? Responsio : Licet regulariter dicatur a vespera in vesperam, *extra* de Feriis, capitulo *Omnes;* (Decretal. lib. II, tit. 9, c. 1.) tamen initium et finis festorum juxta eorum qualitatem et diversarum regionum consuetudines debent considerari, et sicut dierum magnitudo exigit celebrari, sicque prius incipere et tardius debere finiri vera ratione videatur (*extra* de Feriis, capitulo *Quoniam*). (Ibid. c. 2.)

Porro de his qui diebus dominicis aut festivis arant pauperum agros, vel ad ecclesiæ opus laborant quadrigando vel alio modo, non credo quod liceat diebus dominicis, et præcipue in majoribus solennitatibus. De ceteris autem festivitatibus et diebus feriarum Paschæ et Pentecostes, quoad hoc, credo quod liceat sequi A consuetudinem regionis, quam scit episcopus loci nec reprobat. Si autem dubitetur an episcopus talia sciat atque sustineat, recurrere debet sacerdos ad episcopum loci, ut super hoc certificetur ab eo. Ad hoc autem quod talia licite sustineantur aut licite fiant, oportet ut laborantes a tali revocentur labore ad interessendum divinis quæ tenentur audire, et quod talia fiant principaliter propter Deum, non ex affectu carnali, nec spe remunerationis terrenæ, sive in pastu hominum B laborantium seu animalium, et quod necessitas pauperis cui hæc fiunt, hoc videatur exigere. In præcipuis autem festivitatibus, credo quod si hoc non sit prohibitum vel consuetudini loci contrarium, liceat aliquid operari circa ædificationem ecclesiarum et sacrorum locorum, et circa ædificationem ad opus ministrorum ecclesiæ pauperum, præsertim illorum qui redditus non habent, ita tamen quod labor talis non perveniat ad magnam fatigationem et tædium ac diuturnitatem la- C borandi, nec propter laborem hujusmodi omittant Missam audire : quia non debent dimittere id ad quod tenentur, propter illud ad quod non tenentur.

Utrum post celebrationem divinorum liceat laborare? Et quid de modicis operibus? Responsio : Illi qui volunt se excusare de hoc quod laborant in festis post celebrationem divinorum per hoc quod audierunt divina, quærunt excusationem in peccatis, (*Ps.* CXL, 4.) quum ante et postea debeant vacare a talibus. Non tamen propter mo- D dicum opus peccant mortaliter : ut si quis transiens per vineam suam aut agrum, aliquid purget aut reparet quod per incuriam mansit incultum aut incompletum. Sed quantum laboris aut operis possit quis tunc facere sine peccato, non est determinatum, sed boni viri arbitrio committendum, secundum Guillelmum.

An in die dominica possumus balneari? Responsio : Balneari pro luxuria et voluptate nulla die conceditur. Sicque prohibentur balnea voluptuosa seu ad carna-

lem oblectationem ordinata. Unde prohi- A betur viro balneari cum mulieribus : et si balneatur cum muliere extranea, privatur datione ad nuptias; si mulier cum vi- Cod. lib. v, tit. 17, l. 11 § 2. ro extraneo, perdit dotem (titulo *De repudiis* in fine). Item prohibetur balneatori tunc ne conducat mulieres ad custodiendum vestes balneatorum ; si contra fece- Dig. lib. iii, tit. 2, l. 4 § 2. rit, fit infamis (ff. de his qui notantur infamia, l. Athletas). Balneari autem pro corporis necessitate, nulla die prohibetur, etiam nec die dominica.

An peccant qui vendunt aut mercantur B in festis? Responsio : Aut mercantur ea quæ ad festum sunt necessaria, scilicet pullos, carnes, vinum, sic non peccant. Aut mercantur alia. Vel ergo hoc faciunt ex necessitate, aut quia hoc non potest alias adeo commode fieri, sic non peccant ; aut ex cupiditate lucrandi seu avaritia, sic peccant. Hæc responsio. Item religiosos cursitantes in festis sine necessitate non audeo excusare a mortali : secus si hoc faciant ex pietate, sicut dum transeunt ad infirmum vel ad prædicandum ; C aut ex necessitate, puta dum in via positi, deficiunt in expensis, tunc proficisci possunt (ita quod audiant Missam), exceptis præcipuis festivitatibus. — Hæc Durandus : qui in eodem loco multa conscribit, quibus festis aut feriis possit citatio fieri aut renuntiatio juris.

ARTICULUS XL.

De eodem ex aliorum dictis doctorum. D

Lev. xix, 30. SABBATA *mea custodite*. Super tertium, distinctione tricesima septima, scribit Petrus de Tarantasia : Observantia sabbati res fuit et signum. In quantum est signum, sic accipitur in sensu spirituali. Sicque triplex fuit causa suæ institutionis : una allegorica, ad significandum videlicet requiem Christi in sepulcro ; altera tropologica, ad significandum requiem animarum in Deo a vitiis ; tertia anagogica, ad designandum requiem Beatorum in cœlo. In quantum est res, accipitur in sensu litterali, et continet tria, videlicet : sanctificationem, id est vacationem ab impedimentis divini cultus ; modum quoque sanctificationis, utpote vacationem specialiter ab operibus servilibus ; et diei determinationem, scilicet septimæ, quæ sabbatum appellatur. Sicque habuit triplicem suæ institutionis causam. Prima est simpliciter moralis, quia aliquando debet homo cultui vacare divino. Secunda fuit moralis quantum ad eos quibus specialiter datum est, puta Judæos, qui erant avari, ut aliquam darent quietem suis servis atque jumentis. Tertia fuit moralis simpliciter quoad eos qui erant ad idololatriam proni, ut habeant in memoria sex diebus mundum esse creatum a Deo, et ita eum dumtaxat adorent et colant.

Insuper Thomas de Argentina : Hoc, inquit, præceptum tripliciter accipi potest. Primo, generaliter, ut cessemus a vitiis. Secundo, specialiter, ut cessemus ab operibus corporalibus quæ impediunt vacationem ad Deum. Tertio, specialissime, secundum quod locum habet in contemplativis viris, qui ab omnibus exterioribus ac mundanis se retrahunt, quatenus Deo totaliter vacent et in eo quiescant. Prima vacatio necessaria est ad salutem ex lege divina. Secunda est debita ex speciali mandato. Tertia est perfecta et supererogationis. Porro, secundum quod sabbatum dicitur requies sive ad Deum vacatio, seu dies ad hoc deputata, sic dies dominica, imo et quælibet dies festiva, potest sabbatum nominari : in quibus diebus cessandum est ab omni opere servili, id est peccato, atque ab opere impediente vacationem ad Deum. Opera autem servilia sunt ab Ecclesia determinata, quæ sunt : opera mechanica, agricultura, mercatum, placitum, etc. Hæc doctor præfatus.

Porro Joannes Gerson cancellarius Parisiensis, in tractatu suo de Præceptis et confessione, sic ait : Accipienda est observatio sabbati, id est diei dominici seu fe-

stivi, ut unusquisque die illo propriam vitam conscientiamque discutiat, de propriis culpis veniam petens, et de cetero peccata vitare proponens. Recognoscere quoque tunc debet Christianus multiplicia beneficia sibi a Deo collata. Audiri item tunc debet verbum Dei et spiritualis doctrina reverenter atque pacifice absque irrisione. Tunc etiam quilibet meditetur mortem terribilem sibi quotidie appropinquantem, pœnas inferni, gloriam cœlestis paradisi, et quam cito de hac vita sublati sunt qui se præcesserunt. Tunc quoque consideret virtutes et exempla Sanctorum quorum celebrantur solennia, et tanquam mendicus imploret eorum auxilia, nunc ad unum, nunc ad alium se convertendo, quousque spiritualem aliquam eleemosynam in saccum suæ paupertatis ab illis obtineat. Tunc demum quilibet paterfamilias doceat et hortetur sobolem suam atque familiam ad virtutes, et ad imitandum Sanctorum exempla.

At vero in tractatu illo notabili de Decem præceptis, qui incipit, Audi, Israel, dicitur : Hoc præceptum docet hominem per devotionis affectum totaliter in Deo quiescere, ita ut quidquid in orationibus ac bonis operibus per totam neglexit hebdomadam, hoc sancto recuperet die. Ad hoc enim institutum est istud præceptum, ut die dominico ac festivo restauret quod aliis diebus omittendo aut committendo peccavit. Institutum est quoque ad avaritiæ restrictionem. Idcirco non solum ab operibus mechanicis, sed etiam a mercationibus die isto cessare debemus. Rursus institutum est ad majorem recordationem
Gen. II, 2. divinæ potentiæ : quatenus sicut Deus die septimo requievit a cunctis effectibus quos produxit in obsequium hominis, sic homo die dominico ac festivo quiescat ab omni opere exteriori, ut vacet Deo, laudes et gratias referendo eidem pro beneficio creationis ac ceteris quæ in hominis obsequium subsidiumque produxit. Denique istud præceptum contingit violari quatuor modis : primo, manualiter operando ; secundo, mercationibus intendendo ; tertio, placita sæcularia frequentando ; quarto, actum judiciarium exercendo, quia jus statuit ut strepitus judiciarius tunc quiescat. Tamen, secundum Guillelmum, potest tunc pro pace tractari, atque pro pace firmanda juramentum præstari. — Hinc constat quod quicumque sabbatum violat, peccet mortaliter. Verumtamen excusatur homo a mortali quatuor modis. Primo, propter laboris et operis modicitatem : ut si labor tam modicus sit, quod quietem mentis in Deo impedire non valeat. Unde super illud Exodi, Quicumque polluerit sabbatum, ait Glossa : Turbando animæ quietem, morte moriatur *, morte videlicet animæ et corporis. Quo constat quod ille labor qui quietem animæ turbat et spiritus libertatem, causat peccatum mortale. Secundo, propter operis necessitatem : quæ tanta esse debet, ut sine periculo nec præveniri possit neque differri, sicut contingit in messibus propter incursum hostium, et in vindemiis propter frigus, et in captura halecum, quæ solum fit tempore determinato. In talibus namque excusat necessitas, quemadmodum mercatores, viatores, minutores et ferratores equorum excusantur, dum in festis aliquid sui exercent officii non propter proprium quæstum, sed aliorum necessitatem : aliter non excusantur. Tertio, propter operis pietatem : sicut dum pauperibus aut religiosis aut miserabilibus personis propter Deum tunc gratis servitur. Quarto, propter publicam utilitatem : sicut dum gratis laboratur intuitu Dei pro reparanda ecclesia aut ponte communi.

Exod. XXXI, 14.

* morietur

Postremo, ex omnibus nunc inductis satis reor patere qualiter oporteat dies celebrare festivos, et quæ opera exsistant tunc vetita, quæ non. Sed quia absolute præcipimur diem dominicum ac festivum servare, atque in omnibus certior via est eligenda, præsertim quum peccet mortaliter qui discrimini se committit ; instruendi et exhortandi sunt Christiani ut (quantum eis possibile est) omnia opera servilia,

laboriosa et lucrativa tunc vitent, nec faciliter sibi persuadeant se per necessitatem aut causam aliam excusari, quia in talibus possunt faciliter, imo et multipliciter falli, estque securius omnino cessare a talibus, nisi vera pietas, spiritualis dilectio aut evidens necessitas aliud exigat.

ARTICULUS XLI.

Quam necessarium sit implere præceptum correptionis fraternæ, et quam pauci impleant illud.

Prov. XXVII, 5. MELIOR *est manifesta correptio quam amor absconditus.* Corripere delinquentem est eleemosyna spiritualis, salubre remedium culpæ, curatio mali præteriti ac præsentis et præservatio a futuro peccato : idcirco est actus præcipuus caritatis. Est quoque actus justitiæ quantum ad superiores, qui ex officio seu auctoritate tenentur sibi subjectos corripere. Quemadmodum ergo Deus universis singulisque præcepit ut omnem diligant proximum suum, sic cunctis mandavit ut peccantem proximum suum corripiant. Quæ correptio, sicut et ceteri actus virtutum, fieri debet ex caritate, cum discretione, loco et tempore opportuno, recta intentione. Et ille qui corripit, debet se ipsum in primis castigare, talemque exhibere, ut inveniatur ad aliorum correptionem idoneus. Nec debet quis ex falsa aut ficta humilitate, ex humano aut carnali timore, ex proprii commodi affectione, pusillanimitate aut sensuali amore fraternam correptionem omittere : quia hoc esset contra præceptum, ideoque mortale peccatum. Præterea, qui corripitur, debet correptionem cum omni gratiarum actione, caritative humiliterque suscipere, non se stolide excusare, nec indignari, irasci aut proterve respondere seu redarguere : quia hoc totum esset fatuum, ingratum, perversum atque damnabile. Hinc Christus jubet : Si peccaverit in te (id est te sciente) Matth. XVIII, 15. frater (hoc est proximus) tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Occultum namque peccatum est occulte corripiendum.

Præterea, quia in multis offendimus omnes, Jacob. III, 2. et quia homo non est bonus judex sui ipsius, plusque vident oculi multi quam unus, valde necessarium est et sapienter provisum ut homines se invicem caritative ac ferventer corripiant, et omni sapientia destitutum se pandit, qui corripi dedignatur. Hinc in libris Sapientialibus correptio ista maxime commendatur, frequenter monetur, districte præcipitur ; et qui eam abjiciunt, vehementissime vituperantur. Nam in Proverbiis habetur : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus. Prov. XXIX, 1. Et iterum Salomon loquitur : Qui arguunt, laudabuntur. Ibid. XXIV, 25. Itemque : Meliora (inquit) sunt vulnera diligentis quam fraudulenta odientis oscula. Ibid. XXVII, 6. Vulnera etenim diligentis sunt justæ et asperæ correctiones ab amoroso correptore correpto inflictæ. Quæ utique salubriores sunt quam fraudulenta oscula odientis, hoc est quam vana præconia adulantis, qui peccantem non corripit, sed laudat in desideriis atque operibus pravis : Ps. X, 3, sec. Hebr. per quod eum odire, non amare, convincitur. Quamvis autem peccans ad tempus quandoque impatienter suscipiat correptionem amantis, postmodum tamen reversus ad cor, solet gratias agere correptori. Propter quod in Proverbiis asseritur : Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis quam ille qui Prov. XXVIII, 23. per blandimenta decipit. Rursus in Proverbiis scriptum est : Qui illusor est, non audit quum arguitur. Ibid. XIII, 1, 18. Egestas et ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

Præterea, corripiens alterum, hoc facere debet cum humilitate et propriæ fragilitatis consideratione ac quadam compassione. Propter quod loquitur Paulus : Fratres, Galat. VI, 1. etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, conside-

rans te ipsum, ne et tu tenteris. In Eccle- A
Eccli. XIX, 13. siastico quoque legitur : Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat, Non feci ; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Sequenti demum ibidem capitulo di-
Ibid. XX, 1, 4. citur : Quam bonum est arguere quam irasci ! Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ! sic enim effugies peccatum.

Hinc asserit Augustinus : Si increpare neglexeris, pejor eo qui peccavit efficeris. Et Urbanus Papa : Ita (ait) peccat qui videt fratrem peccare et tacet, sicut qui pœni- B tenti non indulget. Cassiodorus quoque : Iniquitas (inquit) mortalium modo putredinis diffunderetur, si medicinali increpatione non restringeretur. Isidorus quoque ait : Qui delinquentem superbo aut odioso animo corripit, non emendat, sed percutit. Quidquid indignans aut protervus protulerit animus, furor est objurgantis, non est dilectio corrigentis. Hinc ait et Prosper : Leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti ; asperitate autem nimiæ increpationis offensus, nec increpationem C recipit, nec salutem. Hinc quoque, secundum Augustinum, objurgationes non nisi raro et pro magna sunt necessitate exhibendæ. Nam et Seneca loquitur : Objurgationi semper aliquid blandi commisce : facilius enim penetrant verba quæ molli vadunt via, quam quæ aspera. Rursus : Vitia, inquit, transmittit ad posteros, qui præsentia peccata non corrigit ; et bonis nocet, qui malis parcit.

Insuper Bernardus testatur : Arguere et increpare interdum necesse est. Ferveat D ergo in nobis amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris peccata palpet, nec vi-
Gen. IV, 9. tia dissimulet ; neque dicat : Numquid custos sum fratris mei ? Etenim consentire est, tacere quum possis arguere ; et scimus
Rom. I, 32. quod similis pœna facientes maneat et
Ps. CXL, 5. consentientes. Justus corripit in misericordia, ut curet ; peccator adulatur in impietate, ut occultet quod curandum est. Dum autem vitia increpantur et inde scandalum oritur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit quod argui debuit, non ille qui arguit.

Postremo Antisiodorensis ait in tertia parte Summæ suæ : Per increpationem fraternam sedantur scandala, et conservatur unitas ecclesiastica. Itemque : Tria (inquit) sunt præcipua opera misericordiæ spiritualia : docere ignorantem, dimittere pœnitenti, peccantem corripere. Iterum ait : Præceptum de correptione fraterna spectat ad omnes, etiam ad subditos, pro loco et tempore, dum credit quis quod sua correptio alteri proderit. Unde Augustinus affirmat, quod istud præceptum est omnium in omnes, videlicet majorum in minores, parium in pares et minorum in majores ex caritate. Sed objici potest, quia si omnes tenentur ad istud præceptum, ergo pene omnes damnantur, quia paucissimi hoc observant. Respondemus, quod pene omnes pereunt, quia stultorum Eccle. I, 15.
infinitus est numerus. Spirituales autem bonique viri corripiunt alios. Tribus autem modis corripit aliquis alium male, videlicet indiscrete, malitiose, derisorie. Debet ergo correptio esse discreta, benigna et seriosa. — Hæc Antisiodorensis. Qui et testatur quod totus pene mundus perit potissime propter duorum violationem præceptorum, quorum unum est de caste vivendo, alterum de corripiendo fraterne.

Hinc admonendi et imbuendi sunt universi fideles ut fraternam correptionem caritative impendant et gratanter suscipiant : quam etiam præsidentes subditis suis, et parentes soboli suæ, ac paterfamilias et materfamilias suis domesticis et familiæ debent ferventer atque fideliter exhibere. Inferiores vero suos superiores non debent corripere nisi cum reverentia, modestia et sincero timore, nisi forte errent in fide vel insidientur bono communi. Qui autem accusari et corripi dedignantur, suam ostendunt superbiam. Ideo unusquisque proprias defectuositates et culpas efficaciter penset, et cum gratiarum actione et humilitate correptionis amplectetur medelam.

ARTICULUS XLII.

Qualiter sit orandum.

Luc.xviii,1. *OPORTET semper orare, et non deficere.* Quam frequenter, indesinenter ac fervide, quam reverenter, timorate et attente debeat omnis Christifidelis Deum invocare et exorare, possumus ex multis perpendere. Primo, ex incessabili et maxima indigentia qua jugiter Dei auxilio, protectione et gratia indigemus. Secundo, ex vehementissima fragilitate, instabilitate et pronitate cordis nostri ad omne peccatum, ita quod nisi incessanter conservemur ac roboremur a Domino, statim ad peccata delabimur. Tertio, ex ferocitate et innumerabili multitudine invisibilium hostium nostræ salutis, et item ex fortitudine, experientia et calliditate ipsorum, quibus nequaquam sine grandi et indesinenti Deitatis subsidio gratioso valemus resistere. Quarto, ex multitudine laqueorum inter quos ambulamus, atque ex gravitate et diversitate periculorum quibus sumus expositi : quia non morti temporali, sed æternæ damnationis patemus discrimini, in tantum quod pauci illud evadunt, et supra vires nostras est illud evadere. Quinto, ex
Eccle.ix,1. incertitudine status nostri : quia nescimus an simus in caritate et statu salutis ; potissime vero nos latet qualiter terminabimus cursum nostrum. Sexto, ex gravitate et multiplicitate debitorum (id est vitio-
Jacob.iii,2. rum) nostrorum : quia in multis et gravibus nimis offendimus Deum. Septimo, ex majestate, excellentia, justitia, sapientia et misericordia Dei. Quum enim sit majestatis et excellentiæ prorsus immensæ, cum omni reverentia ac diligentia est orandus. Rursus, quum sit infinitæ justitiæ, et justus ac metuendissimus judex, cum sincero timore et metu ingenti est invocandus, præsertim quum omnia superclarissime intueatur. Iterum, quum suæ misericordiæ non sit finis, cum omni est fiducia implorandus. Octavo, ex magnitudine causæ nostræ. Finis etenim orationum A nostrarum est æternam damnationem evadere, atque cœlestem beatitudinem plenam ac sempiternam Dei fruitionem beatificam obtinere, imo quotidie præservari a vitiis, impleri virtutibus.

De his autem, quia communia sunt, pertranseo, et ea tetigisse pro nunc sufficere reor ; sed diffuse et per similitudines explananda sunt populo, ut discant et assuescant ex causis et considerationibus introductis Deum assidue invocare, mentaliter exorare, non in ecclesia tantum, sed in B omni loco, tempore atque negotio, cum diligenti attentione et cordis stabilitate, cum timore, fervore et compunctione, excludendo a cordibus suis distractiones, curas, cogitationes et occupationes extraneas, ac Dei præsentiam attendendo. Sicque, ut Climacus docet, exemplo reorum coram Scal. parad. grad.xxviii.
terreno judice stantium, discamus coram summo Judice cum metu et humilitate omnique reverentia stare ; exemplo quoque eorum qui terrenis regibus principibusque loquuntur, studeamus Regem et Creatorem C universorum orando et laudando affari cum omni reverentia ac cordis custodia.

Hinc ait Bernardus : Non recte oras, si orando aliquid quæras præter Deum aut non propter eum, quia in Deo sunt omnia bona : ibi remedia vulnerum, subsidia necessitatum, reformationes defectuum, copiæ profectuum, et quidquid necessarium aut utile est hominibus. Propterea hortor ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium. Nemo vestrum parvi pendat orationem suam. Dico enim vobis, D quia ipse ad quem oràmus, videlicet Deus, eam non parvi pendit. Et unum ex duobus sperare debemus : quia aut dabit quod petimus, aut quod novit nobis esse utilius, si tamen oramus sicut oportet, videlicet pie, devote et perseveranter.

Denique, secundum Climacum, oratio Ibidem.
est unio mentis cum Deo, collectio gratiarum, reconciliatio Dei, mater et filia lacrimarum, remissio peccatorum, pons tentationum, fons virtutum, invisibilis profectus, illuminatio atque refectio mentis.

Hinc Augustinus : Oratio (inquit) tua, est locutio tua cum Deo. Dum legis et studes divina, Deus loquitur tibi ; dum oras, tu loqueris Deo. Tunc autem in toto corde ad Deum clamas et oras, quando aliunde non cogitas. Iterum ait : Oratio est oranti præsidium, Deo sacrificium, angelo sancto solatium, diabolo quoque supplicium.

Debemus autem semper pro invicem et pro communi bono Ecclesiæ, pro parentibus, propinquis, commissis et benefactoribus, pro vivis ac mortuis, pro infidelium conversione, pro fidelium reformatione, pro amicis et inimicis, pro universorum salute toto cordis affectu orare.

ARTICULUS XLIII.

Qualiter sit tentationibus resistendum.

Job VII, 1. *MILITIA est vita hominis super terram.* Ubi Hieronymus transtulit, Militia est vita, etc., antiqua translatio habet, Tentatio est. Dicitur autem vita hominis esse militia super terram, quoniam homo bonus Deo placere desiderans virtutibusque insistens, assiduas habet ac sustinet impugnationes ab adversariis suæ salutis : per quas nisi viriliter tanquam fidelis miles Altissimi reluctetur, a Deo creatore ac rege suo abstrahitur, peccat et perire meretur. Sunt autem hi hostes, maligni spiritus et acies vitiorum, carnalia desideria vanitatesque sæculi et propriæ voluntatis ac mentis pronitas ad peccandum, seu dæmones, mundus, caro, et fomes peccati, ex quo quatuor vulnera inflicta sunt animæ, quæ sunt : ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in vi appetitiva sensitiva concupiscibili, infirmitas in irascibili ; ex quibus multipliciter impugnamur ac labimur.

Itaque tentatio dici potest omnis motus seu actus vel affectus hominem ad peccandum inclinans, ut sunt : stimuli carnis, diabolicæ suggestiones, adversitates, persecutiones, tribulationes, adulationes, A prosperitates, et omnes instigationes seu impulsiones ad illicita seu peccata. Denique, quanto quis studiosius in virtutibus crescere et Deo placere conatur, tanto plus solet ab his impugnari. Propter quod, teste Scriptura, multæ tribulationes justorum, et omnes pie vivere cupientes, persecutionibus infestantur. Ps. XXXIII, 20. II Tim. III, 12. Itaque prædicator verbi cœlestis diligentissime instruat super hoc homines, avisando eosdem de hujuscemodi pugnis et tentationibus, et qualiter resistere prævalereque debeant : B imo hortetur et animet eos ut tanto virilius virtuosis insudent operibus, quanto se sentiunt acrius impugnari.

Præterea, multi sunt modi resistendi tentationibus illis, et diversa contra eas remedia sunt ac multiplex armatura. Superius autem in primo tractatu assignata sunt specialia remedia ad resistendum ac prævalendum singulis peccatis mortalibus. art. XXIX, XXXVIII, XLVII, LIII, LIX, LXVI, LXXIII, LXXIX.

Generalia vero remedia, arma et modi ad resistendum quibuscumque tentationi- C bus et peccatis sunt hæc. Primum est, diligens et attenta consideratio dominicæ passionis : quam qui frequenter cordialiterque perpendit, nec prosperis nec adversis, nec blandis et delectamentis nec asperis et afflictivis dejicietur, sed in omnibus illis constans manebit. — Secundum est, fiducialis invocatio divini auxilii assidua atque indesinens, seque in omnibus humiliare, atque in sola divina pietate ac ope confidere, quum dicat Scriptura : Nullus speravit in Domino, et D confusus est. Eccli. II, 11. 12. Quis enim invocavit eum, et despexit illum ? Unde et ipse Dominus testatur : Invoca me in die tribulationis ; eruam te, et honorificabis me. Ps. XLIX, 15. — Tertium est, fiduciale refugium ad gloriosam virginem Mariam, ac ceteros Sanctos ad quos quis majorem habet devotionem, fiduciam et amorem, ad proprium quoque angelum, et horum subsidium fervide invocare. — Quartum, prudens consideratio quatuor novissimorum, quemadmodum scriptum est : Memorare novissima tua, et in æternum Eccli. VII, 40.

non peccabis. Unde remedium istud dividi posset in quatuor : quorum unumquodque valde exsistit idoneum ad resistendum omni tentationi, videlicet frequenter attendere propriam mortem indesinenter appropinquantem, divini rigorem judicii, tormenta inferni, beatitudinem regni æterni. — Quintum est, diligenter attendere quam gloriosum et fructuosum sit tentationes victoriose sufferre. — Sextum, quod impossibile est vitam hanc sine adversis transigere : quia si una desit adversitas, cito aderit alia. Idcirco quæcumque evenerit, patienter est sustinenda. — Septimum est, perpendere quam vile, nocivum atque damnabile sit tentationibus superari, seque per hoc dæmonibus subdere et eorum irrisioni exponere : quia, ut ait Psalmista, *Ps.* XII, 5. qui tribulant nos, exsultabunt si moti fuerimus. — Octavum est, Sanctorum exempla, patientiam, fortitudinem, triumphum et præmia contemplari, ex quibus erudimur et inflammamur ad imitationem eorum. — Nonum est, consideratio Scripturarum sanctarum, quæ docent nos qualiter resistere debeamus ac prævalere. — Decimum est, occasiones et causas tentationum prudenter vitare.

Itaque dum quis quacumque tentatione pulsari se sentit, mox se ad ista convertat remedia, Dei auxilium implorando, Christi passionem cordialiter ponderando, et cetera nunc prætacta sapienter stabiliterque pensando, exteriores quoque interioresque oculos avertendo ab iis objectis de quibus tentatur, et alias occupationes assumendo *II Tim.* II, 3, 5. salubres. Sicque laboret et prælietur tanquam fidelis minister ac miles Dei : quia non coronatur nisi qui legitime certaverit.

ARTICULUS XLIV.

De quotidiana discussione propriæ conscientiæ, et vera pœnitentia et confessione.

Josue VII, 19. F*ILI, da gloriam Deo, et confitere quid feceris.* Instruendus est populus ut universa quæ agit, ad ultimum finem, hoc est ad Dei honorem et veram beatitudinem, referat, sicut docet Apostolus : Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia ad Dei gloriam facite. *Coloss.* III, 17; I *Cor.* X, 31. Sicque non solum omnia exteriora, sed et cunctæ cogitationes affectionesque cordis et locutiones ad hunc finem sunt ordinandæ. Et quoniam cogitationes malæ, desideria vitiosa, verba illicita et opera prava non sunt ordinabilia ad hunc finem, sed avertunt inde, idcirco vitanda sunt. Hinc quilibet Christianus debet frequenter et ad minus semel aut bis interiora sua in die discutere, conscientiam suam examinare, conversationem suam perpendere, dijudicare, perspicere, sicut hortatur Aggæus propheta : Ponite (inquiens) corda vestra *Agg.* I, 5, 7. super vias vestras. Habacuc quoque : Super *Habac.* II, 1. custodiam (inquit) meam stabo. Nam et Paulus fatetur : Si nos ipsos dijudicare- I *Cor.* XI, 31. mus, non utique judicaremur : hoc est, si nos ipsos quotidie debite reprehenderemus et castigaremus, non judicaremur judicio reprobationis a Deo. Discute ergo te ipsum quotidie, et cogitationes tuas scrutare, affectiones considera, verba et opera intuere ; et quidquid culpæ deprehenderis in eisdem, hoc intra te argue, detestare, deplora, et confiteri propone. Vide de sero antequam pergas ad lectum, qualiter diem expenderis, qualiter te in comedendo, bibendo ceterisque habueris, an Missam et divinum Officium cum reverentia digna audisti, an cum vera devotione Dominum invocasti, an aliquem scandalizasti, perturbasti aut aliquo modo læsisti. Sicque de omni peccato commissionis et omissionis cordialiter pœnite, ingemisce, et emendationem propone; nec impunitum relinquas te ipsum, sed corpus tuum castiga, et mentem humilia, atque pœnitentiæ actus exerce. Attende non solum quam multa commisisti peccata, et quot horis vitiose te occupasti, sed etiam quam multa opera bona interim facere potuisti ac debuisti.

Præterea, sicut docent doctores, in actibus humanis qui ex deliberatione procedunt, nunquam aut rarissime invenitur

indifferens, sed omnis hujuscemodi actus est moraliter bonus aut malus, virtuosus aut vitiosus, meritorius aut demeritorius : ideo homo incidit quotidie quasi innumerabiles culpas cogitando, appetendo, loquendo, operando, bonaque omittendo, nisi sit coram Deo valde sollicitus, timoratus et custoditus in omnibus, præsertim quum ex se ipso tam fragilis instabilisque consistat, atque tam multas et magnas habeat peccandi occasiones et tentationes. Hinc, juxta divinæ instructionem Scripturæ,
Philipp. II, 12. *Prov.* IV, 23. debet omnis fidelis cum metu, timore et tremore suam operari salutem, omnique custodia custodire cor suum, atque in divinæ sanctitatis præsentia reverenter ac timorate se semper habere, linguam frenare, desideria prava abjicere, scandala devitare, et omnes pro viribus suis verbo et opere ædificare, nec a spirituali profectu unquam cessare.

ARTICULUS XLV.

Quam pauci sint veraciter pœnitentes.

Jer. VI, 26. *ACCINGERE cilicio, et conspergere cinere ; luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.* S. Gregorius protestatur : Plures inveni qui in innocentia permanserunt quam qui vere pœnituerunt. Hoc idem allegat et approbat auctor Summæ virtutum et vitiorum. Quod si verum est, constat paucissimos veraciter pœnitere, quum de valde multis vix unus in innocentia permanserit. Sed nunc declaranda est veritas hujus auctoritatis.

Doctores super quartum Sententiarum, distinctione septimadecima, quærunt an contritio sit maximus dolor qui esse potest in natura. Ad quod concorditer dicunt quod imo, ita quod is qui veram habet contritionem, plus dolet secundum superiorem appetitivam vim animæ de hoc quod Deum peccando offendit, quam ipse vel aliquis alius possit dolere de quocumque malo pure pœnali, hoc est de quocumque damno temporali, adversitate mun-
A dana, persecutione humana, corporalive læsione, aut etiam morte instante. Quemadmodum enim caritas quantumlibet parva, plus incomparabiliter Deum diligit, quam quæcumque cupiditas millia auri et argenti cunctasque opes mundi ; sic vera contritio quantumcumque sit parva, amplius dolet de summi boni offensione et amissione per culpam, quam amor mundi de quarumcumque rerum creatarum et caducarum perditione. Hinc asserit Augustinus, quod omnis dolor in amore
B fundatur. Ideo, sicut amor caritatis, in quo fundatur dolor contritionis, est maximus, ita et dolor contritionis. Rursus, quum objectum doloris sit malum, de majori malo debet esse major dolor. Ideo, sicut mala culpæ, præsertim peccata mortalia, sunt incomparabiliter pejora malis pœnæ, sic incomparabiliter major est dolor de peccato quam de quocumque malo pœnali.

Hinc Thomas asserit super quartum, distinctione præallegata : In contritione est
C duplex dolor. Unus in voluntate, qui essentialiter est ipsa contritio, estque displicentia peccati præteriti. Et talis dolor in contritione excedit ceteros omnes dolores : quia quo amplius aliquid placet, tanto plus ejus contrarium displicet. Finis autem super omnia placet, quum propter ipsum cetera omnia desiderentur : ideo peccatum quod ab ultimo fine avertit, super omnia displicere oportet. Alius dolor contritionis est in parte sensitiva, qui ex præfato causatur dolore, sive ex necessitate naturæ,
D secundum quod vires inferiores sequuntur motum superioris partis seu potentiæ animæ, vel ex electione, secundum quod homo pœnitens excitat se ad dolendum etiam secundum sensitivam animæ partem sensibili quodam dolore. Loquendo autem de isto dolore, non oportet quod dolor contritionis sit maximus, quoniam vires inferiores vehementius sæpe moventur a propriis objectis quam ex superiorum redundantia virium. Affectus quoque partis sensitivæ non semper obedit ad nutum ap-

petitui superiori, ut scilicet tam intensus dolor nascatur in sensitivo appetitu sicut vult ratio aut voluntas. Hæc Thomas.

Insuper Durandus scribit in Summa sua: Sicut in corporalibus dicuntur attrita, quæ aliquo modo sunt comminuta; contrita vero, quæ in partes minimas sunt redacta: sic in spiritualibus attritio dicit displicentiam de peccatis, sed non perfectam; contritio autem perfectam de peccatis displicentiam signat. Sicque cor hominis dicitur conteri, quando peccati affectus secundum omnem sui partem in eo totaliter et omnino destruitur.

Ad pœnitentiam itaque veram exigitur ut plus displiceat homini peccatum præteritum et plus illud abhorreat quam quodcumque tormentum aut damnum solum pœnale. Ex quo elici potest quam pauci vere pœniteant. Cujus indicium est, quod non apponunt tantam diligentiam et conatum ad vitandum omne peccatum mortale, sicut ad vitandum temporalia damna corporaliaque tormenta seu quæcumque adversa. Ideo qui modico tempore a confessione elapso mox tam faciliter ad pristina redeunt vitia, ostendunt se non esse confessos ex vera contritione; similiter qui amore Dei non vitant peccata quæ ex timore temporalis damni aut corporalis incommodi devitarent. Hinc, secundum Gregorium, pœnitere est præterita peccata deflere, et deflenda non rursus committere, id est firmum ac plenum habere propositum non peccandi de cetero.

Verumtamen ad veram pœnitentiam seu contritionem non exigitur necessario lacrima corporalis. Quocirca pensandum quod ait in Summa sua Durandus: Pœnitens debet habere lacrimas mentis de necessitate, et lacrimas corporis de congruitate. Sunt etenim aliqui qui nec pro temporalibus nec pro spiritualibus damnis plangere possunt, propter multam sui capitis siccitatem. Hos non oportet multum timere aut desperare propter lacrimarum carentiam. Alii pro utrisque possunt faciliter flere: quos non oportet propter lacrimas multum præsumere aut sperare. Alii pro temporalibus bene possunt flere, non pro spiritualibus malis. Hi debent multum timere, quoniam signum est quod contritionem veram non habeant, vel quod habeant imperfectam. Alii pro spiritualibus bene flere possunt, non pro temporalibus. Ii debent multum humiliterque gaudere, quoniam signum est contritionis perfectæ.

Postremo, præhabitis consonat quod Guillelmus Parisiensis in exordio tractatus sui de Pœnitentia loquitur: Pœnitentia dicitur quasi tentio pœnæ de amissa innocentia. Pœnitens namque propter amissam innocentiam pœnam tenet, dum innocentiam voluntate ac proposito tenet, dum toto desiderio eam insequitur, toto dolore revocat, toto studio totisque viribus eam recuperare conatur.

Ecce nunc constat quid ad veram pœnitentiam exigatur. Instruendus est igitur populus ut ad eam se aptet ac præparet, ut ad tantum dolorem de suis peccatis se excitet, ut cum tanta sollicitudine ea devitet, quod dolor suus veræ contritionis nomen et rationem obtineat. Idcirco non superficialiter aut ex sola consuetudine, sed ex diligentissima cordis discussione ac intima compunctione est facienda confessio de peccatis, principaliter in quantum sunt offensiva inhonorativaque Dei et separativa ab ipso, deinde in quantum sunt nociva atque læsiva peccanti.

ARTICULUS XLVI.

An peccator teneatur confiteri citius quo potest, quando conscius sibi est de peccato mortali.

N*EMINI dedit* Deus *spatium peccandi.* Quæstionem hanc movent doctores Eccli. XV, 21.
super quartum Sententiarum atque in Summis suis. dist. XVII. Quam et Guillelmus Parisiensis tangit in suo Sacramentali. Primoque arguit, quod confessio non sit differenda, sed habita opportunitate sacerdotis mox facien-

[A] da, sic dicens : Quod nec ad modicum nec ad momentum liceat differre confessionem propter multa pericula videtur. Primo, ne propter negligentiam faciendi confessionem dum quis potest, justo Dei judicio ei infligatur ut non possit quum velit. Sic enim solet justissimus Deus negligentias nostras punire. Secundo, ne ex dilatione confessionis contingat oblivio plurium vitiorum. Tertio, propter periculum moræ, quæ non mediocriter gravat peccatum. Quarto, propter periculum ruendi in aliud : quia peccatum quod per pœnitentiam non [B] deletur *, mox pondere suo trahit ad aliud. Quinto, quia peccatum est debitum atque injuria Deo irrogata : ideo emendatio et persolutio satisfactionis pro eo differri non debet nisi de consensu et voluntate Dei, sed statim est satisfaciendum pro eo. Sexto, quoniam homo statim mundat calceamenta adspersa pulveribus, et vestimentum dissutum facit mox resarciri, jumenta quoque læsa protinus facit pro posse curari : quum ergo peccata sint animæ inquinamenta, detritiones ac vul- [C] nera, statim adhibendum est eis lavacrum atque remedium confessionis, multo diligentius celeriusque quam illis. Septimo, quoniam unusquisque mox serpentes de suo ejicit gremio, et latrones de habitaculo proprio : ideo multo plus debet dæmones, qui invisibiles latrones sunt venenosissimique serpentes, per confessionem ex se cum ipsorum venenis (puta peccatis) ejicere. Octavo, quoniam vitiis inflammatur et comburitur anima. Sicut ergo sine dilatione conamur domum nostram, quum [D] fuerit incensa, exstinguere, sic et amplius animam male inflammatam de vitiorum incendio per confessionem debemus eripere.

* diluitur

Insuper Durandus ait in Summa sua : Confessio debet esse festina, quum scriptum sit : Non tardes converti ad Dominum. Et propter incertitudinem horæ mortis ; propter vitandam quoque accumulationem culparum, quum scriptum habeatur : Qui in sordibus est, sordescat adhuc.

Eccli. v, 8.

Apoc. xxii, 11.

Et item propter vitandam majorem a Deo elongationem et difficiliorem conversionem. Qui enim hodie non est paratus, cras minus paratus erit. Et rursus propter periculum et incertitudinem conversionis finalis.

At vero in Summa virtutum ac vitiorum dicitur fatuum esse confessionem differre, quia differentes confessionem, volunt se a Deo abscondere ; et magis amant sotulares suos, quos quotidie tergunt, quam se ; nec volunt Deo aperire januam cordis sui, privantque se multiplici bono quod ex frequenti et accelerata confessione acquiritur.

Ad hanc quæstionem Thomas super quartum, distinctione septimadecima, respondet quod ad confessionem actualiter faciendam aliquis obligatur dupliciter. Uno modo per accidens, scilicet quando tenetur ad aliquid quod non potest facere nisi confessus : ut est Eucharistiam sumere. Alio modo per se, et ita quum præceptum confitendi sit affirmativum, obligat semper, sed non ad semper : ideo ad confessionem tenetur, quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur. Sicque regulariter loquendo, sæculares ad confessionem non obligantur nisi tempore ab Ecclesia instituto, scilicet ante Pascha, quando sunt communicaturi.

Huic opinioni videtur Durandus in Summa sua consentire. Et addit quod in aliquibus casibus tenetur aliquis sæpius confiteri. Primo, ratione sacramenti : ut si sit celebraturus, communicaturus aut sacrum ordinem suscepturus. Secundo, ratione periculi : ut si sit in articulo mortis. Tertio, quando conscientia sua dictat sibi necessarium esse ut confiteatur. Quarto, quando putat se infra annum non habiturum amplius copiam sacerdotis. Quinto, quando ex religione assumpta aliquis confiteri tenetur secundum Ordinis sui statuta.

Hinc Richardus de Mediavilla affirmat quod peccator non tenetur mox confiteri, nisi quando accepturus est aliquod sacramentum Ecclesiæ in quo confessis am-

plior gratia datur, et quando aggressurus est aliquod opus in quo imminet sibi periculum mortis, ut si sit iturus ad bellum aut navigaturus per mare.

Porro Guillelmus Parisiensis in suo Sacramentali concedit quod non tenetur homo protinus confiteri, imo in aliquibus casibus potest confessionem virtuose differre. Primo, ut interim peccata sua melius recogitet ad memorandum. Secundo, ut ea melius examinet ad exaggerandum et accusandum. Tertio, ut ea certius investiget ad instruendum melius confesso- B rem. Quarto, ad inquirendum et acquirendum confessorem magis idoneum. Quinto, propter reverentiam sacramenti : sicut excommunicati debent absolutionem a sua excommunicatione obtinere antequam sacramentum istud accedant. Sexto, quatenus interim per orationem, lectionem aut aliqua exercitia pia disponat se ad confitendum magis devote. Si autem dilatio confessionis nullum hujusmodi fructum habet, videtur nobis quod sit non solum inutilis, sed etiam perniciosa. Hæc C Guillelmus.

Verumtamen securior atque salubrior est opinio eorum qui dicunt confessionem non esse differendam, ut prætacta satis demonstrant. Quæ tamen non probant plenarie quod differri non queat sine peccato, quia peccata delentur non solum in confessione, sed et in contritione cui annexum est confitendi propositum. Sed toto anno eam differre usque ad Pascha aut circiter, videtur valde incautum et periculosum propter causas prætactas. D

Denique præceptum generalis concilii, ut ad minus semel in anno fiat confessio, alioqui vivens hoc negligens, est ab Ecclesiæ ingressu arcendus, et moriens ab ecclesiastica sepultura privandus, est frequenter in ecclesiis publicandum, ne quis per ignorantiam peccet, aut excusare se velit.

Postremo instruendus est populus diligenter, qualiter satisfactio facta in peccato mortali non valet, sed in caritate A fieri debet, sicut doctores plenius super hoc scribunt.

ARTICULUS XLVII.

De duplici amore, quorum unus est omnis boni, alter omnis mali origo.

ERUNT *homines se ipsos amantes.* Innumerabilia pene sunt documenta II Tim. III, 2. Scripturarum sanctarum et catholicorum doctorum, sed omnia brevi continentur B compendio, et in isto virtualiter includuntur, quod qui amat se in Deo, universa implet præcepta et documenta quæ necessaria sunt saluti. Porro amare se in Deo, est sibi ipsi velle, appetere atque exquirere omnia quæ sibi utilia aut necessaria sunt ad complacendum, adhærendum perfruendumque Deo. Ad quod primo exigitur Deum propter se super omnia diligere, deinde se ipsum et omnia sua ad Dei amorem, honorem veramque beatitudinem ordinare, et quidquid agendum est, libenter C agere propter Deum, quidquid quoque patiendum occurrit, æquanimiter perpeti propter eum. Denique, quia adversa et aspera, afflictio corporis et consimilia sunt homini multipliciter conferentia ad profectum gratiæ ac salutem, ideo omnia ista gratanter amplectitur qui vere se amat in Deo.

Denique idem est amor spiritualis habitualis quo rationalis creatura diligit Deum et se ipsam ac cetera ex caritate amanda. Hinc asserit Augustinus, quod amor Dei, id est spiritualis dilectio qua homo diligit D Deum propter se ipsum, seque in Deo et propter Deum, est omnis boni virtuosique actus origo : amor (inquam) Dei crescens usque ad contemptum sui. Amor vero sui, quo scilicet homo diligit se in se, crescens usque ad contemptum Dei, origo est omnis mali. Nempe amare se in se, est ea sibi ipsi velle, appetere, exquirere, quæ sunt propriæ naturæ et inclinationi in se et secundum se appetibilia, delectabilia, scilicet utilia, seu honorifica. Et ita ex isto amore oriuntur gula, luxuria, avaritia, superbia,

ira, impatientia, acedia, et cetera vitia universa. Qui autem in Deo se amat, in adversitatibus gloriatur, in omni virtutum exercitio delectatur. Verum qui amat se in se, vere infeliciter odit se : siquidem
Ps. x, 6. qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Ideo Antisiodorensis ait, quod peccator non habet majorem inimicum quam se ipsum. Itaque quanto quis pronior est ad passiones ac vitia, tanto plus habet in se de amore sui, hoc est de amore privato, improbo, ad se reflexo, cujus minoratio est noster profectus, mera autem ejus evulsio est nostra perfectio.

Instruendus est ergo populus hoc compendiosissimo ac saluberrimo documento, ut scilicet unusquisque discat et assuescat se in Deo diligere, et privatum ex corde suo amorem expellere : per cujus documenti impletionem universa documenta moralia et præcepta poterit adimplere, et cito proficere atque perfectionem attingere.

ARTICULUS XLVIII.

De quibusdam quæstionibus, quarum plena solutio aliis locis servatur.

Jer. xv, 19. *SI separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Possent isto in loco plura dubia introduci, quorum exquisita solutio super secundum Sententiarum locum sortitur : ideo nunc non nisi cursorie sunt tangenda.

Itaque quæri potest, an conscientia errans obliget, ita quod peccet qui eam habet nec sequitur. Videtur quod non : alias enim homo obligaretur ad multa divinis præceptis contraria. — Ad istud S. Thomas super secundum, distinctione tricesima nona, eleganter respondet sicut vir vere ac specialiter a Deo illuminatus. Postquam enim de quæstione hac duas recitavit opiniones, ostendit quod conscientia etiam errans ligat et obligat, ita quod ea stante, non possit sine peccato fieri contra eam. Conscientia namque, se-

A cundum eum, est quoddam rationis dictamen secundum quod voluntas movetur. Ideo, si conscientia dictet alicui quod nisi furetur, divinum transgrediatur præceptum, nec tamen furetur, contemnit Dei præceptum ac Deum, quemadmodum ille qui furatur, quum sciat furtum esse prohibitum. Hinc communiter dicitur, quod quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Et istud evidenter confirmatur ex verbis Apostoli ad Romanos asserentis : Scio et confido in Rom. xiv, 14.
B Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est : et hoc propter conscientiam suam, quamvis erroneam, secundum expositores. Verumtamen conscientia errans non obligat absolute atque simpliciter seu directe, sed per accidens et secundum quid. Nec ex his sequitur quod aliquis sit absolute perplexus, quoniam potest et debet conscientiam errantem deponere. — Porro Bonaventura super secundum aliter sentire videtur, di-
C cens conscientiam errantem non ligare ad faciendum vel non faciendum, sed ad se deponendum : quia sive homo faciat quod illa dictat, sive non faciat, peccat mortaliter. Circa quod fateor, quod omne peccatum eo ipso quo illicitum, formaliter obligat ad se deponendum, et quod conscientia errans non obligat absolute. — Durandus vero de S. Portiano super secundum dicit, quod conscientia errans liget, non obliget. Sed hoc in quid nominis stare censetur.

D Insuper dicit Thomas, quod conscientia obligat non sua virtute, sed virtute divini præcepti : sicque conscientia errans obligat per accidens ex divini virtute præcepti, in quantum dictat hoc agendum aut fugiendum in quantum a Deo præceptum sive prohibitum. Ex quo Thomas concludit, quod dictamen conscientiæ plus obligat quam præceptum prælati, quemadmodum et divinum præceptum plus obligat quam humanum. — Sed hujus quoque oppositum videtur Bonaventura sentire : quia

si sic, subditus posset semper aut valde frequenter suam inobedientiam excusare, dicendo : Non audeo in hoc vel illo obedire propter conscientiam. Idcirco debet judicium sui superioris proprio præferre judicio, saltem in dubiis et indifferentibus. Et hoc verius reor, estque hoc ipsum magis consonum dictis sanctorum Patrum, præsertim religiosorum, Benedicti, Bernardi, Cassiani et Climaci. Nam et prælatus divina præest et præcipit auctoritate, et obligatio sui præcepti verius et evidentius fundatur in jure ac præcepto B divino, quam obligatio conscientiæ erroneæ, ut videtur.

Deinde quæri posset, an et qualiter ignorantia excuset. Ad quod in Decreto magistraliter respondetur. Breviter autem tangendo, dicendum quod ignorantia juris non excusat, ut communiter dicitur. Quod intelligendum est de ignorantia juris quod quis scire tenetur. Debet etenim quilibet scire ea quæ ad suum pertinent statum, seu ad suam vocationem sive professionem, et quæ Deus requirit ab eo. Ignorantia autem facti dicitur excusare : ignorantia, inquam, facti alieni, non proprii ; et hoc, adhibita diligentia bona, sicut Durandus in Summa sua declarat. Est quoque ignorantia invincibilis, quæ excusat ; ignorantia vero vincibilis non semper excusat.

Decret. p.II, caus. 1, q. 4, c. 12.

Amplius quæri posset : an actus exterior aliquid bonitatis aut malitiæ addat super actum interiorem ; an etiam actus interior seu prava voluntas, et actus exterior, sint unum et idem peccatum ; et rursus, an in actibus humanis deliberatis individualiter consideratis ac sumptis, sit dare indifferens.

Ad quæ brevissime respondetur, quod actus exterior, in quantum cadit sub præcepto et laborem habet adjunctum, aliosque ædificat et satisfactorius est atque circumstantiis virtutum vestitur, aliquid addit bonitatis actui interiori, et speciale præmium, saltem accidentale, sortitur. Similiter actus exterior vitiosus, in quantum prohibitus et scandalizans, ac multipliciter incongruus loco ac tempori aliisque circumstantiis, et male delectans, sive damnificus graviterque nocivus aliis, aliquid addit malitiæ super interioris actus pravi malitiam, ut specialiter patet in homicidio, adulterio, furto : imo in actibus venereis voluntas sola non potest adeo esse intensa sine actu sicut in actu ; nec sola voluntas interficiendi, adulterandi, furandi tantum potest esse proximis nociva sine actu sicut cum actu. Insuper voluntas seu actus interior, et actus exterior ex illo procedens ac illi continuatus atque conjunctus, sunt idem peccatum. — De his et consimilibus modo pertranseo, maxime quia nunc istud opusculum in molem excrevit majorem quam æstimabam.

Itaque diligenter instruendus est populus circa prætacta, ne conscientiam habeat erroneam, neque ignorantiam juris, puta præceptorum et statutorum seu ordinationum ad ejus statum ac vocationem spectantium, atque ut diligens sit circa talia audienda, inquirenda et addiscenda, ut etiam vitet opera mala, quæ tam multipliciter sunt nociva, nec putet sibi sufficere solam voluntatem interiorem in bonis, aut bonum propositum seu rectam intentionem, dummodo adsit operandi facultas. Nec sufficit bona intentio, nisi et media bona sint, et fini laudabili proportionata.

Postremo, in actibus humanis deliberatis individualiter sumptis non invenitur indifferens, secundum probabiliorem opinionem, quamvis quidam conentur assignare instantiam. Si enim actus refertur ad congruum finem, est bonus.

ARTICULUS XLIX.

Qualiter ex præhabitis possit confessor considerare qualiter confitentes sint instruendi et interrogandi.

D*ILIGENTER agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Tam extra confessionem quam in confessione

Prov. XXVII, 23.

instruendi sunt homines qualiter debeant A sua peccata cum intima attentione, cordiali contritione, virtuoso pudore ac firmo emendationis proposito, et item cum debitis circumstantiis et congruis specificationibus confiteri. Idcirco in primo operis hujus tractatu positæ sunt diversæ species et modi ac differentiæ mortalium vitiorum : ideoque juxta illos informandi sunt homines, ut confiteantur distincte qualiter excesserint in illis. Verbi gratia, qualiter peccaverunt per superbiam, cogitando, appetendo, et pompose, præsumptuose B aut jactanter loquendo, cantando ; et item qualiter in eundo, in vestimentis, in apparatu et utensilibus, equitatura, familiis, ornamentis, in visu aut exercitiis quibuscumque ; et non dicant solum in generali : Peccavi superbiendo. Similiter instruendi et interrogandi sunt qualiter peccaverunt per gulam in comedendo, bibendo, juxta omnem diversitatem ac modum prætactos quibus homo potest per gulam peccare ; qualiter quoque per luxuriam excesserunt, an cum virgine, cum C maritata, cum publica, cum propinqua aut affine, cum spirituali persona ; et quo loco et tempore ; an etiam modo aliquo innaturali aut bestiali, quamvis in hoc non sit incaute descendendum propter vitandum periculum.

lib. I, art. XLVIII.

Conformiter debet confessor et prædicator esse peritus de reliquis mortalibus vitiis, eorumque speciebus, filiabus, effectibus, causis, remediis, et de vitiis oris. Et juxta hæc debet alios informare, atque confitentes interrogare qualiter præcepta D Dei et Ecclesiæ servaverunt, et sacramentis reverentiam debitam exhibuerunt, interiores exterioresque sensus custodierunt ; et qualiter suum tempus expenderunt ; an alios scandalizaverunt, ad vitia pertraxerunt, aut eis communicaverunt in vitiis juxta aliquem novem modorum in primo tractatu, articulo octogesimo tertio, positorum.

Amplius, instruendi sunt qualiter homo peccet tripliciter, scilicet, ex infirmitate, id est vehementia passionis, ex ignorantia, et ex deliberatione seu proposito : juxta quod interrogandi sunt quo horum modorum peccaverint, et an ignorantia eorum excusabilis fuit, an etiam excusavit in toto, vel solum a tanto sive in parte ; deinde an aliis nocuerunt, et an satisfecerunt eisdem ac debita persolverunt, bona quoque ablata atque injusta restituerunt, et utrum pœnitentias sibi injunctas impleverunt in caritate et gratia, prout probabiliter deprehendere queunt.

ARTICULUS L.

De quibusdam generalibus documentis in omni sermone congrue permiscendis.

Tu, fili mi, scito Deum patris tui, et servi ei corde perfecto et animo voluntario. Lex evangelica, lex utique est plenariæ caritatis atque totius pietatis, lex maxime spiritualis et maximæ perfectionis. Idcirco ea quæ caritatis et pietatis sunt, et quæ consequuntur ad eas, ad omnem præcipue pertinent Christianum ; vitia quoque carnalia et universa peccata maxime exstant ei illicita. Idcirco ad Dei amorem ferventem, ad mutuam caritatem, pacem, concordiam, ad opera misericordiæ spiritualia ac corporalia, ad vitam custoditam ac timoratam, ad conversationem castam et sobriam, ad mutuam exemplaritatem, ad insuperabilem patientiam, mansuetudinem, humilitatem, ad veram justitiam, ad virtuosum profectum, sunt assidue exhortandi, instruendi et accendendi. Quod totum ut prædicator verbi cœlestis valeat plenius eis persuadere atque proponere, debet memoriæ suæ tenaciter imprimere auctoritates Scripturæ ad hæc persuadenda magis idoneas, easque multoties in suis sermonibus allegare, et cordibus audientium inculcare. Denique ad hoc præcipue valent quædam auctoritates et exhortationes sancti apostoli Pauli, quas et ipse in suis Epistolis frequenter commiscuit, quamvis interdum aliqualis sit variatio in

I Par. XXVIII, 9.

ordine ac forma verborum. Quarum nunc aliquæ sunt tangendæ, quamvis supra fortassis sint tactæ.

Itaque inter has est illa ad Ephesios : *Ephes.* IV, 1-3. Obsecro vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo *Ibid.* 23, 24, 29. pacis. Et item : Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est ; omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. *Ibid.* 32. Itemque : Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis. Illud quoque : *Ibid.* V, 1, 2, 8, 10. Estote imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo : idcirco ut filii lucis ambulate, probantes quid sit beneplacitum Deo.

Præterea ad idem valet illud ad Phi- *Philipp.* II, 1-4. lippenses : Si qua consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes ; nihil agatis per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.

Ad istud pertinet illud ad Romanos : *Rom.* XII, 16-18. Nolite prudentes esse apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus ; si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Illud etiam ad *Coloss.* III, 12-16. Colossenses : Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam ; supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Christus donavit vobis. Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ; et pax Christi exsultet semper in cordibus vestris, docentes et commonentes vosmetipsos in psalmis et hymnis. Et illud : Om- *Coloss.* III, 17. ne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Illud quoque ad Thessalonicenses : Videte ne quis malum pro malo *I Thess.* V, 15-18, 22. reddat ; sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes. Semper gaudete in Domino, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, ab omni specie mala abstinete vos. Similiter illud ad Galatas : Spiritu ambulate, et desideria *Galat.* V, 16, 25, 26. carnis non perficietis. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

Consimilia multa potest sibi prædicator ex Epistolis Pauli aliisque scripturis et ex dictis Sanctorum colligere aptiora ad intermiscendum in omni sermone, ut est illud Petri : Carissimi, obsecro vos tanquam *I Petr.* II, 11. advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, etc.

Insuper in omni sermone sunt admonendi fideles ad considerationem novissimorum suorum, ad frequentem ac cordialem recordationem dominicæ passionis beneficiorumque Dei, ad vitandum omne mortale peccatum, ad fructuosam sui temporis deductionem, ad quotidianam suæ conscientiæ examinationem, et ut unusquisque faciat alteri quod sibi vult ratio- *Matth.* VII, 12. nabiliter fieri, atque ut jugiter penset se semper in divinæ majestatis præsentia ac conspectu cogitare, loqui et agere omne quod cogitat, loquitur et exercet.

ARTICULUS LI.

Qualiter diversi sint diversimode instruendi et exhortandi.

NON *omnia omnibus expediunt.* In- *Eccli.* XXXVII, 31. gratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtulerit homo, eo ad quod tenetur neglecto. Idcirco unusquisque specialiter

obligatur ad ea quæ suum statum concernunt, et de his est specialiter informandus. Hinc pastor et prædicator debent instruere conjugatos qualiter ad invicem debeant se habere in exigendo ac reddendo debitum carnis, in mutua dilectione, in pacifica conversatione; et qualiter copula illa carnis possit esse sine peccato, qualiter etiam interdum sit veniale, imo et nonnunquam peccatum mortale; qualiter etiam vir caput sit mulieris, et quæ sint illa quæ maritus tenetur uxori, quæ item illa quæ uxor tenetur marito. [I *Cor.* xi, 3; *Ephes.* v, 23.] Verumtamen instructio illa de copula carnali, in privato aptius fieri potest. Sed publice exhortandi sunt viri ne uxoribus suis sint duri irrationabiliterque austeri.

Insuper prædicandum est qualiter parentes habere se debeant ad filios suos ac filias, instruendo, corripiendo, educando, providendo, et in ceteris, et quam graviter peccent qui sobolem suam non instruunt, corripiunt et castigant. Instruendi sunt itidem filii et filiæ qualiter se habere debeant ad suos parentes; item paterfamilias et ejus contoralis, qualiter se de- A beant habere ad suam familiam et ministros ac operatores.

Conformiter instruendi sunt vulgares qualiter habere se debeant ad suos superiores, tam spirituales quam sæculares, et ut oblationes ac decimas prompte ac libenter persolvant. Superiores quoque in jure civili, videlicet officiati, sculteti, scabini, judices ac principes, sunt instruendi ac exhortandi ad ea quæ ipsorum concernunt officium, et qualiter ad Deum et ad subditos habere se debeant. Similiter in- B formandæ sunt viduæ de pertinentibus ad se.

De his autem specialibus documentis modo in speciali non prosequor, quia in aliis locis, præsertim in tractatu de Regimine curatorum, in libello quoque de Laudabili vita conjugatorum, de his omnibus, quantum Dominus contulit, specialiter scripsi. [*Cf.* t. XXXVII, p. 271 B et s.; XXXVIII, p. 65 D et s.] Sic itaque exhortandi ac edocendi sunt universi et singuli in generali ac speciali, ut omnes pariter consequamur salutem. Ad laudem, honorem et gloriam C Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS DUORUM LIBRORUM SUMMÆ DE VITIIS ET VIRTUTIBUS.

CONTRA
PLURALITATEM BENEFICIORUM
EX DICTIS AUTHENTICIS

PROŒMIUM

LATA *porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam!* Matth. VII, 13, 14.

Christus salvator et judex noster locutus est verba præallegata : quæ qui non attendit neque veretur, nec per gratiam vivere nec spiritualem sensum habere videtur. Quid enim judicandis hominibus ab eorum metuendissimo ac infallibili Judice horribilius poterat dici, quam quod plurimi eorum sint condemnandi, et pauci salvandi? Certe si urbem aliquam judex justus ac præpotens introiret, et protinus ore proprio depromeret, quod illa ex urbe non nisi pauci manus suas mortisque essent evasuri sententiam, nonne universi mox vehementissimo concuterentur pavore, præsertim si eos lateret qui deberent evadere? Et utique timor ille ex intuitu corporalis ac momentaneæ mortis prodiret : siquidem omnium terribilium hujus mundi terribilissimum est mors, secundum Philosophum. Et ecce Dominator omnipotens, Rex cœlorum, Judex infallibilis universorum, de throno gloriæ in hunc mundum descendit, multosque æternaliter perituros, paucos vero salvandos perhibuit. Et tamen multi hæc audientes, scientes, credentes, non perterrentur usque in finem. Sed hæc ipsa eorum vana et insensata securitas, evidens signum est quod de reproborum sint numero, de catalogo damnandorum. Nempe beatus homo qui semper est pavidus, qui vero mentis est duræ, corruet in malum, ut Salomon loquitur. *Prov.* XXVIII, 14. His ergo propheticum est dicendum illud : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Ps.* XCIV, 8. Qui enim ex Deo est, verba Dei audit. *Joann.* VIII, 47. Idcirco monet Apostolus : Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. *Hebr.* III, 13. Porro non solum formidandum est nobis, eo quod (juxta præinducta Christi eloquia) multi sint condemnandi et pauci salvandi, prout denuo contestatur, Multi (inquiens) sunt vocati, pauci vero electi; *Matth.* XX, 16; XXII, 14. sed etiam quoniam via salutis, utputa iter ducens ad vitam gloriæ, arcta est vehementer. Quid namque est via ista, nisi conversatio timorata, diligens coram Deo cordis custodia, stricta, rigorosa pœnitentialisque vita, qua caro quotidie castigatur, concupiscentiæ refrenantur, peccata vincuntur? Quod totum ad omnem pertinere Christianum negare nemo potest qui Paulo apostolo credit dicenti : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. *Galat.* V, 24.

Denique, omne peccatum mortale vitare, virtutes acquirere et in ipsis jugiter perseverare, via regia semper incedere, et neque ad dexteram neque ad sinistram declinare, *Is.* XXX, 21. nonne arctum est atque difficile homini fragili ac mortali, quum dicat

Gen. VIII, 21. Scriptura, Sensus et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua? Et tamen istud est iter salutis. Ideo dixit Philosophus, quod ars et virtus sunt circa difficilia; quæstionemque movit, utrum difficilius sit, fieri bonum medicum, an fieri virtuosum. Ad hoc namque quod homo virtuosus reddatur, necesse est ut docilis sit, et pro virtutibus possidendis stabiliter viriliterque laboret. Unde communis philosophorum fuit sententia, quod virtus absque studio et doctrina haberi aut vix aut nullatenus queat. Sanctus quoque Bernardus disseruit : Virtus cum humilitate vult doceri, cum labore quæri, cum amore haberi, cum diligentia custodiri, nec aliter doceri, quæri, haberi custodirive potest. Faciliter namque ad peccata delabimur, sed non absque grandi mentis diligentia abjicimus vitia, nec sine jugi custodia in Matth. VII, 13. virtutibus stabiliter permanemus aut digne proficimus. Ideo lata est via spatiosaque porta perditionis. Hæc equidem porta et via est vita carnalis, mundana et vitiosa, quam ambulare non exstat difficile. Hinc quoque Seneca dixit : Cito subrepit nequitia, et absque magistro vitia addiscuntur; virtus vero difficulter acquiritur, ducem atque rectorem desiderat.

CONTRA

PLURALITATEM BENEFICIORUM

EX DICTIS AUTHENTICIS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De causa motiva et materia, et de forma ac modo processus hujus opusculi.

Eccli. xix, 13. *CORRIPE amicum* tuum, *ne forte non intellexerit, et dicat, Non feci* inique; *aut si fecerit, ne iterum addat facere.* Itaque, quoniam quidam mihi carissimi, quorum totis præcordiis opto salutem, plura aut multa beneficia habent, quorum quodlibet eis sufficere potest ad vivendum taliter, qualiter secundum evangelicam Christi legem, itemque secundum canonicas sanctorum Patrum sanctiones seu ordinationes (imo et jussiones) vivere obli-
Ps. cxviii, 139. gantur; idcirco tabescere me fecit zelus meus, dum amantissimos meos cerno, relicto salutis arcto itinere, per devios calles ad mortem, mortem autem æternalem ac infernalem, proficisci vel potius currere. Sed quando aut quomodo poterit eis hoc persuaderi? Quis eis queat insolubiliter probare quod beneficiorum ista pluralitas exstat illicita mortalisque culpa, nisi in casibus infra tangendis? Nempe quidam eorum tanta mentis cæcitate et obduratione sunt obvoluti, ut contra beneficiorum pluralitatem nec legere quidquam velint nec audire. Quorum insania nonne jugi lacrimarum fonte deflenda est? præsertim
A quum tot boni virtuosique homines, in quibus utique habitat Spiritus Dei, et qui per dona Spiritus Sancti recte et prompte moventur ac diriguntur ab illo ad judicandum veraciter de his quæ animarum concernunt salutem, quum insuper tot solennes illuminatissimi doctores, hanc beneficiorum pluralitatem asserant et conscribant esse periculosissimam atque damnabilem, utputa S. Thomas, Guillelmus Parisiensis, Raimundus, Udalricus, multique alii, prout in prosecutione hujus patebit libelli.
B

Præterea, illi sic pluraliter beneficiati, ad ea quæ ipsis objiciuntur multipliciter respondentes, pluralitatem hanc diversimode excusare conantur: ut quod summus Pontifex dispensavit, vel quod quidam doctores affirmant licitum esse beneficia tria habere, quod etiam quidam doctores usque in præsens plura beneficia habent. Verum quod istæ atque consimiles excusationes nullius exstent valoris, nisi (ut tactum est) in casibus infra tangendis, infra, Spiritu
C veritatis, superdulcissimo Paracleto, adorando Spiritu Sancto præstante, clarissime demonstrabo. Est ergo intentio mea, præfatam beneficiorum pluralitatem vitiosam ostendere, damnabilemque probare. Porro, ut processus sit firmior et argumentatio irrefragabilior, et ne parvitatem meam

1 Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

quis valeat præsumptionis aut novitatis arguere, non nisi sanctorum Patrum authenticorum solenniumque doctorum auctoritates ac rationes, dicta et scripta inducam, de proprio nil interserendo, nisi forte interdum pro declaratione eorum quæ a præfatis conscripta sunt.

Præterea, precor legentes et eos pro quorum emendatione hæc ex præcipua dilectione collecta sunt, ut opusculum istud gratanter suscipiant, diligenter perlegant, Sanctorumque documentis et assertionibus acquiescant, nec suo amico caritatisque eloquio indignentur, pensantes quod *Prov.* XXVII, 5. Salomon loquitur : Melior est manifesta correptio quam amor absconditus. Rursusque : *Ibid.* 6. Meliora sunt (inquit) diligentis vulnera quam odientis oscula ; itemque : *Ibid.* XXVIII, 23. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud illum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit.

Postremo, si objiciatur quod hi pro quibus hæc scribo, gradu, ætate, scientia me *Ibid.* IX, 8, 9. excedant, occurrat quod Salomon ait : Argue sapientem, et diliget te ; da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia ; doce justum, et festinabit accipere. Sed et caritativa correptio, secundum B. Augustinum ceterosque doctores, ad omnem pertinet Christianum : quam inferiores et subditi superioribus pro loco, causa et tempore debent reverenter impendere, prout *dist.* XIX. Thomas super quartum Sententiarum et Bonaventura declarant.

ARTICULUS II.

Ad qualem conversationem quilibet Christianus teneatur.

I Joann. II, 6. *QUI dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare.* A Christo Christiani nomen sortiti sunt; et ideo ipsi qui a Christo Christiani vocantur, Christi conversationem sequi tenentur, hoc est, Christi caritatem, humilitatem, mansuetudinem, pietatem, patientiam, sobrietatem, justitiam, puritatem ac

A devotionem assequi obligantur. Propter quod Paulus apostolus nos hortatur : Imitatores Dei estote sicut filii carissimi, et *Ephes.* V, 1, 2. ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos. Denique, sicut a Christo Christiani vocamur, sic evangelicam Christi legem servare tenemur, quantum ad observantiam præceptorum Decalogi, aliorumque præceptorum a Christo additorum, quæ in decem præceptis virtualiter includuntur atque ad illa reducuntur, et a Christo clarius exprimuntur. Ideo ait :

B Si vis ad vitam intrare, serva mandata ; *Matth.* XIX. 17. et denuo : Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico? *Luc.* VI, 46. Itaque Christi mandata sunt : ut Deus toto corde super omnia diligatur, colatur et honoretur ; *Matth.* XXII, 37-40. ut omnis proximus, utputa tam inimici quam amici, propter Deum cordialiter spiritualiterque ametur ; ut malefacientibus, injuriantibus et odientibus bene agatur, ut pro persequentibus exoretur ; *Ibid.* V, 44. insuper, ut avaritia omnis vitetur, continenter sobrieque vivatur, ne thesaurizemus in terra, *Luc.* XII, 15. *Matth.* VI, 19.

C et ne ebrietate aut crapula curisve hujus sæculi graventur corda nostra ; *Luc.* XXI, 34. et quidquid rationabiliter volumus seu velle debemus fieri nobis, aliis faciamus : *Matth.* VII, 12. sicque omnis injustitia, dolus et fraus, omnis superbia mentis et immunditia seu luxuria carnis, procul abjiciantur a Christifidelibus universis. His itaque obedire præceptis ad omnem pertinet Christianum. Propterea asserit Christus : Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit *Ibid.* 21.

D voluntatem Patris mei qui in cœlis est.

Præterea, de hac re pulcherrime loquitur beatissimus Augustinus libro de Nomine christiano, sic orsus : Christum unctum interpretari, sapientium nullus ignorat. Et tam magnum fuit in veteri lege ipsius unctionis mysterium, ut in Judaico populo non omnes eam, sed satis pauci meruerint accipere, videlicet sacerdotes, reges et Prophetæ : et hoc usque ad adventum Christi, in quo omnes credentes unguntur. Cujus unctionis exemplo quales

esse debeamus monemur, ut eorum in quibus tam sancta est unctio, sit non minus sancta conversatio. Ex sacramento enim unctionis istius, et Christi et omnium Christianorum nomen descendit. Quod nomen ille frustra sortitur qui Christum non imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es? Sed si Christianum te vocari delectat, ea quæ Christi sunt gere. Fœdum namque et miserum est, te velle vocari quod non sis. Qui Christianus vocatur, Christum se habere Dominum profitetur, et vere habet, si ei in omnibus obsequatur; si quo minus, ille non Christi famulus, sed subsannator est et irrisor, qui ejus se servum dicit, cui servire dissimulat. Huic ergo geminum damnationis judicium reservatur, videlicet, pro Dei subsannatione, quem sine causa Dominum appellat, et pro qualitate sui peccati.

Nemo ergo sibi blandiatur, nemo se vana et stulta suspicione decipiat; nemo idcirco securus delinquat, quoniam Deus non statim ulciscitur, ut ex hoc opinetur se impune peccasse, quod non illico puniatur. Altissimus enim est patiens redditor. (*Eccli.* v, 4.) Unde de Amorrhæis in Genesi loquitur: Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum. (*Gen.* xv, 16.) Quo exemplo manifeste instruimur, singulos impios secundum peccatorum suorum plenitudinem consummari, et tamdiu ut convertantur divinitus sustineri, quamdiu cumulum suorum non habuerint delictorum. Nemo se, inquam, fallat; malos Deus non amat, peccatores non amat, injustos non amat, sed bonos, justos, pios, humiles, innocentes, castos et mites. Non ergo nobis, ex hoc quod Christiani dicimur, blandiamur; sed videamus quam brutalis atque insipiens ille est, quam stultus etiam a gentibus judicetur, qui sibi nomen vindicat alienum. Quis enim tam vanus et miser est, qui se advocatum, quum nesciat litteras, audeat profiteri? Quis tam insanus et excors est, ut profiteatur se militem, qui nesciat arma gestare? Hinc scimus nullum sine actu nomen, sed omne nomen ex actu sortiri. Tu ergo quomodo Christianus diceris, in quo nullus Christi actus apparet? Christianus enim justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humanitatis, innocentiæ pietatisque nomen est: et tu istud nomen quomodo defendis et vindicas tibi, cui de tam multis virtutibus nec una inhæret? Christianus est qui sanctus, innocens, incontaminatus est; in cujus pectore malitia locum non habet; in cujus pectore sola pietas exsistit et bonitas; qui neminem novit lædere aut nocere, sed omnibus opem ferre; qui exemplo Christi nec inimicos odit, sed adversantibus benefacit. Et qui aliter agit, Christianum se esse mentitur.

Porro ille legis consummator et factor est, qui Deum ac proximum diligit, et neque in Deum neque in proximum peccat. Deum autem diligit, qui ejus in omnibus mandatis obtemperat, qui cœlestia ac divina cogitat, quærit et amat. Deus namque non nisi sanctitatis et justitiæ et pietatis amator est; et ille Deum veraciter diligit, qui non aliud quam quod Deus amat et approbat, operatur. Vide ergo quam justi, quam integri esse debeamus et sancti. Etenim sanctus Deus populum suum sanctum vult esse, atque ab omni contagione iniquitatis et injustitiæ alienum. Talem eum esse vult, tam justum, tam immaculatum et simplicem, ut in eo nihil inveniant infideles quod reprehendant, sed quod admirentur, et dicant: Beata gens cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hereditatem sibi. (*Ps.* xxxii, 12.) Tales esse convenit Dei cultores et servos, mansuetos, graves, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, ut quisquis eos viderit, stupeat, admiretur, et dicat: Vere hi homines Dei sunt. Ita se homo Dei exhibere debet et agere, ut nemo sit qui eum videre non velit, qui non audire delectet; nemo eum quum viderit, non Dei filium esse credat, ut Deus in suis glorificetur ministris. Deus enim nihil a nobis magis desiderat et requirit, quam ut per actus nostros nomen suum magnifi-

cetur ab omnibus, sicut scriptum est : A
Ps. XLIX, 14; CVI, 22. Sacrifica sacrificium laudis. Hoc est enim sacrificium quod Deus super omnes hostias quærit et diligit, ut per justitiæ nostræ opera nomen suum laudetur, et Deus verus esse, servorum suorum operibus comprobetur.

Illi ergo Deum diligunt, qui non aliud quam unde nomen ejus glorificetur exercent, nec eum in aliquo per inobedien-
Jacob. II, 10. tiam inhonorant. Nam si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, ut Jacobus ait aposto- B lus. Quicumque ergo justitiæ et misericordiæ opera non fecerit, non potest regnare cum Christo. Quisquis non fuerit humanus, pius, hospitalis, benignus et clemens, gehennæ non evadet supplicia. Quisquis malum fecerit, inimicus est Dei. Qui sine dolo non fuerit, partem non potest habere cum Christo. Qualem te esse oporteat, Apo-
Ephes. IV, 28-32. stolum audi dicentem : Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. C Omnis sermo malus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristari Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis. Omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo
Ibid. V, 3-5. donavit vobis. Impudicitia vero et omnis immunditia et avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, D aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote, quod omnis impudicus aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Dei. Itaque ille se judicet christianum, qui hæc præcepta custodit, qui sanctus, humilis, pudicus et justus est, qui in misericordiæ atque justitiæ operibus conversatur.

Hæc et multa similia in præallegato libro scribit clarissime Augustinus. Ex quibus certissime innotescit qualem esse oporteat quemlibet Christianum. Quæ idcirco in isto loco commemoro, ut evidentius elucescat ad qualem conversationem sacerdotes atque canonici, imo et omnes qui ad spiritualem Ecclesiæ statum pertinent, teneantur. Verumtamen de hoc unum adhuc formabo articulum.

ARTICULUS III.

Quam virtuosa et exemplaris esse debeat vita cujuslibet Christiani.

SIC luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Matth. v, 16. Locutus est Christus hæc verba, quibus monstratur omnem Christifidelem taliter conversari debere, quod vita sua cedat ad Dei honorem proximorumque ædificationem, ut manifeste sit justus, nec aliquem scandalizet. Hinc ad Philippenses scribit Apostolus : Sitis sinceri et sine offensa ; Philipp. I, 10; IV, 5, 8, 9. modestia vestra nota sit omnibus hominibus ; quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, hæc cogitate, et Deus pacis erit vobiscum. Propterea sancti patres Cassianus et Climacus dicunt tam virtuosam esse debere vitam Christianorum, ut quicumque, etiam infidelis, eos diligenter attenderit, ipsa veritate et æquitatis evidentia victus, fateri cogatur divinam ac sanctam esse legem quæ hujusmodi præcipit vitam. Unde ad sic conversandum Petrus apostolus in prima sua Canonica omnes Christianos hortatur, dicendo : Obsecro vos I Petr. II, 11, 12, 15. abstinere vos a carnalibus desideriis, conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vestris vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis : hæc est enim voluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.

Denique, quales esse debeant universi Christifideles, ipse sacratissimus Apostolorum princeps in præfata epistola compendiosissime docet: Omnes (inquit) estote unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles; non reddentes malum pro malo, sed econtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis. Estote prudentes, et vigilate in orationibus; ante omnia mutuam caritatem in vobis continuam habentes; et hospitales invicem sine murmuratione. Hinc asserit Augustinus: Ille vere est christianus, qui omnibus misericordiam facit, qui nulla omnino movetur injuria, qui alienum dolorem tanquam proprium sentit, cujus mensam nullus pauper ignorat; qui coram hominibus inglorius haberi non veretur, ut coram Deo et angelis glorietur; qui contemnit carnalia et terrena, ut possit adipisci cœlestia; qui opprimi pauperem se præsente non patitur; qui miseris auxiliatur, atque ad fletum alienis fletibus provocatur; qui se ipsum animose salubriterque mortificat, ut secundum evangelicam legem vivat, sicque voluntatem suam voluntati divinæ in cunctis subjicit et conformat. Hoc est quod asserit Cyprianus: Tota vita christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est atque martyrium. Hinc Gregorius loquitur: O Christiane, delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare; fortiter dimica, acriter contra hostes tuæ salutis, propriam carnem, mundum ac dæmones, pugna.

I Petr. III, 8, 9.

Ibid. IV, 7-9.

ARTICULUS IV.

De perfectione et excellentia evangelicæ legis.

Ps. XVIII, 8.

LEX *Domini immaculata, convertens animas.* De divisione legis in legem æternam et divinam, ac naturalem atque humanam, hic tractare omitto: quia et brevitati nunc studeo, et alibi, præsertim super Lucam et Job, plura inde scripsi.

Cf. t. IV, p. 471 D' et s.; XI, p. 365 A et s.

A Quamvis ergo, sicut ibidem ostendi, lex evangelica non solum omnem legem humanam ac naturalem, sed legem quoque Mosaicam in multis excedat (primo, quoniam ab ipso Dei unigenito Filio, vero utique Deo, immediate data atque proposita est; secundo, quoniam supernaturalem felicitatem manifeste promittit, et dona gratiæ quibus ad illam pertingatur confert, eo quod sacramenta gratiæ contentiva includat; tertio, quoniam nullum peccatum admittit, imo omne vitium puniendum testatur); verumtamen in hoc B clarissime demonstratur perfectio et eminentia novæ seu evangelicæ legis, quia persanctissime docet ac jubet interiores animæ vires reformari, earumque affectiones et actus rectificari: ut scilicet omne bonum creatum, commutabile ac caducum, ad summum et invariabile bonum finaliter ordinetur; sicque corporalia ad spiritualia, terrena ac temporalia ad æterna atque cœlestia referantur, imo (ut breviter tangam) omne creatum ad su- C pergloriosissimum Creatoris amorem, gloriam et honorem totaliter ordinetur.

Porro finis est mensura, ratio ac regula eorum qui ordinantur in ipsum. Idcirco Christiano non licet de bonis temporalibus, corporalibus et terrenis plus appetere, quærere aut amare, adipisci, possidere vel retinere, quam licet aut expedit animæ suæ in ordine ad ultimum finem, videlicet ad obtinendum felicitatem æternam in patria, ad proficiendum in gratia in hac vita. Si ergo ad corporalia et terrena quis D tantum afficiatur, aut tanta de eis acquirere moliatur, seu tanta de eis in usum suum accipiat vel sibi retineat, ut per hoc ad complacendum, obsequendum perfruendumque Deo inhabilitetur aut impediatur, inordinate se habet et peccat, nec media debite refert ad finem. Unde nec de alimentis neque de vestimentis et ceteris temporalibus rebus, plus aut aliter quid optandum sive sumendum est, quam necessitas corporis exigit, aut utilitas mentis permittit. Quo patet ad quam temperatam ac

sobriam vitam Christianus quilibet obligatur. Propter quod dixit Apostolus : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus. Et avaritia inordinatus temporalium divitiarum appetitus esse describitur.

I Tim. VI, 8.

ARTICULUS V.

Ad qualem conversationem teneantur canonici.

Ephes. IV, 1-3.

OBSECRO *vos in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, sollicitì servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Quamvis Christus in Evangelio multa præcepta atque consilia tradat, universa tamen evangelicæ legis consilia et præcepta certum est ordinari ad completam observationem seu perfectam adimpletionem præcepti dilectionis divinæ, quo dicitur : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute. Quamvis enim ad hujus præcepti custodiam omnes Christiani teneantur, non tamen æqualiter; sed quo aliqui fuerint in altiori Ecclesiæ gradu, statu, ordine seu officio constituti, eo præceptum istud plenius adimplere tenentur, observando ordinationes, canones seu statuta eis specialiter ultra evangelicam legem condita et præfixa, ut per hoc in Dei amore amplius crescant. Quoniam ergo canonici ad spiritualem Ecclesiæ pertinent statum, et divino obsequio singulariter deputantur, atque in choro quotidie divino adstant conspectui, Creatorisque sui laudibus mancipantur; sanctissimi Patres ac summi Pontifices ipsis canonicis quædam specialia præcepta atque statuta ediderunt, ac præceperunt ut vulgo ac laicis et sæcularibus hominibus virtuosius conversentur, divinæque majestatis condigni ministri exsistant.

Marc. XII, 30.

Hinc ait Bonaventura : Quoniam ordo est signaculum distinctivum et sequestrativum a populo, ut quis divino cultui sit totaliter mancipatus; ideo ordines præcedit distinctio quædam in tonsura atque corona, per quam temporalium et carnalium appetituum resecatio designatur et mentis elevatio ad æterna, ut totus ostendatur clericus esse ad divinum obsequium deputatus.

Denique, in Summa Pisana habetur : Clericus debet deferre rasuram in modum coronæ supra, et tonsuram capillorum ab infra. Cujus rationem asserit Thomas super quartum Sententiarum : quia corona est signum regni, et perfectionis, quum sit circularis; illi autem qui ministeriis applicantur divinis, adipiscuntur regiam dignitatem, et debent esse perfecti. Competitque eis subtractio capillorum ex parte superiori per rasuram, ad designandum quod mens eorum per temporalium occupationes a contemplatione divinorum retardari non debet; et ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus involvantur.

dist. XXIV.

Præterea, sicut in eadem Summa habetur, clericus sive canonicus duplici ornamento debet esse ornatus, videlicet interiori decore virtutum, et exteriori, qui præcipue consistit in quatuor. Primo, in incessu, ut non currendo, sed moderato et æquali gressu clerici incedant, sicque per hoc maturitatem et æqualitatem indicent mentis. Oculos quoque et linguam cunctaque membra debent sub freno castitatis et modestiæ coercere. Secundo consistit in habitu, ut non deferant vestes incisas et ligulatas, nec varii coloris, nec rubeas, nec virides, nec nimis longas aut breves, nec de serico, sed de lana, et non nimis pretiosas. Tertio, in cibo, quarto, in potu, ut in utroque temperantia observetur. Quemadmodum et distinctione 44 habetur, in convivio canonicorum et sacerdotum sex sunt præcipue observanda : ut scilicet vita absentium per detractionem non mordeatur, ut præsentes non irrideantur, ut vana et sæcularia non recitentur, ut verba sacræ lectionis ibi legantur et audiantur, ut cibus ac potus

cap. 6 et s.

non nisi ad sustentationem sumantur, et A ut in principio benedicantur, atque in fine laudes Domino referantur. — De his atque similibus multa in Raimundo et in Summa Durandi Summaque confessorum leguntur.

Postremo, in principio tertii Decretalium, titulo de Vita et honestate clericorum, de hac materia inter cetera fertur : Ut clericorum (id est canonicorum) mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni B libidinis vitio præcaventes, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde et mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, statuimus ut qui deprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius et districtius præcipimus observari, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna coerceat a peccato : videlicet ut ab officio suspen- C dantur, et ecclesiasticis priventur beneficiis. — Bona clericorum veniant in commune ; et in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant et quiescant. — Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur. — Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit. — Monasteria monialium si quisquam clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur ; et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis. — A crapula et ebri- D etate omnes clerici diligenter abstineant : unde vinum sibi temperent, et se a vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur, quum ebrietas et mentis inducat exsilium et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur. — Inhibendum est ut nullus sacerdos feminas de quibus suspicio esse potest, retineat. — Si presbyter, diaconus aut subdiaconus de quacumque femina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam et tertiam admonitionem inveniatur fabulari aut aliquo modo conversari cum ea, excommunicationi subdatur. — Cum clericis non permittantur mulierculæ habitare, nisi forte de illis personis existant in quibus naturale fœdus nil permittat criminis suspicari. — Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta ; mimis, joculatoribus et histrionibus non intendant ; tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti ; ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint ; coronam et tonsuram habeant convenientem, et se in officiis ecclesiasticis et aliis bonis studiis exerceant diligenter ; fibulas aut corrigias argento seu auro ornatas non ferant, nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.

(Decretal. lib. III, tit. 1, c. 13. — Ibid. c. 9. — Ibid. c. 2. — Ibid. c. 4. — Ibid. c. 8. — Ibid. c. 14. — Decretal. lib. III, tit. 2, c. 1. — Ibid. c. 2. — Ibid. c. 9. — Ibid. tit. 1, c. 15.)

Ex his clarissime innotescit, ad quam virtuosam, castam, sobriam exemplaremque vitam teneantur canonici atque presbyteri, et quam sancte et juste olim vixerint. Sed nunc status eorum, sicut et religiosorum multorum, ad deplorandam et maximam miserabilemque devenit ruinam. Nempe pro eo quod deberent præ ceteris Christianis rigorosius, spiritualius, temperantius ac timoratius conversari, jam lautius atque carnalius, negligentius et sumptuosius vivunt quam vulgus et sæculares seu laici : et hoc unde, nisi de patrimonio Christi ? Sed de hoc infra plenius est dicendum ; nunc tantumdem tetigisse sufficiat.

ARTICULUS VI.

Qualis esse debeat conversatio sacerdotum evangelicæ legis.

SACERDOTES *qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* In prima epistola ad Timotheum, itemque

(*Exod.* XIX, 22. — I *Tim.* III, 2-7; *Tit.* I, 7-9.)

in epistola ad Titum, docet beatus Apostolus quibus virtutibus debeant episcopi seu in episcopos consecrandi esse ornati. Sed quia in primitiva Ecclesia inter sacerdotes et episcopos non fuit distinctio, saltem quantum ad nomen, ut doctores et expositores concorditer adstruunt, idcirco quæ in præfatis epistolis scribit Apostolus de episcopis et ad pontificium promovendis, etiam de sacerdotibus et ad sacerdotium promovendis sunt intelligenda, quemadmodum sæpius Augustinus et Ambrosius protestantur.

Ait ergo divus Apostolus : Oportet episcopum (subaudi, et sacerdotem) irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non percussorem, non litigiosum, non cupidum, suæ domui bene præpositum, non neophytum. Quo utique testimonio demonstratur quam exemplaris, perfecta et sancta debeat esse sacerdotum conversatio quotidiana. Hoc quippe et ipsa sacerdotalia ornamenta quibus tempore celebrationis induuntur, designant atque requirunt. Sed multo, imo incomparabiliter amplius hoc exigit et requirit venerandissima immensaque dignitas, excellentia et sanctitas Sacramenti, quod consecrant, tractant, offerunt et manducant. Etenim corpus et sanguinem unigeniti Filii Dei conficiunt, Christumque verum Deum Patri æterno immolant, oblatumque sumunt. Denique, quo sacerdotium Christi seu evangelicæ legis præstantius est, eo sacerdotes ipsius ad vitam spiritualiorem ac perfectiorem tenentur. Imo angelicæ debent esse munditiæ : nam et in Scripturis angeli appellantur, juxta illud Malachiæ :
Malach. II, 7. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Quum enim celebratio et communicatio sint actus valde privilegiati, non sine actuali devotione sunt exercendi : imo cum devotione præcipua, reverentia mentis et puritate conscientiæ fieri debent. Et de tanto beneficio debet sacerdos Christo semper gratus existere, seque quotidie ad pleniorem gratitudinem dare, et mentem suam ab omni vitiorum macula servare immunem.

Ex quibus innotescit quam sceleratissima ac damnabilissima sit vita sacerdotum carnaliter et scandalizanter viventium ; qui avaritiæ, gulæ aut luxuriæ serviunt ; qui Dominum majestatis tam irreverenter contrectant, tamque indigne suscipiunt ; qui, ut ait Ambrosius, majorem Christo injuriam faciunt quam qui eum crucis patibulo affixerunt. Audiant ergo et contremiscant quod ait Apostolus : Quicumque I Cor. XI, 27. manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

Præterea, doctores concorditer asserunt, quod sacerdos in omni actu ad sacerdotale officium pertinente quem indigne facit, id est in mortali peccato scienter exsistens, peccat mortaliter. Terreat ergo sacerdotem immensitas periculi, et sicut tenetur, omni Prov. IV, 23 custodia cor suum custodiat, in omni sobrietate et castitate omnipotenti Domino obsequatur, quotidie in divino amore ac sancta devotione conetur proficere, omnibus se præbeat exemplarem. Nec solum mortalia, sed venialia quoque peccata cum omni diligentia vitare conetur, timorate ac sollicite in divinæ majestatis præsentia jugiter ambulando : quia nec aliter poterit diu mortalia vitare peccata, nisi et venialia studuerit declinare. Propter quod in Ecclesiastico veraciter scriptum est : Qui Eccli. XIX, 1. spernit modica, paulatim decidit ; et, Si Ibid. XXVII, 4. non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

ARTICULUS VII.

Contra pluralitatem beneficiorum, ex his quæ in libro Universalis boni conscripta sunt.

NE transgrediaris terminos antiquos Prov. XXII, 28. *quos posuerunt patres tui.* Quidam reverendus Pater de Ordine Fratrum Prædicatorum, secundum carnem nobiliter

natus, sed secundum spiritum nobilius conversatus, et magna scientia decoratus, qui et episcopus suffraganeus fuit et multum expertus, in libro suo qui communiter Liber Apum intitulatur, contra pluralitatem beneficiorum quorum unum ad victum sufficit, considerabiliter scribit : a cujus scriptis tanquam a facilioribus arbitror inchoandum. Itaque ait :

Volo ut quicumque hæc legerit, sciat me anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo tricesimo octavo fuisse Parisiis, ubi venerabilis Guillelmus Parisiensium episcopus, qui in theologia jam rexerat, convocationem fecit in Fratrum Prædicatorum capitulo omnium magistrorum : ubi proposita quæstione de pluralitate beneficiorum, solerti et valde longa disputatione probatum est, duo beneficia, dummodo unum valeret quindecim Parisienses libras, cum salute non posse teneri. Hoc determinavit prædictus episcopus, et frater Hugo Ordinis Prædicatorum, postmodum Romanæ curiæ cardinalis; hoc frater Guerricus, frater Joannes de Rupella Fratrum Ordinis Minorum; et alii quamplures magistri theologiæ determinaverunt etiam hoc in scholis propriis successive.

Fuerat autem habita disputatio valde longa et multo solennior ante annos tres, in qua etiam omnes magistri theologiæ, exceptis duobus, determinaverunt idem per omnia quod et supra. Quorum duorum unus fuit magister Philippus cancellarius Parisiensis, et magister Arnoldus, episcopus postmodum Ambianus. Agonizantem autem Cancellarium in morte dominus Guillelmus Parisiensis episcopus paterna sollicitudine visitavit, rogans eum ut singulari opinioni cederet de pluralitate beneficiorum, et omnia beneficia sua, excepto uno, in manus Ecclesiæ resignaret : et hoc, conditione media, ut si convalesceret, ei supplere vellet de suo proprio quod dimisit. Renuit ille, experire se velle dicens, utrum esset damnabile beneficia plura tenere. Mortuus est ergo sic. Post paucos autem dies, quum prædictus Parisiensis

A episcopus post Matutinas orare vellet, vidit inter se et lumen quasi umbram quamdam hominis tetram nimis. Elevata ergo manu consignat se, et si ex parte Dei sit, præcipit ut loquatur. Et respondit apparens : Alienus a Deo sum, et tamen mirabilis factura ejus. Et præsul : Tu quis es ? Et ille : Ego sum, inquit, Cancellarius ille miserrimus. Rursus episcopus elato altius gemitu : Et quomodo, inquit, tibi est sic dolenti ? Male, ait, imo et pessime, sicut qui damnatus morte æterna. Et episcopus : B Heu, ait, carissime ! et quæ causa est tuæ damnationis ? Et ille : Tres sunt, inquit, causæ quare morte perpetua sum damnatus. Una est, quod crescentes fructus annuos contra pauperes tumide reservavi. Secunda, quod contra sententiam plurimorum, de pluralitate beneficiorum quasi licite tenendorum sententiam propriam defensavi, et in hoc me periculo mortalis culpæ commisi. Tertia est, et illa gravissima omnium, quod abominabili carnis vitio in scandalum multorum multo tempore C laboravi. Et ad episcopum mox subjunxit : Estne mundus finitus ? Et episcopus : Miror, inquit, te quondam litteratissimum virum hoc quærere, quum me adhuc vivum cernas, et omnes nos adhuc viventes mori necesse sit, antequam mundus instante judicio finiatur. Et ille : Non mireris, inquit : quia nec scientia, nec opes, *Eccle.* IX, 10. nec ratio apud inferos venient. Et hæc dicens, umbra ab oculis mirantis evanuit. Ipse autem episcopus (non tamen sub persona, quasi ipse hæc vidisset) in præ- D dicatione sua hæc clericis omnibus recitavit.

Simili modo, quum quidam clericus maximæ litteraturæ agonizans in morte pro me mandasset, ut consilium quæreret quasi in proximo moriturus, reduxi ei ad memoriam disputationem illam solennem et determinationem de pluralitate beneficiorum Parisiis, cui ille interfuerat doctor magnus, consuluique illi cum magna instantia lacrimarum, ut unam præbendarum dimitteret, quoniam duas contra ani-

mam suam tenuerat, quarum una ad omnem vitæ copiam omni clerico sufficere posset. Tunc ille facie aversa dissimulans, hoc tantum respondit : Orate Dominum ut inspiret. Nec diu postea, quum recessissem, et tenuissimo spiritu vix hærente, hoc idem quod consulueram, ei quidam consobrinus ejus juvenculus cum maximis lacrimis inclamaret, quum voce non posset, manu innuens, exspiravit. Post cujus obitum, quum quidam ex nostris stupescens nimium cogitaret cur tantus homo et tantus clericus, si mortale peccatum esset plura beneficia retinere, in tali statu mortuus fuisset, mox quasi semivigilanti defunctus ille apparens, dixit : Hæc sola præbendarum causa est pro qua infelix ego æternaliter sum damnatus.

Super hac eadem quæstione, quum beatæ memoriæ Jacobus, tunc quidem Anconensis episcopus, postea vero Romanæ curiæ cardinalis, magistrum quemdam theologiæ probatissimum, Robertum de Corton, Romani apicis cardinalem, morientem interrogaret, respondit : Dico jam migraturus, quod mortale et damnabile est, dummodo unum competens sit, plura beneficia retinere. Hoc idem magister Petrus Comestor, sanctæ memoriæ cantor Parisiensis, et dixit et scripsit. Hoc idem magister Ginardus Cameracensis episcopus verbo hujusmodi confirmavit : Nollem, inquit, pro toto auro Arabiæ una tantum nocte duo beneficia retinere, et certus tamen esse quod de mane unum illorum homini idoneo conferretur : et hoc, propter incertæ vitæ discrimen. Super hoc etiam, narrante fratre Bernardo quondam pœnitentiario domini Papæ et fratre Ordinis Prædicatorum, quum beatæ memoriæ Papa Gregorius IX interrogaretur an posset de plenitudine potestatis cum plurium beneficiorum detentoribus dispensare, respondit : Non possum nisi tantum super vexatione detinentium dispensare. Quis ergo erit sapiens, qui fallat se ipsum, et sibi de dispensatione aliqua blandiatur ? Esto quod multi magistri dicant hoc, et multi alii opinentur contra-
A rium. Hoc solum ab Augustino doctore omnium maximo judicatur mortale, quod quis incertitudinis periculo aut mortalis peccati discrimini se committit. Noli ergo fieri sub trina invocatione divini nominis usurpator, ut sicut sub tribus personis invocatur et colitur Deus, ita tu, clerice aut sacerdos, duorum, trium aut quatuor vel plurium beneficiorum possessor exsistas. Lucifer angelus assimilari Deo voluit, et contemptibilius cecidit universis. Quanto ergo numerosior exstiteris in præben-
B dis, tanto te superbius non solum contra Deum, sed etiam supra Deum extollis.

Hæc omnia in præallegato scripta sunt libro : quæ si quis pluraliter beneficiatus legerit, mirum si non contremiscat seque emendet.

ARTICULUS VIII.

Contra pluralitatem beneficiorum, ex dictis Guillelmi Parisiensis episcopi.

C *VIRO qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus.* Prov. xxix, 1. Initium vitæ melioris et interioris curationis est docilem ac corrigibilem esse. Verba autem exhortationis, correptionis seu instructionis impatienter indignanterque ferre, signum est superbiæ, incorrigibilitatis obdurationisque animæ. Idcirco in libris Sapientialibus, præsertim in libro Proverbiorum, tot bona de corripiente et correptione, totque vituperia de spernentibus corripientem seu correptio-
D nem scribuntur. Saluberrimum quippe et inæstimabile bonum ac directioni vitæ humanæ summe necessarium est caritativa et justa correptio ejusque pia susceptio. Propter quod Salomon loquitur : Qui odit Ibid. xii, 1 increpationes, insipiens est. Egestas et Ibid. xiii, 1 ignominia ei qui deserit disciplinam ; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Non amat pestilens eum qui se corripit ; Ibid. xv, 1 qui vero acquiescit increpationibus, possessor est cordis. 32. Hæc sapientissimi Salomonis verba commemoro, ut legentem ad

piam ac humilem advertentiam horum quæ a præcipuis doctoribus scripta sunt provocem et inducam.

Nunc ergo tangenda sunt verba Guillelmi Parisiensis, doctoris profundi et uncti, quem etiam multi magni doctores audent S. Thomæ seu Bonaventuræ in sapientiæ eminentia parem asserere. Itaque libro de Collatione beneficiorum sic ait :

Post hæc aggrediamur disputare an liceat uni personæ multa habere beneficia quorum unum sufficit ad competentem ipsius sustentationem. In primis ergo, si de hoc videatur alicui dubitandum, quia a multis et magnis sentitur quod sic, atque a multis et magnis quod non, unde temerarium videri potest de hoc aliquid definire ; ad hoc dicimus, quia si dubium est utrum liceat hoc an non, ipsa dubietas certitudo est et determinatio (id est, certitudinem facit) quia non licet : quoniam procul dubio non licet alicui committere se discrimini. Discrimini autem se committit, qui præsumit aliquid facere de quo dubitat an mortale peccatum sit. Quum ergo, ut diximus, dubietas facit discriminosum hoc, idcirco vitandum est ex necessitate salutis, tanquam illicitum et mortale. — Hæc est prima ratio Guillelmi : quæ in verbis B. Augustini fundatur, dicentis quod mortaliter peccat, qui discrimini se committit. Talis namque non solum contra veram agit prudentiam tantis se periculis exponendo incaute, sed et contra caritatem divinam. In dubiis quoque certior eligenda est via.

Secundo sic argumentatur : Nullus dicit quod liceat plura talia beneficia habere, nisi qui plura habet talia beneficia, aut habere intendit. Ergo pro se ipso et pro causa propria testimonium dicit. Non est ergo verum sive conveniens ejus testimonium : unde nec ei credendum est.

II Thess. III, 10. Amplius, juxta Apostolum, qui non laborat, non manducet. Ergo qui non laborat dupliciter, non manducet dupliciter; et similiter, qui non laborat tripliciter, sicque deinceps.

A Amplius, si ratione laboris et operationis debetur ministris Ecclesiæ cibus, sicut ait Veritas, Dignus est operarius cibo suo ; *Matth.* x, 10. et alibi, Dignus est mercenarius mercede *Luc.* x, 7. sua : ergo non debetur duplex cibus nisi ratione duplicis laboris, et ita de aliis. Et huic rationi attestatur modus et forma collationis et investitionis beneficiorum. Nam ibi dicitur : Conferimus tibi beneficium istud, et investimus te de eo ad honorem Dei et servitium Ecclesiæ istius. Nullo ergo modo licet alicui habere plura B beneficia, nisi exsolvat quotidie plura hujusmodi servitia, præsertim quum beneficium sit propter officium. Ergo tria talia servitia oportebit persolvere habentem tria hujusmodi beneficia : alioqui defraudabit mortuos et viventes uno vel duobus servitiis, et tanquam fur et latro percipiet unum vel duo illorum emolumentorum.

Amplius, quis dubitat de fundatoribus Ecclesiarum et præbendarum, quin sicut certum numerum voluerunt habere servitiorum, sic et servitorum, et ipsa quoC que servitia esse juxta numerum servitorum ?

Quod si dixerit aliquis, quia una est Ecclesia tota ac universalis, ergo qui servit in una, servit in duabus vel tribus ; contra hoc arguitur, quia pari ratione servire dicetur in omnibus : ergo injuste agitur cum eo, quod in omnibus Ecclesiis non percipit fructum seu redditus, quum æqualiter serviat in omnibus. Causa enim quam ponit serviendi in omnibus, æqualis est in omnibus, videlicet unitas Ecclesiæ D universalis. — Amplius, si uno servitio sufficienter satisfit Deo de tribus Ecclesiis atque animabus propter quas fundatæ sunt, sicut eisdem satisfieret tribus servitiis : ad quid ergo est tanta multitudo et varietas servitiorum vel etiam servitorum ? — Amplius, magis unita est in se Carnotensis Ecclesia, quam sit Parisiensis Ecclesia vel quæcumque alia simul cum illa. Si ergo unitas illa qua sibi invicem unitæ sunt prædictæ Ecclesiæ, efficit hoc, ut unus canonicus vel servitor sufficiat pro dua-

bus, et unum servitium pro duabus, ita quod una persona possit obtinere duas illarum Ecclesiarum præbendas; multo fortius unitas ipsius Ecclesiæ Carnotensis sufficienter efficiet ut una persona obtineat in Ecclesia Carnotensi duas præbendas aut plures. Hoc autem nullus ausus est dicere, nec aliquis episcoporum præsumpsit hoc facere. — Amplius, facilius, commodius meliusque per omnem modum potest quis deservire duabus præbendis vel pluribus in eadem Ecclesia, quam in diversis, in quibus dispersus est atque divisus. In una quoque potest esse assiduus, in diversis autem non nisi interpolatus. Ergo multo fortius licet cuicumque personæ plures præbendas obtinere in eadem Ecclesia quam in diversis; sed hoc nullus dicit licere : ergo multo minus id licere putandum est.

Amplius, nemo dubitat quin tres servitores et tria servitia æqualia per omnem modum, hoc est in magnitudine et numero et merito, triplum sint ad unum servitorem et ad unum servitium. Quare qui Deo et animabus non dat nisi unum illorum servitorum unumque servitium, triplo minus dat Deo, similiter et Ecclesiis et animabus, quam qui tres illorum servitorum dat ei triaque servitia. Si ergo fuerint duo prælati taliter facientes, quis audebit dicere quod æque bene faciat qui Deo et Ecclesiæ ejus et animabus non dat nisi unum servitorem et unum servitium, ut ille qui dat triplum per omnem modum? — Quod si dixerit quis, quod melius faciat qui dat tres servitores atque servitia totidem, quam qui dat unum dumtaxat, utrumque tamen sufficit; quærimus cui sufficit hoc. Animabus enim quæ torquentur in igne purgatorii, non sufficit hoc : quoniam aliter accelerant liberationes earum tres Missæ quam una earum; et ita de aliis suffragiis. Aliter inaniter multiplicarentur pro eis ecclesiastica suffragia. Si autem dixerit quod Deo sufficiat, hoc manifeste falsum est : quoniam ad majorem gloriam sunt ei multi præcones laudum ipsius quam unus

A ipsorum. Alioqui ad quid institutæ essent tot et tantæ Ecclesiæ collegiatæ, totque chori canentium laudes ipsius? Si autem dixerit quod sufficit ipsis Ecclesiis, et hoc quis dubitat esse falsum? Quæ enim Ecclesia est, nisi forte malignantium, quam *Ps.* xxv, 5. Deus odit, quæ non velit habere integritatem totius corporis sui et universitatem membrorum suorum? Quæ (inquam) est, quæ parte corporis sui velit esse contenta, nisi quæ est magis synagoga Satanæ quam *Apoc.* ii, 9. Ecclesia? Quod si dixerit quod sufficit B prælato, vel intelligit sufficere ei ad meritum, et hoc est impossibile manifeste; sed revera ei sufficit ad gehennam. Defraudare enim Deum præconibus gloriæ suæ atque præconiis, et Ecclesiam membris suis ac membrorum officiis, animas quoque tam vivorum quam mortuorum patronis simul et patrociniis, indigentesque fratres suffragantibus atque suffragiis, sufficiens meritum et causa est damnationis æternæ. Quod si dixerit quod sufficit habenti vel recipienti unum servitium pro multis be- C neficiis; respondemus quod intolerabilis præsumptio est eousque existimare et appretiare servitium suum, videlicet ut unum ejus servitium valeat duo vel tria aut quatuor, seu decem vel mille similia servitia totidem bonorum virorum. Neminem autem adhuc vidimus qui in istum impudentiæ ac imprudentiæ ausum prorupit.

Amplius, conductus vinearius ad unam vineam excolendam vel agrum unum, si quis eum ad aliam vineam eodem tempore excolendam conducere voluerit, repellet eum, D et dicet se esse conductum ad aliam excolendam, et suam operam jam locasse, atque durante hujusmodi suæ conductionis seu locationis contractu, non posse simul et alium servare contractum *. Si ergo hujusmodi operarii in istis minimis tantæ fidei et voluntatis esse volunt, ut ad duas hujusmodi operationes simul agendas se conduci non patiantur : quanto fortius hoc in spiritualibus est servandum, ut conductus pretio stipendii æterni et etiam temporalis ad operandum in una Ecclesia,

* non potes simili servire contractu

I Cor. III, 9. quæ et vinea et ager et ædificatio spiritualis est, ut ait Apostolus, conductus, inquam, id est institutus, sustinere non debet ad operandum in Ecclesia alia se conduci, donec sit absolutus a prima conductione?

Idem est de advocatis. Conductus enim advocatus ad aliquam causam tempore certo agendam, non patitur se conduci ad aliam eodem tempore ventilandam. Quoniam ergo omnis in Ecclesia beneficiatus aut titulatus, ad agendam causam animarum ad Ecclesiam illam pertinentium specialiter advocatus constitutus est, atque ad certas allegationes pro eadem proponendas, quas ei mutare non licet aut subticere; manifestum est quod non potest similem suscipere causam eodem tempore expediendam. Allegationes autem de quibus diximus, sunt psalmi, lectiones, sive collectæ, sive orationes, et cantationes : quas nec mutare alicui licet contra morem suæ Ecclesiæ, nec subticere. Quamvis enim generaliter servitores Ecclesiarum generales advocati constituti sunt animarum, specialiter tamen et speciales advocati constituti sunt animarum quarum beneficiis temporaliter sustentantur, et earum quæ parochianæ * sunt Ecclesiarum suarum, aut comparochianæ eorum. Quoniam ergo uno eodemque tempore diversis causis et allegationibus satisfacere non potest unus et idem advocatus, hinc manifestum est quod non potest advocatus esse ad plurium hujusmodi ecclesiasticarum causarum expeditionem simul una eademque persona. Hoc autem est, esse canonicum duarum Ecclesiarum : ergo non licet. Ad idem solemus similitudinem inducere de feudis. Sicut enim ratione uniuscujusque feudi debetur certum servitium, ita et ratione uniuscujusque præbendæ. Quare, quemadmodum quot feuda unusquisque tenet, tot debet inde servitia; sic quot præbendas vel beneficia unusquisque detinet, tot debet inde ecclesiastica servitia, hoc est tot paria horarum et aliorum hujusmodi.

* parochiæ

Amplius, Ecclesia Dei nihil habet substantialius quam corpus suum, et membra ex quibus compacta est et constructa; nihilque habet Deo acceptius quam sanctitatis gratiam et divini cultus servitium. Hæc autem pluralitas præbendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, corpus Ecclesiæ magna sui parte detruncat et mutilat, dum pro decem seu multis membris non habet nisi unum, et quandoque pro tribus vel quatuor non habet unum. Quum enim aliquis obtinet loca decem præbendarum in decem Ecclesiis, decem illæ Ecclesiæ pro decem membris non habent nisi illum; et hoc modo de aliis. Respice igitur Ecclesiam Dei quantum ad clerum, et vide quot sunt quibus competit nomen illius dæmonis qui in Evangelio ait : Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Nam et isti sic multi sunt : unusquisque enim illorum unus est in persona, multi in beneficiis. Respice, inquam, multitudinem hujusmodi hominum, et videbis quanta portione detruncetur per eos corpus Ecclesiæ, et videbis quod alius detruncat Ecclesiam duobus membris, alius tribus, alius pluribus usque ad incredibilem numerum. Quod ut clarius elucescat, ponamus exemplum. Si enim licet uni personæ habere quadraginta præbendas, esto quod quadraginta sint Ecclesiæ quarum unaquæque quadraginta canonicos habeat, et ponamus quod quadraginta personæ habeant omnes illas præbendas. Ergo vides manifeste, quod pro quadragesies quadraginta personis non habet Deus seu Ecclesiæ illæ quadraginta nisi quadraginta personas, et pro quadraginta canentibus non nisi unum. Similiter et pro mille sexcentis præconia gloriæ suæ et laudes divinas cantantibus, non habet Deus nisi quadraginta. — Jam ergo manifestum fecimus quod diximus : quia id quod habet Ecclesia Dei substantialius, videlicet corpus suum, ita detruncat ista pestis ac mutilat; id quoque quod habet acceptius, scilicet honorificentiam cultus divini, taliter mutilat ac detruncat.

Marc. v, 9.

Quo patet quam perniciosa sit pestis ista Ecclesiæ Dei. Ideo exterminanda est totis studiis ac viribus ab eadem, tanquam ignis devorans ipsum corpus Ecclesiæ ac membra ipsius, atque ut pestis idololatriæ, avaritiæ et damnandæ ambitionis, vastans et auferens ex magna parte honorificentiam cultus divini.

Amplius, quærimus ab hujusmodi avaris et ambitiosis, ut videtur, an hujusmodi multa beneficia quærant ac teneant ex caritate, an ex cupiditate vel ambitione. Si dicant quod ex caritate, non est qui eis credat. Non enim ex caritate Dei et proximi tanta damna suffragiorum proveniunt, nec ex caritate ipsi Ecclesiæ, quæ multo plus diligenda est quam proximus quivis, tantam sui inferunt vastationem et mutilationem. Quod si ex cupiditate vel ambitione se sic facere profiteantur, ex ore proprio judicentur.

Amplius, Ecclesia collegiata vel conventualis corpus unum est per se. Impossibile autem est unum membrum esse duorum corporum naturaliter, nisi per errorem naturæ monstruose contingat : quemadmodum accidit in mulieribus quæ ab umbilico supra duæ erant, ab umbilico autem inferius una. Quum ergo corpus naturæ exemplum sit corporis gratiæ, quod est
I *Cor.* xii, 12 et seq.; *Ephes.* i, 23; iv, 12, 16; v, 23; etc. Ecclesia, sicut in multis locis ostendit Apostolus ; non potest esse nisi monstruosa in corporibus gratiæ hujusmodi membrorum unitas, sive coagmentatio vel com-
Act. iv, 32. municatio. Quamvis autem multitudinis credentium sit cor unum et anima una, unitate scilicet fidei contra divisionem hæresum, et unitate caritatis contra scissuras schismatum; tamen essentialiter sunt multa membra universalis Ecclesiæ, et particularis, ut parochiæ sive conventus. Et quemadmodum diversitas officiorum requirit in corpore naturali diversitatem membrorum, ita et in corpore gratiæ diversitatem exigit membrorum seu perso-
Rom. xii, 4. narum ; et sicut in corpore naturæ omnia membra non eumdem actum habent, nec unum est plura, ita et in corpore gratiæ

A esse debet, quod ab omni deformitate monstruositatis tanto debet esse remotius quanto nobilius est Deoque gratius. Hoc autem indubitanter monstruositas est, ut oculus sit manus, aut manus sit oculus. I *Cor.* xii, 12 et seq.
Non potest ergo esse, ut qui est archidiaconus in una Ecclesia, sit præpositus in alia, et idem de similibus dignitatibus.

Amplius, iste qui obtinet officium vel beneficium in una Ecclesia, est de corpore illius et membrum ipsius. Si ergo vocetur ad Ecclesiam aliam, aut remanet
B in Ecclesia priori, aut non remanet. Si remanet, ergo non transfertur ad aliam, nec collocatur in ædificio illius, seu in corpore ipsius : sicut lapis qui remanet in ædificio domus alicujus, non ædificatur nec ponitur in ædificio alterius. Si vero non remanet, habemus intentum. Et considera diligenter similitudines istas, quia sunt valde expressæ. Ecclesiæ enim, et domus et civitates et ædificationes sunt. Jerusalem enim ædificatur ut civitas, te- *Ps.* cxxi, 3.
ste Psalmista. Et Apostolus ad Corinthios
C ait : Dei cultura estis, Dei ædificatio estis. I *Cor.* iii, 9.

Amplius, Christus in Evangelio ait : Om- *Matth.* iii, 10; vii, 19.
nis arbor quæ non facit fructum, etc. Ubi Eusebius in homilia ait : Quædam arbores sumus in agro Domini complantatæ. Diversæ ergo Ecclesiæ, diversi sunt agri. Impossibile est autem eamdem arborem in diversis agris simul esse plantatam ; et si plantata fuerit in uno, impossibile est ut (nisi evulsa fuerit ab illo) plantetur in alio. Quoniam ergo canonicorum in Ecclesia institutio est spiritualis plan-
D tatio arborum in hortis, impossibile est clericum plantatum, hoc est institutum, in una Ecclesia, nisi inde evulsum, plantari, id est institui, in alia. Idem posset probari per simile in vineis et vitibus.

Amplius, nemo est qui vellet habere servum comedentem tantum quantum tres vel quatuor, et non operantem nisi quantum unus ; similiter neque equum. Et si quis vellet ei dare talem servum aut equum, non grataanter acciperet, imo respueret. Quid ergo sunt habendi clerici

qui decem clericorum comedunt beneficia, et non reddunt nisi singula seu unica servitia, nisi servi vel equi quos diximus? Sed et de dispensatore suo quid faceret quicumque dominus, si uni ex servis vel equis daret decem præbendas seu portiones, singulis autem aliorum non nisi singulas? Nonne eum tanquam dissipatorem puniret? Similiter et rex, si dux exercitus sui daret uni ex bellatoribus, qui tamen non valeret nisi unum, decem bellatorum stipendia, nonne fraudem regi dux ille faceret, et victoriam adversarii contra regem proprium procuraret? Ubi enim rex deberet habere mille bellatores, per hanc viam non haberet nisi centum. — Quantum minuat ac debilitet Dei exercitum pestis ista, scilicet pluralitas beneficiorum, et quam gravi animadversione feriendi sunt a Deo hujusmodi proditores, ducis hujus exemplo manifestum est satis. Nullus enim hujusmodi multiplicium ac multiplicatorum hominum audet dicere aut etiam cogitare, quod ipse valeat tot bellatores (qui bellatorum nomine digni sint) in exercitu Dei, quot stipendia obtinet. Simili modo de advocatis se habet, ac vinitoribus aliisque operariis. Nullus enim eorum unquam ausus fuit dicere vel cogitare, quod tantum possit in causa animarum alleganda, quantum decem boni advocati; vel in vinea Domini excolenda, quantum boni decem vinitores; sicque de aliis. Quomodo ergo decem salaria vel decem mercedes operariorum percipere vel detinere præsumunt, nisi per fraudem et furtum?

Porro, quam ridiculosum sit quod quidam dicunt, quod unus potest habere quotlibet et quantumcumque pinguia beneficia, dummodo ea bene expendat, hinc patet. Licet enim medicus salarium in quantumcumque pios usus expendat quod ab ægro pro eo curando recepit, non propter hoc satisfit ægro aut minus ægrotat, nisi ei a medico succurratur. Idem dicimus de bellatore : quia quantumcumque large sive magnifice expendat stipendia, A non propter hoc minus vincitur, nisi viriliter pugnet; nec rex minus exheredatur, cujus bellum agi debuit. Similiter de vinitore et advocato eis objici potest. Non enim solam dispensationem temporalium proventuum suscipiunt clerici in sua institutione vel evocatione, sed officia ipsa medicandi sauciatum, de quo legitur in *Luc.* x, 30.
Luca, et officium agendi bellum Dei; similiter et officium allegandi causam animarum, et officium operandi in vinea Domini.

B Quod si dixerit quis, quia in beneficiis ecclesiasticis inveniuntur quædam quæ sunt dupla vel tripla vel etiam decupla ad alia; ergo æque possunt haberi decem parva ut unum pingue quod valeat decem alia : hic est homo qui loquitur ut cogitat. Loquitur enim ac si beneficium hujusmodi non haberet nisi temporalitatem : tunc enim procul dubio parvum esset habere unum tale vel decem talia. Nec cogitat hujusmodi homo onus spirituale uniuscujusque sufficientis seu competen- C tis beneficii, quod pro quantitate virium satis onerat unam personam. Neque considerat hujusmodi homo, quod beneficium ecclesiasticum et religionis, religiosum est officium, ligans et arctans personam suam ad hoc ut alia non usurpet, nec etiam sibi imponi patiatur. Et revera hujusmodi canonici horreales sunt sive sæculares, non affixi Ecclesiis quemadmodum stellæ suis cœlis, sed horreis avaritiæ et cellariis corde incubant, et vinculis avaritiæ illis alligati sunt, vel potius in ipsis affixi. Et D sicut monachos quosdam solemus dicere coquinarios seu refectorios, pro eo quod corde in coquina vel in refectorio solum versantur; sic et istos, non veri nominis canonicos, sed horreales (ut dixi) aut cellarios nuncupamus. Et ut loquamur apertius, non clerici vel canonici, sed magis equi et asini sunt habendi, utpote præsepibus ad comedendum corporaliter alligati. Non enim præbendam clericalem, quæ portio est spiritualium bonorum, videlicet gratiæ et gloriæ, quærunt vel diligunt,

sed solas præbendas asinarias vel equinas, quæ utique portiones temporalium sunt bonorum. Equi enim nostri et asini nostri sunt corpora nostra : de quibus in declamatoriis sermonibus et exhortationibus multa jam diximus. — De beneficiis autem insufficientibus manifestum est quod non requirunt singula servitia, et propter hoc aliis adduntur aut uniuntur.

Si quis objecerit nobis de Ecclesiis in quibus non compellitur fieri residentia, dicimus quod non est libertas ex constitutione et fundatione, sed ex longa consuetudine et usurpata clericorum malitia. Si tamen in aliquibus est, in paucissimis est.

Quod si quis objecerit nobis de dispensationibus apostolicis, dicimus quod illæ supra nos sunt, et quod juridice diligentius consideratæ, jura sunt; et de communi * dispensatione rite facta idem sentimus, nec interpretari præsumimus. Hoc tamen indubitanter sentiendum est, quod Romanus Pontifex quantumcumque largam dispensationis gratiam videatur facere in beneficiis cum aliquibus personis, tamen nec dispensat nec dispensare potest cum avaritia, cupiditate vel ambitione earum, nec indulget eis indulgentiis suis, ut his vel aliis vitiis indulgeant. Non enim intendit nutrire pestes vitiorum de temporalibus bonis Ecclesiæ, quæ plene novit ad sustentationem servorum Dei in ejus servitio sacrificata esse Domino et oblata.

* omni

Ecce quam profunde, subtiliter, devote et evidenter doctor iste egregius præfatam beneficiorum pluralitatem reprobat et condemnat. Et certe qui tot talibusque rationibus non assentit ac paret, nimis excæcatus ac induratus videtur.

ARTICULUS IX.

Contra pluralitatem beneficiorum, ex dictis S. Thomæ.

Is. v, 21. VÆ *qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.* Sicut paupertas spiritus, sive humilitas, qua quis sibi ipsi vilescit seu parvus videtur, præcipue mentem disponit ad illuminationem divinam, in qua veritatem et quidquid ad animæ spectat salutem, limpidissime cernat; ita superbia, qua quis propria æstimatione magnus, præclarus et sapiens est, maxime impedit hominem ab illustratione superna, et mentem ejus ita obtenebrat atque indurat, ut ei quod verum atque salutare est, nec dici queat, nec efficaciter persuaderi. Nemo ergo pluraliter beneficiatus tam sapiens sit in oculis suis, neque sic animam suam despiciat, palpet aut negligat, ut tam sublimium tamque sanctorum doctorum contra pluralitatem beneficiorum scribentium dicta abjiciat, sed diligentissime ea advertat.

Nunc ergo quid S. Thomas de hac scribat materia introducam. Itaque in Quodlibetis suis more suo pro utraque parte arguens, primo sic arguit :

Videtur quod habere plures præbendas sine cura animarum absque dispensatione, sit peccatum mortale, quia est contra decretum Urbani Papæ, quod incipit, Sanctorum canonum ; quo dicitur : Omnino aliquem in duabus Ecclesiis titulari non liceat, sed unusquisque in qua titulatus est, in ea tantum canonicus habeatur. Præterea quædam Decretalis dicit : Clericus ab instanti tempore in duabus non connumeretur Ecclesiis : negotiationis enim est hoc, et turpis lucri commodum, et ab Ecclesiæ consuetudine penitus alienum. Præterea Bernardus dicit : Unus in persona, non unus, sed plures est in beneficiis, non plures est in officiis : ergo plures erit in suppliciis. Et sic gravissime peccat. — Sed contra est, quod illud quod vergit in animarum periculum, non est ab Ecclesia sustinendum : sed Ecclesia sustinet ut aliqui communiter habeant duas præbendas.

Quodlib. IX, a. 15.

Decret. p. I, dist. 70, c. 2.

Ibid. p. II, caus. 21, q. 1, c. 1.

Respondendo ad hanc quæstionem, et determinando eam secundum jus naturale, sic videtur dicendum, quod actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam enim habent deformitatem insepa-

rabiliter annexam : ut fornicatio, adulterium, et alia hujusmodi, quæ nullo modo bene fieri possunt. De numero talium actionum non est habere plures præbendas. Alias enim in nullo casu dispensationem recipere posset : quod nullus dicit. — Quædam vero sunt actiones de se indifferentes ad bonum et malum, ut levare festucam : inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas, sicut habere plura bona *. Quod non videtur verum, sed fictum, quum hoc quod est plures præbendas habere, plures in se inordinationes contineat : utpote quia non est possibile aliquem simul in pluribus Ecclesiis deservire in quibus est præbendatus, quum præbendæ ad hoc videantur ordinatæ, ut sint quasi quædam stipendia ibidem ministrantium Deo. Sequitur etiam diminutio cultus Dei, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset. Sequitur quoque inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, alius nec unum acquirere potest ; et multa alia hujusmodi, quæ de facili patent. Unde non potest contineri inter actiones indifferentes, et multo minus inter illas quæ sunt de se bonæ, ut dare eleemosynam. — Sunt vero quædam actiones quæ absolute consideratæ, deformitatem seu inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis supervenientibus fiunt bonæ : sicut occidere hominem vel percutere, in se deformitatem quamdam importat ; sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse plures habere præbendas. Quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen tales circumstantiæ possunt supervenire ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur : utputa si sit necessitas unius personæ obsequii

* poma

A in pluribus Ecclesiis, et possit plus servire Ecclesiæ vel capitulo* absens quam alius præsens ; et si qua alia sunt hujusmodi. Et tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantum jus naturale : quia dispensatio ad jus naturale non pertinet, sed tantum ad positivum. Si vero aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior et lautius vivat, et ut facilius ad episcopatum perveniat in aliqua Ecclesia in qua est præbendatus ; non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur : quia cum tali intentione et unum beneficium habere, quod in se nullam inordinationem importat, esset illicitum. Et sic quidem esset dicendum secundum jus naturale, etiam nullo jure positivo superveniente.

* tantumdem

Nunc autem certum est per antiqua jura hoc esse prohibitum. Patet tamen huic prohibitioni consuetudinem esse contrariam, per quam quidam dicunt illa jura esse abrogata : nam per contrariam consuetudinem jura humana abrogantur. Quidam vero dicunt per hanc consuetudinem antiqua jura non abrogata, quoniam Decretalis quædam dicit : Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium fuerint deducta, cogente justitia cassarentur. Et hæc controversia, quantum ad hoc, juristis est relinquenda : quamvis hoc videatur esse probabile, quod quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationabilem ; quantum vero ad hoc quod solum de jure positivo continent, possunt esse abrogata, præcipue si dissimulantes hanc consuetudinem, in quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare in corruptelam. Si ergo antiqua jura quæ habent prohibitionem, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante ; certum est non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione, etiam

Decretal. lib. III, tit. 5, c. 18.

simul circumstantiis supervenientibus quæ A secundum considerationem juris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem laudabilem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures præbendas habere : sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcumque dispensatio interveniat, eo quod dispensatio non aufert ligamen juris naturalis, sed bene juris positivi, quod per hominem statuitur atque per hominem dispensari potest. — B Hæc Thomas. Loquitur etiam hic Doctor circa finem hujus responsionis opinative magis quam assertive, quantum ad aliqua. Sed quod ipse opinando pertransit, Udalricus in Summa sua assertive determinat, quemadmodum mox patebit.

Denique, quamvis Thomas videatur de hac quæstione mollius loqui quam doctores supra allegati et infra allegandi, tamen, si verba ejus rite pensentur, rigorosa sunt valde. Clarissime etenim asserit, quod hoc quod est plures præbendas habere, plures C inordinationes continet in se. Igitur bonum est, incertum pro certis relinquere. Item, quod plures præbendas habere, secundum se et absolute consideratum, deformitatem inordinationemque contineat, nec liceat, nisi sit necessitas in pluribus Ecclesiis unius personæ obsequii, illaque possit utilior esse Ecclesiæ absens quam alia præsens. Quod autem in tali casu sit licitum, imo et in quibusdam aliis, ceteri quoque doctores contra pluralitatem beneficiorum scribentes concedunt, ut infra dicetur. Ve- D rumtamen, sicut item deducam, isti casus paucissimos aut nullos tempore isto excusant.

Postremo, quod Thomas tangit de dispensatione, ipse non satis diffuse ac profunde prosequitur : quia etsi Papa valeat dispensare et jura positiva mutare, non tamen secundum conscientiam et coram Deo hoc licite potest absque rationabili causa, quæ debet esse vel urgens necessitas, vel vera evidensque utilitas, ut ipsi quoque beatissimi summi pontifices Leo et Gelasius protestantur, et S. Bernardus affirmat, sicut de hoc forte plenius dicam. Quum igitur Decretalis apertissime dicat, Clericus ab instanti tempore in duabus non connumeretur Ecclesiis, negotiationis enim hoc est, et turpis lucri commodum, et ab Ecclesiæ consuetudine (haud dubium quin laudabili) penitus alienum : quis tantæ erit cæcitatis atque dementiæ, ut affirmet quemcumque Pontificem posse jus illud absque rationabili causa mutare, cassare seu revocare ? Nempe quod rationabiliter salubriterque statutum est, non irrationabiliter seu voluntate humana est revocandum.

Decret. p. I, dist. 55, c. 1; p. II, caus. 1, q. 7, c. 18, 23.

ARTICULUS X.

Contra pluralitatem beneficiorum, ex Summa virtutum et vitiorum.

In timore Domini esto tota die, et ne innitaris prudentiæ tuæ. Quum in medio laqueorum versemur, præcipue indigemus Dei timore. Timor quippe retrahit hominem a peccatis, facitque eum diligentem atque sollicitum ad cavendum imminentia sibi pericula. Ideo Salomon ait : Beatus homo qui semper est pavidus. Quum itaque tot ac tantorum doctorum auctoritatibus rationibusque monstratum sit vitiosam esse beneficiorum pluralitatem, quod semper intelligo nisi in casibus infra ponendis, qui casus quum rarissimi aut planissimi sint, multi doctores absolute affirmant pluralitatem beneficiorum esse damnabilem, dum unum habenti sufficit secundum statum suæ personæ : quum, inquam, sit ita, si quis pluraliter beneficiatus his auditis et lectis non veretur, sed irridet aut indignatur, signum est insipientis durique cordis, ac propriæ prudentiæ pertinaciter innitentis. Non enim mentitur Scriptura quæ loquitur : Homo sapiens in omnibus metuit ; et denuo : Qui sine timore est, non poterit justificari. Imo, teste B. Gregorio, piæ mentis est illic timere

Prov. XXIII, 17; III, 5.

Eccli. I, 27.

Prov. XXVIII, 14.

Eccli. XVIII, 27.

Ibid. I, 28.

culpam, ubi nulla est culpa. Unde si quis A non metuat ibi esse culpam, ubi summi devotissimique doctores apertissime dicunt et probant esse culpam mortalem, nonne intimorati et insensati cordis est hoc?

Nunc ergo tangendum quid in præfata Summa de ista scriptum sit quæstione, scilicet, an liceat uni beneficia plura habere. Circa quod ibi sic scribitur :

Sequitur de signis avaritiæ in Ecclesia Dei. Primum signum est, quum unus habet multa beneficia ecclesiastica quorum B unum sufficeret ei secundum personæ suæ statum. Quod quidam de consilio avaritiæ exsistentes, licitum dicunt. De quorum numero quidam dum diu asseruisset hoc esse mortale peccatum, quando videlicet non nisi unum beneficium habuit, dato sibi secundo beneficio, asseruit quod licite quis posset beneficia plura habere ; et addidit, quod nullus posset hoc intelligere, nisi qui ea haberet. Cujus talis ratio potest assignari. Impietas namque est oculus impii : sicque cupiditas oculus est avari ; et C ita de ceteris speciebus peccati. Hinc accidit quod alicui luxurioso videtur aliqua mulier quam fervide amat, pulchra, quum in veritate sit turpis : et hoc ideo, quoniam oculo luxuriæ respicit eam. Alius vero qui eam tali oculo non intuetur, non judicat eam pulchram. Amor etiam nimius impedit rectum judicium, facitque rem plus æstimari quam est. Sic ille in quo est oculus avaritiæ, videt quod aliquis possit habere plura beneficia ecclesiastica, visione falsa sive phantastica. Qui vero D non habent oculum avaritiæ, non vident hoc, sed dicunt esse illicitum.

Quod multipliciter probatur. Primo sic. Tria distinguuntur principia operationum nostrarum, videlicet natura, gratia et vitium. Quum ergo quis habet vel habere vult plura hujusmodi beneficia, vel natura est principium hujus operationis, vel gratia, vel vitium. Et videtur quod non natura : quia natura paucis contenta est, et exigua optat, ut loquitur Seneca. Nec gratia : quoniam gratia paucioribus contenta est quam natura, præsertim quum gratia sitim terrenorum exstinguat, Augustino dicente : Qui biberit de fluvio paradisi, cujus gutta una major est toto Oceano, restat ut in eo exstincta sit sitis mundi. Præterea, Deus consulit summam paupertatem : *Matth.* XIX, 21. non ergo est verisimile quod gratia ejus consulat contrarium, scilicet temporalium multiplicationem, quæ in pluralitate beneficiorum quæri videtur. Insuper, pluraliter beneficiati in fine vitæ suæ non audent retinere multitudinem beneficiorum suorum : non ergo gratia Dei instigavit eos ad illa. Et si gratia amoreque Dei possederunt ea, desiderare debent ut in tali statu a Domino inveniantur, quatenus dignam ab eo mercedem recipiant. Et si unctio gratiæ tempore sanitatis docuit eos beneficia esse multiplicanda, ipsa in statu infirmitatis, quum major est atque devotior, non permittet eos de hoc dubitare. Amplius, Augustinus fatetur : Fidem veraciter non habet, qui in his miseriis dives fieri cupit. Caritas quoque quum sit ignis, non tendit deorsum ; et quum super omnia amet Deum, non desiderat multitudinem terrenorum, quibus eum amittat, vel ab ejus vacatione impediatur. Unde asserit Augustinus : Otium sanctum quærit caritas veritatis ; et rursus : Videtur mihi animus pluribus actionibus occupatus, Deo evacuari quodammodo. Non est ergo verisimile quod caritas quempiam moveat ad plura beneficia appetenda, in quibus tanta inquietudo est et temporalia commoda requiruntur. Adhuc autem, caritas diligit le- *Ps.* CXVIII, 72. gem Dei super millia auri et argenti. Non ergo consulit multiplicationem temporalium, quæ requirit multitudinem actionum impedientem a studio sapientiæ, de qua in Ecclesiastico scriptum est : Qui minoratur *Eccli.* XXXVIII, 25. actu, percipiet sapientiam ; et iterum : Sa- *Ibidem.* pientiam scribe in tempore vacuitatis. — Patet ergo quod principium operationis prædictæ sit vitium, quodque illicitum sit unum hominem habere plura beneficia talia.

Quod satis est evidens, si considerentur causæ propter quas aliqui credunt id sibi licere. Alii namque hoc licitum credunt, quoniam beneficia illa bene expendunt; alii, quia nobiles; alii, quia vicarium ponunt; alii, quoniam administrationi temporalium utiles sunt, vel propter suam sapientiam sive potentiam.

Contra primos dicimus, quod non sufficit medico bene expendere ea quæ sibi dantur ab ægro, et ejus curam nullam habere. Sic clerico habenti plura beneficia non sufficit ea bene expendere, nisi faciat officia illis annexa.

Contra illos qui dicunt se posse habere plura ecclesiastica beneficia, quia vicarios ponunt, dicimus quod eadem ratione unus laicus seu etiam mulier posset habere decem beneficia, quia posset decem vicarios ponere. Præterea, ridiculum esset matrimonium contrahere spe ponendi vicarium: ita dicendum et de susceptione beneficii ut ponatur vicarius. Præterea, quærimus de illo vicario, utrum pastor sit, an mercenarius. Si mercenarius, ergo et latro est, quum quærat propria commoda, non profectum salutemque ovium. Quum ergo quis dicit, Bene possum habere hoc beneficium, quia ponam ibi vicarium; pene idem est ac si dicat : Possum illud bene habere, quia ponam latronem qui furetur et mactet et perdat. (*Joann.* x, 10.) Si vero est pastor per adimpletionem pastoralis officii, quæ ratio est ut tu habeas duas Ecclesias, ipse nullam? Nonne tibi Joannes (hoc est gratia Dei, vel is in quo est gratia Dei) dicit, Non licet tibi habere uxorem fratris tui (*Marc.* vi, 18); itemque, Qui habet duas tunicas, det non habenti (*Luc.* iii, 11)? Præterea, quærimus a tali, an vicarius ille sit minus bonus, vel æque bonus, vel melior quam ipse. Si minus bonus, tunc naturalis ratio dictat quod non est recipiendus neque ponendus pro eo : operarius enim in vineam alicujus conductus, non potest vicarium minus bonum ponere. Si vero æque bonus est vel melior, quæ causa est quod iste habeat duo beneficia, et ille nullum? Denique, dicit Apostolus : Qui non laborat, non manducet. (II *Thess.* iii, 10.) Quo jure ergo pascitur quis de beneficio, ubi non laboravit? Ordinavit Deus ut qui seminat spiritualia, metat et carnalia. (I *Cor.* ix, 11, 14.) Qua igitur ratione pauper vicarius spiritualia seminabit, et alius carnalia metet? Quum Dominus dicat, Quod Deus conjunxit, homo non separet (*Matth.* xix, 6): quo jure denarius ille quem subditus offert pauperi vicario sibi spiritualia seminanti, accipietur a patrono forsan male vivente? Et si quoad forum contentiosum jus sibi videatur habere, tamen quoad judicium sacræ Scripturæ, raptor est, usurpans sibi alterum eorum quæ a Deo conjuncta sunt sine reliquo, id est mercedem sine labore. Imo etiam homicida reputatur, et respectu mercenarii quem defraudat, et respectu pauperum subditorum quorum sudorem manducat, juxta illud in Ecclesiastico scriptum : Qui fraudem facit mercenario, et qui effundit sanguinem, fratres sunt (*Eccli.* xxxiv, 27); et rursus : Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. (*Ibid.* 26.) Ultimo dicimus, quod illi qui vicarium ponunt sola cupiditate lucri servientem, taliter faciunt matri suæ Ecclesiæ, ac si quis matri suæ carnali pedem verum et carneum tolleret, et loco ejus pedem ligneum substitueret.

Contra illos qui dicunt se posse plura beneficia habere, quia sunt nobiles, dicimus quod si filii Dei sunt atque Ecclesiæ utiles, excedere mensuram suæ nobilitatis non debent; et forsitan justum est ut de beneficiis ecclesiasticis præ ceteris accipiant, si fieri potest absque jactura animarum, ut scilicet quilibet talis aliquod beneficium pinguius consequatur, quo se juxta exigentiam sui status sustentet. Sed si filii diaboli sunt, qua ratione de bonis Domini præ ceteris accipient? Numquid debet nobilitas filiorum diaboli honorari? Similiter, si inutiles sunt Ecclesiæ Dei, aut pravo exemplo nocivi, non videtur justum quod præ ceteris commodum habeant ab Ecclesia : quia Ecclesia commodum non habet ex eis. Deus quoque in Ecclesia non vult habere qui multum con-

stent Ecclesiæ et nihil ei prosint. Similiter, si aliquis non est contentus illis quibus contentus esset si clericus non esset, et quum paterna hereditate exheredatus sit, superbior tamen vult esse quam frater suus qui heres est; non videtur justum esse ut Dominus ejus superbiam pascat.

Contra illos qui credunt se posse multa beneficia habere, quoniam sapientes sunt sive potentes quoad sæculum, dicimus quod cupiditas et avaritia docet eos in hac parte. In dolosa namque statera cupiditatis nihil ponderant spiritualia, sed solum temporalia, sicut Bernardus dicit de avaris prælatis : Optimi æstimatores rerum, qui de maximis minimam et de minimis maximam curam gerant.

Deinde ostendi potest non solum quod malum sit plura beneficia habere, sed etiam quod nulli cæco debeat hoc in dubitationem venire. Certum est enim, quod nullus sit princeps sæcularis, in cujus curia liceat eum qui non habet nisi unum equum, avenam quærere pro duobus. Non est armiger tam simplex qui dubitet inde. Cur ergo in curia Dei, id est in Ecclesia, in qua tot sunt qui de avena Ecclesiæ non possunt habere ad necessitatem, licitum sit aliquem qui non habet nisi unum equum, id est unum corpus, avenam habere ad plures equos? Quomodo dubium est inter litteratos quod certum est inter
Is. XLII, 19. armigeros? Nonne bene per Isaiam dicitur, Quis cæcus, nisi servus Domini?

Et si licitum esset aliquem habere plura talia beneficia, tamen non expediret. Unde
I *Cor.* VI, 12; X, 22. ait Apostolus : Omnia mihi licent, sed non
Ibid. IX, 12. omnia expediunt. Licebat Apostolo sumptus sumere a subditis, sed non expediebat : quia pseudoapostoli inde sumpsissent occasionem quærendi atque lucrandi. Sic quamvis liceret alicui viro discreto et honesto habere plura talia beneficia, tamen quia amatores temporalium acciperent inde exemplum cupiditatis et avaritiæ, non
Ibid. VIII, 4 et seq. expedit : sicut comedere idolothytum licet viro discreto, qui illud non comedit in ve-

A nerationem idoli; tamen coram pusillis, qui inde scandalizarentur, illud non licet. Hinc ait B. Bernardus : Spiritualis homo omne opus suum trina consideratione prævenit : primo, an liceat; deinde, an deceat; postremo, an expediat. Licitum dicitur aliquid in respectu ad Dei prohibitionem; decens, in respectu ad conditionem personæ; expediens vero, in respectu ad proximi offensionem. Considerare ergo debet vir sapiens, an illud quod facturus est, liceat, id est, a Deo non sit prohibi-
B tum; deinde, an deceat suam personam : quia aliquid decet unum quod non alium. Præcipue vero in litteratis viris, qui debent spiritualiter esse oculus Ecclesiæ, indecens est terrenitas et macula cupiditatis et avaritiæ. A talibus namque præcipue sumitur exemplum; et ad eos specialiter pertinet illud Apostoli : Ab omni specie I *Thess.* V, 22.
mala abstinete vos; et iterum : Providentes *Rom.* XII,
bona non tantum coram Deo, sed etiam 17.
coram omnibus hominibus. Itaque ad istos avaros pluraliter beneficiatos pertinet ma-
C ledictio illa Dei quam exprimit Isaias : Væ *Is.* V, 8.
qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis.

Denique, sicut non est innocens, sed criminosus, qui mutilat matrem suam carnalem, sic nec qui matrem mutilat spiritualem, puta Ecclesiam, faciendo ut habeat unum membrum minus quam deberet habere. Quid ergo de illis qui quatuor aut quinque, aut certe plura beneficia habent? Si quis dicat, quod licet Ecclesia non habet omnia membra quantum ad substan-
D tiam, tamen habet omnia quoad officia; unus enim habet officium plurium : respondemus, quod licet in monoculo unus oculus suppleat officium duorum, non tamen tantum valet habere unum ut duos; nec bene serviret matri suæ carnali, qui procuraret ut loco duorum oculorum unum dumtaxat haberet. Præterea constat quod sæpe in istis unus non implet officium duorum aut plurium, et frequenter nec solvere valet, ut satis probatum est.

Amplius, ex ista beneficiorum plurali-

tate provenit monstruositas atque confusio magna in Dei Ecclesia, utpute quod diversæ Ecclesiæ habent eumdem oculum, quum tamen sit inauditum diversa corpora idem membrum habere ; item, quod oculus unius Ecclesiæ est os in alia Ecclesia : quia archidiaconus in una, est cantor in alia.

Adhuc autem, peccatum seu pluralitas ista introducit quodammodo in Ecclesia Dei hæresim Sabellii, dicentis eumdem esse Patrem et Filium : contra quem asserit Augustinus, hoc nusquam inveniri, ut eadem persona sit pater et filius respectu ejusdem. Sed hoc vult facere impietas ista. Accidit enim ut duo sint decani in duabus Ecclesiis, et uterque sit canonicus in utraque : sicque uterque est pater et filius respectu utriusque.

Præterea, peccatum hoc agit ut eadem arbor simul et semel in diversis hortis plantata sit. Sed non vult Deus arborem aliquam in horto suo esse absque fructu. Luc. XIII, 7. Unde et de infructuosa ait ficulnea : Succide eam ; ut quid etiam terram occupat ? Unde videtur quod in utroque horto fructum facere debeat arbor talis, et quod sic duplex officium dicere debeat qui duplex beneficium sufficiens habet. Qua enim ratione pro primo beneficio ad unum officium obligatur, eadem ratione pro secundo ad secundum.

Denique, talis multiplicatio beneficiorum circa eamdem personam, frequenter generat in illa persona apostema superbiæ, sicut in corpore humano nimia collectio humorum circa aliquod membrum, solet ibi apostema causare. Superbia autem est similis apostemati illi quod vocatur, Noli me tangere : quia superbus sustinere non vult quod ejus vitia arguantur. Isti quoque pluraliter beneficiati sæpe redduntur ita inflati, quod de magnitudine hujus periculi infiniti nec admoneri volunt nec increpari. Sed et insipientissime agunt, eo quod supra suam virtutem se onerent et obligent ac spondeant : præsertim quum ratione unius competentis beneficii ad tanta ac talia se adstringant, ut satis ad agendum videantur habere, quum ad persolutionem eorum ad quæ ratione unius beneficii tenentur, potissime si curam habeat animarum, vix sufficiant, imo et in quantum unusquisque simplex canonicus ad satis multa et ardua obligatur, ut ex præinductis probatur.

Itaque isti sic pluraliter beneficiati multos defraudant : primo, Deum suo honore atque obsequio ; secundo, Ecclesiam suis membris ; tertio, pauperes clericos, et forsitan eis virtuosiores, qui habere deberent beneficia quæ ipsi superflue habent ; quarto, vicarium, quum habeat laborem, et ipsi mercedem ; quinto, subditos, a quibus metunt corporalia, quum non seminent eis spiritualia.

Hæc et multa alia similia contra pluralitatem beneficiorum in præallegata Summa terribiliter conscribuntur. Sed brevitati studens, alia nunc omitto, præsertim quia volenti acquiescere ista reor sufficere, et ne prolixitas tædium pariat.

ARTICULUS XI.

De eadem materia, ex Summa Udalrici.

Is. XLVII, 10. SAPIENTIA *tua et scientia tua deceperunt te.* Quanto quis minus de se ipso præsumit, sibi ipsi confidit, proprio ingenio, potestati aut sapientiæ meritisve innititur, tanto plus divinitus adjuvari et illuminari aptus est atque meretur. Ideo Salomon dixit : Prov. III, 32. Cum simplicibus est sermocinatio Dei. Apostolus quoque fatetur : I Cor. I, 27, 28. Infirma et stulta et contemptibilia mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. Et iterum : Rom. XII, 16. Nolite (inquit) prudentes esse apud vosmetipsos. Itaque qui de sua scientia intumescunt, qui se aliis scire omnia melius arbitrantur, justo Dei judicio relinquuntur, et excæcari ac perire justissime permittuntur. Tales ergo a sua sapientia scientiaque falluntur, eo sensu quo ait Apostolus : I Cor. VIII, 1. Scientia inflat. Nullus ergo in suo sensu sit pertinax, nemo dicta solen-

nium parvi pendat doctorum. Et nonne utique in ista materia de pluralitate beneficiorum potius standum est determinationi religiosorum atque sanctorum doctorum, qui purissimo veritatis zelo locuti sunt, propria commoda non adspicientes, nec aliquod beneficium habentes aut cupientes, quum tamen etiam ad episcopatum promoveri potuissent, quam quorumdam pluraliter beneficiatorum sæculariumve doctorum?

Nunc ergo introducenda sunt dicta Udalrici, qui et ipse doctor fuit Ordinis Prædicatorum, et a doctoribus valde laudatur. Qui in Summa sua sic ait :

Dubitandum non est quin heredes Christi (hoc est clerici, qui possident patrimonium Crucifixi) teneantur solvere res illas residuas quibus debentur, id est pauperibus, quorum sunt res eædem quæ supersunt, secundum illud jus quod Dominus clericis dedit in talibus rebus, quum dicit : (*Luc.* x, 7.) Dignus enim est mercenarius seu operarius mercede sua. Hoc autem jus est, ut dicit Augustinus, quod possideant ea quæ eis sufficiunt, id est, quæ pertinent ad utilitatem, non ad superfluitatem. Hæc autem sufficientia est limitanda secundum personæ debilitatem seu indigentiam, et secundum condecentiam sui status, ratione scientiæ vel generis sive officii. Quod autem hæc eis debentur, probat Apostolus ad Corinthios rationibus multis, dicendo : (I *Cor.* ix, 7.) Quis militat suis stipendiis unquam? Quum ergo ea quæ sibi supersunt clerici thesaurizant ; vel in illicitos usus expendunt, sicut qui ditant parentes seu cognatos aut amicos suos, nec sunt contenti eis subvenire in necessitate naturæ ipsorum, et qui in deliciis ea consumunt, pecuniam dando meretricibus vel effundendo in splendidis epulis, suntque de numero principum (*Eccle.* x, 16.) qui mane comedunt ad luxuriam, non ad necessitatem, et qui gloriam sæculi magnificis sumptibus sibi parant, dando histrionibus, aut comparando sibi amicitiam divitum et potentium, superfluamque catervam familiæ et clientum multiplicando, quos pretiosis vestibus frequenter secum innovant, aut magnas ædificiorum fabricas erigunt, atque in consimilibus aliis sunt prodigi de patrimonio Crucifixi : non solum peccant in hoc vitio prodigalitatis, sicut quilibet peccat qui abutitur ad usum divinitus sibi concessis ; sed multum aggravant suam culpam, quia subtrahunt res illas quibus debentur, id est pauperibus. Et hoc peccatum vocat gloriosus Hieronymus rapinam excedentem omnem crudelitatem prædonum, dicit quoque hoc sacrilegium esse. Augustinus vero vocat hoc homicidium, dicens : (Decret. p. II, caus. 16, q. 1, c. 66.) Qui rem a Domino pauperibus delegatam, suis usibus immoderate reservat, tantorum homicidiorum est reus quanti pauperes in locis ubi habitat fame mortui fuerint. Tenentur igitur isti ad omnium talium restitutionem : quæ facienda est illis quibus res Ecclesiæ debentur, id est pauperibus ejusdem loci. Et si habent bona patrimonialia, vel alia aliunde quam per Ecclesiam acquisita, de ipsis tenentur restitutionem hanc facere. Nec sufficit quod hanc faciant de fructibus Ecclesiæ qui usibus suis supersunt, quum etiam absque hujusmodi debito res illæ pauperibus debeantur. Si vero nil habent præter redditus ecclesiasticos, utantur eisdem parcius, et de his quæ poterant licite suis usibus applicare, eleemosynas faciant largiores.

Nec solum ipsi qui dant, sed etiam qui male receperunt res Ecclesiæ, ad restitutionem tenentur, quum asserat Augustinus : (Ibid. caus. 12, q. 1, c 28.) Si quæ nobis sufficiant possidemus privatim, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus. Porro focariæ et aliæ turpes personæ, si de bonis Ecclesiæ ditatæ aut pastæ sunt, in prædicto casu tenentur ad restitutionem, nisi causa eleemosynæ fuerit eis datum quum indigerent. Non tamen restituent ei qui turpiter dedit, quia puniendus est in eo in quo deliquit ; sed in utilitatem Ecclesiæ convertetur, vel ejus qui turpiter dedit succes-

sori ecclesiastico restituetur ; vel ejusdem loci pauperibus dandum est, si satis abundet Ecclesia : quod melius credo, quoniam supernecessariæ res Ecclesiæ debentur pauperibus. Consanguinei autem res Ecclesiæ sibi datas non propter sustentandam naturam (quod licet, si indigent), sed ut ditentur ultra exigentiam sui status, potentes quoque ac divites res Ecclesiæ sibi collatas propter favorem pompamque sæculi, et non propter aliquam rationem licitam vel honestam, vel quas extorserunt per fraudes aut minas, aut per quamcumque indebitam opportunitatem vel violentiam, tenentur restituere ei qui dedit, si vivit, vel ejus successori, si decessit.

I Cor. IX, 7, 9.

Denique, quum (juxta doctrinam Apostoli) redditus Ecclesiarum sint stipendia militantium, fructus vinitorum, cibus pastorum, pabulum boum triturantium ; patet quod qui debitum sibi officium non implent, sed in otio et voluptatibus atque lascivia vitam agunt, nihil juris habent in rebus Ecclesiarum, sed ipsas percipiendo, Ecclesias spoliant, et tenentur ad restitutionem omnium perceptorum. — Quamvis autem jura indixerunt clericis residentiam personalem in beneficiis suis, ut patet *extra* de Clericis non residentibus, per totum ; tamen in multis casibus permittunt absentiam eorumdem perpetuo vel ad tempus, propter rationabiles causas.

Decretal. lib. III, tit. 4.

Præterea, vere committunt furtum et rapinam in rebus Ecclesiæ clerici, quando in casu non concesso absque justa dispensatione percipiunt fructus plurium beneficiorum. Unde de electo Rothomagensi dicitur, *extra* de Electione : Quum in concilio sit constitutum quod quicumque receperit aliquod beneficium curam animarum habens annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus, et si forte illud retinere contenderit, etiam secundo * spolietur ; prædictus electus contra statuta hujusmodi veniens, et retinendo beneficia quæ non spectabant ad ipsum, rem per consequens contrectavit alienam, et sic furtum commisit quodammodo vel rapinam. — Idem etiam est de personatibus non habentibus curam animarum. Personatus autem vocantur, præcentoria, decanatus, præpositura, et dignitates his superiores : quia, ut ait Boetius, persona est suppositum distinctum proprietate pertinente ad dignitatem. Unde patet, quod tales tenentur ad restitutionem omnium fructuum sic perceptorum, et debent Ecclesiæ restituere cui subtraxerunt.

Ibid. lib. I, tit. 6, c. 54.

* alio

Decretal. lib. III, tit. 5, c. 28.

Et quamvis Innocentius hoc statutum in concilio sanxiverit, tamen ante eum fuit a Gregorio institutum, qui dixit : Singula ecclesiastici juris beneficia singulis quibusque personis committi jubemus. Et rationem assignat : Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, et robur corporis servat et pulchritudinem repræsentat ; ita varietas personarum per diversa officia distributa, et fortitudinem et venustatem sanctæ Ecclesiæ manifestat. Fortitudinem quidem, quia per hoc fit terribilis ut castrorum acies ordinata. Quam fortitudinem exemplis ostendit gloriosus Hieronymus, ad Rusticum dicens : In apibus princeps unus est, grues unam sequuntur, Imperator unus est, Roma condita duos fratres simul reges habere non potuit : singuli sic sint Ecclesiarum episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi. Venustas vero consistit in hoc, quod per dispositionem ordinis reducitur ad formam unius universi, a qua vocatur Ecclesia catholica seu universalis : in qua forma consistit etiam decor totius mundi. Hæc ergo ratio fundatur super illud Apostoli ad Corinthios : Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Et ideo non potest statutum hoc mutari ex sola voluntate superioris, ut ea quæ ex sola positione obligant, sed oportet ut sit ratio justa, in qua non expediat servari ipsum, quum sit apostolicum et morale statutum, super jus naturale fundatum. Unde ubi ei ratio legitimæ necessitatis vel patentis utilitatis obviat, ibi intentio statuentis servanda est potius quam verba : et ideo ab

Ibidem.

Decret. p. I, dist. 89 c. 1.

Cant. VI, 3, 9.

Decret. p. II, caus. 7, q. 1, c. 41.

I Cor. XII, 14.

hoc statuto receditur quandoque de jure communi, quandoque ex necessitate, quandoque ex dispensatione (sicut in sequenti dicetur articulo).

Itaque, si absque rationabili causa alicui concedantur pluria beneficia, non vera dispensatio, sed crudelis dissipatio (secundum Bernardum) est. Et ideo valet quidem quantum ad id quod est de jure positivo, scilicet quod non committit furtum percipiendo fructum beneficiorum illorum, et hoc in foro contentioso ; sed quantum ad id quod est de jure divino ac naturali, nihil valet, nec a damnatione excusat, sed potius dispensans eidem damnationi involvitur cum eo cum quo dispensat. Dispensationem autem hanc in personatibus beneficiisque curatis Innocentius Sedi apostolicæ reservavit, ut patet *extra* de Præbendis : ideo inferiores dispensare in his casibus non possunt, licet aliqui contradicant.

Decretal. lib. III, tit. 5, c. 28.

Postremo, in Ecclesia primitiva omnia fuerunt omnibus communia, quia in omnibus fuit apostolica perfectio. Ex personis namque illius primitivæ Ecclesiæ ex Judæis collectæ, instituendi erant gentium doctores : ideo oportuit illos sine temporalium sollicitudine esse quietos. Unde ait Melchiades Papa : Futuram Ecclesiam in gentibus prævidebant Apostoli : ideo prædia Judæi conversi non sunt adepti, sed tantum pretia ad fovendos egenos. Postquam autem multitudo gentium subintravit, quum non omnes caperent hoc verbum consilii perfectionis, licuit Christianis habere proprium ; sed tamen adhuc permansit perfectio apud illos qui apostolicæ dignitatis participes erant, ut sunt presbyteri aliique prælati ac clerici sive canonici. Et hæc consuetudo pro jure in posteros est deducta. Unde dicit Clemens Papa in epistola quinta : Dulcissimis fratribus Jerosolymis cum carissimo fratre nostro Jacobo et coepiscopo habitantibus, Clemens episcopus. Communis vita est omnibus necessaria, et maxime his qui vitam Apostolorum discipulorumque eorum imitari volunt. Hieronymus quoque in epistola de duobus generibus hominum : Duo sunt, inquit, genera Christianorum. Unum quod mancipatum est divino obsequio, et deditum contemplationi et orationi, quod ab omni strepitu rerum temporalium convenit abstinere : ut sunt clerici, qui victu et vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, omnia debent habere communia. Aliud vero est genus Christianorum, scilicet laicorum. Λαός etenim Græce, Latine populus dicitur. His licet temperate aliquid possidere. Postmodum vero, quum necessitas status communis Ecclesiæ et multorum lapsus hoc requireret, etiam clericis concessum est habere propria, prædicta inhibitione revocata.

Act. II, 44; IV, 32. — Decret. p. II, caus. 12, q. 1, c. 15. — Ibid. c. 2. — Decret. p. II, caus. 12, q. 1, c. 7.

Ex his dictis Udalrici ostenditur quam perniciosissima sit beneficiorum pluralitas, quando et id quod de uno beneficio superflue expenditur, tam districte restitui jubetur.

ARTICULUS XII.

De quinque casibus in quibus licet uni habere plura beneficia.

QUÆ a Deo sunt, ordinata sunt. Quum Deus sit supersapientissimus auctor, omnia ordinate producit ; et quæ secundum voluntatem ejus aguntur, rationabiliter fiunt. Itaque Raimundus ceterique doctores assignant quinque casus in quibus una persona potest de jure communi habere duas vel tres vel plures Ecclesias seu præbendas. Primus est, quando Ecclesiæ sunt in redditibus tam tenues, quod una non sufficit ad competentem sustentationem personæ, ita quod totidem potest habere ut sufficiat ei ad victum. Secundus est, quando una dependet ex altera. Tertius est, propter raritatem paucitatemque clericorum. Quartus est, si Ecclesia sit annexa præbendæ vel dignitati. Quintus est, si habeat unam intitulatam, et aliam ex justa causa commendatam ad tempus, donec cesset talis causa, scilicet donec inveniatur persona idonea, si propter ejus de-

Rom. XIII, 1. — Decretal. lib. I, tit. 14, c. 4. — Ibidem. — Decret. p. II, caus. 21, q. 1, c. 1. — Decretal. lib. III, tit. 5, c. 30. — Decret. p. I, caus. 21, q. 1, c. 3.

Sext. lib. I, tit. 6, c. 15. fectum fuit Ecclesia commendata. Statuit quoque Gregorius X in concilio Lugdunensi, talem commendationem ultra spatium sex mensium non durare. Et idem de præbendis est dicendum.

Circa hoc quæritur, an extra hos casus liceat uni secundum Deum et conscientiam beneficia plura habere quorum quodlibet sufficiat pro competenti sustentatione personæ. Circa quod aliqui dicunt, quod circa sublimes et litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, quum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari, ut scilicet juxta condecentiam sui status possint se gerere, atque præ ceteris inferioribus honestius vivere, et hospitalitatem servare, ac eleemosynas erogare.

Sed his obviare videtur, quod extra hos casus non invenitur rationabilis causa dispensandi contra Decretales præallegatas hoc clarissime prohibentes. Nempe extra hos casus non est urgens necessitas ut unus plura hujusmodi beneficia habeat, nec utilitas est ad hoc inducens extra hos casus. Imo multæ inutilitates inde sequuntur superius tactæ : quia dum cum majoribus dispensatur, minores atque pusilli multipliciter scandalizantur, exemplo majorum ad plura beneficia impetranda seu retinenda se animantes ac defendentes. Ex tali quoque multiplicatione beneficiorum circa eumdem, sequuntur inconvenientia superius ex dictis S. Thomæ et Guillelmi
art. VIII, IX. Parisiensis inducta, utputa : inæqualitas distributionis beneficiorum, ita quod aliqui clerici nullum possunt acquirere, alii vero nimis abundant ; item minoratio ministrorum Ecclesiæ seu mutilatio ejus, et diminutio ecclesiasticorum officiorum ac cultus divini, defraudatio quoque voluntatum testatorum qui ecclesiasticos redditus contulerunt ; sed et animæ defunctorum debitis spoliantur suffragiis, et multa similia inde inconvenientia consequuntur. Nec inveniuntur extra hos casus causæ honestantes hoc quod est beneficia plura habere, ita ut prætactæ deformitates tollantur ac licitæ fiant. Imo et pulchritudo et ordo atque totalitas mystici corporis Ecclesiæ per hoc partim auferuntur ac impediuntur, prout paulo ante ex verbis Gregorii art. præced. Papæ probavit Udalricus : sic quod etiam contra jus naturale peccatur, contra quod nec a summo Pontifice potest dispensari.

Præterea, secundum B. Hieronymum, ad vitandum scandalum pusillorum, vitandum seu omittendum est quidquid salva triplici veritate vitari omittive potest, videlicet veritate vitæ, doctrinæ, justitiæ. Et qui aliter scandalizat pusillos, subjacet sententiæ Christi, qui ait : Væ homini illi *Matth.* XVIII, 7.
per quem scandalum venit ; itemque : Expedit ei ut suspendatur mola asinaria in *Ibid.* 6.
collo ejus, et demergatur in profundum maris. Imo quo aliquis majoris est litteraturæ, altiorisque gradus seu nobilitatis præclarioris, tanto amplius exemplaris consistere pusillorumque scandala vitare tenetur, dum potest salva hac triplici veritate, si ex hoc quod quis, quantumcumque sit litteratus aut nobilis, unico competenti beneficio contentatur, nulla oritur jactura sive offensio contra hanc triplicem veritatem aut contra aliquam earum, sed potius in hoc veritates hæ tres servantur ac honorantur, quum sit justum, et dictis Sanctorum consonum, aliorumque ædificativum.

Insuper, jam ad oculum patet quanta abusio, injustitia, perversitas sit in Ecclesia ex hoc quod extra prædictos casus unus permittitur plura beneficia obtinere ac possidere. Idcirco ad tanti mali eradicationem excellentiores personæ deberent verbo et exemplo præcipue laborare.

At vero hospitalitatem servare et eleemosynas erogare, non est sufficiens causa habendi hujusmodi beneficia plura, quum ex hoc aliunde proveniant multa inconvenientia graviora, sicut ostensum est. Deus quoque non exigit ab aliquo hospitalitatem et eleemosynarum largitionem ultra vires ipsius, seu ultra id quod sibi de uno competenti beneficio superest.

Postremo, est alius atque convenientior modus providendi personis magnis et litte-

ratis de beneficiis sufficientibus ad vivendum decenter, quam ut plura beneficia habeant. Sunt enim multæ Ecclesiæ et præbendæ ac personatus seu dignitates ecclesiasticæ valde pingues, quarum quælibet uni talium sufficit. Sed in hoc est inexplicabilis error ac cæcitas clericorum multorum, quod beneficium unum tantorum redditUum, de quibus etiam quicumque honestus civis sæcularis vel domicellus decenter vivere posset, sibi non sufficere arbitrantur : quasi clerici non essent obligati ad vivendum temperantius de B patrimonio Crucifixi, quam homines sæculares de hereditariis bonis. Sed de hoc infra magis dicendum est.

ARTICULUS XIII.

In quibus consistat honestas ministrorum Ecclesiæ, et quid seu quantum debeat judicari sufficere clerico pro competenti sustentatione ipsius.

I Thess. IV, 12. HONESTE *ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.* C Honestum quasi status honoris interpretatur. Porro honor debetur virtuti : est enim exhibitio reverentiæ in signum virtutis. Hoc est ergo vere honestum, quod est vere virtuosum et exemplare Deoque placitum. Hinc honestas ministrorum Ecclesiæ, videlicet sacerdotum et canonicorum, prælatorum ac præsulum, nequaquam consistit in temporalium affluentia, in splendida mensa, in vestibus superfluis, pretiosis et curiosis, in magna et sæculari familia, vel apparatu mundano, in processu pomposo ; D nec per hoc efficiuntur populo exemplares, honorabiles atque amabiles, sed potius scandalizativi, odibiles ac infames. In quibus ergo consistit vera clericorum honestas ? nisi in vera humilitate, per quam Deo hominibusque placetur ; in vera man-
ccli. III, 19. suetudine, per quam homo præcipue a
uc. XXI, 19. cunctis diligitur ; in vera patientia, per quam anima hominis ab ipso salubriter possidetur ; in vera castitate, per quam in carne mortali angelice vivitur ; in vera so-

A brietate, per quam spiritualis profectus in homine inchoatur ; in vera justitia, per quam unicuique quod suum est redditur ; in vera prudentia, per quam media ad finem efficaciter diriguntur ; in vera fortitudine, per quam nec mortis pericula contra justitiam formidantur ; in vera sapientia, per quam omnia ordinate aguntur, et divina carnalibus præferuntur ; in vera devotione, per quam Deo alacriter deservitur ; in vera dilectione Dei et proximi, per quam omne peccatum consumitur. B Et (ut compendio stringam) in hoc verissime vera clericorum consistit honestas, ut juxta regulam vitæ eis a sanctis Patribus institutam in omnibus vivant. Ecce per has virtutes et per hujuscemodi vitam efficiuntur vere honesti, universoque populo venerandi, exemplares atque carissimi. Et si ita se haberent, in majori reverentia et dilectione haberentur quam nunc : sicut etiam ad oculum cernimus, quod quidam eorum (quamvis, proh dolor ! paucissimi), quoniam temperate continen- C terque vivunt, et simplicibus ac necessariis vestibus contentantur, nec temporalibus se involvunt, sed divinis ferventer insistunt, ac spiritualibus exercitiis occupantur, nec ultra unum competens beneficium volunt, idcirco præ ceteris diliguntur ac honorantur, et Christi bonus odor sunt undique. II Cor. II, 15, 14.

Præterea, sicut philosophi atque theologi protestantur, in omni genere, primum est maximum et potissimum, aliorumque regula ac mensura. Quum ergo in omni Ephes. I, 22; V, 23; etc. D Ecclesia Christus sit caput summum et primum, ipse est mensura et regula ceterorum. In ipso quoque in hoc olim sæculo visibiliter conversante, summa et perfectissima fuit honestas ; et tamen in ipso summa fuit paupertas, in tantum quod dixit : Filius hominis non habet ubi caput Matth. VIII, 20. reclinet. Sed et humillime fuit vestitus. Quanto ergo Christiani quicumque ipsum perfectius imitantur in præfatis virtutibus, tanto sunt honestiores censendi ; et quanto in vestitu, victu, rebus, factis et

moribus plus ab ipso recedunt, tanto inhonestiores aut minus honesti sunt judicandi. Certum est autem, quod propter delicata cibaria, pretiosa et superflua indumenta, et cetera jam præfata, a Christi simplicitate et paupertate, puritate et sobrietate maxime se elongent et distent. Idcirco per talia coram Deo inhonestiores redduntur. Insuper, post Christum sancti Apostoli fuerunt primi ac summi prælati Ecclesiæ, sicut Psalmista prædixit : Constitues eos principes super omnem terram. (*Ps.* xliv, 17.) Et beatissimus Petrus a Christo totius fuit pastor Ecclesiæ institutus. (*Matth.* xvi, 18; *Joann.* xxi, 15-17.) Sed numquid idcirco a Christi paupertate et humilitate se averterunt ? Imo utique honestissime se in omnibus habuerunt, virtuosissime conversando, atque terrena omnia contemnendo. In his ergo virtutum ornatibus consistit honestas Ecclesiæ, juxta illud in Psalmo : Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus. (*Ps.* xliv, 14.) Propter quod dixit Apostolus : Nolite conformari huic sæculo, sed renovamini spiritu mentis vestræ. (*Rom.* xii, 2; *Ephes.* iv, 23.) Et iterum : In sapientia (inquit) ambulate ad eos qui foris sunt. (*Coloss.* iv, 5.) Non dixit, In veste pretiosa, aut simili aliqua sæculi pompa, quasi talia ad honestatem spectent Ecclesiæ.

Ex his faciliter consideratur quid aut quantum sufficiat clerico ad necessaria vitæ. Nonne secundum naturalem rationem natura modicis contentatur ? Et secundum legem naturalem, de corporalibus bonis non amplius optandum est quam sufficit homini ad sic vivendum, quod pro corpore competentiam habeat, et ad usum rationis studiaque virtutum expeditior exstet. Præterea, secundum evangelicam legem, oportet per arctiorem viam incedere, et pœnitentialem ducere vitam, aliqua etiam de necessariis subtrahendo naturæ pro corporis castigatione. (*Matth.* vii, 13, 14.) Unde supra ex verbis Augustini ostensum est quid virtutis ad omnem pertinet Christianum. (art. ii.) Rursus probatum est qualiter clerici (hoc est canonici atque presbyteri) secundum quod tales, tenentur virtuosius conversari quam sæculares et laici christiani, id est magis tempe- (art. xi.)

A rate ac sobrie, seu minus sumptuose et minus immoderate in victu et vestimentis, ac ceteris ad corporalem vitam spectantibus, ut semper sint ad divina apti obsequia.

Ex quo elici potest quanta summa pecuniæ sive reddituum judicanda sit uni sufficere ad sustentationem suæ personæ. Sed quum apud diversos diversa currat moneta, et tempora non semper sint æque cara, non video quomodo istud certis verbis exprimi possit et taxari insinuarique omnibus. Sed unusquisque præinductis B pensatis, conscientiam suam examinet, et rectæ rationis sequatur judicium. Sed et ipsa experientia dubitantem potest instruere, quum videamus ad oculum quomodo multi presbyteri parum habentes, aut vicarii aliorum seu clerici tenuiter beneficiati, de ipsa sua substantiola et paupertatula sufficientiam habeant. Nonne multi hujusmodi minus habent quam quinquaginta florenos Rhenenses ? Quomodo ergo qui de uno beneficio centum florenos hujusmodi habent aut plures, asserunt sibi C beneficium tale non esse sufficiens ? Quanto quis sapientior et litteratior fuerit, tanto exemplarius et moderantius vivat, et virtuosius in cunctis se habeat ut tenetur, et sciet sibi pauca sufficere.

Omnibus quæ legi rite pensatis, apparet quod canonicorum vita talis aliquando fuit pro magna parte, qualis fuit per tempus et de gratia Dei adhuc est conversatio clericorum qui Fratres vocantur, in urbibus multis. Sed status canonicorum prorsus jam lapsus est, ita ut paucissimi eo- D rum advertant aut scire dignentur ad qualem vitam obligentur.

ARTICULUS XIV.

An clericus qui de suo patrimonio seu bonis propriis potest sustentari, licite possit bona Ecclesiæ in suos convertere usus.

NON *concupisces* rem *proximi tui*. (*Exod.* xx, 17.) Dicunt nonnulli, quod licet clericus aliunde habeat unde vivat, licite possit sus-

tentari de redditibus beneficii sui, quoniam bona Ecclesiæ sunt stipendia ministrorum ipsius, et serviendo Ecclesiæ merentur ea et faciunt ea sua. Sed huic opinioni multa Sanctorum dicta obviare videntur. Et primo quod sanctus scribit Hieronymus : Clericus qui de suis bonis sustentari potest, si acceperit quod pauperum est, sacrilegium profecto committit, atque per abusionem talium judicium sibi manducat et bibit. Si eges et accipis, das potius quam accipis; si autem non eges et accipis, rapis. Hinc ait et Damasus Papa*: Qui bonis parentum sustentari possunt, si accipiunt quod pauperum est, sacrilegium incurrunt. Sed ad hæc quidam respondent, intelligenda hæc esse in articulo necessitatis extremæ. Quod non reor sufficienter prolatum : quia ex verbis præallegatis digne pensatis constat hoc non esse de intentione Patrum illorum ; et rursus, quia in necessitate extrema omnia exstant communia, et tunc non solum ecclesiastica, sed et hereditaria bona communicare indigentibus obligati sunt clerici, imo et omnes.

Decret. p. II, caus. 1, q 2, c. 6.

* Hieronymus Damaso Papæ. Decret. p. II, caus. 16, q. 1, c. 68.

Denique, bona Ecclesiæ sunt pauperum, et in subventionem eorum sunt data ac ordinata et eroganda. Si ergo clericus aliunde competentiam habeat, non apparet quod illa licite possit consumere : nisi forte sua propria pauperibus erogaret, aut in alios pios usus expenderet. Tunc enim non cederet in pauperum detrimentum quod ecclesiastica bona consumeret : alias cedere videretur in eorum detrimentum atque injuriam, quum et S. Bernardus testetur : Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates sunt Ecclesiarum ; et sacrilega pauperibus crudelitate subripitur quidquid sibi ministri et dispensatores, non utique possessores, videlicet clerici, ultra necessarium seu simplicem victum accipiunt et vestitum.

Insuper, super illud quod ait Salvator, Dignus est operarius mercede sua, scribit Gregorius, in clericorum ac prædicatorum loquens persona : Operi nostro mercedes duæ debentur, una in via, alia in patria ; et merces in via est temporalis stipendii usus. De quo addit, quod prædicator debet hanc mercedem suscipere, ne per indigentiam cogatur ab opere spirituali cessare. Itaque, si prædicator aut clericus ecclesiasticorum reddituum seu eleemosynarum sustentatione non indiget, non videtur ea in suum debere usum convertere, nec licite posse, suis retentis, sed potius pauperibus dare. — Adhuc, Christus antequam dixit, Dignus est mercenarius mercede sua, statim præmisit : Nolite portare sacculum neque peram. Itaque concessit eis, tanquam pauperibus nihil terrenum possidentibus, accipere vitæ stipendium ab his quibus spiritualia impendebant. Sicque videtur, quod si clerici aliunde competentiam habeant, non licite possint Ecclesiæ bona in suos expendere usus.

Luc. x, 7.

Luc. x, 4.

Amplius, ecclesiastici redditus seu sustentaculum vitæ non est principalis merces clericorum, sed sicut valde minus principalis, ordinanda ad præmium principale, quod est beatitudo æterna, in quantum necessaria est ad illam. Unde si aliunde quis competentiam habeat, illa ipsi necessaria non videtur.

Nec ob hoc clericus gratis aut frustra obsequitur Deo sive Ecclesiæ : imo tanta ipsi divinitus beneficia sunt impensa, tot bona promissa, quod si millies plus serviret, non tamen Deo digna rependeret. Sed et ea quæ aliunde habet, quibus potest se sustentare, nonne Dei sunt dona, et de eis Deo regratiari ac obsequi obligatur? Unde Christus in Evangelio loquitur : Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Aristoteles quoque fatetur, quod diis et parentibus ac magistris reddi non potest æquivalens.

Ibid. XVII, 10.

Ex his faciliter solveretur argumentum hujus oppositum asserentium, in principio hujus articuli tactum. Bona quippe Ecclesiæ sunt stipendia ministrorum ejus

indigentium hujusmodi bonis : quod si eis non egeant, non sunt capaces talium bonorum ad proprium usum, nisi juxta modum prætactum. Verumtamen serviendo Ecclesiæ faciunt hujusmodi bona esse sua, ut ea indigentibus pie dispensent, non ut ea sibi thesaurizent, possideant, et immoderate seu absque necessitate et indigentia consumant. Hinc Prosper notabiliter ait : Non ut possessores, sed ut procuratores, sancti viri facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcirco scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretium peccatorum et patrimonia pauperum, non eas vindicaverunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt. Hoc est possidendo contemnere, non sibi sed aliis possidere, nec habendi cupiditate Ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subveniendi suscipere. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune ; nec aliquid debet inde eis qui sibi de suis sufficiunt erogare, quum nihil aliud sit habentibus dare quam perdere. — Horum sanctorum Patrum sententiis securius atque salubrius statur, quam aliorum quorumdam in quibus illuminatio tanta non fuit.

Decret. p. II, caus. 16, q. 1, c. 59.

Ibid. caus. 1, q. 2, c. 7.

Postremo innotescit ex his quam utique periculose se habeant, qui beneficiis ecclesiasticis satis aut supersatis provisi, patrimonium suum propinquis suis distribuunt, quum tamen illi secundum exigentiam sui status seu personæ conditionis habeant satis, et forte abundent, et ipsi beneficiati de patrimonio pauperum se nutriunt delicate. Idem quoque judicium est de his qui cum patrimonio suo bona Ecclesiæ laute et immoderate inutiliterque consumunt.

ARTICULUS XV.

Qua intentione sint impetranda seu suscipienda ecclesiastica beneficia.

Matth. VI, 33.

QUÆRITE primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Quemadmodum corpus ordinatur ad animam, sic corporalia ad spiritualia sunt finaliter referenda. Qui ergo ecclesiastica beneficia optant, quærunt, impetrant, suscipiunt, non intuitu spiritualis boni, puta divini officii, ut scilicet competentiam habentes, Deo devotius quietiusque ministrent, sed intuitu commodi temporalis bonique corporalis, isti sunt subversores rectissimi ordinis rerum, atque in temporalibus finem sibi constituunt. Idcirco mortaliter peccant, etiam unicum beneficium competens taliter cupiendo, obtinendo, habendo. Tales sunt omnes qui amore temporalium divitiarum aut carnalium deliciarum seu transitoriorum bonorum ecclesiastica beneficia quærunt, procurant seu habent. Talibus convenit quod ait S. Bernardus : Alius undique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat et dissimulat, miseraque suffragia mendicare non erubescit, manibus et pedibus repens, si quo modo tandem aliquando sese ingerere queat in patrimonium Crucifixi, in bona Domini, quæ sola ex omnibus hodie inveniuntur exposita.

Porro, qualis debeat esse intentio quærentium et suscipientium beneficia ecclesiastica, docet B. Bernardus, dicendo : Si quis ea intentione gradus ecclesiasticos et ministeria sanctuarii quærit (imo quæritur, quæri etenim magis quam quærere ipse debuerat), ut absque curis sæculi in sanctimonia cordis et corporis illuminandus accedat ad Dominum, et suam ac proximorum operetur salutem, orationis studio deditus aut verbo prædicationis, bene se habet. Nam si eà quærit aut tenet eo animo eoque intuitu ut hinc vitæ habeat necessaria, evangelizat ut manducet, et perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur. Quanto certe dignius ampliusque esset consentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia potius opera atque negotia exerceret, nec fieret subversor ordinis rerum, nec inhonoraret ministerium spirituale ! Sed modico est natura contenta. Nec multi in his sola necessaria

quærunt, quæ utique possent obtineri mi- A nori periculo ; sed honorati incedere volunt, placere hominibus student, ditari et superbire, huicque sæculo conformari. Audi querelas Dei, quid super hac tanta ho-
Osee VIII, 4. minum temeritate loquatur : Ipsi (inquit) regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et non cognovi. Universos siquidem in ordinibus ecclesiasticis ceterisque ad Ecclesiam pertinentibus honorem quærentes proprium, aut divitias, seu
Philipp. II, 21. corporis voluptates, et quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, manifeste et indu- B
I Joann. IV, 8. bitanter non ea quæ Deus est caritas,
I Tim. VI, 10. sed aliena a Deo et omnium radix malorum cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, imo quid insaniæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus, et terribilis illius judicii exspectatio? Nunc autem trahit sua quem-
Ibid. III, 8; VI, 5. que voluptas ; atque odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem. Væ, væ, in domo Dei videmus horrenda. Quid, nisi idololatras ministrantes? Men-
Ephes. V, 5. tior, si non idolorum servitus avaritia, si C
Philipp. III, 19. non etiam quibusdam venter suus factus est deus suus. Quod enim præ ceteris quisque colit, id sibi deum constituisse
Is. I, 23. probatur. Quantos videmus qui diligunt munera, sequuntur retributionem! quan-
Rom. XVI, 18. tos qui Domino Jesu Christo non serviunt, sed proprio ventri! quantos qui honorem
Joann. XII, 43. et gloriam hominum magis quam Dei quærunt et diligunt! Hæc beatissimi Bernardi verba sunt beneficiatis beneficiaque quærentibus diligentissime advertenda, ut si quis contra documenta hæc agit, pœni- D teat, et qui non egit, præcaveat.

ARTICULUS XVI.

Qualis debeat esse hospitalitas clericorum.

Luc. XIV, 12-14. QUUM *facis prandium, noli vocare cognatos divites* et potentes, *ne fiat tibi retributio ; sed voca pauperes, debiles, claudos et cœcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur* A *enim tibi in resurrectione justorum.* Omnia quæ habemus, de manu Dei accepimus, tam spirituales quam sæculares, et reddituri sumus rationem de eis. Ideo, Christo testante, cui plus datum est, plus Luc. XII, 48.
requiretur ab eo. Non itaque cuiquam licitum est Christiano secundum Deum, bona sua exteriora ad libitum suum consumere sive expendere, sed moderate ac juste eis uti tenetur, et in rationabiles piosque convertere usus. Et ista est ratio, secundum Hieronymum, cur vix unus de B mille divitibus atque potentibus mundi aptus est regno Dei : quia quum divites sint, arbitrantur se suas divitias posse ad placitum suum consumere, delicate et pretiose vivendo, sumptuosa convivia exercendo, divites ob humanum favorem, sæculi pompam, carnalem affectum invitando, pauperibus vero siccum panem et tenues vix famulorum reliquias tribuendo. Quod est contra arctam salutis viam atque justitiam : præsertim quum (juxta Ambrosium) divites non sint divitiarum posses- C sores ac domini, sed dispensatores, et Deo de eis rationem daturi ; et si ultra indigentiam et condecentiam sui status eas sibi servaverint seu auxerint, nec indigentibus communicaverint, tanquam alienæ rei usurpatores sint condemnandi.

Idcirco gloriosi doctores Ecclesiæ Ambrosius atque Basilius contestantur : Non Decret.
minoris est criminis habenti tollere, quam p. I, dist. 47, c. 8.
quum possis et habeas, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines ; nudorum indumentum, quod inclu- D dis ; miserorum redemptio, pecunia quam in terra abscondis. Tantorum ergo te scias bona invadere, quantis possis præstare, et non vis. Si ergo hæc ita se habent etiam in laicis circa temporalia bona, quanto utique plus in clericis circa ecclesiastica bona, quæ specialiter patrimonia pauperum nuncupantur? Unde nullatenus licet ea in vana et sæculari hospitalitate consumere cum divitibus, potentibus, talibusve propinquis. Non tamen illicitum est talibus interdum seu raro ex pia causa, ad ho-

nestam amicitiam confovendam, aut propter aliam rationem decentem, hospitalitatem rationabilem exhibere. Hinc ait Isidorus : Clerici convivia publica fugiant, privata non tantum pudica, sed et sobria colant. Hieronymus quoque sacerdoti seu clerico scribens : Convivia, inquit, tibi sint detestanda, maxime horum qui honoribus tument. Turpe est ante fores sacerdotis Christi pauperis crucifixi, et qui cibo vescebatur alieno, lictores consulum et milites excubare. Rursusque asserit : Omnes qui stipendiis templi et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus quibus expleant suam voluntatem, similes sunt Scribis, Pharisæis ac sacerdotibus Judæorum.

Decret. p. I, dist. 23, c. 3.

Itaque clericis sæcularia et delicata agentibus convivia scribit Bernardus : Væ, væ tibi, clerice : mors est in olla, mors in ollis carnium, mors in hujusmodi deliciis est, non solum quoniam secus introitum delectationis mors posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, quia populi constat esse peccata quæ comedis. Sumptus et redditus ecclesiasticos gratis habere te reputas? Cantando, ut aiunt, tibi proveniunt; sed melius esset tibi fodere aut etiam mendicare. Peccata enim populi comedis, ac si propria tibi non sufficerent. Sollicitus igitur esto, tanquam rationem redditurus de istis, sollicitus esto dignos pro eis qui dederunt gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus : alioqui ad damnationem tibi noveris imputanda illorum peccata, quæ nunc inter delicias comedis, parvi pendis atque dissimulas, tanquam nihil pertinentia ad te. O judiciorum Dei abyssus multa! O terribilis Deus in consiliis super filios hominum! Frustra incipient miseri dicere montibus : Cadite super nos ; et collibus : Operite nos. Venient ante tribunal Christi ; audietur contra eos populorum gravis querela, accusatio dura, quorum vixerunt stipendiis, nec diluerunt peccata ; quibus facti sunt duces cæci, fraudulenti mediatores. Quid tibi, o insipiens, deliciæ sapiunt, quibus mercaris et promereris tam grave judicium, tam duræ te obligas rationi? Universa siquidem a te usque ad quadrantem novissimum exigentur.

IV *Reg.* IV, 40. — *Osee* IV, 8. — *Hebr.* XIII, 17. — *Matth.* III, 8. — *Ps.* XXXV, 7. — *Ps.* LXV, 5. — *Luc.* XXIII, 30. — *Rom.* XIV, 10. — *Matth.* XV, 14. — *Matth.* V, 26.

Denique Petrus Blesensis in quadam epistola cujusdam devotissimi abbatis lamentationem describens, atque in ejus persona loquens, fatetur : Dives factus sum, ut fierem miser ; honores adeptus sum, ut perderem Deum ; sequor curias, intersum magnatum consiliis, in his patrimonium Christi dilapido. Quid de hospitalitate dicam, quæ merito hostilitas potius quam hospitalitas censetur? Christus enim ei causam non præstat, sed inanis gloriæ obtentus. Divitibus quidem in hospitio cum honore et reverentia susceptis, in omni opulentia deliciæ apponuntur de patrimonio Crucifixi. Christus autem olim crucifixus in ligno semel, foris in pauperibus suis crucifigitur et torquetur in luto : in quibus aut omnino nudus aut in semicinctiis contabescens fame et frigore tremens, de his quæ interius dantur canibus solatium angustiæ suæ postulat, et non est qui moveatur super contritione ipsius. Ecce hospitalitas hodierna : in qua divites ad gloriam dæmonum splendide epulantur, et Christus, qui caritas est, contemptu, inedia et nuditate afficitur. Ego autem oblitus terribilium judiciorum Dei et immemor animæ meæ, sedeo tanquam Balthasar in medio convivarum, vasis Dei abutens et patrimonio pauperum ad contumeliam Christi. Interim exeunt de domibus hospitum garciones onusti cibariis et ebrii, ut de superfluitate illorum pauperibus ingeratur cumulatior materia doloris et tormenti. Sub hujus falsæ hospitalitatis prætextu, vicecomitibus, forestariis, et ceteris officialibus aut potius officiperdis hominibus, tanquam dominis et magistris omne humanitatis officium exhibetur. Proponetur tamen querela de inofficioso, totamque hospitalitatis gratiam ingratitudo pervertet, nisi architriclinus usque ad nauseam capitisque vertiginem cum hospitibus suis bibendi bella conti-

Epist. 102. — *Luc.* XVI, 19-21. — *Dan.* V, 1-4.

Rom. xi, 33. nuet. Hæc omnia judicabit cujus judicia A
sunt occulta, et ideo magis timenda. Sumptus tam detestabiles et enormes non de labore aut patrimonio nostro fiunt, sed de eleemosynis pauperum et fidelium, de oblationibus et decimis et de tributis egentium animarum, de exactionibus et op-
Gen. iii, 19. pressionibus pauperum ; quique in sudore vultus nostri pane nostro vesci debuimus, labores miserorum nobis ad delicias usurpamus, atque in crapula et ebrietate su-
Dan. iii, 55. dorem bibimus alienum. Ille qui intuetur abyssos et sedet super Cherubim, judi- B
Sap. v, 1. cabit causam pauperum, quando stabunt in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt. Ubi est, quæso, ver-
Ps. cxi, 9. bum illud Prophetæ, Dispersit, dedit pauperibus ? Porro nec nos divitibus dare, nec nos ligna in silvam ferre, nec aquas in mare effundere oportebat. Verbum Hieronymi est, sacrilegium esse res pauperum non pauperibus erogare. Et idem : Paria sunt peccatoribus dare et immolare dæmonibus.

Postremo, his consonat quod felicis me- C
moriæ magister Gerardus Groet ait : Nulla bona Ecclesiæ sine mortali peccato in comessationibus divitum possunt consumi, quia sunt deputata pauperibus, et sunt de patrimonio Crucifixi, et per passionem Christi nobis acquisita, et de ejus hereditate, ut dicitur in Decretis. Nec de eis dare possumus utiliter amicis, nisi tantum indigentibus seu egenis, propter Christum : quanto minus inutiliter, imo nocive et in peccatis ea consumere ? Nec ea aliquibus tribuere debemus, nisi paupe- D
ribus, quoniam specialiter Ecclesiæ bona sunt pauperum.

Ex his clarissime constat qualis esse debeat hospitalitas clericorum, ut scilicet, juxta verbum Christi in principio hujus
Luc. xiv, 12-14. articuli allegatum, ad mensam et refectionem invitent, ducant, imo et trahant pauperes et infirmos, cæcos et claudos ac peregrinos, et hoc ex vera caritate ac pietate, ad gloriam Dei, non ex aliqua vanitate, propter honorem famamque mundi : quæ hospitalitas quamvis ad omnem pertineat Christianum secundum vires ipsius, tamen ad clericos permaxime.

ARTICULUS XVII.

De periculositate pluralitatis beneficiorum.

MALEDICTUS *qui facit opus Dei fraudulenter.* Jam supra ex dictis Guil- Jer. xlviii, 10. art. viii, x.
lelmi Parisiensis atque ex Summa virtutum et vitiorum deductum est, quod clericus teneatur ad tot paria Horarum quot beneficia pro vitæ necessariis sufficientia habet. Quod intelligendum est, nisi in casibus articulo duodecimo memoratis, in quibus scilicet casibus licet uni plura beneficia habere. Si ergo sic esse credatur, ecce quam periculosa est beneficiorum prætacta pluralitas! Quum enim beneficiatus teneatur ad horas canonicas, certum est quod si unam de septem Horis omni die scienter omittat, quotidie mortaliter peccet ; quod si omni die omnes septem Horas omisit, aut septem peccata mortalia, aut certe unum peccatum septempliciter mortale quotidie incidit. Tales ergo sic pluraliter beneficiati et non nisi semel quotidie horas canonicas persolventes, nonne probantur quotidie ex hoc solo, aut septem peccata mortalia, aut unum septempliciter mortale incidere ? Si autem tria vel plura beneficia habeant, facile est computare quantum augeantur peccata. — Præterea, isti sic pluraliter beneficiati, nec inde se emendantes, in suis incessanter manent peccatis, et communicando seu celebrando manent in eis. Quod quam periculosissimum damnabilissimumque consistat, ipsi perpendant. Efficiuntur enim rei corporis et sanguinis Christi. — Insuper, aut putant hanc beneficiorum pluralitatem licere, et tunc, sicut ostensum est, discrimini se committunt, et contra præcipuorum sanctorum ac solennissimorum doctorum, imo quasi contra omnium veraciter devotorum et religioso-

rum sententiam agunt, seque incautissime A habent; aut putant eam sibi esse illicitam, et tunc scienter in tantis peccatis atque periculis perseverant : quod prorsus damnabile est. — Amplius, isti (secundum prædicta) nil juris habent ad redditus beneficiorum quorum non exsolvunt officia, et sic bona illa sibi injuste usurpant, sacrilege tractant, illiciteque exponunt sive reponunt. — Postremo, isti toto tempore quo in hac pluralitate beneficiorum manent, privant indesinenter Deum cultu debito honorificentiæ suæ, Ecclesiam mem- B bris suis, vivos atque defunctos suffragiis debitis, ut præinducta demonstrant.

Multa similia et horrenda possent de hujus periculositatis immensitate adduci : quæ quia ex superioribus faciliter considerantur, omitto. Hinc tantumdem tetigisse sufficiat.

ARTICULUS XVIII.

Ex scriptis S. Bernardi ad clericos pertinentibus.

Deut. XVIII, 13. PERFECTUS *et absque macula eris cum Domino Deo tuo.* Quum Deus sublimis et benedictus, sit justus, sanctus atque purissimus, ministros justos, sanctos ac simplices diligit ac requirit, sicut per
Lev. XI, 44; XIX, 2. Moysen dixit : Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester. Potissime autem in clericis, in sacerdotibus atque canonicis jubet et exigit Deus esse cor mundum, humile, virtuosum. Sed jam,
Rom. I, 21. proh dolor ! obscuratum est insipiens cor D multorum, et pro humilitate amplectuntur ambitionem, pro mentis munditia vitia carnis, pro animi simplicitate diversas astutias. Et quod S. Bernardus deplanxit in clericis sui temporis, nunc copiosius est deflendum.

Ait ergo vir ille sanctissimus : Curritur in clero passim ab omni ætate et ordine, a doctis pariter et indoctis, ad ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, quum ad curas pervenerit. Nec mirum de his qui necdum in se ipsis pericula sunt experti. Videntes quippe illos qui jam proprios humeros cupitæ sarcinæ submiserunt, non solum non gemere tanquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate excæcati non vident, sed favoribus atque honoribus quos illis invident, provocantur. O infinita semper ambitio! o insatiabilis avaritia! Quum primos gradus honorum meruerint in Ecclesia, meruerint autem vel vitæ merito vel pecuniæ, sive etiam carnis et sanguinis (quæ I Cor. XV, 50.
regnum Dei non possidebunt) prærogativa; non ideo corda eorum quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, ut quo magis ac magis dilatantur in plura, eo ad celsiora sublimentur. Verbi gratia, quum quis factus fuerit in quacumque Ecclesia decanus, præpositus, archidiaconus, aut aliquid hujusmodi, non contentus uno in una, plures sibi, imo quotquot valet, acquirere honores satagit, tam in una quam in pluribus. Quibus tamen omnibus, si locus C evenerit, libenter unius præferet episcopi dignitatem. Sed numquid sic satiabitur? Factus episcopus, archiepiscopus esse optabit. Quo forsan adepto, rursus nescio quid altius somnians, laboriosis itineribus et sumptuosis familiaritatibus Romanum statuit frequentare palatium, quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias. Denique multi non tanta fiducia et alacritate currerent ad honores, si esse pensarent et onera. Gravari profecto metuerent, nec tanto labore atque periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc vero, quoniam sola attenditur gloria et non pœna, purum esse clericum erubescitur in Ecclesia; seque viles æstimant atque inglorios, qui quocumque loco eminentiori non fuerint sublimati.

Præterea, omni canonico est pensandum quod Fulconi canonico scribit Bernardus : Memento, fili, quia recepisti bona in vita Luc. XVI, 25
tua. Recepisti, dixit; non, Rapuisti : ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus aliena non rapias. Verum-

tamen quæ sunt illa tua? Bona Ecclesiæ. A Recte, quoniam surgis ad vigilias, vadis ad Missas, horis chorum nocturnis diurnisque frequentas, bene facis : sic Ecclesiæ præbendam non gratis accipis. Dignum
I Cor. IX, 13. est enim ut qui altario deservit, de altario vivat. Vivat, inquam, de altario, non superbiat, non luxurietur, non ditetur; non in clericatu dives ex paupere fiat, aut ex ignobili gloriosus; non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate aut superfluitate bona pauperum dispergat; non ex- B tollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, non ut inde tibi compares frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo et manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum et simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est,
Ibid. 14. sacrilegium est. Non enim ordinavit Deus C his qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere divitias vel ornatum, sed vivere
I Tim. VI, 8. ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non gulæ irritamenta aut incitamenta libidinis, et quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere. Sane qui non fideliter introivit neque per Christum, quidni infideliter agat et contra Christum? Aut quando necessariis poterit esse contentus, qui eo animo introivit, ut stipendia cleri in usus voluptatis, curiositatis et vanitatis congreget, servet et expendat? — D Sed quid sibi vult quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? Nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut clerici evangelizant. Cujus ordinis sunt? Quum utriusque esse cupiunt, utrumque
I Cor. XV, 22, 23. deserunt, utrumque confundunt. Unusquisque (inquit) in suo ordine resurget. Isti in quo? An quia sine ordine peccaverunt, sine ordine peribunt? Aut si summe sapiens Deus veraciter creditur a summo usque deorsum nihil inordinatum relinquere, vereor istos non alibi ordinandos quam ubi Job X, 22.
nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Alienis namque laboribus locupletantur, comedunt fructus terræ absque pe- Ibid. XXXI, 39.
cunia, et prodit quasi ex adipe iniquitas Ps. LXXII, 7.
eorum. Mens quippe assueta deliciis, nec exculta disciplinæ sarculo, multas contrahit sordes.

Hæc et multa similia, imo et graviora, contra sacerdotes atque canonicos scribit sanctissimus pater Bernardus, eosdem exhortans ut se in omnibus corrigant, et Domino majestatis cum debita reverentia obsequantur in omni castitate et æquitate.

ARTICULUS XIX.

Disputatio contra pluralitatem beneficiorum, ex dictis sanctorum Patrum.

TEMPUS est ut incipiat judicium a I Petr. IV, 17, 18.
domo Dei. Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? S. Bernardus, libro de Consideratione, de hoc multipliciter reprehendit Eugenium Papam, quod de ejus licentia abbates subtrahebantur ab obedientia episcoporum, episcopi quoque ab obedientia archiepiscoporum, et archiepiscopi ab obedientia patriarcharum. Itaque inter cetera affatur Eugenium Papam, dicens : Tune licitum tibi censes suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare ter- Prov. XXII, 28.
minos quos posuerunt patres tui? Si justitiæ est unicuique servare jus suum, auferre alicui sua, justo quomodo poterit convenire? Quum ergo juxta omnia præallegatorum verba doctorum, eumdem habere plures præbendas, vel beneficia plura quorum unum pro sustentatione sufficiat, sit mutilare Ecclesiam suis membris, et Deo debitum auferre honorem, seu minorare cultum et laudes ipsius, itemque vivos ac mortuos debitis spoliare suffragiis; patet hoc esse prorsus damnabile, nec Papam hoc posse licite concedere.

Præterea, sicut jam claruit, hoc omnium art. XIV.

sanctorum Patrum catholicorumque sen- A tentia est doctorum, bona Ecclesiæ non aliud esse quam vota fidelium, pretia peccatorum ac patrimonia pauperum. Dum itaque quis unum competens beneficium habet, et nihilo minus adhuc pro alio instat aut retinet illud, quæro qua intentione sic instat aut retinet : quia aut principaliter propter bonum spirituale, ut scilicet Deo devotius, quietius atque perfectius serviat ; aut principaliter propter bonum temporale, videlicet ut ditior fiat, lautius vivat, honorabilior reputetur. Primum ho- B rum dici non potest. Quum enim de primo beneficio competentiam habeat ad vivendum sobrie ac modeste, quo alia plura beneficia habuerit, eo major ipsi adest occasio intemperate vivendi et superflue consumendi ecclesiastica bona, amplioremque inde inquietudinem sollicitudinemque sortitur, et plurima devotionis incurrit obstacula ac salutis pericula, prout probant præhabita. Secundum vero istorum manifeste illicitum est atque mortale.

Decret. p. II, caus. 16, q. 1, c. 59.

Si itaque parvitati meæ aliquis consulendi locus est apud excellentiam amantissimorum meorum pro quibus hæc scripsi, totis precor, hortor consuloque præcordiis, ut præinductis diligenter pensatis, viam eligant certiorem, nec discrimini se committant, sed tantorum acquiescant dictis doctorum, tamque sanctorum sententiis Patrum, et unico competenti beneficio sint contenti, per viam tutam ac arduam jugiter incedentes, quousque supergloriosissimo universorum fini beatifice uniantur, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus in sæcula. Amen.

FINIS TRACTATULI CONTRA PLURALITATEM BENEFICIORUM.

CONTRA SIMONIAM
LIBRI DUO

CONTRA SIMONIAM[1]

LIBER PRIMUS

PROŒMIUM.

G*RATIS accepistis, gratis date.* Matth. x, 8.

Filius Dei, Dominus et Salvator, cujus tanta est caritas tantaque liberalitas, quod se ipsum contulit nobis, ita quod ipse est dator et donum, imo et semetipsum pro nobis donavit, factus salvator ac hostia salutaris, voluit ac præcepit credentes in se sibi assimilari ac sua sectari vestigia : quatenus sicut ipse beneficia sua et dona gratiæ suæ gratis, hoc est pure propter se B ipsum, ex sua bonitate et caritate, præstitit nobis, ita et nos ea communicemus ac largiamur proximis nostris gratis. Quod etiam ideo jussit, quoniam ipse tanquam sapien-
Cor. I, 24. tissimus, imo et sapientia Dei Patris, optime novit quam incomparabiliter spiritualia dona excedant in dignitate corporalia bona. Ideo noluit spiritualia sub pretio corporalium poni, exigente hoc ipsum divina justitia. Hinc simonia Christifidelibus universis maxime prohibetur.

Denique, quanto religiosi præ ceteris C debent virtuosiores exemplarioresque esse, tanto diligentius atque totalius debent ab omni prorsus impietate simoniaca abstinere, omnem quoque tanti facinoris ab-
I Cor. II, 14. horrere ac vitare infamiam, ut sint bonus odor Christi in omni loco, nemini dantes
Ibid. VI, 3. ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium ipsorum, scientes et formidan- A tes quod ait Judex ac Dominus noster : Væ homini illi per quem scandalum venit ; et rursus : Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Matth. XVIII, 7. Ibid. 6. Quod si ita damnabile ac iniquum consistit unum scandalizare pusillum, quam damnabile et enorme putandum est plurimos et communitatem scandalizare, ad verba detractionum et temeraria judicia provocare, ad peccandi audaciam, avaritiæ excusationem, sanctæ religionis aspernationem, aversiones aliasque diversas vitiositates inducere ? Verumtamen, quia nonnulli religiosi in hac re se incaute habere videntur, imo et excedere perhibentur, intendo, agente et auxiliante Spiritu Sancto, in præsenti tractatulo juxta sanctorum Patrum et catholicorum doctorum documenta declarare ac scribere qualiter sapienter ac timorate habere se debent, omnem simoniacæ pravitatis culpam ac notam omnino et pure vitando, præsertim in exigendo ac recipiendo aliquid a personis ad religionem recipi postulantibus aut susceptis.

Porro, religiosi sunt duplices. Quidam evidenter male viventes, utpote qui nec substantialia omni religioni, videlicet tria vota quæ tam solenniter Altissimo promiserunt, observant : qui potius irreligiosi quam religiosi appellari merentur, et per-

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

juris deteriores censentur, quum votum solenne fortius obliget quam juramentum. Isti simoniam aperte multipliciterque committunt. Et quidam eorum faciunt hoc scienter, nec curant nec volunt advertere: sicut et cetera ad quæ tenentur, transgrediuntur quotidie impudenter, scienter et
Dan. XIII, 9. intimorate, quoniam everterunt sensum suum ut non adspiciant in cœlum, nec recordentur divini judicii districtionem, sed
Rom. I, 21. obscuratum et induratum est insipiens cor eorum. Alii autem sunt religiosi Deum timentes, et substantialia observantes, ac regulariter conversantes : qui nec sponte neque scienter pro ulla re mundi committerent simoniam, aut aliquam culpam, præsertim mortalem. Nihilo minus quidam istorum de vitio isto longe ac late graviter diffamantur : quibus condolendum est satis. Ipsi quoque non mediocriter habent metuere ac vereri propter prætacta diffusiusque tangenda ; item, ut dicitur, fama quam communis homo famat, non omnino deperditur. Itaque propter istos ista potissime conscribuntur, sicut et quidam ipsorum instanter precati sunt.

Postremo, quoniam pro simplicibus ista scribuntur, plane atque simpliciter procedent ; et brevitati studebo, ea dumtaxat commemorans quæ prætactæ poterunt intentioni sufficere, quum de simonia in diversis locis plurima sufficientissime et scholastice atque subtiliter sint conscripta.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit simonia.

THEOLOGI ac juristæ concorditer dicunt, quod simonia definitive ac proprie sit studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale aut spirituali annexum. In qua definitione voluntas accipitur pro actu seu pro habitu pravæ voluntatis, hoc est pro cupiditate voluntatis : ita quod studiosa voluntas vocatur electio, propositum, deliberatio seu cupido voluntaria emendi sive vendendi spiritualia aut eis annexa. Tamen, ut ait Raimundus, sufficit dicere quod simonia sit studiosa voluntas emendi sive vendendi aliquid spirituale : quia quod spirituali annexum est, etiam spirituale vocatur. Nihilo minus doctores communiter addunt, Vel spirituali annexum : vel propter evidentiam ampliorem et declarationem majorem ; vel quia spirituali annexum, non est proprie spirituale, ut id quod per se et directe spirituale appellatur ; vel ad insinuandum gradum atque distinctionem spiritualium rerum. Unde quum Raimundus affirmat sufficere ut dicatur quod simonia est studiosa voluntas emendi sive vendendi aliquid spirituale, accipit *spirituale* satis extense. Qui vero addunt, Vel spirituali annexum, accipiunt *spirituale* magis stricte ac proprie. Dicitur enim aliquid spirituale dupliciter. Primo, essentialiter, ut supernaturalia dona. Secundo, causaliter, quemadmodum sacramenta evangelicæ legis, quæ efficiunt quod designant : propter quod gratiam causare dicuntur. Et omnia ista proprie spiritualia nuncupantur. Communiter autem seu extense dicitur aliquid spirituale tripliciter. Primo, participative : sicque materiales ecclesiæ et cœmeteria, sacra etiam vasa, ut calices, et sacerdotalia ornamenta seu vestimenta, spiritualia appellantur, quia consecrationem participant quando benedicuntur. Secundo, ordinative, quia ad spirituale aliquid ordinatur et specialiter deputatur : sicque decimæ atque primitiæ, omnia quoque ecclesiastica beneficia, dicuntur spiritualia, quia ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ specialiter deputantur. Tertio, dispositive : sicut jus patronatus, quod est prævium spirituale, secundum quod jus patronatus est quædam potestas præsentandi clericum ad ecclesiasticum beneficium consequendum. Hæc autem distinctio procedit secundum doctrinam Alberti Magni et Udalrici ejus discipuli ; et omnia ista dicuntur spiritualibus annexa, et in eis committitur simonia, sive emantur sive vendantur quantum ad id quod de spiritualitate in eis est.

ARTICULUS II.

De alia descriptione simoniæ, et de duplici simonia.

OSTIENSIS simoniam definiens, ait : Simonia est spiritualium vel annexorum spiritualibus receptio vel donatio, præcedente pacto conditionis, promissionis, modi, servitii, precum, aut cujuscumque temporalitatis. Et datur descriptio ista de simonia secundum exterius forum judiciumque Ecclesiæ. Nam sola voluntate et absque pacto committitur simonia secundum interius Dei judicium et conscientiæ forum : quæ vocatur simonia mentalis, intentionalis, ratione pravæ et infectæ intentionis interioris, quam reprobat Deus. Alia vero vocatur simonia exterior, seu realis et effectualis.

De hac sic ait Udalricus in Summa sua, sexto libro, capitulo de simonia : Simonia in quantum est crimen, committitur sola voluntate, sine opere exteriori : quia et primus auctor criminis hujus, videlicet Simon magus, non produxit desiderium suum ad actum, sed sola voluntate peccavit : quemadmodum concupiscens mulierem, mœchatus est eam ; et qui odit fratrem suum, est homicida. Simonia vero in quantum est crimen ecclesiasticum, prout ejus cognitio, punitio sive damnatio ad ecclesiasticum spectat judicium, juxta quod ei conjunctæ sunt infamia, irregularitas, suspensio, et hujusmodi pœnæ, sic non committitur absque actu exteriori : quoniam homo videt quæ parent, Deus autem intuetur cor.

Act. VIII, 18 et seq. — Matth. V, 28. — I Joann. III, 15. — I Reg. XVI, 7.

Verumtamen intelligendum est istud de his quæ secundum se simoniaca sunt, et jure prohibentur divino : quæ a juristis vocantur prohibita quia simoniaca sunt. Alia autem sunt simoniaca quia prohibita : ut vendere castellionatum seu advocatiam, et beneficio renuntiare ea conditione aut pacto ut aliquid detur. In his enim sola voluntate non peccatur, nec etiam voluntate procedente ad actum simpliciter, sed A si voluntas procedat ad actum eo modo quo exstat prohibitum, videlicet sub conditione seu pacto. Si enim absque hoc renuntiet aliquis suæ præbendæ ea intentione ut is qui dignus est eam accipiat, non peccat. Hinc etiam ait S. Thomas super quartum Sententiarum, distinctione vicesima quinta : Homines judicant ea quæ foris parent, sed Deus cor intuetur, ut primo Regum habetur : idcirco in simonia ceterisque peccatis ex sola voluntate efficitur homo peccator et reus pœnæ ad B Dei judicium pertinentis, non autem quantum ad reatum pœnæ ad judicium pertinentis Ecclesiæ. Homicida namque voluntate incurrit reatum pœnæ æternæ, non autem irregularitatem, vel excommunicationem, aut aliquid tale ; et ita de simoniaco est dicendum.

Ex hoc elicitur et probatur, quod si religiosi recipiant aliquem vel aliquid principaliter intuitu et affectu commodi temporalis, coram Deo sunt simoniaci, et peccant mortaliter, quamvis nihil exigant, C neque de dando mentio fiat. Similiter dicendum est, si anniversarium aut tricenarium tali modo concedant aut celebrent, seu alium quemcumque spiritualem efficiant actum ex sacro officio eis convenientem.

Præterea agnoscendum, quod dum simonia dicitur studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, per emptionem et venditionem intelligitur omnis contractus non gratuitus, præter contractum permutationis, secundum Raimun-D dum. Et idem ait Joannes in Summa confessorum, Durandus quoque in Summa sua. Verumtamen Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima, asserit quod (art. 1 ad 5um.) absolute loquendo, per emptionem et venditionem intelligendus sit omnis contractus non gratuitus, quia (ut ait) nec permutatio præbendarum seu ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest auctoritate partium absque periculo simoniæ, quemadmodum neque transactio, ut jura determinant : potest tamen prælatus superior

permutationes hujusmodi facere pro necessaria vel utili causa. Sed ex Summa Udalrici patet horum concordia.

ARTICULUS III.

Quam detestabile et enorme sit vitium simoniæ.

Ut simonia formidolosius diligentiusque vitetur, aliquid de ejus enormitate ac damnabilitate tangendum est. Itaque quam abominabile ac fugiendum sit vitium istud, primo constat ex eo quod sancti Patres et summi Pontifices, generalia quoque concilia, ipsam sæpissime vocant hæreticam pravitatem ac hæresim, sicut hoc ex Decreto et Decretalibus copiosissime posset probari. Secundo, quia non solum nominant ipsam hæreticam pravitatem, sed etiam primam ac pessimam hæresim, gravissimumque peccatum. Ait enim Damasus * Papa : Omnia crimina per comparationem ad simoniacam hæresim quasi pro nihilo reputantur. Et item Paschalis Papa testatur : Simoniaci, tanquam primi atque præcipui hæretici, ab universis sunt fidelibus respuendi. Denique, Tarasius Constantinopolitanus patriarcha, in epistola ad Hadrianum Papam sic loquitur : Tolerabilior est Macedonii impia hæresis quam simoniacorum. Macedonius enim dixit Spiritum Sanctum esse puram creaturam, et Patris ac Filii servum ; simoniaci vero, etsi non verbis, tamen factis affirmant Spiritum Sanctum esse suum ministrum, dum spiritualia dona ipsius sub pretio ponunt.

* Paschalis Decret. p. II, caus. 1, q. 7, c. 27. — Ibidem. — Ibid. q. 1, c. 21.

Insuper, sanctus doctor Hieronymus super Matthæum disseruit : Latro est, et templum Dei in speluncam vertit latronum, quicumque de religione lucra sectatur. Unde et super illud Joannis secundo, ac Matthæi vicesimo primo, ubi describitur Christus ejecisse de templo vendentes et ementes in eo, dicunt expositores : Maxime ex hoc opere Salvatoris ostenditur enormitas simoniacæ pravitatis. Nusquam enim alibi legitur Christus corporaliter restitisse, et alios impulisse flagelloque ejecisse, nisi in facto hoc. Audite hæc, simoniaci ; audite, negotiatores nefandi. Aut a simonia vestra cessate, aut de templo exite. Vos nummularii estis, vos columbas et gratiam Spiritus Sancti venditis.

Joann. II, 14-16 ; *Matth.* XXI, 12, 13.

Præterea, simonia est spiritualis sodomia. Nam sicut vitia sodomitica directe contrariantur naturæ, et quantum in ipsis est corrumpunt genus humanum ; sic vitia simoniæ directe contrariantur gratiæ, et eam corrumpunt.

Rursus, enormitas simoniæ patet ex hoc, quod Sancti tam veteris quam novi Testamenti leguntur tam rigorosum ac fervidum habuisse zelum contra hoc vitium. Nam sanctissimus ille Eliseus propheta proprio ac familiari suo discipulo Giezi, quum incurrisset hoc crimen, nequaquam pepercit, sed perpetua lepræ plaga percussit eumdem : Lepra (inquiens) Naaman adhærebit tibi et semini tuo usque in sempiternum.

IV *Reg.* V, 20 et seq. — *Ibid.* 27.

Christus autem, Sanctus Sanctorum, in primo suo adventu contra nullum scelus tantum commotus legitur sicut contra hoc facinus : quia vendentes et ementes bis ejecit de templo. Et quamvis in primo suo adventu venerat judicari, non judicare, hominumque peccata per mansuetudinem tolerare ; tamen contra hoc vitium, in signum detestationis ipsius, noluit mititatem ostendere, sed tanquam iratus, flagello de funiculis facto expulit cupidos illos, et mensas nummulariorum, cathedras quoque vendentium columbas evertit, pecuniamque effudit. Et licet primus Christi adventus esset misericordiæ, justitia tamen de hoc peccato se intromisit. Hinc S. Bernardus scribit Eugenio Papæ de vitio simoniæ : Intuere Christum judicem tuum. Non parat aures ut audiat, sed flagellum quo feriat. Verba non facit nec recipit : nec enim sedet judicans, sed insequitur puniens. Causam tamen non tacet, quod scilicet domum orationis, domum negotiationis fecissent. Ergo et tu

Joann. II, 14-16 ; *Matth.* XXI, 12, 13.

fac similiter. Erubescant vultum tuum istiusmodi negotiatores; timeant nummularii, non confidant in nummis suis.

ARTICULUS IV.

De origine simoniæ, et nominis ratione.

Act. VIII, 13. LEGITUR in Actibus quemadmodum Simon magus a Philippo diacono baptizatus, quum vidisset quod per impositionem manuum beatissimorum apostolorum Petri et Joannis daretur Spiritus Sanctus in signo visibili, obtulit eis pecuniam, dicens : Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Cui sanctissimus Petrus respondit : Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto : cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse. Ex qua responsione luce clarius innotescit quam ineffabile, grave atque damnabile sit vitium simoniæ, et item quam vehementissime princeps Apostolorum et primus pastor ac summus prælatus totius Ecclesiæ sanctissimus Petrus illud abhorruit. Itaque a Simone mago simonia in evangelica lege exordium sumpsit, et nomen suum sortita est. In veteri autem lege in Giezi discipulo Elisei prophetæ legitur præcessisse. Nam ille a Naaman Syro pro gratia sanitatis per Eliseum miraculose illi concessæ, sumpsit vestes atque pecunias, ut in libris Regum legitur. Unde spiritualia ementes sive vendentes, non solum simoniaci, sed et Giezitæ possunt vocari. Imo, secundum Thomam, appropriate loquendo, qui spiritualia vendunt, recte vocarentur Giezitæ, quoniam Giezi spirituale quid vendidit; qui vero spiritualia emunt, rite simoniaci nominarentur. Communiter tamen omnes hi simoniaci appellantur, ita quod vitium istud magis a Simone quam a Giezi nomen sortitur, quia evidentius et enormius fuit vitium Simonis magi quam Giezi : primo, quoniam id quod emere voluit, spiritualius fuit quam quod Giezi vendidit, utputa virtus faciendi miracula et dandi Spiritum Sanctum in signo visibili ; secundo, quoniam Simon non solum intendebat spirituale bonum hoc emere, sed etiam vendere ipsum, et per ipsum lucrari pecunias, faciendo miracula propter eas, ut ait Papa Urbanus.

[Margin notes: Ibid. 18-23. — IV Reg. V, 1-23. — Summ. th. 2æ, q. c, a. 1 ad 4um. — Decret. p. II, caus. 1, q. 3, c. 8.]

ARTICULUS V.

Qualiter simonia diversimode committatur.

SECUNDUM quod sanctus asserit Augustinus, ab hoc nomine pecus, pecunia nomen suum accepit, quoniam pecora erant divitiæ antiquorum, et eis utebantur in suis contractibus loco pecuniæ. Hinc per pecuniam datur intelligi cujuscumque valor seu pretium quod potest numismate mensurari. Quum ergo obsequium hominis ordinetur ad aliquam utilitatem ejus cui impenditur, quæ potest æstimari ac mensurari pecunia, quæ et ministris conducticiis pro mercede servitutis eorum impenditur ; certum est quod si quis det alicui rem spiritualem pro suo obsequio, ita simoniam committit ac si eam pro pecunia daret. Conformiter, quod aliquis acquiescat alterius precibus ad obtinendam gratiam temporalem aut consequendum humanum favorem, ordinatur ad utilitatem aliquam temporalem, quæ potest pecuniæ pretio æstimari : ideo, sicut incurrit quis simoniam dando seu accipiendo pecuniam pro spirituali, ita et porrigendo seu exaudiendo preces pro spirituali.

Hinc communiter dicitur quod triplex est munus, videlicet : munus a manu, quod est pecunia seu quidquid ad exteriores divitias pertinet ; munus a lingua, quod est laus seu adulatio ad humanum spectans favorem, qui cadit sub pretio,

vel preces ex quibus favor humanus acquiritur; et munus ab obsequio, quod est servitus ipsa seu actio quævis corporaliter exercita, non honesta, aut ad carnale commodum ordinata. Et per quodlibet munerum horum contrahitur simonia. Ait namque Urbanus Papa : Quisquis res ecclesiasticas non ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra, munere linguæ vel indebiti obsequii aut pecuniæ, largitur seu adipiscitur, simoniacus est. — Verumtamen, si clericus alicui prælato honestum impendit obsequium atque ad spiritualia ordinatum, ex sui devotione obsequii efficitur ecclesiastico beneficio dignus. Unde B. Gregorius loquitur in Regesto : Ecclesiasticis utilitatibus deservientes, dignum est ecclesiastica remuneratione gaudere. — Similiter, si preces porrigantur pro digno, non est simoniacum, dummodo attendatur ad dignitatem personæ : ad quam si non attenderetur, sed ad humanum favorem, simoniacum esset.

Decret. p. II, caus. 1, q. 3, c. 8.

Ibid. caus. 12, q. 2, c. 67.

Caveant ergo religiosi ne aliquo horum modorum simoniæ crimen incurrant, in recipiendo quamcumque personam ad Ordinem. Nam etsi quis diu servivit in claustro, non propter ipsam servitutem secundum se sumptam est recipiendus; sed si aliunde idoneus est, propter sui obsequii devotionem et suæ personæ idoneitatem suscipi potest. Similiter, si rogetur pro aliquo, non est recipiendus propter preces sive precantes, nec propter eorum favorem, sed ob suam idoneitatem, si dignus est. Devotio tamen, virtus et probitas seu merita deprecantium, possunt religiosos inclinare ad recipiendum eum pro quo rogatur, si dignus est.

ARTICULUS VI.

An liceat religiosis exigere aliquid a personis religionis ingressum petentibus, et de rationibus quod non.

PROPTER determinandam et declarandam hujus quæstionis difficultatem, potissime compilatur iste tractatulus. Denique, ut veritas hujus rei clarius pateat ac certius innotescat, procedam scholastice, aliqua pro utraque parte introducendo motiva.

Itaque primo videtur quod istud nequaquam sit licitum, etiam ratione penuriæ seu paupertatis prætextu. Primo, quoniam status religionis est bonum spirituale : ergo gratis omnino communicandus est postulanti, non sub aliqua conditione seu pactione. Nil igitur exigi potest a petentibus ad Ordinem recipi, sed simpliciter et absque conventione sunt recipiendi aut refutandi : alioqui non est ibi contractus pure gratuitus, nec datio penitus liberalis; neque impletur quod Filius Dei præcepit : Gratis (inquiens) accepistis, gratis date. *Matth.* x, 8.

Secundo, quia si aliquid ab illis exigitur, simonia committi videtur : quoniam, juxta præhabita secundo articulo, simonia, ut asserit dominus Ostiensis, est spiritualium vel annexorum spiritualibus receptio vel donatio, præcedente pacto conditionis, promissionis, modi, servitii, precum, aut cujuscumque temporalitatis. Si autem a postulante ingressum religionis exigitur aliquid antequam recipiatur, certum est quod ipsam receptionem pactum conditionis seu promissionis et modi ac temporalitatis præcedit : quod simoniacum esse convincitur per locum a definitione ad definitum.

Tertio, quia (ut ait S. Thomas super quartum, et idem habetur in Summis doctorum) pro anniversario celebrando nullo modo licet pacisci seu facere pactum de aliquo dando : ergo nec pro aliquo ad religionem suscipiendo, quum utrobique sit eadem ratio, utputa spiritualitas ipsa. dist. xxv.

Quarto, quia apostolus Paulus universis scribit Christifidelibus : Ab omni specie mala abstinete vos. Istud ergo potissime observandum est religiosis, qui ad perfectionem tendere obligantur. Sed exigere aliquid temporale a petentibus recipi ad vitam claustralem, habet speciem malam, quia aut exsistentiam aut grandem appa- I *Thess.* v, 22.

rentiam habet simoniacæ pravitatis. Ergo omnino cavendum est.

Quinto, quia (ut ait sanctissimus doctor Hieronymus) quidquid vitari potest salva triplici veritate, videlicet veritate doctrinæ, vitæ, justitiæ, est vitandum, ne scandalizentur pusilli seu imperfecti. Quum ergo jam experientia longe lateque doceat, imo et evidentissime manifestet, quod exactio ista non solum mediocriter, sed etiam enormiter scandalizet pusillos et quasi innumerabiles sæculares, qui ista occasione religionem sanctam contemnunt religiosisque detrahunt, et cupiditates aliasque culpas suas mortales excusant aut parvi pendunt, atque in varia inconvenientia delabuntur; hinc sequitur quod exactio ista omnifarie sit vitanda, etiam quamvis possit modo aliquo excusari et in se licita perhiberi. Nempe si claustrales seu religiosi vere sunt pauperes, et indispositi ad recipiendum plures personas, possunt absque læsione triplicis veritatis prætactæ, personas recipi postulantes refutare, et omne pactum de dando aliquid prorsus cavere : imo valde exemplariter, meritorie ac honestissime possunt hoc facere. Neque per hoc præcluditur aliis via salutis, sed potius providetur ne ipsi periculose recipiantur.

Insuper possent ad idem probandum aliæ plures rationes adduci, quarum aliquæ infra introducentur.

ARTICULUS VII.

Confirmatio rationum istarum ex dictis summorum Pontificum.

QUINTO Decretalium, titulo 3, Innocentius Papa in generali concilio præsi-
cap. 40. dens, ipso approbante concilio, ait : Quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in Sorores, paupertatis prætextu volentes hoc vitium palliare; ne id de cetero fiat, penitus prohibemus, statuentes ut quæcumque de cetero talem commiserint pravitatem, tam recipiens quam recepta,

A sive sit subdita, sive prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiam retrudenda. Hoc etiam circa monachos vel alios regulares decernimus observandum.

Insuper, sexto Decretalium Bonifacius Papa disseruit : Districtius inhibemus ne Sext. lib. III, tit. 16, c. 1.
in monasteriis Ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cetero in Sorores, nisi quot poterunt de monasterii bonis absque penuria sustentari. — Et si istud in B Ordinibus non mendicantium est servandum, magis in aliis videtur observandum Ordinibus, ne scilicet paupertatis occasione incurrant periculum, aliquid exigendo a recipiendis aut receptis, aut aliis modis.

Præterea de hac re Urbanus Papa ait in bulla cujus titulus est, Absque omni pacto personæ recipiantur ad Ordinem : Urbanus Extrav. lib. V, tit. 1, c. 1.
episcopus, servus servorum Dei. Ne in vinea Domini nascentes vepres et spinæ convalescant, diligentiæ nostræ incumbit C officio ut illas exstirpare radicitus solerti studio procuremus. Sane multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Ecclesiis, monasteriis, prioratibus, et aliis locis religiosis tam virorum quam mulierum, illa detestabilis et a canonibus reprobata servatur abusio, quod quum personæ aliquæ recipiuntur in eis ad observantiam regularem, personæ ipsæ temeritate præsumptuosa pastus seu prandia capitulis et conventibus facere, aut pecunias vel jocalia seu res alias ipsis Ec- D clesiis seu monasteriis ex statuto vel consuetudine, quæ corruptela dicenda est potius, tribuere compelluntur. Ex quibus decori Ecclesiæ et immaculatæ religionis detrahitur, et quamplures tam exsecratione hujus criminis quam expensarum onere a sanctæ religionis proposito retrahuntur, et in multorum mentibus fidelium scandalum generatur. Nos igitur huic morbo pestifero cupientes congruam adhibere medelam, aliis pœnis in talia præsumentes inflictis in suo robore duraturis, pœnam

adjicimus graviorem, universis et singulis A religiosis ecclesiasticisque personis atque conventibus tenore præsentium auctoritate apostolica districtius inhibentes, ne a personis eorum religiones, Ecclesias vel monasteria ingredi volentibus, in earumdem personarum receptione, aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia, cœnas, pecunias, jocalia aut res alias de cetero directe vel indirecte petere vel exigere quoquomodo præsumant, sed eas potius cum omnimoda puritate recipiant, ac in victu et vestitu sicut alias suæ congregati- B onis personas sincera caritate pertractent, illa dumtaxat cum gratiarum actione licite recepturi, quæ personæ ingredientes pure et sponte et plena liberalitate, omni pactione cessante, dare voluerint. Nos enim eos qui secus egerint, si singulares personæ sint tam dantes quam recipientes hujusmodi, excommunicationis, si vero capitula seu conventus fuerint, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere : a quibus, præterquam in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis apostolicæ licentia C speciali. Ceterum personis utriusque sexus quæ jam labe hujusmodi sunt fœdatæ, de benignitatis gratia exuberanti concedimus, quod per suorum locorum diœcesanos, hac vice dumtaxat, a crimine hujusmodi et nota diffamiæ inde contracta, auctoritate apostolica absolvantur. Insuper, erga personas quæ in præmissis peccaverunt, volentes nos reddere gratiosos, omnia recepta hujusmodi, si ad communem usum monasteriorum sint applicata, ea ad dictum usum concedimus licite retineri ; si D vero ad specialem usum abbatis aut abbatissæ, prioris aut priorissæ aut alicujus singularis personæ retineantur, illa venire præcipimus in communi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis, constitutionis, concessionis et præcepti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Denique, ad idem demonstrandum possem nunc plura ex sacrorum conciliorum decretis ac summorum Pontificum canonibus allegare, prout in Decreto et Decretalibus continentur, quorum aliqua inferius forsitan tangentur ; sed ista pro nunc reor sufficere.

ARTICULUS VIII.

Argumentatio ad partem oppositam.

PORRO, quod aliquid exigi possit a petentibus religionis ingressum, videtur multipliciter posse probari. Primo, quia status religionis non est spiritualior quam celebratio Missæ aut sacramentum Eucharistiæ. Sed licet cantare Missam pro aliquo pretio, quum dicat Apostolus : Quis mili- I Cor. IX, 7.
tat suis stipendiis unquam ? Ergo et aliquid exigi potest a postulante ad Ordinem suscipi.

Secundo, quia totum ecclesiasticum officium est quoddam bonum spirituale. Sed pro anniversario alicujus celebrando quidam accipiunt redditus certos. Ergo pro aliquo ad religionem suscipiendo temporalia exigi possunt.

Tertio, quia Apostolus ait : Si nos vobis Ibid. 11.
spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus ? quasi dicat : Non est magnum nec multum reputandum. Ergo nec magnum est si religiosi exigant aut suscipiant temporalia et terrena ab his quibus communicant spiritualia sua.

Quarto, quoniam ad Romanos loquitur Paulus : Nunc proficiscar Jerusalem mini- Rom. XV, 25-27.
strare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis ; et debitores sunt eorum : nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis. Ergo a simili, dum sæculares personæ per receptionem ad religionem fiunt participes spiritualium ipsorum religiosorum a quibus recipiuntur,

debent eis temporalia ministrare, et ea exigi possunt (ut apparet) ab ipsis. Imo sanctus Apostolus prædicavit pro collectis seu temporalibus rebus in eleemosynam dandis ipsis fidelibus pauperibus qui in Jerosolymis morabantur.

Quinto, quoniam Prosper ait in libro de Vita contemplativa : Non est meum dicere quale peccatum sit, ut cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui Ecclesiam, quam de propriis adjuvare facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant. Iterum ait libro prætacto : Pastor Ecclesiæ his quibus sua sufficiunt non debet aliquid erogare, quum aliud nihil sit habentibus dare quam perdere. Ergo monasteria, præsertim egena, non debent suscipere sæculares, potissime opulentos aliquidve habentes, nisi sua deferant secum.

Decret. p. II, caus. I, q. 2, c. 8. — Ibid. c. 7.

Sexto, quoniam sanctus Papa Gregorius ordinavit de clericis qui propter suos excessus ad agendam pœnitentiam in pauperibus monasteriis retruduntur, quod res eorum eos sequantur.

Septimo, et magis ad propositum, quia Udalricus scribit in Summa sua : Si monasterium tanta paupertate depressum est, quod redditus ejus aut vix aut non sufficiunt personis præsentibus, non solum possunt habere intentionem accipiendi temporalia a recipiendo, sed ipsis spiritualibus gratis exhibitis, etiam requirere temporalia quæ sufficiant sustentationi recipiendi; et possunt exprimere determinatam quantitatem, et pacisci de hoc quod illa summa detur, dummodo recipiendus habeat unde valeat sustentari, quoniam in Actibus habetur : Quotquot erant possessores agrorum aut domorum, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Atque, ut paulo post narratur, B. Petrus morte punivit eos qui partem pretii debiti subtraxerunt. Denique, in Summa confessorum et in Summa Pisana hæc eadem asseruntur. Ex quibus omnibus ac aliis argumentis tandem concludit Udalricus : Multi volentes evadere Scyllam, inciderunt Charybdim : quia dum volunt simoniam vitare, et sustentationem ingredientium monasteria dicunt arbitrio sæcularium hominum esse committendam, defraudant monasteria rebus sibi debitis, et sæcularibus hominibus dant opportunitatem spoliandi.

Act. IV, 34, 35. — *Ibid.* V, 1 et seq.

Octavo, quoniam S. Thomas testatur super quartum Sententiarum : Quando possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc exigi aliquid potest ab eo qui deservire vult Deo in loco illo, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium unde ei valeat providere : ideo non committitur simonia. Si autem absque gravamine Ecclesiæ recipi potest, simoniacum est exigere aliquid. dist. XXV.

Postremo, oratio est bonum præcipue spirituale. Sed licitum est dare viris devotis pecuniam ut orent pro eo qui dat. Ergo et pro receptione ad religionem est licitum aliquid dare atque exigere.

ARTICULUS IX.

De triplici responsione ad quæstionem hanc ipsam.

SICUT jam tactum est, Udalricus et alii quidam simpliciter dicunt, quod quando claustrum præ paupertate non sufficit plures nutrire personas quam eas quas habet, licite potest quærere et exigere aliquid a recipiendo aut recepto, et determinatam summam exprimere, ac super hoc facere pactum sive conventionem, sic tamen ut spiritualia gratis in primis exhibeantur. Et dicunt tunc ibi non exigi nec recipi temporale pro spirituali quasi pretium ejus, sed tanquam sustentaculum sive stipendium vitæ. — Alii dicunt, quod nec prætextu paupertatis liceat aliquid exigere a recipiendo quovis modo : quia paupertas non potest talem exactionem tam evidenter in Jure prohibitam efficere licitam, nec sub paupertatis prætextu debet quis perpetrare prohibita. Unde Joannes de Imola asserit, quod indistincte talis art. præced.

receptio sive exactio non valet. — Porro Bernardus super Decretalem Innocentii art. VII. præinductam, affirmat quod licet aliquo modo dici possit ut dictum est secundum primam opinionem, tutius tamen est ut nulla persona ita recipiatur. Idem refert Durandus in Summa sua, Ostiensis quoque sic sentit.

Præterea nunc diligentius recitandum et advertendum est, quid circa hæc S. Thomas in diversis scripserit locis atque finaliter sentiat. Itaque super quartum Sententiarum scribit quod præcedenti articulo in octavo tactum est argumento. Porro in secunda secundæ, quæstione centesima, art. 3 ad 4um. testatur : Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium : licet tamen, si monasterium sit adeo tenue quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in monasterio fuerit recipienda. In Quodlibetis vero suis sic loquitur : Quum in dispensatione sacramentorum seu aliorum spiritualium aliqua recipiuntur, ut simonia vitetur, tria sunt necessaria. Primum, ut fiat ex concessione juris divini sive humani, aut saltem piæ consuetudinis. Secundum est, ut sit intentio pia, et non corrupta. Tertium, ut servetur et sit forma honesta, ut non requiratur aliquid ante pii officii seu spiritualis doni aut beneficii gratuitam exhibitionem, ne pactum intervenire videatur ; sed expleto officio, poterit exigi. Ostiensis quoque in Summa sua fatetur hoc tertium esse omnino servandum.

ARTICULUS X.

Quæ harum responsionum sit verior atque securior, magisque videatur servanda.

INTER præfatas tres responsiones illa videtur esse securior quæ dicit indistincte, quod nec sub prætextu seu colore A paupertatis liceat aliquid a recipiendo exigere : et hoc propter motiva in sexto ac septimo articulis introducta, atque inferius introducenda, præsertim quoniam illa responsio magis recedit ab omni specie mala, et longior est ab omni simoniaca labe, nota ac culpâ, magis quoque concordat Decretalibus et bullis seu constitutionibus summorum Pontificum et generalium conciliorum præallegatis ; et pauciora ac minora mala, imo plura et majora bona sequuntur ex ea : quia dum sæculares conB spiciunt religiosos ab omni simonia et avaritia tam purissime esse immunes, maxime ædificantur in eis, et cordialius afficiuntur ad ipsos, sicque vehementius inclinantur benefacere eis, et religionem intrare, seu suos ad religionis ingressum accendere, et laudant atque glorificant Deum in famulis famulabusque suis religiosis. Et ita per hunc modum cœnobia tam in spiritualibus quam in temporalibus magis proficiunt : quod experientia in multis religionibus sæpissime docuit, et adhuc C de gratia Dei in Ordine Cartusiensi quotidie docet.

Porro responsio illa quæ dicit, quod sub prætextu paupertatis aliquid a recipiendo exigi possit, spiritualibus tamen ei primo gratis exhibitis, in se ipsa quidem satis probabilis esse videtur, et securior est quam prima. Sed in hoc quod ait, tutius esse ut nulla persona ita recipiatur, est utique vera et certa, quemadmodum responsio præmemorata jam approbat.

Responsio autem in exordio præcedentis D articuli posita, nequaquam stare posse videtur, nisi intelligatur secundum moderationem quam in Quodlibetis suis Thomas inducit, observatis videlicet tribus illis quæ ibidem affirmat Thomas esse omnifarie observanda ut simonia vitetur, prout præcedenti dicebatur articulo. Cui in hoc dominus Ostiensis et Guillelmus concordant. Et hoc ex rationibus sexto septimoque articulis supra inductis satis probatum censetur, et nihilo minus modo diffusius ostendetur.

ARTICULUS XI.

Quod ille modus exigendi aliquid temporale a persona recipienda, quem quidam religiosi utriusque sexus nunc habent, periculosus sit atque illicitus, et de improbatione opinionis quorumdam præhabitæ, secundum unum sensum ipsius.

QUEMADMODUM Innocentius ait in Glossa super capitulum, *Tua nos*, non licet aliquam personam ad religionem suscipere sub hac forma : Recipimus te in Fratrem aut Sororem, si detuleris tecum unde vivas, quia bona ecclesiæ seu congregationis nostræ non sufficiunt nisi nobis. Et huic assertioni consonant verba Ostiensis et Guillelmi atque Bernardi et S. Thomæ, imo et omnia hucusque catholice introducta, et potissime verba Urbani Papæ, quæ ad alium sensum nullatenus poterunt retorqueri, ut septimo patet articulo. Quum ergo nonnulli religiosi sub prætacta forma modo quasdam personas recipiunt, siquidem publice dicunt eis, Pauperes sumus, nec dispositi sumus recipere te, nisi tantum aut tantum apportes, seu des, sive promittas ; constat quod periculose et illicite agant, præsertim quia et cautionem volunt habere, et nisi solvatur quod exactum est, volunt receptum licentiare. Et quædam religiosæ personæ exigunt statim sibi dari certam summam pecuniæ, et postmodum alia plura ; et ita recipiunt præcedente pacto, conditione, promissione, conventione et modo : quod quam periculosum illicitumque consistat, ex præhabitis elucescit ; estque probatum, a simoniaca pravitate non posse id veraciter excusari. Præterea, si dicunt se facere talem exactionem et pactionem, considerando rem temporalem non ut pretium rei spiritualis, sed ut est stipendium aut sustentaculum vitæ ; jam patuit istud non sufficere nec valere. Nam et simili palliatione posset pene omnis simoniaca pravitas excusari. Simili quoque modo posset de Missa celebranda et anniversario concedendo fieri pactio : cujus contrarium

Decretal. lib. v, tit. 3, c. 34.

A dicunt doctores concorditer. Insuper, exactionis pactionisque hujus forma est in se inhonesta ac scandalosa, repugnans decori Ecclesiæ, et derogans sinceritati religionis monasticæ : propter quod Urbanus Papa eam totaliter ac apertissime reprobat.

Nec etiam possunt religiosi conscientia bona sic dicere recipiendo : Damus tibi gratis quod habemus, videlicet locum et societatem, seu communionem Ordinis nostri ; sed oportet ut tibi de necessariis vitæ provideas, seu hoc aut illud apportes seu

B præstes. In his enim verbis est pactio modi et vera temporalitatis exactio. Nec verba ista quantum ad sensum differunt a verborum forma prædicta, quam Innocentius et Urbanus dicunt esse illicitam. Oportet namque ut receptio ipsa ad religionem sit gratuita, liberalis et simplex seu absoluta, non conditionata, coarctata et obligatoria ad aliquid temporale, sicut ostensum est. art. vi, vii.

Præterea, qui dicunt pauperes religiosos aliquid posse exigere a recipiendo, et determinatam summam exprimere, et super

C ea solvenda pacisci, spiritualibus gratis exhibitis, requirendi sunt isti qualiter istud intelligant, hoc est, qualiter spiritualia debeant gratis exhiberi recipiendo. Aut enim exhibentur ei simpliciter et absolute, liberaliter aut pure ; aut conditionaliter et sub pacto ac obligatione ad temporale. Si primo modo, ergo eo ipso quo religiosi ita recipiunt aliquem, obligant se ad providendum ei de necessariis corpori sicut sibimetipsis, quamdiu cum eis est, nec possunt eum bona conscientia refutare,

D quamvis nihil det eis, quia jam absolute eum ad suam religionem receperunt, dummodo aliunde aptus sit Ordini. Nempe recipiendo eum ad Ordinem seu vitam monasticam, recipiunt eum ad vitam communem, et eorum quæ habent faciunt eum participem, secundum institutionem et intentionem sanctorum Patrum qui Ordines fundaverunt. Rursus, recipiendo eum ad suam societatem et fraternitatem, incorporant eum sibi, nec possunt eum ab unitate mystici corporis sui sine rationabili

causa abscindere, tenenturque ei de necessariis providere, quibus ex officio hoc incumbit. Si vero spiritualia exhibentur ei conditionaliter, et sub pacto seu obligatione ad temporale, jam satis ostensum est id prorsus illicitum esse nec simoniæ labe carere. Si ergo positio illa quorumdam salvabitur, oportet ut intelligatur quod exactio, pactio et determinatio de temporalibus dandis, fiat solum post absolutam receptionem personæ ad Ordinem, ut S. Thomas, Ostiensis et alii contestantur, ne pactio intervenire videatur simoniæque vitium committatur. Quod si prædicti suam responsionem ita intelligunt, poterit forsitan stare, non aliter.

Verumtamen incautum videtur ita recipere in casu præhabito, dum scilicet claustrum tanta deprimitur paupertate, quod non sufficit plures quam eos quos habet nutrire : quia sive persona recepta det aliquid, sive non, tenentur eam retinere, ut dictum est, si aliunde sit apta. Ideo, juxta Bernardum ac alios plures, tutius est non recipere. Ideo et Bonifacius statuit ne moniales de certis Ordinibus plures recipiant quam bene possunt nutrire. Istud tamen intelligendum videtur, nisi forsitan religiosæ personæ propriis sustententur laboribus, aut tantæ perfectionis exsistant, quod ex inspiratione divina et confidentia paternæ providentiæ Dei recipiant plures quam ex suis queant possessionibus sustentare. Tales namque
II Cor. III, 17. non subessent legi communi : quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas.

ARTICULUS XII.

Demonstratio plenior, quod non liceat religiosis exigere aliquid temporale a personis religionis ingressum petentibus, nisi forsan (ut dictum est) post absolutam, gratuitam ac simplicem receptionem ad Ordinem.

Eccli. XVII, 12. Matth. XXII, 39. SICUT in Ecclesiastico legitur, unicuique mandavit Deus de proximo suo, ut scilicet diligat eum sicut se ipsum, et A etiam faciat ei loco et tempore opportuno quod vera requirit dilectio, et prout rationabiliter vult sibi fieri ab illo. Matth. VII, 12. Et præsertim mandat Deus unicuique de proximo suo, ut eum ædificet, non scandalizet. Deo quippe debemus bonam conscientiam, proximo bonam famam. Propter quod sanctus asserit Augustinus : Qui negligit famam suam (id est, qui bonam famam habere non curat nec satagit), crudelis est : quoniam proximos suos permittit seu facit male sentire de se, et ita, quantum in se B est, ipsos scandalizat et spiritualiter necat, et animat ad peccandum. Hinc ait Scriptura : Curam habe de bono nomine : Eccli. XLI, 15. hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri. Et iterum Salomon protestatur : Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa. Eccle. VII, 2. Ex quibus etiam comprobatur, quod bona fama sit terrenæ substantiæ præponenda, præeligenda, præamanda ac præexquirenda, in quantum bona fama est ad Dei honorem et proximorum ædificationem. Propter quod qui negligit C famam, non solum crudelis exstat in proximos, sed injuriosus quoque consistit in Deum, ad cujus inhonorationem et offensionem inducit, quantum in se est, proximos suos. Unde per Jeremiam conqueritur Deus de impiis Israelitis : Commaculastis (inquiens) nomen meum. Jer. XXXIV, 16. Et rursus : Sanctificabo (inquit) nomen meum magnum, Ezech. XXXVI, 23. quod pollutum est, quod polluistis inter gentes.

Denique, quamvis omnia ista ad universos pertineant Christifideles, speciali- D ter tamen ad religiosos : qui quanto minus proficiunt aliis prædicando, tanto plus eis proficere debent virtuose et exemplariter conversando ; et quanto tenentur præ vulgo perfectius vivere, tanto plus obligantur vulgi ac sæcularium et maxime pusillorum scandala devitare, non solum vitando quæ in se culpabilia sunt, imo et ea quæ speciem habent mali : I Thess. V, 22. quæ ex caritate proximi sunt vitanda, ne quis pusillorum scandalizetur. Porro pusilli vocantur, qui nondum perfecti sunt, et ex infirmitate

aut ignorantia, non ex certa malitia, peccant. Religiosi itaque, qui ex præfato modo exigendi aliquid temporale a recipiendo, atque ex modo suo recipiendi personas nonnullas, sciunt sibi in populo malum ac detestabile nomen generari, et plurimos scandalizari, et ex consequenti Deum graviter inhonorari, ac diversa oriri peccata superius tacta, valde habent timere, et pœnitere ac inde cessare : imo et graviter peccare probantur, seque protinus emendare tenentur, et a præfata exactione in se illicita abstinere, etiam dato quod non esset in se ipsa illicita, propter hoc quod speciem habet mali, et tantorum occasio est malorum, tantorumque radix ac incitatio scandalorum, imo talium atque tantarum Dei altissimi injuriarum fomentum.

Præterea, quum religiosi teneantur spirituali profectui incessanter studere, et in caritate sancta proficere, oportet eos apostolica documenta de scandalis evitandis et exemplaritatibus observandis, sinceritateque caritatis, cum ingenti atque præcipua diligentia adimplere. Nunc igitur apostolica documenta super his advertantur. Certe ad Romanos Paulus loquitur : *Rom.* XIV, 15. 20. Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum caritatem ambulas ; noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est ; noli propter escam destruere opus Dei. Loquitur autem ibi ad litteram sanctus Apostolus de cibis secundum legem prohibitis, qui usque ad Christi passionem erant Judæis vitandi ; sed post Christi ascensionem Evangelio divulgato, non poterant sine peccato vitari ratione legalis prohibitionis, quia ex tunc observatio cærimonialium legis fuit mortifera. Tempore autem intermedio, scilicet inter Christi passionem et Evangelii divulgationem, poterant tales cibi sine peccato manducari atque vitari. Itaque præallegatorum sensus verborum est : « Si propter cibum frater tuus contristatur », id est, si proximus tuus ad inordinatum mœrorem movetur et scandalizatur, eo quod cibum manduces quem sine culpa potes non manducare, « jam non secundum caritatem ambulas », id est, contra caritatem agis et peccas : nam caritas exigit ut pro scandalo proximi tui (præsertim pusilli) vitando, vites quidquid sine peccato vitare vales. « Noli cibo tuo », id est esu cibi tui, « illum perdere », id est ad mortalem culpam inducere, « pro quo Christus mortuus est » : unde et Christi amore hoc debes vitare, nec salutem parvi pendere proximi tui, quam in tantum appretiatus est Filius Dei, qui se ipsum dedit in mortem *Is.* LIII, 12. pro ea.

Denique, hæc ad propositum applicando, quum præfata exactio prætactaque pactio et forma recipiendi prædicta possint sine peccato vitari, et aliorum etiam pusillorum ac plurimorum sint scandalizativæ, vitandæ sunt. Imo etsi in se licitæ essent, adhuc essent ad tempus vitandæ, quousque per rationabilem informationem seu alio modo cessaret scandalum pusillorum, secundum doctrinam Sanctorum. Siquidem opera bona ad quæ quis non tenetur, ad tempus sunt omittenda pro scandalo pusillorum sedando : quanto magis opera indifferentia, et præsertim opera in se illicita, seu speciem mali habentia ?

Amplius, Corinthiis ait Vas electionis : Quidam cum conscientia usque nunc ido- I *Cor.* VIII, 7-13. li, quasi idolothytum manducant ; et conscientia ipsorum quum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo : neque enim si non manducaverimus, deficiemus ; neque si manducaverimus, abundabimus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia illius quum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, et peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est ? Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem

in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Ex quibus utique apostolicis verbis ostenditur quam damnabile et enorme sit scandalizare pusillos, faciendo vel mala vel speciem mali habentia, et qualiter spiritualium sit virorum etiam licita quædam vitare, et magna potius pati mala pœnalia quam scandalizare pusillos.

Insuper, prout Thomas in secunda secundæ, quæstione quadragesima tertia, (art. 8 ad 5um.) declarat, Ecclesiæ Christi in quibusdam locis non recipiunt decimas, quoniam sine scandalo id exigere nequeunt, quum tamen decimas ab Ecclesia exigi sit juris divini : quanto magis vitanda sunt memorata illarum exactionis, pactionis et receptionis negotia, in se ipsis tam suspecta et indecora? Hinc monet Apostolus (Rom. xiv, 19.) : Itaque quæ pacis sunt, sectemur, et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus ; itemque (Ibid. 13.) : Hoc judicate potius, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.

ARTICULUS XIII.

Prosecutio disputationis istius ex aliis variis considerationibus.

DOCTOR ille profundus, fervens et unctus, dominus Guillelmus Parisiensis, in tractatu suo de Collatione beneficiorum effatur : Aggrediamur disputare an liceat uni personæ multa habere beneficia quorum unum sufficiat ad competentem sibi sustentationem. In primis ergo, si de hoc videatur alicui dubitandum, quia a multis et magnis viris sentitur quod imo, atque a multis et magnis quod non, unde temerarium videri potest de hoc aliquid definire ; ad hoc dicimus, quia si dubium est an liceat hoc an non, ipsa dubietas certitudo est et determinatio, id est, certitudinem facit : quoniam procul dubio non licet alicui committere se discrimini. Discrimini autem se committit, qui præsumit aliquid facere de quo dubitat an sit mortale peccatum. Quum ergo, ut diximus, dubietas faciat hoc discriminosum, (A) idcirco vitandum est de necessitate salutis, tanquam illicitum et mortale : quoniam, Augustino testante, mortaliter peccat qui discrimini se committit. Sic in proposito arguo. Quum enim, juxta præhabita, de isto sint opiniones diversæ, an liceat religiosis aliquid a recipiendo exigere, ipsa dubietas seu opinionum varietas facit istud ad minus discriminosum : idcirco necessario est vitandum, et discrimini se committit, qui a recipiendo exigere aliquid temporale præsumit.

(B) Præterea, juxta Guillelmum Antisiodorensem, religiosi non solum tenentur ad viam meliorem, sed etiam ad securiorem. Quum ergo apertissime sit probatum, nullusque rationis compos ambigere queat quin securius sit a recipiendo nihil exigere, præsertim ante suam absolutam, certam ac simplicem receptionem, consequitur quod religiosi ad hoc teneantur, maxime quum ad hoc sint plures fortioresque rationes, et auctoritates evidentiores.

Insuper, secundum Hieronymum, cum (C) hæreticis nec in nominibus convenire debemus ; ergo nec cum simoniacis in factis. Quum ergo simoniaci religiosi aliquid exigant a recipiendis antequam recipiantur, tenentur boni et timorati religiosi hoc prorsus vitare, nec quovis colore hoc ipsum committere.

Adhuc autem, Ecclesia, quæ a principio celebravit in azymo, postmodum ad tempus celebravit in fermentato, quum orta fuisset judaizantium hæresis, asserens legalia cum Evangelio observanda. Unde Ec- (D) clesia, ne videretur aliquo modo illis hæreticis esse concordans, dimisit ad tempus quod bonum ac licitum fuit, scilicet celebrare in azymo : ergo et boni religiosi, ne simoniacis videantur in aliquo concordare, prætactam exactionem, pactionem receptionisque formam deberent vitare, quamvis in se ipsis non essent illicitæ.

Amplius, aliqua prohibentur quoniam vitiosa et mala sunt : sicut furari. Aliqua vero, quia ruinæ propinqua. Sicque Christus jurare prohibuit (Matth. v, 34.) : Ego (inquiens)

dico vobis, non jurare omnino. Et Jaco- A
Jacob. v, 12. bus : Ante omnia (ait) nolite jurare. Non quia jurare semper sit vitiosum, sed quia periculosum casuique vicinum. Propter quod asserit Augustinus : Qui prohibuit te jurare, super ripam te noluit ambulare, ne pes tuus in angusto positus cadat. Ideo
Eccli. xxiii, 9. in Ecclesiastico fatetur : Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in ea. Conformiter, quamvis præmemoratæ exactio, pactio recipiendique forma non essent in se ipsis culpabiles, nihilo minus ab homine timorato essent vitandæ pro- B pter propinquitatem earum ad culpam. Nam et experientia docet quanta ex eis oriantur peccata ; et quando monasterium aliquod primo sub paupertatis colore ad eas consuetudinemque earum devenerit, vix unquam, quantumcumque ditetur, consuetudinem illam relinquit. Unde et Hugo de S. Victore fatetur : Qui occasiones vitiorum non fugit, vitia ipsa non diu effugiet.

Decret. p. ii, caus. 1, q. 1, c. 21. Præterea, Tarasius patriarcha in epistola ad Romanum Pontificem asserit, quod C pro sacramentorum dispensatione seu spiritualium receptione, nec ante nec post licet aliquid temporale exigere sive recipere, quia sive ante sive post exigatur seu recipiatur, tamen exigitur seu recipitur. Et per hoc roboratur illorum po-
art. ix. sitio qui (ut dictum est) scribunt, quod tutius est ut nec post receptionem aliquid exigatur.

Insuper, beatissimus princeps apostolici agminis in sua prima jubet Canonica :
I Petr. ii, 12, 15. Conversationem vestram inter gentes ha- D bentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum : hæc est enim voluntas Dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quod utique ad universos pertinet Christifideles. Quanto magis religiosis incumbit atque necesse est, ne inexemplariter, incaute aut reprehensibiliter se habendo, aperiant ora hominum ad obloquendum, et corda sæcularium moveant ad temere judicandum, ac plurimos scandalizent? Imo tam circumspecte, virtuose et irreprehensibiliter se habeant, ut bonitatis suæ evidentia obloquentes convincant, et ad amicitiam commendationemque sui ac glorificationem Dei convertant.

Postremo, ad Titum fatetur Apostolus : Verbum sanum, irreprehensibile, ut qui Tit. ii, 8. ex adverso est, vereatur, nihil mali habens loqui de nobis. Pariformiter dici potest : Opus sanum, irreprehensibile, ut qui ex adverso est, vereatur, nihil mali habens loqui de nobis. Unde patescit ad religiosos id pertinere, ut verbo et opere satagant irreprehensibiles esse, ne mundanis hominibus afferant occasionem atque materiam male loquendi de se, præsertim quum et de viduis scribat ad Timotheum Apostolus : Et hoc præcipe, ut irreprehen- I Tim. v, 7. sibiles sint.

ARTICULUS XIV.

Solutio objectionum ad partem contrariam inductarum.

Ad id quod in exordio octavi articuli primo objicitur de Missa cantanda pro pretio, Thomas super quartum respon- dist. xxv. det : Facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper ; si tamen sacerdos non habet alios sumptus, et non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti faciunt sacerdotes, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentaculum vitæ. — Ad secundum respondet : Anniversarium celebrare, est spiritualis actus proprie ; et ideo nullo modo licet pacisci pro eo celebrando : si tamen cum devotione aliquid detur Ecclesiæ, tenetur Ecclesia celebrare pro eis pro quibus rogatur.

Ad tertium respondetur, quod spiritualia seminantibus, administrantibus ac prædicantibus, danda sunt temporalia tanquam stipendia vitæ, non quasi spiritualium pretia.

Ad quartum dicendum, quod gentiles ad fidem conversi, tenebantur saltem debito condecentiæ, necessaria vitæ ministrare ac mittere pauperibus Christianis ex Judaismo conversis, a quibus spiritualia dona participaverunt : non quod temporalia illa beneficia seu eleemosynæ corporales dabantur quasi pretium spiritualium beneficiorum, nec taliter exigebantur ab eis, sed tanquam sustentaculum vitæ ; et nec exigebantur a conversis gentilibus ante eorum conversionem ad fidem, vel eo pacto, ut non admitterentur ad fidem nisi talia darent. Sic etiam dico, quod si aliqua dives persona a pauperibus religiosis recipiatur ad Ordinem, potest forsan aliquid exigi ab ea post receptionem tanquam necessarium vitæ, non pro spirituali receptione ; et ipsa non potest sine peccato dimittere quin subveniat claustro, etiam si nihil requiratur ab ea. Unde et periculose se habent, qui patrimonia sua dant suis propinquis, et de bonis Ecclesiæ, quæ bona sunt pauperum, se sustentant, præsertim quando Ecclesia indiget. Et juxta hunc modum prædicavit Apostolus, ut gentiles conversi aliqua colligerent in eleemosynas pauperibus Christianis in Jerusalem destinandas : sicque prædicavit pro illis collectis, non quod illa collecta fuerit principalis finis aut pretium prædicationis, sed ad id quod pie dandum pauperibus admonuit ex gentilitate conversos.

Ad quintum patet ex dictis solutio, quoniam graviter peccant, qui propria bona distribuunt aliis vel inordinate expendunt, et bona consumunt Ecclesiæ, eamque gravant sumptibus suis, nec vivunt ex opibus propriis. Pastor quoque Ecclesiæ ea quæ sponte dat, potius dare debet indigentibus quam satis habentibus. Ex hoc tamen non sequitur quod pauperibus religiosis licet facere pactum cum divitibus recipi cupientibus ; sed possunt eos licite refutare, nisi ex proprio motu de necessariis sibi provideant, et paupertati claustri succurrant, sed de hoc cum ipsis pacisci non debent.

Ad sextum dicendum, quod objectio illa non est ad propositum, quoniam clerici de quibus illud ordinavit S. Gregorius, non erant conventuales monasteriorum in quibus retrudebantur; vel si ibi recipiebantur ad Ordinem, non recipiebantur cum pacto aliquid dandi, sed ex apostolica ordinatione recipiebantur cum rebus suis, et ea quæ apportabant, dabant in relevamen inopiæ claustri pro sustentaculo vitæ suæ, non in pretium rei spiritualis.

Ad septimum respondendum, quod omnia illa quæ in Summis suis scribunt Durandus, Udalricus, Joannes et alii, oportet intelligere sicque accipere, ut fiant spiritualibus gratis exhibitis, et postquam spiritualia sunt gratis et libere et absolute exhibita seu collata, ceu ex verbis S. Thomæ et domini Ostiensis, Bernardi, Guillelmi et aliorum ostensum est, et præsertim ex dictis Urbani Papæ, cujus verba adeo clara et plana sunt, quod nullam recipiunt evasionem aut palliationem. Quod autem ex Actibus allegatur Apostolorum, tantum convincit quod recipi cupientes debeant utique monasterio providere, si habeant unde, et claustrum sit indigens, non autem quod religiosi pauperes aliquid possint ab illis ante receptionem exigere, aut cum eis de dando pacisci. Porro quod princeps Apostolorum reprobavit Ananiam et Saphiram, qui partem pretii agri venditi subtraxerunt occulte, non fuit ob hoc quod sub pacto aut conditione dandi totum pretium in usum communem, fuerint ad societatem Ecclesiæ primitivæ in communi viventis recepti, sed quia contra ordinationem sanctorum fecerunt Apostolorum, et insuper suam iniquitatem et fraudem excusaverunt mendaciter. Nec illi fideles sub Apostolis vitam communem ducentes, erant sic religiosi, quod tria vota omni religioni substantialia emiserint : imo conjugati inter eos suis licite miscebantur uxoribus. Ex præinductis autem non sequitur in Charybdim ruina seu defraudatio monasteriorum, sed privatio a scandalis multis atque a simonia, et ut ea quæ a sæ-

Act. v, 1 et seq.

cularibus exigenda sunt, exigantur sub forma honesta, receptione ad religionem jam facta, et spiritualium exhibitione gratis peracta.

Ad octavum dicendum, quod S. Thomas scribit super quartum Sententiarum, quod aliquid exigi potest ab eo qui Deo vult deservire in loco religioso, dum locus est indigens, tanquam sustentaculum vitæ ; sed quando et qualiter fieri debeat illa exactio, scribit in Quodlibeto, ut patuit, utputa de receptione jam facta nullo pacto interveniente, ut simonia vitetur et forma honesta servetur.

dist. xxv.

art. ix.

Ad nonum dicendum, quod oratio est maxime spiritualis : idcirco nequaquam debet sub pretio poni. Et illi qui donant pecuniam ut oretur pro eis, orationem non emunt, sed beneficiis et eleemosynis suis inclinant corda devotorum ac pauperum ad devotionem et amicitiam circa se, ut ex devotione et caritate orent pro eis, et per beneficia illa eos sibi faciunt debitores : juxta quem modum etiam licitum est divitibus religionem ingredi peroptantibus, aliqua sponte monasteriis dare, non ut pro illis quasi pro pretio recipiantur, sed ut per talem collationem ostendant suam devotionem ad religionem, et ipsos provocent religiosos ad caritatem et benevolentiam circa se, quatenus ex caritate et benevolentia accipiant eos. Unde et propter talia facilius recipi possunt, in quantum per ea demonstrant suam piam affectionem ad Ordinem.

Postremo, ad Decretalem Innocentii septimo articulo allegatam, Raimundus et Udalricus et alii quidam dicunt, quod intelligenda sit, quando paupertas allegatur in fraudem. Et verum reor quod verbum illud « paupertatis prætextu » dupliciter possit intelligi : primo, quod paupertatem allegent, quum ita non sit ; secundo, quod nec ratione paupertatis aliquid exigere possint. Quod ita potius secundum intentionem Innocentii Papæ intelligendum videtur : primo, quia et illa fuit intentio Papæ Urbani, et etiam Bonifacii, sicut probatum est ; secundo, quoniam Innocentius capitulo immediate præcedente præcipit in causa consimili, ut pro spiritualibus conferendis sive collatis, nullus aliquid quocumque prætextu exigere aut extorquere præsumat. Si ergo nullo prætextu, ergo nec paupertatis prætextu. Denique, intentio dantium aliqua monasteriis, debet recta consistere et omni simoniaca labe carere, ut scilicet principaliter conferant sinceriter propter Deum, ad laudem et gloriam ejus, atque ne gravent cœnobium, et pro communi usu ipsius. Ostiensis autem asserit præfatam Decretalem esse intelligendam, quando non caute proceditur, ut scilicet primo gratis spiritualia conferantur, et postea recepto dicatur ut secum ferat necessaria vitæ, si habet et potest et monasterium vere indiget.

art. vii.

ARTICULUS XV.

Qualiter religiosi consulte et caute ac pure habere se debent circa personas recipi cupientes.

QUEMADMODUM supra, in exordio undecimi videbatur articuli, et Innocentius protestatur, non licet religiosis, quamvis pauperibus, aliquam suscipere personam sub hac forma ad Ordinem : Recipimus te in Fratrem aut Sororem, si detuleris tecum unde vivas, etc. Quid autem acturi sunt religiosi qui loca habent vacantia indigentque personis, sed necessaria vitæ non habent pro illis, præsertim si ad eos veniant personæ recipi cupientes, et de necessariis sibi providere velle se asserentes ? Jam constat quod respondere non poterunt, Si ita feceritis, recipiemus vos : quia tunc inirent pactum, et esset conditionata receptio. Nec possunt cautionem aut certificationem requirere, propter rationem eamdem, neque seorsum pacisci, neque intentionem habere principaliter ad aliquod temporale : quia si sic, esset simonia intentionalis. Et tamen nisi aliquo fecerint horum modorum, videntur grande

incurrere damnum, et divinum minuere A cultum, petentibusque præcludere viam salutis.

Ad hæc aliqui responderunt, et videtur esse de mente antiqui Decretalium Glossatoris, quod in tali casu possunt recipere sub hac forma : Non habemus quod tibi demus pro victu, nisi portes tecum unde vivas. Verumtamen per hæc non videtur formaliter fieri personæ receptio, quamvis fiat insinuatio aliqua de recipiendo. Salvo igitur meliori judicio, mihi videtur quod personis recipi cupientibus prima facie B dicere debent : Non sumus dispositi ad recipiendum vos. Et si causam inquirant, possunt respondere : Quoniam pauperes sumus, nec necessaria vitæ habemus pro vobis. Quod etiam dicere possunt non interrogati de causa. Et si illi tunc dicant, Providebimus et satis deferemus nobiscum, vel si alii dicant hoc ex parte ipsorum, tunc religiosi, ut tactum est, respondere non possunt : Si ita egeritis, vel postquam ita feceritis, recipiemus vos, vel erimus bene concordes. Sed poterunt C dicere : Sublato obstaculo vestræ receptionis, utinam, si ita feceritis, faciemus quod inspiraverit Dominus. Vel sic : Faciemus tunc quod secundum Deum et conscientiam et sancti Ordinis nostri tenorem videmus esse agendum. Si autem adhuc aliquid certius audire quæsierint, respondeant : Non possumus bona conscientia amplius dicere, nec aliquo modo pacisci. Insuper instruere debent illos, imo et pie increpare ac dicere : Vultis nos ipsos vobiscum damnationi involvere, faciendo D pactum de receptione, quod simoniacum est, et vobis illicitum est sicut et nobis? Et tunc sæculares illi debent merito ædificari in hujuscemodi verbis religiosorum istorum. Porro, si religiosi velint credere verbis simplicibus cupientium recipi, et asserentium velle se sibi providere et satis allaturos, eo quod fide digni consistant; tunc possunt eos absolute recipere, omni pacto cessante : sic tamen ut intentionem habeant non corruptam, principaliter non intuendo ad temporale emolumentum seu donum, sed secundario et minus principaliter solum, prout infra dicetur diffusius qualiter in talibus sit regulanda ac rectificanda intentio ut omnis simonia vitetur.

art. XI.

ARTICULUS XVI.

De cautela Ordinis Cartusiensis in vitando omnem simoniacam pravitatem.

LEGITUR in statutis Ordinis Cartusiensis : A noviciis nec vestis nec aliud exigatur. Si Prior exegerit, sit extra sedem suam in ecclesia quadraginta diebus, et totidem faciat abstinentias sine misericordia infra sex menses. Si Procurator vel alius exegerit, sit per quadraginta dies novicius, et totidem in capitulo recipiat disciplinas. Prioratum quoque Prior et procurationem Procurator amittant, si eis scientibus exactio jam venerit ad effectum. Nullus etiam nostrum de rebus novicii aliquid postulet, nec ad procurationem aliquam faciendam novicius instruatur ab aliquo nostrum. Insuper prohibemus Vicariis et Priorissis atque conventibus monialium, de cetero ne recipiant in Sorores nisi quot de bonis monasterii poterunt sine penuria sustentari; nec aliquam sub cujuscumque commodi velamine recipiant, donec locus vacaverit; nec propter munera vel etiam promissa aliqua præsumant personam recipere, ne vitium committant simoniæ. — Ecce quomodo Ordo Cartusiensis non solum a personis recipiendis, sed a personis receptis, puta noviciis, prohibet aliquid exigi. Nec solum exactionem ad effectum perductam, sed item præsumptam, inchoatam seu attentatam punit districte : in quo aliis religiosis salutare præbetur exemplum.

Et confirmatio omnium prædictorum patet ex verbis S. Hieronymi, sic dicentis in Regula sua : Detestabilem hæresim simoniæ, quam communi pravitate diaboli moniales assuetæ committunt, etiam in auditu horreat vestra societas. Giezi pœna et Si-

monis vos terreat pravitas. Vox Petri vicarii Christi nunquam exeat de auribus vestris : Pecunia tua tecum sit in perditionem; existimas enim donum Dei haberi pecunia. Communis mercatorum usus habet ut venditio commutetur in melius. Asserit namque simoniacus pecuniam esse præstantiorem dono Dei, quum illud commutat in ipsam. Ad vos venientes Sorores, ad sanctas Christi suscipite nuptias gratis ; præponatur sanctitas pecuniæ ; exquiratur bonitas vitæ, non generositas carnis, non utilitas mundi. Nulla omnino pactio, nulla opinio, æstimatio seu intentio de pecunia danda præveniat et receptionem præcedat, quæ pactio sive opinio puritatem mentis perturbat. Beatum Sapientia clamat, qui excutit manus suas ab omni munere, et qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ, quæ subvertit judicium. Porro Soror quæ aliquid attulit, non inde extollatur, nec more femineo erecta cervice improperet aliis quæ ex paupertate venerunt, nec murmuret, si sibi non ministratur majori sumptu quam his quæ secum nihil attulerunt. Plus enim attulit Soror paupercula, si ingrediens affectum habendi dimisit, quam quæ multum afferens, superbiam tulit. Hæc Hieronymus.

Act. VIII, 20. — *Is.* XXXIII, 15. — *Eccli.* XXXI, 8.

ARTICULUS XVII.

De his quæ consideranda sunt religiosis qui sub paupertatis prætextu dicunt se aliqua petere sive exigere a recipiendis sive receptis.

INORDINATA affectio, motusque passionum, præsertim cupiditas, corrumpunt rectæ rationis judicium, et faciunt judicari perverse. Idcirco avarus non impletur pecunia, et multa putamus nobis necessaria esse, quæ necessaria nobis non sunt. Religiosi ergo, si sub paupertatis colore aliquid volunt a recipiendis aut receptis personis exigere, in primis considerent, quia (ut ait dominus Antisiodorensis in

Eccle. V, 9.

A Summa sua) parcitas seu tenuitas victus atque vestitus voto paupertatis indispensabiliter est annexa. Imo et secundum philosophos, natura paucis minimisque contenta est. Et sicut ad abstinentiam prout est virtus naturalis et acquisita, pertinet non plus de cibo ac potu accipere quam expedit homini ad usum rationis expeditum et convenientem naturæ sustentationem, ita ad abstinentiam ut est virtus infusa, spectat etiam aliquid necessariorum naturæ subtrahere, ut pro peccatis aliqua

B recompensatio fiat, et passioni Christi conformet se Christianus per quotidianam quamdam sanguinis sui minorationem, ac sui ipsius salubrem mortificationem. Hinc, juxta Apostolum, qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Certumque est istud ad religiosos potissime pertinere. Antequam ergo sub paupertatis prætextu aliquid exigere audeant, diligenter se ipsos examinent ; ante omnia prætacta jam rite observent, ne superfluitatem judicent necessitatem,

Galat. V, 24.

C et ne sufficientiam judicent indigentiam, ne delicatioribus, abundantioribus, pretiosioribus cibis ac potibus, vestimentis ac ceteris utensilibus atque ad corpus pertinentibus utantur, quam regula instruit, præcipit seu permittit, et ne dispensatione utantur nimium laxa.

Præterea videant ne cupiditate fallantur, præsertim quia (ut sanctus asserit Augustinus) frequenter in ecclesiasticis contingit personis, ut quo plus abstinent ab incontinentiæ vitio, eo magis laborent et

D inficiantur cupiditatis peccato : quemadmodum uno sensu orbati, vigilantiores acutioresque sunt in usu alterius sensus, sicut surdi acutius vident, et cæci acutius audiunt, quia unius sensus defectum per alterius diligentiam recuperare nituntur.

Insuper advertant quantum Christus omni Christiano dissuadeat, vituperet, prohibeat immoderatam temporalium sollicitudinem rerum : Nolite (inquiens) solliciti esse in crastinum ; multaque alia. Vult

Matth. VI, 34.

namque Salvator ut filialem habeamus confidentiam in Patre cœlesti, ejusque paternæ providentiæ nos committamus fiducialiter, qui etiam irrationalia pascit, inanimata disponit, vestit ac ornat. Propter quod immoderata sollicitudo hujusmodi ponitur diffidentiæ filia, atque ad carnalem spectat prudentiam, de qua loquitur Paulus apostolus : Prudentia carnis mors est. Intendant ergo et credant Christo dicenti : Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Et sciant quod fidelis, sapiens, pius et omnipotens Deus, qui a nobis pauperculis pater appellari dignatur, famulos et famulas suas sibi vere, religiose ac fideliter ministrantes, confidentes et se commendantes, nequaquam relinquit, imo fideliter ac paterne providet eis, et tanto abundantius, quo amplius hoc merentur.

Matth. VI, 26 et seq. — Rom. VIII, 6. — Matth. VI, 33.

ARTICULUS XVIII.

Qualiter religiosi regulare ac rectificare debent suam intentionem, quærendo et recipiendo aliquod temporale pro spirituali a persona recepta aut aliis.

Dominus ac Salvator suis in Evangelio prædicatoribus ait : In eadem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus enim est operarius mercede sua. Quocirca beatus scribit Gregorius, quod uni operi spirituali, videlicet prædicationi, duplex debetur merces. Prima est corporalis refectio, quæ est merces minus principalis et secundaria quantum ad dignitatem, quamvis sit prima tempore ac ordine generationis. Secunda merces est æterna remuneratio seu beatitudo cœlestis, quæ est merces principalis ultimatusque finis, et etiam merces prima secundum ordinem dignitatis. Dum itaque religiosi pro spirituali beneficio aliquod temporale quærunt sive accipiunt, aut quidpiam exigunt a persona recepta, vel aliquod temporale emolumentum aut donum intendunt pro actu aut beneficio spirituali ; debet eorum intuitus aut intentio ferri ac dirigi ad temporale donum ac commodum tanquam ad motivum minus principale, et tanquam ad secundarium præmium, et sicut ad finem subordinatum, non velut ad principale motivum et ultimum finem finaleque præmium, nec tanquam ad pretium rei spiritualis.

Luc. X, 7.

Hinc scribit Cancellarius Parisiensis : Potest intentio sive intuitus ferri ad commodum temporale quatuor modis. Primo, tanquam ad pretium rei spiritualis. Secundo, tanquam ad principale motivum dandi aut exercendi spiritualia, vel quasi ad ultimum finem. Et hi duo modi sunt vere simoniaci ; et si quis putet pertinaciter talia licite posse fieri, hæreticus est censendus. Tertio potest ferri intentio ad commodum temporale tanquam ad motivum minus principale. Quarto, sicut ad rem necessariam victui ejus qui spiritualia subministrat et exhibet. Et hi duo modi sunt liciti, hoc tamen attento, quod observetur illud Apostoli, Ab omni specie mala abstinete vos, hoc est, quod administratio spiritualium aliquo horum duorum modorum facta, non videatur ex sua manerie fieri primo aut secundo modo. Hoc enim apparet, quando non exercentur nec exhibentur spiritualia nisi dentur aut promittantur temporalia, et quando turpiter exiguntur : in quibus casibus possent haberi de simoniaca pravitate suspecti ita agentes, et hoc præsumptione juris vel facti ; et possent tanquam simoniaci judicialiter evocari.

I Thess. V, 22.

Denique, ex his Cancellarii verbis confirmantur per omnia superius introducta de simonia vitanda, omnique specie mala cavenda, et ne ante receptionem ad Ordinem a recipiendo temporale aliquid exigatur. Abstineant ergo religiosi ab omni discrimine, et viam eligant tutiorem, et caute ac timorate simpliciterque procedant. Sapiens namque in omnibus metuit, et beatus homo qui semper est pavidus. Etenim timor Domini fons vitæ, ut declinet homo a ruina mortis. Atque,

Eccli. XVIII, 27. — Prov. XXVIII, 14. — Ibid. XIV, 27.

Prov. II, 7. ut Salomon protestatur, sapientia proteget A
Ibid. X, 9. gradientes simpliciter, et qui ambulat sim-
Ibid. III, 32. pliciter, ambulat confidenter; cum simplicibus quoque sermocinatio Dei.

Ibid. XIV, 12. Postremo, est via quæ videtur homini justa, et tamen novissima ejus ducunt ad mortem : et mortem utique sempiternam,
Apoc. XX, 14; XXI, 8. quæ est mors secunda, mors infernalis miseriæ. A qua præservet nos Unigenitus Dei, Dominus noster Jesus Christus, institutor et auctor sanctæ omnis religionis, condemnator omnis simoniacæ pravitatis scandalosæque actionis, atque præceptor caritativæ et gratuitæ donationis : qui cum Patre æterno et Spiritu Sancto unus est Deus ac Dominus, unus Creator omnipotens, justus judex, et super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

CONTRA SIMONIAM

LIBER SECUNDUS

PROŒMIUM.

P*ECUNIA tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Act. VIII, 20.

Ista sunt verba sacratissimi principis Apostolorum : qui quantum in se ipso saluberrimam consecraverit paupertatem in victu atque vestitu, in omnium quoque terrenarum carentia divitiarum, in omni demum contemptu pecuniarum, sanctus et dilectissimus ejus discipulus ac successor, re et nomine Clemens, in suo Itinerario protestatur. Imo ipsemet gloriosissimus Pe-
Act. III, 6. trus hoc pandit : Argentum (inquiens) et aurum non est mihi.

Denique, quid hoc mirum de Petro, quum Dominus et Salvator plus aliquid fassus
Luc. IX, 58. sit de se ipso, dicendo, Filius hominis non habet ubi caput reclinet ? Qui rursus
Ibid. XVIII, 24. exclamat : Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei ! Et quamvis Unigenitus Dei per omnem Evangelii textum universorum avaritiam vehementer reprobet et condemnet, illam tamen ecclesiasticorum cupiditatem teterrimam qua spiritualia pro temporalibus exhibentur, aut temporalia pro spiritualibus offeruntur seu exponuntur, vehementissime increpavit atque exhorruit, non verbis dumtaxat, sed item flagellis. Siquidem in
Joann. I, 14-16 ; *Matth.* XXI, 12, 13. prædicationis suæ exordio, et circa finem ejusdem, ementes et vendentes ejecit de templo, in quo et nummulariorum effudit pecunias, vendentiumque columbas ever-
A tit et destituit cathedras. Hoc recolens, plenus, summus et generalis ejus vicarius, impiissimo Simoni mago omnium talium mercatorum principi maledicto locutus est terribiliter verba pro themate nunc assumpta, quum potestatem dandi Spiritum Sanctum voluisset obtinere pecunia : Pecunia *Act.* VIII, 20.
(inquiens) tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Quæ utique verba unicuique spiritualia pro temporalibus exhibenti, postulanti aut comparanti poterunt dici. Talis
B nempe simoniacus est, et pessima avaritiæ specie inquinatus : quæ in religiosis tanto detestabilior intolerabiliorque consistit, quanto præ ceteris ad sectandum Christi spontaneam paupertatem se voto solenni fortius et indispensabilius adstrinxerunt.

Verumtamen, quia in hac re quædam religiosæ personæ notam incurrunt diffamiæ, imo (si tamen eis persuaderi posset) periculose se gerunt, et quædam quidem aperte ac impudenter, quædam vero sub quadam coloratione et quasi prudenter ;
C hinc nuper collegi tractatulum de simonia vitanda in personarum receptione ad religionem. Sed quoniam quidam adhuc aliter sentiunt, scribunt et practicant, quam in opusculo illo ex dictis sanctorum Patrum, generalium conciliorum, summorum Pontificum, authenticorum quoque et scholasticorum doctorum, imo (quod maximum est) ex Scriptura canonica comprobavi et scripsi sentiendum agendumque esse ; hinc prætacti scriptis libelli hæc addere cogor,

ad hoc ipsum impellente me caritate, qua A et pro omnipotentis Dei honore zelari et pro animarum salute affici teneor. Nec quispiam ita cæcatus sit mente, ut non potius quid dicatur quam quis dicat perpendat. Nemo tam induratus sit corde, ut corripientem dura cervice contemnat, ut patefacienti ei sua pericula indignetur, ut ceteris suis culpis crimen quoque detractionis adjiciat. Qui enim abjicit disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.

Prov. xxix, 1. *Ibid.* xv, 32.

Postremo, ad ista adjicienda specialiter B sum inductus, quoniam quidam venerabilis doctor quoddam breve edidit scriptum, quod (salva tanti reverentia viri) videtur nonnullis occasionem præstare erroris et incorrigibilitatis. Propter quod circa scriptum illud, per modum scholasticæ inquisitionis, sine incauta assertione, intendo ex dictis sanctorum catholicorumque Patrum conscribere aliqua ex quibus veritas elucescat. Neque prætacti doctoris auctoritati atque honori in aliquo derogare intendo : siquidem doctor ille mihi specialiter est C amandus et honorandus, quem sancta vita et ætas reddit famosum. Non ergo præsumptioni adscribatur quod ex caritate veritatisque zelo peragitur. Vulgare et omnibus notum est illud Philosophi : Duobus exsistentibus amicis, sanctum est veritatem præhonorare : contra quam nec amico nec patri neque magistro licet deferre. Præterea, sancti viri veritatis manifestationem magis quam proprium quærunt honorem. Hinc præstantissimus apostolici chori vertex ægre non sumpsit, quod Paulus eo D inferior, ei in faciem restitit. Imo ne hoc quidem impatienter suscepit, quod Paulus resistentiam illam ejusque justam causam omni sæculo patefecit : In faciem (inquiens) restiti ei, quia reprehensibilis erat. Hinc spero quod doctor prætactus tantæ sit probitatis, quod non solum non ægre, imo et gratanter accipiet, si quis ei vere sufficienter ostenderit, quod in aliquo a veritatis deflexerit calle, præsertim in materia tam necessaria ad salutem.

Bernardus de Reyda. *Cf.* t. XXV, p. 51 D. *Galat.* II, 11.

ARTICULUS PRIMUS.

Recitatio scripti doctoris præfati.

MOVET doctor ille hanc quæstionem : Utrum in aliquo monasterio feminarum liceat recipere aliquam feminam noviciam, ultra numerum personarum quæ de bonis monasterii commode sine penuria possunt sustentari, et a persona recipienda, oblatis gratis spiritualibus, exigere temporalia. Et arguitur quod non liceat ultra præfatum numerum aliquam recipere, per Constitutionem *Periculoso,* Bonifacii VIII, in qua hoc prohibetur, videlicet ultra numerum talem recipere aliquam. Quod autem non liceat exigere temporalia, arguitur per Constitutionem *Ne in vinea Domini,* Urbani V, inhibentis duo præmissa sub magnis et formidabilibus pœnis. — In oppositum et affirmatione arguitur sic. Nam, secundum Philosophum in Ethicis, ἐπιείκεια necessaria est in legibus humanis, in quibus magis attendendum est ad causam quæ movet legislatorem quam ad verba legis. Unde Hilarius quarto de Trinitate ait : Non sermoni res, sed rei debet sermo esse subjectus. Intentio autem prædictarum Constitutionum, primæ videlicet, videtur esse, ne graventur monasteria per nimiam et immoderatam personarum receptionem, et tandem deficientibus temporalibus, deficiant spiritualia, quæ sine eis subsistere nequeunt : et ita, si aliqua habens et comportans sufficientiam temporalem pro victu, vestitu aliisque vitæ necessariis, recipiatur, non læditur intentio legislatoris, sed cum ea ampliatur salus animarum. Secundæ autem Constitutionis intentio esse videtur, ne exigatur aliquod temporale a persona recipienda tanquam pretium religionis : quod esset manifeste simoniacum ; secus autem est, si exigatur aliquod temporale ex aliis causa et intentione, scilicet pro necessaria sustentatione personæ recipiendæ, cui monasterium de suis bonis non sufficit providere.

Sext. lib. III, tit. 16, c. 1. Extrav. lib. V, tit. 1, c. 1.

Pro responsione ad præmissam quæstionem sunt ea quæ infra scribuntur. Nam, secundum Thomam in Scripto super quartum Sententiarum, distinctione vicesima quinta, quæstione tertia, articulo secundo, quæstiuncula secunda, in responsione ad septimum argumentum sic dicitur : Quando possessiones alicujus religiosi loci non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi aliquid ab eo qui in loco illo Deo vult servire, non quasi pretium religionis, sed ut habeat monasterium unde ei valeat providere ; et ideo non committitur simonia. Si autem sine gravamine Ecclesiæ recipi potest, simonia est aliquid pro receptione exigere. Idem quoque Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima, articulo tertio, in responsione ad quartum argumentum sic dicit : Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere vel recipere quasi pretium : licet tamen, si monasterium sit adeo tenue quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ quæ in monasterio fuerit recipienda, si ad hoc monasterii non sufficiunt opes. Et addit Doctor sanctus : Similiter licitum est, si propter devotionem quam aliquis ad monasterium ostendit largas eleemosynas faciendo, facilius in monasterio recipiatur; sicut etiam econverso licet aliquem provocare ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum : licet non sit licitum ex pacto aliquid dare vel recipere pro ingressu monasterii. Hæc ille in forma. — Item de eodem sic dicitur in Summa confessorum, libro primo, titulo primo, quæstione quadragesima nona : Quid de his qui in monasteriis recipiuntur intentione temporalis utilitatis? Responsio secundum Udalricum, paragrapho De monasteriis : Si monasterium est tanta paupertate depressum, quod redditus ejus vix aut non sufficiunt præsentibus, non solum possunt habere intentionem accipiendi temporalia a persona recipienda, sed etiam, gratis

A exhibitis spiritualibus, requirere temporalia quæ sufficiant illius sustentationi ; et possunt determinatam exprimere quantitatem, et pacisci de hoc quod illa summa detur, si habeat unde valeat sustentari. Et concordat Raimundus paragrapho quartodecimo, Pone quod aliquis, cum glossa sua, quæ dicit : Credo quod licet exprimere nomina et quantitatem oblatorum. Et glossa addit : Credo etiam similiter, quod si hujusmodi recipiendus dicat, vel aliquis pro eo, Dabo singulis annis pro expensis

B meis centum solidos vel sex libras denariorum quamdiu vixero, non est illicitum, quando non sufficit monasterium. Hæc ibi.

Ad vitandum igitur periculum inobedientiæ, propter præmissam Constitutionem apostolicam, et etiam propter labem simoniacæ pravitatis, tutum et cautum videtur quod bona temporalia et redditus monasterii debite et discrete æstimentur ad certum numerum personarum quæ ex eis commode et sine penuria possunt sustentari in victu, vestitu et aliis vitæ neces-

C sariis, ultra quem numerum non recipiatur aliqua persona de bonis monasterii sustentanda. Si vero augeantur vel minuantur bona monasterii, etiam proportionaliter augeatur vel minuatur numerus personarum recipiendarum. Et in tali monasterio vacante præbenda vel loco sufficienter dotato pro sustentatione unius personæ, licet possit recipi ad talem præbendam vel locum vacantem persona in temporalibus dives, apta religioni, cui divitiæ obesse non debent, dummodo hoc

D fiat sincere, videlicet intuitu Dei et idoneitatis personæ, et non ex pacto vel intentione de temporalibus bonis apportandis ac recipiendis, in quo committeretur simonia tacita vel expressa ; tamen tutius magisque pium et exemplare esset recipere personam pauperem, æque vel magis idoneam religioni, sustentandam de bonis ex pietate oblatis, et dimittere personam divitem, quæ sibi ipsi de propriis bonis salubrius provideret de necessaria sustentatione quam caperet de eleemosyna Cru-

cifixi, juxta illud Prosperi in libro de Vita contemplativa : Non est meum dicere quale peccatum, cibos pauperum præsumendo, committant qui Ecclesiam, quam juvare de propriis facultatibus debuerunt, suis expensis insuper gravant. Insuper, quia cessante causa cessat effectus, si sola causa exigendi aliquod temporale in receptione personarum ad monasteria, est necessaria sustentatio personæ recipiendæ, ad quam non sufficiunt monasterii opes ; videtur quod assignata, data et certificata una quota temporalium bonorum necessaria et sufficiente pro hujusmodi sustentatione de bonis personæ recipiendæ, non licet ab ea aliquid ultra exigere, quia hoc utique fieret ex alia causa, utputa tanquam pretium Ordinis aut ingressionis religionis : in quo simonia committeretur. Dispositio ergo aliorum bonorum temporalium quæ persona recipienda forsitan habet ultra prædictam competentem sustentationem, relinquenda est arbitrio suæ liberæ voluntatis, ita quod nequaquam exigantur, nec persona recipienda propter illa recipiatur aut dimittatur quovis modo : alioqui, juxta tenorem Constitutionis dictæ Urbani V, committeretur peccatum simoniæ, et incurreretur sententia excommunicationis vel suspensionis, sicut in receptione ad præbendam non vacantem, etc., a quibus quis, extra articulum mortis, absolvi non potest nisi a summo Pontifice. Nec mirum, quoniam inter ecclesiastica crimina simoniaca hæresis obtinet primum locum, ut patet in Decreto : quia etiam in primo suo auctore Simone mago ex mala radice infidelitatis pullulavit. Quam hæresim ei Petrus improperavit, dicens : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.

Decret. p II, caus. 1, q. 2, c. 8.

Ibid. q. 7, c. 27.

Act. VIII, 20.

Demum in eadem Summa confessorum, libro primo, titulo primo, quæstione quinquagesima, habetur : Quid de his qui locant filias suas in monasteriis, et parum vel nihil dant de bonis suis ? Responsio secundum Udalricum, paragrapho Quum ergo : Licet credam per contrariam consuetudinem juri derogatum, ita quod parentes filiis vel filiabus suis locandis in monasteriis non teneantur ex integro dare partem suam hereditariam, tamen teneantur monasterio dare tantum quod non oneretur ex præsentia illarum personarum, et aliter non credo eos esse in statu salutis. Hoc ibi. Pro quorum majori declaratione, advertendum quod lex naturalis mutari non potest humana auctoritate. Unde dicitur in Decreto, distinctione 5 : Naturale jus ab exordio rationalis creaturæ non variatur tempore, sed immutabile permanet. Lex vero humana et positiva, hominis auctoritate lata, potest mutari, dispensari, aut penitus tolli per expressam revocationem, aut tacitam dissimulationem, quando scilicet passim agitur contra legem, et legislator non reclamando nec retinendo permittit fieri : tunc enim lex ipso facto præsumitur tacite revocata sive abolita, nec amplius ligat. Est autem de jure naturali, quod parentes provideant suis prolibus de vitæ necessariis, quum generaliter omnia animalia, etiam sæva et venenosa, naturali instinctu hoc faciant suis fetibus, quibus non deficiunt quamdiu fetus indigent. Est autem de jure positivo et humano, parentibus succedere proles in tota hereditate, vel parte ejus dimidia, tertia vel quarta : cui juri videtur derogatum per contrariam consuetudinem quoad proles professas in aliqua approbata religione. His fundamentis videntur inniti dicta Udalrici. Ex quibus satis colligi potest responsio ad quæstionem præmissam, et solutio argumentorum hinc inde. — Ecce istud est scriptum prætacti doctoris.

Gratian.

ARTICULUS II.

Quod intentio duarum Constitutionum apostolicarum in præinducto scripto allegatarum, non est illa quam auctor scripti illius assignat.

REGULA est apud theologos et jureperitos, quod ejusdem sit legem interpretari cujus et condere, et rursus, quod

inferioris non est in lege superioris epiikizare aut dispensare, nisi in quantum sibi a superiore evidenter committitur aut tacite permittitur. Hinc ad inferiores prælatos et doctores scholasticos non pertinet generalium conciliorum ac summorum Pontificum canones, decreta et leges passim interpretari et dispensare in illis : quamvis possint per modum simplicis declarationis seu magistralis instructionis circa talia loqui et scribere, quorum scripta in tantum sortiuntur auctoritatem, in quantum consonant formali intentioni veroque sensui decretorum, legum aut canonum universalium synodorum Pontificumque summorum : quorum formalis intentio atque intelligentia vera, quantum fieri potest, ex ipsis eorum verbis, sententiis et doctrinis hinc inde est colligenda ; contra quorum auctoritatem et determinationem nullus doctorum, quantumlibet sanctus et eruditus, suam præsumit defensare sententiam, ut dicitur in Decreto, et Thomas in secunda secundæ, quæstione undecima, docet. Guillelmus quoque Parisiensis in suo ait Sacramentali : Quæ sit intentio Ecclesiæ in opere auctorizationis et statutis, a Romana Ecclesia, id est summo Pontifice, cujus etiam auctoritate statuta sunt edita, oportet addiscere, quum ejus sit legem interpretari qui condidit. Hoc idem Bonaventura super quartum Sententiarum in pluribus locis testatur, et de isto infra plenius tangam.

Decret. p. II, caus. 24, q. 1, c. 12. art. 2 ad 3um.

Porro, ad cognoscendum quæ sit prætactarum Constitutionum apostolicarum intentio, non oportet nos laborare, quum ex ipsorum summorum Pontificum verbis præcedentibus et consequentibus id pateat evidenter. Siquidem Bonifacius Papa in Constitutione præallegata instituit et præcepit, ut universæ et singulæ moniales, cujuscumque sint Ordinis, sub perpetua in suis monasteriis clausura permaneant. Quod quum jussisset, adjecit : Sane ut hoc salutare statutum commodius valeat observari, districtius inhibemus ne in monasteriis Ordinum non mendicantium aliquæ
A recipiantur de cetero in Sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari ; si secus actum fuerit, irritum decernentes. Ex quibus verbis patenter probatur, summum Pontificem ideo præcepisse ne moniales ultra numerum prætactum personam recipiant, ne ob temporalium indigentiam cogantur suam exire clausuram, occasionemve habeant evagandi et quæstuandi per mundum. Nec in tota Constitutione illa papali fit mentio quod
B jusserit hoc ea intentione quæ in præinducto tangitur scripto, quamvis et illa possit assignari pro aliquali causa institutionis illius. Imo et hæc potius videtur fuisse intentio Constitutionis illius, ne occasione receptionis ultra numerum prætaxatum, moniales habeant causam seu incitamentum exigendi aliquid a persona recipi postulante, aut faciendi pactum cum ea de dando aliquod temporale ante absolutam receptionem ipsius ad Ordinem. Credendum est namque mentem summo-
C rum Pontificum in hac re fuisse unanimem. Idcirco, quum alii summi Pontifices, ut Innocentius et Urbanus, et aliquæ synodi generales, prohibere intenderint formaliterque prohibuerint hujusmodi exactionem et pactum, probabile satis est quod Bonifacius Papa in Constitutione præhabita sit eadem motus intentione. Hinc quoque quod in scripto illo adjungitur, Si persona aliqua habens et comportans sufficientiam temporalem pro victu, vestitu et aliis vitæ necessariis, recipiatur, non
D læditur intentio legislatoris : istud, inquam, non videtur ad propositum esse. Nec casus iste est contra materiale aut formale Constitutionis præfatæ : quia dum aliqua persona secum comportat et ante receptionem libere offert et exhibet sufficientiam temporalem pro se, tunc monasterium est sufficiens ad sustentationem ipsius, nec locum habet ibi Constitutio ista. Itaque constat Constitutionem hanc loqui de personis non comportantibus secum nec sponte offerentibus sufficientiam il-

lam, et intendit ut tales non recipiantur in casu præhabito propter causas prædictas.

Præterea, quod intentio Constitutionis secundæ, puta Urbani Papæ, sit non solum prohibere aliquod temporale exigi a persona recipienda tanquam pretium religionis, sed etiam ex aliis causa et intentione, videlicet pro necessaria sustentatione personæ recipiendæ, potest ex tenore, contextu et progressu ipsius Constitutionis copiose et evidentissime demonstrari. In ea quippe sic dicitur : Multorum fide dignorum relatione didicimus, quod in nonnullis Ecclesiis, monasteriis, et aliis locis religiosis tam virorum quam mulierum, illa detestabilis et a canonibus reprobata servatur abusio, quod quum personæ aliquæ recipiuntur in eis ad observantiam regularem, personæ ipsæ temeritate præsumptuosa pastus seu prandia capitulis et conventibus facere, aut pecunias vel jocalia sive res alias ipsis Ecclesiis seu monasteriis ex statuto vel consuetudine, quæ corruptela potius est dicenda, tribuere compelluntur ; ex quibus decori sanctæ Ecclesiæ et immaculatæ religionis detrahitur, et quamplures tam exsecratione hujus criminis quam expensarum onere a sanctæ religionis proposito retrahuntur, et in multorum mentibus fidelium scandalum generatur. His verbis Dominus apostolicus addit : Nos igitur huic morbo pestifero cupientes congruam adhibere medelam, etc. Ecce ex his apertissime elucescit, quod ipse Pontifex summus ad hujus Constitutionis editionem inductus sit ex hoc, quoniam ex præmemorata temporalium illorum exactione, decori (id est sanctitati et puritati) Ecclesiæ atque immaculatæ religionis detrahitur : ecce una causa. Et quamplures tam exsecratione hujus criminis quam expensarum onere a sanctæ religionis proposito retrahuntur : ecce causa secunda. Et in multorum mentibus fidelium scandalum generatur : ecce tertia causa. Ex his, inquam, tribus causis, est motus ad institutionem hujus præcepti. Ideo ejus fuit intentio, exstirpare

A tria mala prætacta ex abusiva atque sacrilega illa exactione et pactione sequentia, utputa : detractionem qua ecclesiastico statui et religionis decori detrahitur, retractionem qua multi a religionis proposito retrahuntur, et scandalum quod in multorum cordibus generatur. Certumque est tria hæc mala sequi ex præfata exactione, non solum dum temporale exigitur ut pretium religionis bonive spiritualis, sed item quando exigitur ut sustentaculum vitæ, præsertim quando hoc fit ante

B absolutam atque gratuitam susceptionem ad religionis ingressum : quod totum nunc experientia inexcusabiliter, imo et palpabiliter docet et pandit. Nec dubium quin exactio, pactio, seu temporalium exhibitio, ita gravat et a religione impedit pauperes, dum fit pro sustentaculo vitæ ipsorum, sicut si fiat pro spiritualium exhibitione. Et, proh dolor ! quam multæ bonæ pauperculæ quotidie clamant, conqueruntur et dicunt se esse paratas ad religionis et vitæ reclusæ ingressum, sed

C non posse acquirere locum, eo quod jam undique temporalia exigantur ! Similiter quædam puellæ et feminæ divites, Deum timentes religionemque ingredi cupientes, paratæ quoque ad comportandum pro se sufficientiam temporalem, ex consideratione usitatæ exactionis et pactionis religiosarum quarumdam retrahuntur ab ingressu ad eas.

Insuper, in præallegata Constitutione loquitur Papa : Nos igitur huic morbo pestifero cupientes congruam adhibere me-

D delam, aliis pœnis in talia præsumentes inflictis in suo robore duraturis, pœnam adjicimus graviorem, universis et singulis religiosis ecclesiasticisque personis atque conventibus tenore præsentium auctoritate apostolica districtius inhibentes, ne a personis eorum religiones, Ecclesias vel monasteria ingredi volentibus, in earumdem personarum receptione, aut ante vel post illam, quoscumque pastus, prandia, cœnas, pecunias, jocalia aut res alias de cetero directe vel indirecte petere seu

exigere quoquomodo præsumant, sed eas A potius cum omnimoda puritate recipiant, ac in victu et vestitu sicut alias suæ congregationis personas sincera caritate pertractent, illa dumtaxat cum gratiarum actione licite recepturi, quæ personæ ingredientes pure et sponte et plena liberalitate, omni pactione cessante, dare voluerint. Ecce ex verbis his rursus luce clarius innotescit, quod Pontifex summus institutione ista prohibere intenderit pactionem et exactionem præfatam, non solum in quantum temporale exigitur ut B pretium religionis aut boni spiritualis, sed item ne exigatur aliis intentione et causa, ut dictum est. Nam jubet ut personis quæ recipiuntur, in victu et vestitu sincera caritate provideatur sicut personis professis, absque omni petitione et exactione ac pactione facta directe aut indirecte seu ullo modo, atque ut conventuales illa dumtaxat licite a personis suscipiendis aut susceptis recipiant, quæ ipsæ personæ dare voluerint sponte, pure ac liberaliter, omni pactione cessante. Porro, quod nihil C liceat exigi aut recipi ut pretium religionis, per se constat; nec propter hoc prohibendum oportuit Papam tot et tanta verba inducere. Nec aliquis sani judicii, si rite ista perpendat, potest ambigere quin dominus Papa intendebat in omni hac Constitutione, plus prohibere quam aliquod temporale per modum pretii rei spiritualis exigi. Nam et hoc potuisset uno verbo exprimere ac vetare. Quum ergo tam absolute et omnifarie prohibuerit exactionem et pactionem præfatam, patet propositum. D

Interea advertendum, quod exactionem hujusmodi Pontifex summus vocat detestabilem abusionem, dicitque eam a sacris canonibus reprobatam, asserit quoque quod sit pestifer morbus et crimen, atque quod statutum seu consuetudo ex qua servatur aut fit, corruptela sit judicanda. Ex quibus omnibus etiam lucide reprobatur responsio scripti præhabiti, et quod practica ejus sit directe contraria intentioni apostolici hujus statuti ac rigorosi præcepti.

Postremo, si pauperes personæ religiosæ dicant se Constitutionem hanc apostolicam non posse implere, ut scilicet venientes et recipi cupientes, tam gratis et sine omni exactione ac pactione suscipiant, eisque ut sibi ipsis nil exigendo provideant; jam ex introductis in isto articulo habent consilium et responsum quid agere debeant, scilicet ut non recipiant ultra numerum quem prævalent sustentare, nec desiderio plures suscipiendi, exactiones et pactiones nefarias, scandalosas, iniquas committant. Nec in hujuscemodi augmentatione personarum sui conventus putent salutem consistere animarum, aut incrementum honorificentiæ cultus divini, sed potius perditionem animarum propriarum, et item personarum quas ita recipiunt, gravissimamque Deitatis offensam et scandalizationem plurimorum in lege.

ARTICULUS III.

Qualiter epiikia in legibus humanis sit necessaria.

QUID sit epiikia, et cur ac qualiter in legibus actibusque humanis sit necessaria, quinto Ethicorum docet Philosophus. De qua re S. Thomas in secunda secundæ, quæstione centesima vicesima, tractat, Albertus quoque in diversis tractatibus; ceterique doctores in Summis suis satis concorditer scribunt. Est autem epiikia virtus moralis parsque justitiæ, per quam homo in observantiis legis positivæ humanæ et præceptorum ipsius moderanter se habet, magis respiciendo ad legislatoris intentionem quam ad tenorem superficiemque verborum. Itaque epiikia in legibus positivis humanis proprie locum habet, non autem in lege proprie naturali, aut in lege quæ divina proprie appellatur. Quocirca pensandum, quod jus et lex frequenter pro eodem sumuntur, et pariformiter dividuntur. Quemadmodum enim jus dividitur in jus æternum et increatum, in jus divinum, quod in novo ac veteri traditur Testamento, in jus natu-

rale ac jus positivum ; ita et lex in legem æternam, divinam, naturalem ac positivam partitur. Sed et membra divisionis istius dividuntur ulterius, sicut de his pulchre scribit Durandus in Summa sua in exordio libri secundi, et Thomas in prima secundæ, quæstione nonagesima prima, Alexander quoque de Hales, Bonaventura et alii super tertium Sententiarum.

Præterea dupliciter dicitur lex humana. Primo, quia humana auctoritate et excogitatione instituta, quæ proprie dicitur lex humana ac positiva : quæ si principis sæcularis auctoritate instituatur, lex sive jus civile vocatur ; si autem auctoritate atque prudentia principis spiritualis, videlicet Papæ, jus canonicum appellatur. Secundo dicitur lex humana, quia per hominem data, quamvis a Deo sit revelata ac instituta : et ita lex veteris Testamenti frequenter lex Moysis lexque Mosaica nominatur. Sicque lex divina et humana identificantur realiter, quamvis distinguantur formaliter. Sicque loquendo de lege humana, epiikia regulariter locum non habet in lege humana.

Insuper, secundum doctores concorditer, lex vocatur humana et positiva, aut etiam naturalis sive divina, dupliciter : primo, pure, utputa quia totaliter talis est; secundo, permixtim seu quantum ad aliquid, ut dum in eadem lege aliquid continetur quod proprie spectat ad legem positivam humanam, et aliquid quod ad legem divinam naturalemve pertinet : ut si ponatur lex talis, Quoties filius parenti occurrerit, discooperiat caput aut genu curvet, in hac lege est aliquid de naturali lege, et item divina, puta quod filius reverentiam parenti exhibeat ; et aliquid de lege positiva humana, videlicet ut hoc fiat caput nudando aut genu curvando, quod nec in novo neque in veteri exprimitur Testamento.

Hæc ad propositum applicando, dico quod in hujusmodi legibus humanis ac positivis epiikia ac dispensatio habent locum quantum ad id quod in eis est de jure positivo humano, non autem quantum ad id quod consistit in eis de jure proprie naturali aut immediate divino. Tale est jus illud, quod unus non habeat plura beneficia quorum unum ei secundum suum sufficit statum. Tale quoque est statutum Urbani Papæ præallegatum, secundum se totum acceptum. Nempe quod in eo jubetur, ut a petentibus religionis ingressum temporale nil exigatur, proprie spectat ad jus divinum, nec epiikiæ dispensationive subjacet, quum immediate fundetur in jure et lege Christi præcipientis : Gratis accepistis, gratis date. Tale est et illud S. Leonis Papæ : Spiritualia gratis donentur ; et item : Gratia non vendatur. Porro, quantum ad id quod in bulla Urbani præhabita continetur, ut nec post receptionem ad ordinem monasticum absolutam aliquid exigatur, Constitutio illa ad jus positivum humanum pertinere censetur, et interpretationem epiikiæ admittit in casu quo intentio Constitutionis illius non cassatur, videlicet quando exactio illa absque scandalo et diffamatione sacræ religionis fieri valet. Hinc (ni fallor) argumentatio illa vigorem non obtinet : Epiikia in legibus humanis necessaria est : ergo non obstante forma verborum Constitutionis Urbani inductæ, licet a persona recipienda aliquid temporale exigere. Postremo, Constitutio illa Bonifacii Papæ de monialium reclusione, et ne ultra numerum qui de bonis monasterii sustentari potest, aliqua recipiatur, ad jus positivum potius pertinet quam præfatum Urbani decretum : ideo dispensationem magis admittit.

art. præced.

Matth. x, 8.

ARTICULUS IV.

Quod religiosæ personæ eo ipso quo alicui personæ recipi cupienti spiritualia primo gratis exhibent, obligent se ad sustentandum eamdem personam quamdiu cum ipsis est, ideoque contradictionem includat, quod quidam religiosi dicunt se prius gratis spiritualia exhibere, et tamen ante absolutam receptionem per-

sonæ, ad annualem probationem exigunt aliquid temporale, sine cujus solutione seu exhibitione nolunt personam ad habitum ac probationem noviciatus, imo nec ad professionem suscipere, quamvis aliunde apta sit Ordini.

SCRUTANDUM est primo, quid sit prius exhibere spiritualia gratis, et qualiter intelligendum sit quod quidam doctores satis authentici dicunt, aliquid temporale exigi posse a recipienda persona quando claustrum tam indigens est, dummodo spiritualia prius gratis exhibeantur.

Itaque spiritualia gratis exhibere personæ recipiendæ, est ei ea offerre et propter Deum liberaliter communicare seu dare, quæ ipsa persona recipienda ad religionem postulat sibi propter Deum pure liberaliterque conferri. Hæc autem sunt, receptio ejus ad vitam spiritualem monasticam, participatio societatis religiosæ, communio charismatum claustri, incorporatioque conventus. Et quamvis in his sunt nomina multa, res tamen aut simpliciter aut pro magna parte est una. Dum ergo conventus, id est superior cum residuo monasticæ seu religiosæ communitatis, gratis hæc exhibet personæ recipi postulanti, eo ipso quo ei gratis ista communicat et impendit, obligat se ad procurandum seu corporaliter educandum personam eamdem quamdiu apud se retinet eam. De ratione quippe conversationis religiosæ monasticæ est vita communis et sancta paupertas, ne in conversatione hujusmodi quis habeat proprium quidquam. Ad hoc autem ulterius sequitur, ut superior congregationis talis gerat communem omnium curam, et communitati provideat in necessariis vitæ, et ita sit omnium una mensa, quemadmodum sanctus pater Hieronymus in sua Regula apertissime scribit, et infra tangetur.

Præterea, persona ad Ordinem suscipi petens, intendit et quærit se ipsam relinquere, propriam voluntatem abnegare, sui ipsius curam et sollicitudinem quantum ad necessitudines corporales exuere, per- A fectionisque ingredi viam, et juxta evangelicorum Christi consiliorum tenorem et intentionem se totam superioris curæ et gubernationi committere : ita ut a terrena sollicitudine, a provisione quoque propria exonerata, libera mente serviat Deo ; sicque sub obedientia salutari militet Omnipotenti, ut suum velle et nolle in manu pendeat præsidentis. Et quamvis ad ista voto solenni non obligèt se nisi in professione, nihilo minus (juxta prætacta) ista aggredi cupit, attentare et exercere intenB dit, et ea sibi gratis propter Deum communicari efflagitat, quando ad religionem suscipi deprecatur. Dum ergo superior cum conventu communicant ei ista gratis et absolute, sinceriter propter Deum, accipiunt eam ad suam curam et provisionem, tanquam sui mystici corporis membrum ; atque hoc ipso quo faciunt hoc, adstringunt se ad providendum ei de necessariis vitæ corporeæ quamdiu cum ipsis consistit. Itaque spiritualibus istis gratis primo exhibitis, non possunt ab ea aliquid temC porale exigere per modum debiti persolvendum aut exhibendum, nec tanquam pretium religionis, nec tanquam sustentaculum vitæ, ad quod ei exhibendum jam se ipsos obligaverunt : idcirco salva conscientia non possunt eam de cetero refutare, neque ab annua probatione, neque a professione, sive aliquid temporale adducat et conferat, sive non, nisi aliunde rationabilem ad hoc habeant causam.

Insuper, ingressus religionis est mors civilis. Idcirco enim ad religionem quis D intrat, ut de cetero quoad ea quæ mundi sunt et corporalis provisionis ac propriæ voluntatis, sibi ipsi sit mortuus, seu mori quotidie discat et assuescat. Qui igitur quempiam suscipit ad religionem tanquam superior seu conventus, incorporat eum sibi, seque adstringit ad gubernationem et provisionem ipsius.

Ex quibus, quantum capere queo, sequuntur duo. Primum est, quod hi qui dicunt se primum gratis spiritualia exhibere personæ recipiendæ, et tamen vel an-

te ipsius receptionem vel in ea aut post A eam exigunt aliquid temporale, aut (quod pejus et inexcusabilius, imo et exsecrabilius exstat) faciunt pactum et conditionem seu conventionem de hujusmodi dando, seu etiam, adjiciendo iniquitatem iniquitati, quærunt super hoc certificationem aut testes vel fidejussores, sive (ut verbis *Jer.* xxxii, 11. utar beatissimi Jeremiæ) stipulationes et rata et signa forinsecus, ita ut nisi temporalia illa solvantur, nolint personam cui spiritualia gratis exhibuerunt, ut dicunt, ad habitum religionis, noviciatum ac pro- B bationem annualem suscipere, vel susceptam, ad professionem, quamvis aliunde sit apta, admittere : sequitur, inquam, ex præinductis, quod istæ personæ religiosæ, si tamen vere religiosæ, ignorent quid sit spiritualia prius et gratis exhibere, nec propriam vocem intelligant; aut si habitualiter sciunt hoc, tamen non advertunt, aut actualiter perpendere renuunt negliguntque hoc ipsum, nec sciunt aut non pensant quid sit conversatio monastica et communis. Secundo sequitur ex prædi- C ctis, quod intentio authenticorum doctorum dicentium post gratuitam et præviam spiritualium exhibitionem temporale quid exigi posse a persona recipienda si claustrum sit egens, ista exsistat, quod exactio illa solummodo fiat post puram et absolutam personæ receptionem ad religionem, ita quod repellenda non erit, quamvis nil tale adduxerit. Nec aliter verba illorum queunt salvari : quod in priori de ista materia tractatulo, ex decretis et canonibus generalium conciliorum et summorum D Pontificum scholasticorumque doctorum, imo et ex Scriptura canonica evidenter multipliciterque probavi.

ARTICULUS V.

Confirmatio prædictorum ex doctrinis sanctorum Patrum.

SEXTO Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo sacratissimus et theologicissimus Dionysius ritum monasticæ institutionis et consecrationis juxta morem primitivæ Ecclesiæ describens, testatur : Summus inter eos qui perficiuntur nec perficiunt, est ordo monachorum, generali virtute atque perfecta conversationis castimonia emundatus. Propter quod quidam Apostolorum monachos appellaverunt famulos, eo quod purum et assiduum Deo exhibeant famulatum. Alii eos esse monachos nominandos sanxerunt, a monade, id est unitate, ob singularem eorum vitam, qua per simplicium divinorum contemplationem et contrectationem, divinæ simplicitati et perfectioni Deo amabili conformantur. Quorum est omnibus sæcularibus conversationibus et sollicitudinibus renuntiare. Qui cruciformiter consignantur, id est, crucis signaculo benedicuntur, ad innuendum quod a cunctis carnalibus appetitibus debeant abstinere et propriam crucem ferre. In quibus et capillorum detonsio designat nudam ac mundam, non fictam conversationem, ad Dei conformitatem sinceriter sursumactam, ut Deo sint pure uniti, atque ab omni extrinseca circumvolutione et cura abstracti, libere vacent Deo. Circa quæ Albertus declarat quemadmodum monachorum sit a vita mundana et temporalium sollicitudine consistere alienos : qui ob hoc vitam assumunt monasticam, quatenus exonerati a multis, uni quod solum *Luc.* x, 42. necessarium est, tanto intentius sinceriusque intendant quanto minus circa corporalia indigent occupari. Porro quæ de monachis hic dicuntur, clarum est de monialibus proportionaliter esse intelligenda.

Insuper, in Regula sua describit gloriosus Hieronymus : Attende diligenter, quæ præes, quam gravis sarcina tuis humeris imponatur, quæ de subditarum animabus atque corporibus, de verbis et moribus obligaris apud divinum examen reddere rationem. Diligenter attende quid tibi ab institutore regiminis injungatur. Sollicitudo enim omnium rerum monasterii ac Sororum in administratione et providentia tibi committitur, ut jam ceteris Sororibus dormientibus, te deceat crebro insomnes

ducere noctes pro utilibus et necessariis domui providendis : idcirco tibi non tantus honor quantum onus imponitur. Ecce ex his innotescit, quod eo ipso quo alicui personæ spiritualia, puta communio, societas, incorporatio domus et Ordinis, gratis præstantur, ipsa persona religiosa quæ præsidet, personam illam ad suam curam, provisionem et gubernationem in spiritualibus corporalibusque assumit, atque eidem in illis providere tenetur quamdiu detinet eam ; nec per modum pacti seu conditionis aut debiti aliquid ab ea potest exigere, ita quod possit eam rejicere, si temporale quod exigitur, non adducat.

Denique, in libro de Institutis sanctolib. iv, c. 34, 35. rum Patrum recitat Cassianus, qualiter abbas Pinuphius instruxerit Fratrem quem ad habitum et noviciatum religionis assumpsit : Abrenuntiatio, inquiens, nihil est aliud quam crucis ac mortificationis indicium : ideo noveris hodierno die te huic mundo et actibus ac desideriis ejus esse defunctum, teque, secundum Aposto-
Galat. vi, 14. lum, esse mundo crucifixum, et tibi mundum. Considera igitur crucis conditiones, sub cujus sacramento te deinceps in hac
Ibid. ii, 20. luce conversari oportet, quoniam jam tu non vivis, sed vivit in te is qui pro te est crucifixus. Eo ergo habitu et figura qua pro nobis in patibulo ille fuit suspensus, nos quoque in hac vita necesse est degere. Quemadmodum itaque crucifixus non ad libitum suum sua potest membra movere, sic tu de cetero non agas nec movearis secundum propriam voluntatem, sed in superioris tui arbitrio atque regimine tutus consistas, cujus te curæ ac fidei commisisti.

Insuper, vir illuminatissimus Climacus
Scal. parad. grad. ii. ait : Se ipsum veraciter abnegans, non ultra amabit aut curabit pecunias, nec de possessionibus erit sollicitus ; sed omnem suam habitudinem et affectionem omnem ad aliquid abjiciet, semper in cœlum adspiciet, ac suo superiori erit in cunctis
Ibid. grad. iv. prompte obediens. Obedientia autem est propriæ animæ consummata abnegatio per

A corpus manifeste monstrata. Et rursus, obedientia est proprii abnegatiò corporis per animam ex voluntate ferventer ostensa.

Ecce qualiter, juxta concordem sanctorum et religiosorum Patrum doctrinam, receptio alicujus ad religionem est spiritualis et saluberrima mortificatio ejus morsque civilis, et abnegatio sui ipsius quantum ad corpus et animam, atque insertio in corpus fraternitatis. Ad quæ omnia directe inseparabiliterque consequitur,
B quod conventus recipiens personam ad hanc suorum spiritualium communionem, et incorporationem ac mysticam unitatem seu vitam monasticam, se adstringit ad corporalem hujusmodi personæ provisionem ac sustentationem juxta formam præhabitam.

ARTICULUS VI.

C *Roboratio prædictorum, quod scilicet ab ingressuris aut ingressis religionem temporale nil exigendum sit, ex his quæ in Decreto ex sacris conciliis et summorum Pontificum canonibus aliisque scripturis introducuntur.*

UT veritas hujus materiæ, quæ animarum concernit salutem, plenissime innotescat, latius de ea aliquid arbitror conscribendum. Itaque circa primam causam Decreti, Gratianus septem quæstiones inducit, quarum secunda est ista : An pro ingressu monasterii pecunia sit exigenda,
D vel exacta persolvenda. Ad cujus quæstionis partem affirmativam sic arguit : Legitur primo Regum, quod Anna filium I Reg. i, 24.
suum Samuelem tulit ad domum Dei in Silo, et obtulit Heli pontifici cum certis muneribus, scilicet tribus vitulis, et modiis tribus farinæ, ac amphora vini. Insuper, in Actibus fertur Apostolorum, quod Act. iv, 34,
singuli credentium vendebant prædia sua, 35 ; v, 1 et seq.
eorumque pretia ante Apostolorum pedes ponebant ; quumque Ananias partem sibi reservasset de pretio, maledictionem ac-

cepit a S. Petro, moxque cecidit mortuus coram eo. Hinc apparet, quod ingressuri monasterium sua debent rectoribus ejus offerre, nec aliter recipi. Ad ista Gratianus respondet : Aliud est sua sponte offerre, aliud exacta persolvere. Mater autem Samuelis non exacta neque petita obtulit sponte munera sacerdoti. Credentes quoque sua sponte offerebant Apostolis, ut indigentium necessitatibus deservirent: quæ, instante infidelium persecutione, eis possidere non licebat, id est, reservare non poterant. Ananias demum non idcirco damnatus est quia sua nollet offerre, sed quia Spiritui Sancto mentitus, pretia eorum quæ jam ante Apostolis obtulerat, partim fraudavit. Ex his Gratianus concludit: Non ergo his auctoritatibus permittitur rectoribus ab ingressuris monasterium aliquid exigere, sed sponte oblata suscipere : quia illud damnabile est, istud licet. — Consequenter probat hoc auctoritate synodi generalis, qua dicitur : Quotiescumque ad consecrandas ecclesias episcopi invitantur ab aliquo, non quasi ex debito munus quodcumque requirant, sed si fundator aliquid eis ex suo voto obtulerit, non respuant. — Deinde idem probat auctoritate Bonifacii Papæ, qui scripsit quibusdam optantibus quemdam abbatem habere episcopum, atque quærentibus an pro obtinendo hoc ipso possent pecuniam exhibere his quorum abbatem sibi pro præsule tam necessarium reputabant: illis, inquam, Papa respondit, id licitum esse, dummodo ab hoc opere omnis deesset pactio omnisque conventio.

Decret. p. II, caus. 1, q. 2, c. 1.

Ibid. c. 2.

Præterea, vir ille doctissimus, re et nomine Gratianus, inquirit et ait : Adhuc objicitur, quod ingressuri monasterium si pecuniam tribuunt, non propositum religionis, sed participationem stipendiorum emunt : temporalia ergo, non spiritualia ementes, nequaquam simoniaci sunt habendi. Hoc Gratianus solvens, subjungit : His itaque respondetur : Non solum qui spiritualia, sed etiam qui temporalia eis annexa pretio accipiunt vel tribuunt, simoniaci judicantur. Unde Malachias propheta loquens ex persona Domini, ait: Quis est in vobis qui claudat ostia et incendat altare meum gratuito ? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, et munus non suscipiam de manu vestra. Porro ostia claudere, non est muneris sacri officium, sed tantum sibi adjunctum. — Ad hoc allegat quod ad Hispaniæ præsules scribit Gregorius : Audivimus, inquiens, dilectissimi, quod sacrorum ordinum professores, sub munerum datione vel acceptione Ecclesias ac beneficia earum usurpant : quod scelus vos non jamdudum acriter correxisse vehementer miramur. Et rursus idem Gregorius scribit archiepiscopo Rothomagensi : Si quis muneris dator aut acceptor, Ecclesias aut ecclesiastica dando emerit vel accipiendo vendiderit, a Simonis damnatione nequaquam excluditur. Item ait Gregorius * Papa : Quidquid in sacris ordinibus aut ecclesiasticis rebus vel data vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse et nullas unquam vires obtinere censemus. — Insuper, ad horum confortationem inducit quod scribit Papa Paschalis : Si quis objecerit non consecrationes emi, sed res quæ ex consecratione proveniunt, is penitus decipere se probatur. Nam quum corporalis ecclesia aut prælatus sine corporalibus rebus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis alterum horum vendit sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit. Hanc ultimam auctoritatem allegat Papa Urbanus, dicens : Beatus prædecessor noster Paschalis affirmat, quod quisquis eorum alterum vendiderit sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit, ac per hoc eum qui rem ecclesiæ emit vel vendit, simoniacum esse intelligitur. — Sed et Gregorius dicit: Ea quæ pactione consecrata fuerint, potius exsecrata quam consecrata dici debent. Si ergo tam exsecrabile est inanimata pactione consecrari, quanto magis exsecrabile est rationalem creaturam pactione religionem intrare ?

Ibid. q. 3.

Malach. I, 10.

Decret. p. II, caus. 1, q. 3, c. 1.

Ibid. c. 2.

* Urbanus Ibid. c. 5.

Ibid. c. 7.

Ibid. c. 8.

Hæc pauca ex multis præallegato loco A Decreti contentis sunt sumpta.

ARTICULUS VII.

Prædictorum affirmatio ex dictis præcipuorum doctorum.

DURANDUS, cujus Summa inter doctorum Summas videtur non mediocriter præfulgere, tractatu de Simonia, ex Decreto aliisque doctoribus compendiose collegit quot modis committatur simonia, B et inter cetera ait : Simoniam committit, qui offert bona Ecclesiæ tali conditione vel pacto, ut ea retineat pro præbenda et in canonicum admittatur ; sed si aliquis pure offert, rogans postea simpliciter ut in canonicum recipiatur et bona sua sibi liceat retinere pro præbenda, et canonici pure consentiant, tunc non est simonia. Attamen, si ille qui talia dat, vult pro temporalibus adipisci spiritualia, et canonici eum aliter non susciperent, utrique simo-
Decretal. lib. v, tit. 3, c. 34. niaci sunt apud Deum. Capitulo *Tua nos*. C Talis tamen non tenetur renuntiare, quia simonia solum mentalis per pœnitentiam expiatur. — Ex his sic argui potest, sive a simili, sive per locum a majori : Suscipi ad monasticum ordinem, non est minus spirituale quam sumi ad canonicatum, imo spiritualius esse convincitur. Si ergo in præfato casu simonia committitur, non minus, sed potius plus committitur simonia, si aliqua persona tali conditione vel pacto offert temporalia sua claustro, ut sustentetur ex eis, et ad religiositatem seu D societatem conventus admittatur, atque ex his quæ contulit claustro sustentetur, et religiosæ personæ ei in hoc pure consentiant.

Insuper ait Durandus : Simoniam committit, qui prandium exigit a canonico de novo recepto, non obstante tali consuetu-
Ibid. c. 44. dine. Capitulo *Jacobus*. Quanto magis simoniam committit, qui a persona ad religionem suscipienda aut recepta exigit non prandium tantum aut vestes, sed grandem summam pecuniæ, aut sufficientiam temporalem pro sustentatione totius vitæ ipsius ?

Amplius ait : Simoniam committit, qui res ecclesiasticas emit, seu sub pacto et interventu pecuniæ obtinet. Talis namque Ecclesias seu spiritualia emere comprobatur. Nam si quis aliquid horum vendiderit sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit. Causa 1, quæstione 3, *Salvator*. Unde, secundum Ostiensem, cap. 8.
si quis emit beneficii fructus ad tempus vitæ suæ a prælato qui habet jus instituendi aut conferendi, simoniacum est. — Ex hoc ita arguitur : Exhibitio spiritualium loci religiosi, et corporalis sustentatio personæ religiosæ, tam inseparabiliter sunt connexæ, quod unum eorum non provenit sine altero. Qui ergo aliquid dat aut requirit pro uno eorum per modum pretii aut cum pacto, comparat ambo, et nullum eorum exhibet gratis. Hujus rei confirmatio est, quod in eadem subjungitur Summa : Simoniam committit, qui beneficium confert cum pacto, et item qui emit præbendam. Præbenda autem quandoque vocatur jus spirituale percipiendi præbendam, id est ecclesiasticos redditus : quod emere, simoniacum est. Quandoque vocatur fructus præbendæ : et hoc emere, non est simoniacum, nisi forte quis emat fructus ab initio suæ ordinationis vel constitutionis in ipsa Ecclesia, ut eos habeat dum vixerit. Causa 1, quæstione 3, *Si quis objecerit,* ubi dicitur : Si quis horum al- cap. 7.
terum vendit sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit. Unde qui tunc emit res corporales, intelligitur emere spiritualia : quia tunc sunt ista annexa, ut qui privatur officio, privetur et illis. Causa 1, quæstione 3 in summa. — Ecce manifesta intenti probatio.

Præterea ait in Summa sua Durandus : Simoniam committit, qui eligit aliquem in canonicum sub conditione ut doceat pueros, quia in talibus conditio omnis debet cessare. Sed si præbenda vacante, canonici statuant quod tali præbendæ sit hoc

onus annexum, tunc non est simonia. Hoc idem dicit Bernardus, *extra* de Magistris, Decretal. lib. v, tit. 5, c. 4. *Quia nonnullis.* — Ex hoc ita arguitur : Si in præfato casu est simonia, multo plus dum a persona religionis ingressum petente pecunia aut quid tale exigitur, aut de dando initur pactum sive conditio, quum dare pecuniam multo plus sit temporale quam pueros informare.

Consequenter adjungit : Simoniam committit, qui ab intrantibus religionem aliquid exigit ex pacto : tamen, si monasterium est adeo tenue quod non potest sufficere, tunc potest necessitatem suam hoc modo exponere : Scias quod non possumus tibi providere ; paupertatem nostram tibi gratis offerimus : caute tamen facis, si tibi provideas, et tecum portes unde vivas. Sed si monasterium facit pactum, videlicet quod aliter non recipiat illum nisi aliquid apportet, simoniacum est. Causa 1, cap. 8. quæstione 2, *Si quis.* Illud autem temporale quod sine taxatione gratis offertur, Decretal. lib. v, tit. 3, c. 30. recipi potest (capitulo *Dilectus* 2), et non cum taxatione : quia taxatio quædam venditio est, Digest. lib. 23, tit. 3, l. 10, § 4. ff. de Jure dotium, Plerumque, paragrapho *Si ante.* Hoc Bernardus et Joannes, causa 1, quæstione 2, et Ostiensis eodem. — Ecce ex isto specialiter probo intentum, utputa quod non liceat a petente religionis ingressum aliquid exigere temporale, nec ante ejus receptionem, nec in ea, neque post eam, cum tali conditione vel pacto, quod alias non suscipietur, aut susceptus ad professionem non admittetur.

Adhuc in eadem dicitur Summa : Quod si exiguntur ea quæ consueverunt dari in collationibus quorumdam spiritualium, ut in receptionibus ad religionem vel in canonicum, in consecrationibus episcoporum, benedictionibus abbatum, ordinationibus clericorum, et consimilibus ; responsio hujus : In omnibus his, si vel per exactionem judicii, vel extorsionem violentiæ, vel per pactum ante vel post, aliquid obtinetur, simonia est, nulla consuetudine contraria obstante. Decretal. lib. v, tit. 3, c. 39. *Extra,* capitulo *Sicut pro certo.* Si vero sponte aliquid

A offeratur, non est simonia. Dicit quoque Guillelmus, quod si aliquis timens non recipi, dicat conventui aut præsidenti, Ego darem vobis terram meam, si velletis me recipere, et postea recipiatur, ita quod alias non fuisset receptus, simoniacum est.

Postremo in Summa hac quæritur : Quid de monasteriis in quibus nullum pactum interponitur ingredientibus, tamen est taxatum quid puella ingrediens dare debet ? Responsio secundum Ostiensem : Talis taxatio reprobatur, *extra,* capitulo *Sicut pro* Decretal. lib. v, tit. 3, c. 39, 36.
B *certo,* et capitulo *In tantum,* in fine. Et idem est ac si pactum interponatur de tali consuetudine servanda, quia simoniacum est. *Extra,* capitulo *Veniens.* Si autem abs- Ibid. c. 19. que omni conditione et compulsione datur gratis quod consuetum est, non committitur simonia.

ARTICULUS VIII.

Solutio rationum quæ in scripto præfato inducuntur ad comprobandum quod a
C *persona petente religionis ingressum possit temporale quid exigi, et super hoc pactio fieri et certa exprimi summa.*

SICUT in primo recitavi opusculo, articulo nono, triplex exstat responsio doctorum in ista materia. Quoniam aliqui dicunt simpliciter aliquid posse exigi a recipienda aut recepta persona nondum professa, dum monasterium præ paupertate non sufficit personam illam nutrire ; et dicunt super hoc posse fieri pactum et
D conventionem, et prætaxari quantum datura sit, sic tamen ut spiritualia gratis in primis exhibeantur, nec temporale exigatur ut pretium rei spiritualis, sed ut necessarium quid ad sustentationem personæ. Hujus quoque opinionis est auctor scripti præhabiti. Alii vero respondent, quod nec paupertatis prætextu liceat exigere temporale a persona recipienda quovis modo, videlicet nec ante ejus receptionem, nec in ea, neque post eam, per modum debiti aut cum pacto : imo abso-

lute affirmant nil exigi posse, secundum A quod tenor Constitutionis Urbani Papæ prætendit. Tertii mediam tenent viam, dicentes quod postquam persona est absolute recepta ad religionem, possit aliquid exigi, dum monasterium indiget, sic tamen, ut sive aliquid detur a persona illa sive non, nihilo minus retineatur, nec repellatur ideo quod temporalia non apportat. Attamen addunt isti doctores, tutius esse ut nulla persona ita recipiatur, eo quod exactio habeat speciem mali, et frequenter pariat scandalum, et propter alias B causas alibi tactas. Et hujus responsionis fautores sunt Bernardus, Ostiensis, Durandus, et alii plures. — Porro, quod prima illa opinio atque responsio stare non valeat, in primo tractatulo multipliciter est probatum, in isto quoque opusculo hucusque copiose et evidenter (quantum capere queo) ostensum. Nunc ergo solvenda sunt præfati scripti motiva, quæ tamen in alio solvi libello.

lib. I, art. VI, VII. art. X-XIII. art. XIV.

Itaque, quod auctor scripti illius allegat ex S. Thoma super quartum, et in se- C cunda secundæ, quæstione centesima, solvitur ex verbis ejusdem sancti Doctoris, qui in Quodlibetis suis sententialiter ait, quod talis exactio fieri debet forma honestatis servata, ita ut nihil exigatur ante pii officii seu spiritualis doni aut beneficii gratuitam exhibitionem, seu puram et absolutam donationem, ne pactum intervenire videatur. In his verbis Thomas insinuat qualiter præallegata ejus verba sint intelligenda, et prohibet ea aliter intelligi, utputa taliter qualiter in allegatione scri- D pti illius allegantur. Nempe, dum aliquis doctor authenticus de eadem materia in diversis locis conscribit, pensandum est quid doctor ille ultimate absoluteque senserit. Quumque verba ipsius in uno loco inducta poterunt sic et sic exponi, trahi, intelligi, videndum est ad quem intellectum ipsemet doctor hujusmodi verba sua alibi redigat et coarctet; sicque in proposito circa verba S. Thomæ agendum est. His autem quæ Thomas in suis asserit Quodlibetis, quæ in alio opusculo introduxi, nono articulo, per omnia consonant verba Ostiensis, Guillelmi, Gaufridi, et item Durandi.

Præterea, ad ea quæ ex Udalrico et Summa confessorum allegantur, est una responsio, utputa quod illa responsio quam assignant, stare non valet, nisi juxta moderamen quo referatur ad tempus sequens ipsam personæ absolutam atque gratuitam receptionem : imo et tunc stare vix potest, propter apostolica statuta præallegata. Infra tamen tangetur diffusius qualiter tunc aliquo modo possit salvari.

ARTICULUS IX.

Declaratio quod istæ solutiones sint de mente S. Thomæ, ex verbis ejusdem ac aliorum doctorum.

SUPER quartum, distinctione vicesima quinta, loquitur Thomas : Facere pactionem de Missa celebranda, est simoniacum semper ; et rursus : Nullo (inquit) modo licet pacisci pro anniversario celebrando. — Ergo a simili, nullo modo licitum est facere pactum de aliquo temporali dando cum persona religionis ingressum petente, ad hoc quod recipiatur, quum utrobique sit eadem ratio.

Insuper in Quodlibetis ait : Quum in dispensatione sacramentorum aut aliorum spiritualium aliqua recipiuntur, ut simonia vitetur, necesse est ut receptio illa fiat ex concessione juris divini aut humani, aut saltem piæ consuetudinis. — Quum ergo præallegata sint tot et tanta divina et humana generalium synodorum, summorum Pontificum sanctorumque Patrum decreta quibus prohibetur exactio temporalium a postulantibus religionis introitum, patet id esse illicitum.

Amplius, Thomas allegat Augustinum dicentem : Non solum Scriptura canonica, sed et Sanctorum gesta nobis in exemplum proponuntur. — Quum ergo nullus sanctorum Patrum qui religiones institue-

runt, præfatam exactionem exercuisse, approbasse aut admisisse legatur, imo quum multi eorum reprobaverint et prohibuerint eam, quemadmodum in primo opuscu- art. xvi. lo de sanctis Patribus auctoribus statutorum Ordinis Cartusiensis specialiter est ostensum, et infra ex verbis gloriosi deducetur Hieronymi ; constat exactionem illam esse illicitam.

Insuper, in secunda secundæ, quæstione art. 3. centesima, Thomas testatur : Vendere et emere in spiritualibus actibus quod spirituale est, simoniacum est. Sed suscipere B aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinationem Ecclesiæ et consuetudinem approbatam, licitum est : ita tamen quod desit emptionis et venditionis intentio, et quod ab invitis nil exigatur per spiritualium subtractionem, quæ gratis sunt exhibenda : hoc enim quamdam venditionis speciem haberet. — Vitiosa est ergo exactio qua a recipiendis seu receptis ad Ordinem sic temporalia exiguntur, quod nisi exhibuerint ea, ad habitum seu professionem C religionis non admittentur.

ibid. ad 2um. Rursus scribit eodem loco : Illicita esset ordinatio, si in aliqua statueretur Ecclesia, quod non fieret processio in funere alicujus nisi solveret certam pecuniæ summam, quia per hoc præcluderetur via impendendi gratis officium pietatis aliquibus. — Quomodo ergo licitum est statutum quorumdam, quo statuerunt nullam recipere personam ad suam religionem nisi apportaverit quamdam aut prætaxatam temporalium quantitatem, per quod multi D impediuntur a religionis ingressu ?

Amplius, dominus Antisiodorensis ait in parte tertia Summæ suæ : Non est licitum dare temporalia pro Missis tricenariis. Unde prohibetur in synodo ne presbyteri aliquid exigant, et hoc propter speciem mali, et propter scandalum evitandum, ne scilicet videantur spiritualia vendere. Iterum ait : Non debent sacerdotes aliquid petere ante sepulturam, vel quia simonia esset, vel species mali ; sed possunt post A sepulturam. Hæc et consimilia scribit super quartum Sententiarum, distinctione vicesima quinta, dominus Bonaventura. Ex quibus evidenter monstratur quam impium sit, alicui personæ cum conditione, obligatione et pacto ingressum religionis præbere, et non sinceriter, pure et gratis ac absolute, seu simpliciter propter Deum.

ARTICULUS X.

Adhuc confirmatio prædictorum ex verbis Sanctorum, et qualiter possint temporalia exigi post gratuitam susceptionem personæ.

GLORIOSUS pater Hieronymus in Regula sua, quinto capitulo, ait, scribens Eustochio abbatissæ filiabusque ejus : Detestabilem hæresim simoniæ, quam communi pravitate diaboli moniales assuetæ committunt, etiam in auditu horreat sancta societas vestra. Giezi pœna et Simonis IV *Reg.* v, 27. vos terreat pravitas. Vox Petri vicarii Christi ad Simonem nunquam exeat de auribus vestris : Pecunia tua sit tecum in per- *Act.* viii, 20. ditionem ; existimasti enim donum Dei haberi pecunia. Donum Dei est Sanctus Spiritus. Communis mercatorum usus habet ut venditio commutetur in melius. Asserit quippe simoniacus pecuniam esse præstantiorem dono Dei, quum idem in ipsam commutat. Ad vos venientes Sorores, ad sanctas Christi suscipite nuptias gratis ; præponatur sanctitas pecuniæ ; exquiratur bonitas vitæ, non generositas carnis, non utilitas mundi. Nulla omnino pactio præveniat, nulla opinio, nulla conditio quæ mentis puritatem perturbet. Beatum Sapientia clamat, qui excutit manus suas *Is.* xxxiii, 15 ; *Eccli.* xxxi, 8. ab omni munere, et qui post aurum non abiit. — Ecce quam evidenter et rigorose vir iste sanctissimus, religionis specialis discretissimus institutor, prohibet simoniacam impietatem in susceptione Sororum, jubens ut earum receptionem nulla præveniat pactio, nulla conditio, et ipsæ quæ veniunt, gratis et absolute suscipiantur.

Denique, in Regula sancti patris nostri

Basilii quæritur : Si oportet eum qui ser- A vis Dei vult sociari, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facul-
Luc. xviii, 22. tatum suarum, dicente Domino, Vende omnia bona tua, et da pauperibus? Ad hoc respondet magnus Basilius : Arbitror quod is qui accedit ad Dei servitium, scilicet religionem, non debeat contemnere et ut libet relinquere ea quæ sibi competunt; sed tentet omnia (si fieri potest) cum summa diligentia assumpta, tanquam ea quæ jam Domino consecrata sunt, quantum possibile est rationabiliter B
Jer. xlviii, 10. dispensare, sciens quod non sit absque periculo in opere Dei agere negligenter. Si vero propinqui ejus vel parentes contra fidem veniant, debet meminisse Christi
Matth. xix, 29. dicentis, quia omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, etc., centuplum accipiet, etc. Verumtamen oportet eum protestari et denuntiare his qui sibi denegant ea quæ sua sunt et resistunt, quia sacrilegii crimen incurrunt,
Ibid. xviii, 15. secundum mandatum Christi dicentis : Si peccat in te frater tuus, vade et argue C eum. Judicio vero experiri de his apud judices sæculi, abnuit religionis auctoritas
I *Cor.* vi, 1. per id quod dixit Apostolus : Audet aliquis vestrum, negotium habens adversus alium, judicari apud injustos, et non apud san-
Ibid. 7. ctos? Et rursus : Jam quidem delictum omnino est in vobis, quod judicia habetis inter vos. — Ecce in verbis his S. Basilius nihil tangit de hoc, ut a petente ingressum religionis aliquid exigatur, vel ante vel postea. Innuit tamen, quod temporalia ejus Domino consecrentur, et ad divinum cul- D tum sint applicanda atque ad Dei honorem transferenda, per hoc quod persona ad quam pertinent, religionem ingreditur; et quod ipsa persona non debeat ea ad libitum suum dispensare, aut dare sive relinquere, sed rationabiliter et discrete : imo insinuare videtur, quod de jure ad monasterium spectent, aut saltem in pios usus sint convertenda. Evidenterque dicit, quod ipsa persona debet protestari his qui sibi negant suam hereditariam portionem, quod sacrilegii crimen incurrunt, abutendo videlicet temporalibus bonis illis, quæ modo præfato consecrata sunt Deo. Addit tamen, quod coram judicibus sæculi non sit litigandum pro illis. Quod quamvis pro tunc ita observabatur, doctores tamen interim docuerunt, quod quando claustrum est indigens, præsidens ex parte conventus possit per viam juris exigere ea quæ spectant de jure ad personam susceptam : non quod debeat illa exigere ratione susceptionis ipsius personæ ad religionem, quæ susceptio quum sit bonum spirituale, non est pro ea exigendum aliquid temporale. Sed exactio illa fieri potest in quantum persona ad religionem accepta est proles legitima, quæ ob ingressum in claustrum non est hereditaria sua portione privanda : quippe quæ religionem intrando non efficitur deterioris conditionis, idcirco nec exheredanda.

Hinc, secundum Raimundum, qui ponunt filias suas in claustris, et parum aut nihil dant eis de bonis suis, graviter peccant, et tenentur, si habent, monasterio rationabiliter providere, ne ex filiabus suis graventur. Quod potissimum verum reor, dum monasterium indiget, nec pro certo numero satis provisum est ei, neque mendicat. Quocirca Ostiensis, Durandus et alii dicunt, ob hoc non esse paciscendum de dando aliquid temporale cum persona recipienda aut aliis ante gratuitam earum et absolutam receptionem, esse tamen remedium circa hoc, si parentes dare noluerint. Dicunt itaque isti doctores : Quando monasterium est tenue, tunc conventuales accipiant puellam gratis ad spiritualia, et agant contra patrem ad alimenta; quod si pater mortuus est, agant ad partem hereditatis puellæ. Porro religiosæ personæ quæ opus manuale et lucrosum exercent, videntur se laboribus manuum suarum in toto aut pro magna parte nutrire. Ideo ad recipiendum tales, constituere summam tantam ex qua possent sustentari quamvis nil lucrarentur, imo tantum exigere quod possint perpetuæ præbendæ seu loca fun-

dari et competenter dotari, videtur prorsus metas excedere æquitatis, et pauperioribus personis omnino præcludere accessum religionis.

Heu, heu! quantum detestanda cupiditas oculos mentis paulatim obtenebrat, cor indurat, et rectum subvertit judicium! O quantum dolendum est, quam vehementer deflendum, quod religiosæ personæ, quæ jam semel amore Sponsi cœlestis omnia contempserunt terrena, quæ si in domibus mansissent parentum, potuissent divitiis abundare, jam post monasticam professionem, post paupertatis spontaneæ votum, rursus involvunt se avaritiæ, quæ omnium radix est vitiorum et laqueus, imo (quod sanguineis guttis est deplorandum) vitiosissima avaritiæ specie prorsusque sacrilega, id est simoniaca pravitate, se inquinant propter rem vilem, terrenam, propter pecuniam aliquantam, propter supellectilem modicam! Hæc impietas ex immoderata sollicitudine pro temporalibus et corpori necessariis rebus frequenter procedit, quæ sollicitudo diffidentiæ filia perhibetur; interdum quoque ex vitio gulæ et carnalitate, qua lautiora atque superflua requiruntur. Hæc omnia Christus summe prohibuit, præsertim religiosis personis, quas vult filialem in Deo habere fiduciam. Denique, sicut sancti patres testantur abbas Daniel, Cassianus, Eusebius Emisenus et alii, nisi ex religiosarum cordibus personarum cupiditas fuerit funditus exstirpata radicitusque evulsa, periculosius, imo et incurabilius sævit et dominatur in eis, etiam sæpe in parvis ac vilibus rebus. Postremo, sanctus pater Benedictus in sua statuit Regula, ut recepti ad Ordinem suum res suas pauperibus erogent, aut si voluerint, monasterio tribuant; non autem quod aliquid exigatur ab eis : imo hoc magis prohibuit.

I Tim. VI, 10.

Sic igitur religiosæ personæ regia jugiter via incedant, et (sicut tenentur) non solum meliorem, sed et tutiorem eligant callem, vitantes discrimina : quibus si se committunt, peccant mortaliter.

A Ad quæstionem qua quæritur quæ sit pœna religiosorum simoniace receptorum, Raimundus respondet, circa hoc aliter esse loquendum de ita receptis ante editionem Decretalis per Innocentium Papam factæ in generali concilio de illis, aliterque de ita receptis post Decretalem eamdem, videlicet quoniam summus Pontifex ille aliquid novi de illis instituit, per quod jura positiva priora illos concernentia immutavit et fecit cessare. — Sic in proposito dico, quod ex quo Bonifacius Papa VIII, et item Urbanus V, diu fuerunt post tempora S. Thomæ, Udalrici, Raimundi, et Joannis qui Summam composuit confessorum, atque doctorum eis contemporaneorum (nam Thomas fuit tempore Urbani IV; similiter alii jam præfati, tunc vel paulo ante aut parum post exstiterunt), idcirco ad istam quæstionem, an liceat aliquid temporale exigere a persona religionis ingressum aut professionem petente, aliter nunc respondere oportet post compilationem præallegatæ Constitutionis Urbani Papæ, quam ante eam ab aliquibus respondebatur, utputa quia Urbanus V (qui fuit in brevi, et ei successit Gregorius XI) tam evidenter, imo clarissime, omnifarie et rigorose prohibuit omnem hujusmodi exactionem, directe indirecteve factam, sive sub ratione pretii, sive sub colore indigentiæ et sustentaculi vitæ, ut Constitutio illa nullam prorsus recipiat inflexionem, retorquentiam, epiikizationem seu interpretationem ad oppositum, quemadmodum jam luce clarius ex verbis ipsius est demonstratum : quam etiam Urbani Constitutionem confirmavit successor ejus Gregorius absque exceptione et interpretatione. Ideo dato quod Thomas, Udalricus, Raimundus, Joannes, et qui ante Urbanum V fuerunt, intenderint dicere, quod aliquid per modum sustentaculi vitæ exigi possit a persona recipienda seu recepta, et quod hoc non sit simoniacum ex sua natura; attamen omnia illorum scripta et dicta cessant atque solvuntur per hoc quod Dominus apostolicus post eos deter-

minavit et jussit oppositum. Per cujus definitionem et prohibitionem, omnis talis exactio, quæ per verba doctorum jam prædictorum a quibusdam licita probatur ac reputatur, absolute prohibetur, imo et simoniaca esse censetur, ita quod simoniaca est ad minus de jure positivo, utputa quia prohibita : quoniam quædam sunt simoniaca quia prohibita, et illa ex sua natura non sunt simoniaca ; quædam vero sunt prohibita quia sunt simoniaca, quæ scilicet ex sua natura sunt talia, ut in
art. II. primo plenius scripsi libello.

Denique, quia Bonifacius VIII absolute prohibuit in claustris monialium plures recipi quam de redditibus monasterii possunt congrue sustentari, ideo dum ad moniales pauperes veniunt quæcumque personæ pro receptione ad religionem, debent eis simpliciter respondere : Non sumus dispositæ, nec habemus locum vacantem, provisum ad suscipiendum vos. Nec ullam possunt facere mentionem de aliquo apportando. Nec dicere possunt : Libenter, si provideritis vobis de necessariis vitæ, volumus vos recipere. Qualiter autem dicere possint ac debeant absque conscientiæ læ-
art. XV. sione, in primo plenius scripsi opusculo : cui apte istum adjungi et alligari tractatulum posse judico, quoniam condependent, et invicem se declarant ac fulciunt. Verum de ista materia multo utique diffusius scribere possem ; sed hæc pauca hac vice reor sufficere.

Postremo, quia (ut ait Albertus, si bene recordor, super Job) duo sunt actus sapientis, unus videlicet veritatem rationabiliter comprobare, alter falsitatem efficaciter reprobare (et probat hoc ex verbis Apostoli ad Titum, de episcopo disserentis,
ut potens sit exhortari in doctrina sana : Tit. I, 9.
ecce primum ; et eos qui contradicunt arguere : ecce secundum) ; idcirco qui his opusculis meis consentire noluerit, aut contradicere voluerit, solvat ea quæ ad probationem propositi introduxi. Nec quisquam in ista materia loquatur ex impetu passionis, nec aliud quærat nisi manifestationem ac observantiam veritatis, ne per simoniacam impietatem Deus altissimus gravissime offendatur, et ne animæ tot hominum, et præsertim religiosarum personarum in aliis regulariter conversantium, lamentabiliter periclitentur, nec etiam tot homines sæculares scandalizentur, religiosisque obloquantur ; sed omnia mala ista vitentur, bona quoque eis opposita procurentur. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS DUORUM LIBRORUM CONTRA SIMONIAM.

DETERMINATIO

DOCTORUM ALMÆ UNIVERSITATIS PARISIENSIS SUPER CONTROVERSIA QUÆ FUIT INTER MAGISTRUM BERNARDUM DE REYDA, DOCTOREM IN THEOLOGIA COLONIENSIS UNIVERSITATIS, CUM SIBI ADHÆRENTIBUS, ET MAGISTRUM DIONYSIUM CARTUSIENSEM IN RUREMUNDA. (ANNO 1458.)

Quia nuper mota est controversia inter aliquos doctores super decisione hujus quæstionis, utrum in aliquo monasterio feminarum liceat recipere aliquam feminam ultra numerum personarum quæ de bonis monasterii commode sine penuria possunt sustentari, et de persona recipienda, oblatis gratis spiritualibus, exigere temporalia; instantiusque a nobis magistris in Facultate theologiæ Parisiis congregatis quæsitum est, ut in ea re consilium dare et super ejusdem quæstionis determinatione quid sentimus dicere vellemus. Nos autem ad pacem conscientiarum et ædificationem animarum pro viribus laborare cupientes, ea quæ nobis super his videntur, in modum sequentem exponere duximus. In primis dicimus, quod attento tenore Constitutionis apostolicæ felicis recordationis Papæ Bonifacii VIII, incipientis, Periculoso (de Statu regularium, libro sexto), non licet recipere aliquam feminam in aliquo monasterio non mendicantium, ultra numerum personarum quæ de bonis monasterii sine penuria sustentari possunt. Nec in hoc oportet apponere illum terminum, Commode, quum in textu ipsius Constitutionis non ponatur. Et illud dicimus non licere, ubi non habetur de hoc consuetudo communis et diuturna, quam Papa scire et tolerare verisimiliter creditur, et per quam posset præfatæ Constitutioni esse derogatum. Idem dicimus, quod a femina recipienda in monasterio, oblatis gratis spiritualibus, non licet exigere temporalia pro ipsis spiritualibus, tanquam pretium spiritualium vel annexorum spiritualibus, faciendo commutationem unius pro altero. Dicimus ulterius, quod ubi monasterium est ita tenue, quod femina quæ recipi petit, non posset de bonis ipsius monasterii sustentari sine penuria, oblatis gratis spiritualibus, et receptione personæ libere facta ad spiritualia, si persona illa sic recepta habeat bona temporalia de quibus juxta consuetudinem religionis potest disponere, et ea monasterio conferre; tunc potest ab ea aliquid peti solum pro necessitate sui victus, sine fraude, ut habeat monasterium unde sibi providere possit. Et hoc non intelligendo de exactione coactoria, ita quod ejiciatur si non dederit; sed quod in omnibus servetur debitus modus et recta intentio, et quod hoc habeat locum ubi est consuetudo communis et diuturna, sicut supra tactum est, per quam et antedictæ Constitutioni Bonifacii, et alteri Constitutioni Urbani V, incipienti, Ne in vinea Domini, prohibenti hujusmodi temporalia ab ingredientibus monasteria quovis modo peti vel exigi, derogatum exsistit. Tutius tamen est, quod nihil petatur vel exigatur; nec in hujusmodi monasteriis, ultra numerum earum quæ sine penuria sustentari possunt, aliqua femina recipiatur; et si aliqua petit recipi, dicatur ei quod monasterium non potest eam recipere, quia non habet unde ipsam valeat sustentare.

Sext. lib. III, tit. 16, c. 1.

Extrav. lib. V, tit. 1, c. 1.

DE EADEM MATERIA DETERMINATIONES DOCTORUM HEIDELBERGENSIS UNIVERSITATIS.

Quod in monasterio Ordinum non mendicantium non liceat aliquam recipere in monialem et Sororem, quæ cum aliis ibi antea receptis de ipsius monasterii bonis sive proventibus absque penuria sustentari non possit, nec cum ingrediente hujusmodi monasterium, aut alio ex parte ejus, de aliquo temporali dando pacisci seu convenire, est pro vero tenendum, prout ex præmissis satis patet. Velut præscribitur, dicendum mihi videtur, mihi videlicet magistro Nicolao de Wachenheym, sacræ theologiæ professori, in studio Heidelbergensi in eadem legenti, judicio meliori salvo : quod propria manu testor.

Quod in monasterio Ordinum non mendicantium aliquam non liceat recipere in monialem et Sororem, quæ cum aliis ibi antea receptis de ipsius monasterii bonis sive proventibus absque penuria sustentari non possit, nec cum ingrediente hujusmodi monasterium, aut alio ex parte ejus, de aliquo temporali dando convenire sub quacumque forma vel colore, prout ex præmissis satis deducitur, dico juris esse et de jure tenendum, ego Bartholomæus de Herkenroye, Decretorum doctor, actu in studio Heidelbergensi in Jure canonico regens et ordinarie legens. Ideo me propria manu subscripsi, salvo tamen judicio semper meliori.

Prout supra scriptum est, videtur mihi Conrado Degen de Memmingen, Decretorum doctori, ordinarie in Jure canonico in studio Heidelbergensi legenti, de jure dicendum, salvo judicio melius sentientium. Manus propria pro sigillo.

Ita ut præscriptum est, videtur mihi Joanni Wildenhertze de Fritzlaria, Juris utriusque doctori, in studio Heidelbergensi in Jure canonico ordinarie legenti, de jure dicendum et consulendum, salvo judicio meliori : quod propria manu testor.

Uti præscriptum est, videtur mihi Joanni Schroder de Heidelberga, Juris utriusque doctori, in felici studio Heidelbergensi in Jure civili ordinarie legenti, de jure dicendum, salvo judicio melius sentientium : quod manu testor propria.

CONTRA AMBITIONEM

PROŒMIUM

R*EGES gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic ; sed qui major est in vobis, fiat sicut minor ; et qui præcessor est, sicut ministrator.* Luc. xxii, 25, 26.

Hæc est doctrina Sapientiæ increatæ, quæ ex ore Altissimi prodiit. Hoc verbum *Eccli.* xxiv,
documentum est omnipotentis sermonis, qui a regalibus sedibus venit. Ista plane 5. *Sap.* xviii,
saluberrima atque cœlestis est instructio, quam unigenitus Filius in sinu Patris æter- 15. *Joann.* i, 18.
ni invariabiliter conquiescens, proprio ore deprompsit. Ipse quippe est Dominus no- *Is.* xxxiii,
ster, legifer noster, judex et rex noster, qui a summo cœlo ex corde Patris in uterum 22.
mundissimæ Virginis descendere, et deinde per Incarnationis mysterium in terris *Baruch* iii,
apparere et cum hominibus conversari dignatus est, ut omnibus nobis veram viam 38.
salutis, compendiosissimum iter redeundi ad patriam securissimumque antidotum
recuperandi amissam beatitudinem demonstraret : demonstraret, inquam, demonstratione prorsus efficacissima, hoc est per verba et opera, imo magis per opera et per
verba : cœpit etenim facere et docere. Itaque, quoniam Lucifer ille qui mane ori- *Act.* i, 1.
ebatur, per ambitionem e cœlo corruerat, protoplastus quoque homo quadam ela- *Is.* xiv, 12. *Gen.* iii, 4
tione paradisum amiserat ; venit ad nos Unigenitus Patris propter nos veraciter ho- et seq. *Joann.* i, 14.
mo factus, et factis et documentis copiosissime nobis ostendit, non aliud esse iter redeundi ad paradisum, recuperandi salutem, pertingendi ad Deum, nisi per meram humilitatem, per totius ambitionis eradicationem, per universæ elationis evulsionem.

Hinc equidem ipse Dominus et Salvator ab incarnationis exordio usque ad spiritus sui traditionem in crucis patibulo, sanctam humilitatem pro inexpugnabili scuto elegit, assumpsit, edocuit : quatenus omnem elationem, omnem ambitionem et vanitatem penitus reprobaret, in æternum damnaret, ac suis discipulis vehementissime detestandam doceret. Quapropter (quod magnus sanctusque Papa Leo disseruit) tota victoria Salvatoris qua et diabolum vicit et mundum redemit, humilitate concepta
est et effecta. Hinc insuper in cœna novissima, quam desiderio desideravit cum suis *Luc.* xxii,
habere discipulis antequam pateretur, quum facta esset inter illos adhuc carnales et 15. *Ibid.* 24.
imperfectos contentio quis eorum consisteret major, ipse benignissimus Dominus Je-
sus Christus mox reprehendit atque edocuit eos : Reges (inquiens) gentium domi- *Ibid.* 25, 26.
nantur eorum ; vos autem non sic. Gentiles namque nonnulli fidem catholicam non habentes, qui ruinam angelorum in cœlo, primorum quoque parentum in paradiso ignorabant, dominandi libidinem non arbitrabantur esse peccatum, nec ambitionem reputabant culpabilem : imo pro obtinendo primatu acriter decertabant. Nam et Romani, qui inter gentiles videbantur virtuosiores, pro monarchia non sine prægrandi suo dispendio infatigabiliter confligebant. Non enim sciebant ad quam beatitudinem

creatum et institutum esset genus humanum, et qualiter ea esset privatum, et quomodo ad eamdem reverti oporteat. Ideo Christus suos jussit discipulos ab illorum secerni consortio, vanitate ac pernicioso errore : quatenus sicut ipse quum esset al-
Eccli. III, 20. tissimus, omnium præbuit semetipsum humillimum ; sic sui quanto majores exsisterent, tanto humiliores consisterent, neque ad præsidentiam aliquam ambitionis vani-
Matth. XVIII, 1. tate seducti adspirarent. Unde et in alio loco a suis interrogatus discipulis, Quis,
Ibid. 3. putas, major est in regno cœlorum ? respondit : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. In Cœna quoque hoc ipsum opere
Joann. XIII, 4 et seq. docens, linteo se præcinxit ipse universitatis Creator, Rex angelorum, genibus flexis
Ibid. 15. pedes lavit Apostolorum, dixitque : Exemplum dedi vobis, etc.

Præterea, quoniam inter laqueos quibus adversarius humanæ salutis capit insipientes et fallit incautos atque inanes prosternit, insensata ambitio invenitur præcipua, intendo in hoc opere, contra exsecrandum hoc vitium disputare, et ipsum e cordibus ista legentium ac audientium omnifarie (si, quod absit, in eis latuerit) propulsare, inductus ad hoc assiduis diuturnisque precibus cujusdam venerabilis senioris.

CONTRA AMBITIONEM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Ambitio quid sit.

AMBITIO, secundum doctores, est inordinatus appetitus honoris aut dignitatis propter honorem. Honor autem est exhibitio reverentiæ in signum virtutis testimoniumve excellentiæ alicujus. Et quoniam dignitati seu prælationi debetur atque impenditur honor, ideo appetitus inordinatus prælationis seu dignitatis propter honorem sibi annexum, vocatur ambitio. Unde secundo Machabæorum libro asseritur,
II *Mach.* IV, 7. quod Jason ambiebat summum sacerdo-
I *Mach.* VII, 21. tium ; et primo libro, quod Alcimus satis
agebat pro principatu sacerdotii sui. Insuper, in quantum exterior actus sive ornatus ad honorem ordinatur humanum, ambitio circa ipsum talem actum et apparatum seu cultum versatur. Idcirco in
Act. XXV, 23. Actibus legitur, quod Agrippa et Berenice
cum multa ambitione introierunt prætorium. Secundo quoque Paralipomenon fer-
II *Par.* XVI, 14. tur, quod Asa regem defunctum super le-
ctulum suum posuerunt, et combusserunt super eum aromata et unguenta ambitione nimia.

Præterea, quum non solum sint coram Deo ambitiosi, qui honores et dignitates inordinate cupiunt adipisci, sed hi quoque qui in honore adepto et dignitate obtenta inaniter delectantur, atque immoderate amant eosdem, eisque privari perverse verentur ; propterea quando ambitio dicitur inordinatus appetitus honoris seu dignitatis, sumitur appetitus extense, vide-
A licet non solum pro desiderio boni futuri seu acquirendi, sed item pro affectione boni præsentis sive acquisiti. Itaque, sicut inferioribus simplicibusque cavendum est ne ad honores, dignitates, officia vane adspirent, alioqui ambitiosi redduntur, et ambitione sordescunt ; sic præsidentibus et honoratis personis omnino vitandum est ne ad honores sibi exhibitos, prælationes sive officia eis commissa inordinate afficiantur, imo (quantum in ipsis est) parati esse debent eis carere, paratiores
B subesse ac obedire, quam præesse et præsidere : alioqui et ipsi ambitionis labe fœdantur, atque diversa illabuntur pericula et peccata, ut infra pandetur.

ARTICULUS II.

Cur ambitio sit peccatum, et qualiter homo variis modis in hoc vitium incidat.

QUONIAM Deus omnipotens ad sui ipsius beatificam visionem, in qua sum-
C mus honor atque incomparabilis dignitas omnium intellectualium consistit creaturarum, nos condidit, ideo naturale est homini honorem appetere. Naturaliter quoque impressit Creator sublimis rationali creaturæ honoris affectionem, quatenus ea ordinate appeteret quæ vero, spirituali, recto perpetuoque honore condigna sunt, utputa : adoptivum Dei filium esse, Deo placere, uniri, et eo æternaliter frui ; vitiis dominari, dæmonibus prævalere ; universa carnalia atque caduca transcendere, spi-
D ritualibus ac divinis, cœlestibus et æternis

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Soteris, 1532, et Joannis Birckmanni Junioris, 1559.

jugiter inhærere, sicque se totum in omni vita sua ad Creatoris adorandi honorem gloriamque referre ; proximis quoque ad hæc omnia peragenda pro posse ordinate et caritative prodesse et auxiliari. Verum naturalis iste appetitus honoris, partim per originalis peccati contractionem, partim per propria et actualia peccata seu usum pravum infectus est et subversus, ita ut præfatis bonis vere honorabilibus derelictis, cupiat miser homo temporales, humanos, vanos seductoriosque honores, et propter hos obtinendos aut conservandos variis se exponat periculis, diversis laboribus, anxiis curis, imo multis et magnis peccatis ; sicque vilissimæ se addicit servituti, quæ plane est servitus vitiorum ac dæmonum, vero ac justo honori summe contraria.

Hinc ergo ambitio est peccatum, quia per eam homo tendit atque afficitur ad sui ipsius honorem, promotionem, famam aut dignitatem, ordine recto postposito, imo processu obliquo. Nempe, juxta prædicta, honor homini debetur ratione virtutis, sapientiæ aut excellentiæ alicujus. Quidquid vero virtutis et sapientiæ aut excellentiæ in homine fuerit, a Deo collatum est ei, ut per ea Creatori deserviat, et ipsemet consequatur salutem, proximis quoque pro viribus prosit. (*Eccli.* xvii, 12.) Unicuique namque mandavit Deus de proximo suo, ut ei exemplaris consistat, et gratiam sibi concessam eidem communicet, consilium et auxilium fratribus suis loco et tempore opportuno impendens, prout sibi fieri cupit ab illis. Sic enim hortatur Apostolorum princeps : (I *Petr.* iv, 10.) Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Hinc rectus exigit ordo, et vera requirit justitia, ut de omni bono quod habuerit aut egerit homo, primo ac principaliter quærat, intendat, affectet Creatoris sui honorem, honorem quoque sibi exhibitum ad Deum et ejus honorificentiam finaliter referat, ad proximorum etiam ædificationem ordinet eum. Hinc innotescit, quod suum honorem nec debet nec licite pot- A est quis in hac vita appetere sive exigere, nisi in quantum honor suus refertur ac cedit ad divinæ majestatis venerationem, sive ad ædificationem et utilitatem proximorum suorum ; nec de sua inhonoratione debet dolere, nisi in quantum inhonoratio sua cedit ad inhonorationem offensamque Dei, aut scandalum proximi, sive in nocumentum ac læsionem inhonorantis.

Denique ex his constat, quod ambitionis peccatum potest homo incidere tribus modis. Primo, dum appetit honorari, laudari, B famari de virtute aut excellentia quam non habet : quod est prorsus vanum ac fatuum, injustum atque hypocritis proprium. Secundo, dum sui ipsius honorem non refert ad Deum, sed in ipso vult honorari : quod est perversitatis et ingratitudinis magnæ. Ideo ab Apostolo increpatur et dicitur ei : Quid habes quod non (I *Cor.* iv, 7.) accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Tertio, dum honorem suum ad proximorum non refert ædificationem. Quum enim hominis hono- C ratio sit quædam testificatio ac manifestatio suæ excellentiæ aut virtutis aliunde sibi impensa, in tantum potest sibi placere honoratio sua, in quantum per eam aliis innotescit virtus seu eminentia sua ad profectum ipsorum et Dei honorem. Propter quam etiam causam debet opera bona ad quæ tenetur, publice agere, Christo dicente : Sic luceat lux vestra coram (*Matth.* v, 16.) hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Hinc item tenemur curam habere (*Eccli.* xli, 15.) D de bono nomine, atque laudabilem famam amare, ut simus bonus odor Christi ubi- (II *Cor.* ii, 15, 14.) que. Siquidem proximis salubre tenemur exemplum, ne scandalizentur in nobis. Unde qui negligit famam, perhibetur crudelis, quoniam alios per suam scandalizando diffamiam, eos (quantum in se est) lædit aut perimit. Requirit ergo humilitas, ut quantum in nobis est, potius optemus inhonorari, diffamari, suppeditari, contemni et irrideri, quam honorari ac reputari. Nihilo minus exigit caritas, ut propter Dei

honorem et proximorum ædificationem curemus nomen habere honestum exemplaremque vitam, et vere honorabiles esse et apparere, imo et (dum id requirit justitia) honorari : quod utique ad superiores et præsidentes potissime pertinere cognoscitur.

ARTICULUS III.

De variis causis propter quas omnis Christifidelis, præsertim religiosus, omnem ambitionem penitus abhorrere debet ac fugere.

QUEMADMODUM ad ambitionem odibilem multa inclinant ac trahunt incautum, sic ab eadem multa ac plurima retrahunt et avertunt peritum. Itaque causarum ad ambitionis fugam ac detestationem moventium ac inducentium quædam sumuntur ex parte ipsius ambitionis, quædam ex parte hominis, quædam ex parte Dei, aliquæ vero ex parte loci hujus exsilii, nonnullæ autem ex parte temporis vitæ præsentis. Denique causæ istæ omnem respiciunt Christianum. Sunt demum et aliæ causæ speciales ad ambitionis abominationem impellentes, ad religiosos dumtaxat spectantes, quæ ex parte religiosorum accipiuntur, utputa ex consideratione proprietatum ipsorum. Idcirco de omnibus his sigillatim decentique ordine, quantum humilitatis amator ambitionisque reprobator Spiritus Sanctus præstiterit, nunc prosequi conabor.

ARTICULUS IV.

Quod ambitio valde odienda sit ac repellenda omni Christiano, potissime autem religioso, propter ipsam ejus enormitatem, fœditatem vilitatemque in se ipsa.

QUEMADMODUM virtus tanto desiderabilior amabiliorque consistit, quanto sublimior fuerit atque perfectior; sic vitia tanto sunt odibiliora ac fugibiliora, A quanto in se ipsis enormiora et nequiora esse noscuntur. Hinc una generalisque ratio vitandi ac abhorrendi omne peccatum, est ipsa peccati fœditas, pravitas sive enormitas in se ipso. Idcirco ad virum veraciter virtuosum certum est pertinere nolle peccare, quamvis non esset providentia aut judicium Dei, aut aliqua ultio culpæ. Denique, S. Gregorio teste, quamvis in carnalibus sit evidentior turpitudo, spiritualia tamen peccata carnalibus peccatis sunt enormiora, majora seu graviora, B loquendo in genere : sicut superbia, invidia et acedia graviores censentur gula, luxuria, ira ; et hoc ceteris paribus. Hinc ambitio propter propriam suam in se ipsa pravitatem ac gravitatem potius odienda et abjicienda est unicuique Christiano, præsertim religioso, quam ob suam fœditatem turpitudinemque luxuria. Propterea ait Scriptura : Odibilis coram Deo et hominibus est superbia ; itemque : Superbiam nunquam in tuo sensu aut in verbo tuo dominari permittas. *Eccli.* x, 7. *Tob.* IV, 14.

C Præterea, quamvis inter superbiam et ambitionem, proprie loquendo, differentia assignetur (superbia namque ambitione communior est, et mater atque origo ipsius), frequenter tamen unum pro alio sumitur. Unde Joannes ait in prima sua Canonica : Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Augustinus hac utitur littera : Quidquid est in mundo, desiderium carnis est, et desiderium oculorum, et ambitio sæculi. Atque ibi- D dem per ambitionem sæculi, superbiam accipit. Hinc pro maxima parte ea quæ sacra Scriptura sanctique Patres et doctores de superbia dicunt, de ambitione intelligi queunt. Verumtamen, sicut prætactum est, proprie loquendo, duo hæc inter se distinguuntur, ita ut ambitio videatur esse quasi species quædam superbiæ. Superbia quippe propriissime, ut apparet, est extollentia seu magnificatio sui ipsius in se : ex qua magnificatione mox oritur appetitus propriæ laudis, humani honoris, *I Joann.* II, 16.

gloriæ vanæ, dignitatis seu præsidentiæ. A bitionem, hypocrisim gloriamque inanem.

Porro, quam frequenter quamque vehementer Scriptura divina vituperet, prohibeat, reprobet et condemnet superbiam et ambitionem, satis est evidens, nec opus est illud nunc comprobare. Id tamen vigilantissime pensandum est, quod Christus ubique in Evangelio ambitionem, hypocrisim et gloriam vanam, tanquam pravissima germina maledictionisque semina sibi invicem cohærentia et connexa, specialissime prosequitur, reprobat et confutat; eisque plenos fuisse Scribas et Pharisæos B ac sacerdotes testatur. Quare et dixit eisdem : Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis? Et rursus : Væ vobis, hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, qui amatis primas cathedras in synagogis, etc. Istud igitur omnem Christifidelem potest ac merito debet movere et incitare ad detestationem præcordialem incessantemque fugam et implacabile odium totius ambitionis et hypocrisis, et gloriæ quoque inanis, imo et totius elationis ac vanitatis. Infectis nam- C que his vitiis multoties protestatus est Christus : Receperunt mercedem suam. De quibus canit et Psalmographus : Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Et iterum : Filii hominum, usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Item et in libro Job : Congregatio hypocritæ sterilis.

Joann. v, 44. — *Matth.* xxiii, 27, 6. — *Ibid.* vi, 2, 5, 16. — *Ps.* lii, 6. — *Ps.* iv, 3. — *Job* xv, 34.

Postremo, ambitiosi, hypocritæ, avidique humanæ laudis, sunt falsi prophetæ, de quibus in Evangelio Dominus admo- D net : Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Certe, ut ait Ambrosius, tanto detestabilior est ambitio quanto secretior, et rursus, quanto secretior, tanto incurabilior : vulnera namque latentia difficilius constat curari. Hinc publicani et peccatores aperti, fures, raptores ac meretrices, non tantum displicuerunt Christo ut Scribæ et Pharisæi ac sacerdotes, propter eorum ambitionem, hypocrisim gloriamque inanem. Nunc quoque plus displicent Creatori et abominabiliores sunt Salvatori ficti, versuti palliatique Christiani, ambitione, hypocrisi, vana gloria depravati, quantumlibet foris devoti, morigerati, religiosi appareant, quam homines manifeste defectuosi, rotundi, carnales; sed et multo inconvertibiliores, insanabiliores sunt illi quam isti. Idcirco de illis ait Scriptura : Simulatores et callidi provocant iram Dei; itemque : Numquid Deus exaudiet vocem hypocritæ, quum venerit super eum angustia? aut in Omnipotente poterit delectari? Et iterum : Væ duplici corde.

Matth. vii, 15. — *Job* xxxvi, 13. — *Ibid.* xxvii, 9, 10. — *Eccli.* ii, 14.

Quum ergo sit tanta vitiorum istorum (præsertim ambitionis) enormitas, fœditas atque nequitia, detestemur omnifarie ea detestatione immensa, fugiamusque ea incessabili fuga : quia cor ineffabiliter deturpant, mentem evertunt, naturam Deo dissimilem, vilem, ignobilem, odibilem et obliquam constituunt. Quod ut clarius agnoscatur, adhuc diffusius aliquid de ambitionis enormitate et vilitate conscribam.

ARTICULUS V.

De gravitate et vilitate ambitionis, ex verbis Sanctorum.

Quum omnium vitiorum regina, origo et mater superbia dicatur et sit, tanto iniquior et vilior exstat ambitio, quanto superbiæ propinquior cognatiorque consistit. Est namque quædam superbia, superbiæ proles, germen ac species summe vitanda : ad quam genus humanum ex originali corruptione atque ingenita infectione potissime est proclive et maxime inclinatum. Propter quod tanto infatigabilius ac diligentius abominanda est et præcavenda homini, quanto ad eam invenitur proclivior.

Hinc primo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Dominandi libido inter alia vitia generis humani meracior erat. Ambrosius quoque super Lucam : Tria, inquit, doce-

mur esse præcipua tela diaboli, quibus ad A vulnerandum mentem hominis consuevit armari : gulæ unum, jactantiæ aliud, ambitionis tertium. Disce ergo ambitionem prosternere ac necare, quoniam telum diaboli est. Atque hoc ipso perniciosior demonstratur ambitio, quo blanda quædam est conciliatricula dignitatum. Et sæpe quos vitia alia non delectant, quos nulla potest movere luxuria, avaritia nulla subvertere, facit ambitio criminosos.

Præterea, secundum Augustini doctrinam super secundam S. Joannis Canoni- B cam, infelix, vilis et fallax ista ambitio, est unum de tribus generalissimis periculosissimisque jaculis, tentamentis ac laqueis inimici, quibus innumerabiles fallit, capit ac perimit homines : quæ tria sunt, elatio sive ambitio, cupido, et luxus. Quod

Luc. XIV, 16 et seq. et Salvator in evangelica pandit parabola in qua invitatos ad nuptias excusasse se

Ibid. 18. asserit, uno eorum dicente, Villam emi : qui ambitiosorum tenet figuram.

Scal. parad. grad. XXII. Insuper, sicut (Climaco attestante) superbia, ita ambitio est Dei negatio, dæmonum C inventio, despectio hominum, condemnationis et judicii temerarii mater, infructificationis argumentum, effugatio adjutorii Dei, amentiæ ecstasisque seu alienationis præcursor, lapsuum et ruinarum conciliator, defectionis occasio, fons furoris, hypocrisis porta, dæmonum firmamentum, vitiorum custodia, inviscerositatis adductio, compassionis ignorantia, exactor crudelis, luctator Deo contrarius, blasphemiæ radix. His Climaci verbis per omnia consonat quod divus ait Bernardus super psalmum D Qui habitat in adjutorio. Ambitio, inquit, subtile malum est, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatio cordium, ex remediis creans morbos, ex medicina gignens languorem. Quantos hæc pestis nequiter supplantatos turpiter quoque dejecit, ut ceteri quique quos latuit occultus iste effossor, subitam expavescerent ad ruinam ?

Amplius, edocente Gregorio sancto, ambitio est apostasia quædam, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Initium superbiæ *Eccli.* X, 14. hominis, apostatare a Deo. Unde et regi *Job* XXXIV, 18. superbo, omnique prælato et præsidenti ambitioso, dicit Deus : Apostata. Atque, ut scribit Gregorius, unusquisque pastor toties in apostasiæ culpam delabitur, quoties præesse hominibus delectatur. Qui rursus fatetur : Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire affecto.

Ecce quanta est hujus nequissimi ac venenatissimi vitii pravitas, vilitas et gravedo, contra quod beatissimi Patres tam acriter sunt locuti, tam seriosissime conscripserunt, tam exquisite et seriatim disputaverunt. O quanta est ejus stoliditas, quam densa excæcatio, quam vilissimus animus, qui tam pestiferum crimen, tam infectivum piaculum, tam periculosissimum semen suo cordi inserit, menti suæ imponit, intra se retinet, in præcordiorum suorum amplexatur arcanis ! Quum ergo ambitiosus primatum super confratres suos et proximos appetendo, non Christi, sed Luciferi imitetur vestigia, imo et Antichristo assimiletur, qui super universitatis II *Thess.* II, 4. Dominum extolletur, recte devotus doctor Bonaventura effatur : O superbe, o ambitiose, o Luciferi imitator, mihi responde : Numquid cogitas te Dominum esse ? An omnia esse a Deo ignoras ? Quum ergo de alienis bonis stultum sit gloriari, extolli et velle laudari ac honorari, reprimatur tua insania, et de vanitate propria erubesce. Quumque propter se ipsum universa *Prov.* XVI. 4. operatus sit Dominus, eique soli omnis I *Tim.* I, 17. honor debeatur et gloria, nonne rapina est, furtum ac sacrilegium, honorem et gloriam soli Altissimo finaliter et principaliter exhibenda, impie usurpare, præsumptuose invadere, et sibi in se complacere, in se ipso velle laudari, honorari aut gloriari ?

Præterea, sicut in Institutis Patrum dis- lib. XII, c. 3. seruit Cassianus, nullum est aliud vitium quod ita omnes virtutes exhauriat, universaque sanctitate atque justitia hominem

spoliet ac denudet, quemadmodum istud elationis ambitionisque malum, quod tanquam generalis quidam atque pestifer morbus non unam dumtaxat virtutem auferre contentum est, sed totam virtutum ac meritorum congeriem letali corrumpit exitio, imo et in virtutum fastigio collocatos, gravissimarum impulsu tentationum trucidare conatur. Unumquodque etenim ceterorum vitiorum unam principaliter ac specialiter impugnat virtutem, ut gula sobrietatem, incontinentia castitatem ; hæc autem elatio quum infelicem possederit mentem, tanquam sævissimus quidam tyrannus, sublimissima capta virtutum arce, totam virtutum ac meritorum machinam penitus diruit atque subvertit.

Itaque istis omnibus rite pensatis, ambitionem totis abominemur præcordiis, et quantum distat ortus ab occidente, tam longe eam pellamus a nostra mente ; neque infernali isto absinthio reficiamus aut inebriemus animas nostras, nec vitio tam enormi, vili ac sordido inquinemus aut perimamus interiorem hominem nostrum ; nec Deo reddamur contrarii, cui quantum quis placet per humilitatem, tantum displicet per ambitionem.

ARTICULUS VI.

Quam detestabilis atque vitabilis sit ambitio propter diversa mala eam concomitantia et eidem annexa, ex verbis S. Gregorii.

OMNI Christifideli conandum est, quantum status suus permittit aut exigit, ad pacem internam, ad mentis quietem, ad libertatem ac cordis stabilitatem in Deo, ad puram, amorosam et irreflexam sui ipsius conversionem ad Creatorem. Idcirco, quo aliquid intensius ab his bonis adipiscendis, conservandis ac perficiendis impedit hominem, tanto est vehementius abhorrendum atque rejiciendum. Inter omnia demum vitia videtur ambitio istud præcipue facere, atque tam maxime suo

A subjecto nocere. Varias namque et graves inquietudines et anxias curas, suspiciones, fictiones, duplicitates, reflexiones, acediam, adulationem, imo et simoniacam pravitatem, parit in corde ambitio.

De hoc in Moralibus super Job copiose ac sapienter sanctus scribit Papa Gregorius. Siquidem quarto Moralium : Omnes, inquit, qui in hoc mundo videri aliquid volunt, densis cogitationum tumultibus in corde premuntur ; dumque desideriorum turbas intra se excitant, prostratam men-
B tem pede miseræ frequentationis calcant. Qui enim se tyrannidi superbiæ subjicit, dum miserum cor suum contra homines erigit, vitio illud substernit. Honorum sublimium infulas appetit, exaltari successibus quærit, totumque quod esse desiderat, sibi apud semetipsum in cogitationibus depingit. Jam quasi in tribunali præsidet, et quasi ceteris eminens, parere sibi subjectorum cuneos videt. Qui igitur tot phantasmata cordi imprimit, quid aliud quam somnium vigilans videt ? Talis nimirum
C sæpe consentit illicitis, et mala quæ propter semetipsum non appetit, propter alia quæ exoptat, frequenter committit. Nam sæpe dum honorem suum in hoc mundo minui trepidat, ea multoties approbat quæ conscientiæ suæ judicio condemnat. Quumque sollicite cogitat quid patronis debeat, quid subjectis, quid sibi acquirat, quid affectibus prosit, quasi tanta turbarum frequentia premitur, quanta curarum importunitate laceratur. At contra sancti viri, quia hujus mundi nil appetunt, nullis
D procul dubio in corde tumultibus comprimuntur. Omnes quippe inordinatos desideriorum motus a cubili cordis manu sanctæ considerationis ejiciunt ; et quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur. Solam namque æternam patriam appetunt ; et quia nulla hujus mundi diligunt, magna mentis tranquillitate fruuntur.

Rursus sexto Moralium loquitur : Carnalis quisque (seu ambitiosus) quum transi-

toria appetit, desideriorum suorum pondere se affligit. Gravis equidem labor est hanc ipsam præsentis vitæ gloriam quærere, quæsitam tandem acquirere, et acquisitam cum circumspectione custodire. Ali- *lib. v.* bi quoque : In amaritudine, ait, sunt corda reproborum, quoniam ipsis pravis suis desideriis affliguntur ; et tamen quod spontanee tolerant, propria excæcati ambitione pensare non norunt. Nam et ipsa ambitio mentem dilaniat. Ex ambitione quippe invidia solet oriri. Difficile namque est ut unus alteri non invideat quod ipse adipisci desiderat : quoniam quidquid temporale percipitur, tanto minus fit singulis, quanto dividitur in multis. Idcirco desiderantis mentem livor excruciat : quia quod appetit, alter accipiens aut funditus adimit, aut a quantitate restringit. Porro, quum devictum cor putredo livoris corruperit, ipsa quoque exteriora demonstrant quam graviter animum vesania sui rancoris instigat. Color enim pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens male accenditur, membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor. Quumque interius crescens absconditur odium, dolore cæco obtenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil lætum de propriis libet : quoniam tabescentem mentem propria pœna sauciat, quam aliena felicitas torquet. Et quo alius altius crescit, eo invidus profundius ruit ; et quidquid boni peregit, amittit. Ideo Salomon ait : Putredo ossium invidia. *Prov. xiv, 30.* Qui ergo livoris peste plene carere desiderat, illam hereditatem omni ambitione rejecta desideret, quam heredum multitudo non minuit, quæ et omnibus una est, et singulis tota.

Præterea, quia ambitiosi bonis ac justis se melioribus invident, ideo eos vicissim persequuntur et obloquendo diffamant. Propter quod tertio Moralium dicit Gregorius : Sunt nonnulli qui dum sibi in Ecclesia vident deesse quod ambiunt, hostes bonorum fiunt ; nec solum pravæ actioni se inserunt, sed etiam justorum rectitudinem ad perversa inflectere moliuntur.

A Æterna quippe intueri negligunt, et appetitui temporalium mentis pusillanimitate succumbunt. His justorum simplicitas displicet, et orta occasione ipsos perturbant, atque ad suam eos trahere duplicitatem nituntur. In ambitiosis namque regnat duplicitas. De quibus primo Moralium scribit Gregorius : Nonnulli in bonis quæ faciunt, simplices non sunt, dum in his non retributionem interius, sed favorem quærunt exterius. Propter quod scriptum est : Væ *Eccli. ii, 14.* peccatori terram duabus viis ingredienti.
B Duabus etenim viis terram ingreditur peccator, quando et Dei est quod opere exhibet, et mundi quod per cogitationem quærit. Insuper, in ambitiosis regnat hypocrisis. Et sicut (teste Gregorio octavo Moralium) hypocrita, ita et ambitiosus speciem habet viriditatis, sed fructum non habet utilitatis ; sterilitateque operis aridus permanens, solo sanctitatis colore virescit. Quumque attigerit culmen honoris, et honorari viderit se a cunctis, protinus corde efficitur dissolutus, et cito perit
C spes ejus.

Denique, prout duodecimo Moralium docet Gregorius, impletur in ambitiosis atque hypocritis quod in Job legitur : Soni- *Job xv, 21.* tus terroris semper in auribus impii ; et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Quocirca docet Sanctus præfatus : Nil simplici corde felicius, quia quo innocentiam erga alios exhibet, nihil est quod ab aliis pati formidet ; nec suspectus est pati quod se fecisse non meminit. Unde et Salomon protestatur : Secura mens quasi juge con- *Prov. xv, 15.*
D vivium. Nam quasi continuatio refectionis est ipsa tranquillitas securitatis. At contra prava et ambitiosa mens semper in laboribus est, quia aut conatur aliis mala inferre, aut suspicatur ac metuit ab aliis ea sibi inferri. Et quidquid contra proximos excogitat, hoc contra se a proximis excogitari formidat. Nam qui dolose contra alios agit, erga se simpliciter agi non credit. Hinc tribulatio terret eum, et val- *Job xv, 24.* lat eum angustia sicut regem qui præparatur ad prælium.

Ex quibus omnibus innotescit quam vere Moralium vicesimo quarto dicat Gregorius : Numerari culpæ nequeunt quæ habendæ potestatis amore perpetrantur. Ambitiosus namque, etiam in bonis quæ operatur, quasi semper ad se ipsum inordinate reflectitur, quia ad suos honores seu commoda intentio perverse dirigitur. Et opera ejus quæ exterius bona videntur, tanto sunt coram Deo impuriora, quanto plus ad se ipsum reflexa. Nempe actus virtutum tanto sincerius virtuosi censentur, quanto purius propter Deum aguntur, et quo magis directe ad ipsius honorem ac gloriam referuntur, absque omni proprii commodi aut honoris seu mercedis intuitu et amore.

ARTICULUS VII.

De vitiis multis et magnis ex ambitione manantibus, et de incorrigibilitate ambitiosorum.

QUEMADMODUM ex desiderio impetrandæ prælationis, ita ex affectu inordinato permanendi in ea jam acquisita, enormia et prorsus innumerabilia nascuntur peccata. Quemadmodum enim honorem et prælationem sive officium cupiens adipisci, hinc inde blanditur et attrahit, munuscula confert, partialitatem inducit, fraternam correptionem impendere negligit, imo vicissim mala commendat alterius, humanam timet offensam, carnali et humano timore afficitur, veram et sinceram nequaquam apprehendit justitiam, adversantibus et non faventibus suæ promotioni clam indignatur, interdum obloquitur, aliquando invidet, simoniacam pravitatem variis modis incurrit, et alia crimina incidit multa, atque hæc omnia desiderio præsidentiæ obtinendæ incidit et committit ; sic in præsidentia constitutus, et eam amittere trepidans, hæc et consimilia irruit mala ex timore perdendi eamdem, seu desiderio permanendi in ea.

Insuper ambitiosus sæpe prosequitur ac A denigrare et diffamare non veretur eum quem videt aut audit ad obtinendum prælationem suam (quam ipse habet aut cupit) idoneum : imo quidam miserrimi ambitionis caligine ita cæcantur, ut personam ad officia seu prælationem bene dispositam vix ad congregationem suam velint recipere, seu ejus receptionem pro posse impediant, ne per illam suo priventur honore ; sicque animarum impediendo salutem, atrocissimi ac sceleratissimi spirituales homicidæ sunt coram Deo, et fructum B passionis ac sanguinis Christi impedientes, Salvatori ingratissimi sunt, injuriosi ac prorsus odibiles. Denique, isti sunt similes et forte pejores ambitiosissimis nequissimisque illis Romanis de quibus in historiis fertur, qui in urbe videntes quemdam prudentem ac integrum virum, secreto occiderunt eumdem ex timore et suspicione promotionis ipsius ad officia in quibus ipsi tunc fuerant constituti.

O utinam ambitiosi perpenderent quam faciliter quis incurrat vitium simoniæ per C munus a lingua, per munus a manu, per munus ab obsequio ! Quidquid namque quis alteri dicat, donet sive exhibeat ea intentione ut per illud promoveatur ab illo ad prælationem, simoniacum judicatur. Unde de quodam abbate Cisterciensis Ordinis legitur, quod divinitus fuit cuidam devotæ personæ revelatum de illo quod simoniace esset abbatiam adeptus : quoniam electione instante, Fratribus ipsum consulentibus an vellent in domo eligere, consuluit ut unum ex conventu domus D suæ eligerent, quoniam probabiliter æstimavit, quod si unum ex sua eligerent domo, non eligerent nisi ipsum, qui conventualis fuit eorum. Quo cognito, abbas ille resignavit officium. Quid ergo de his qui per verba, per dona sive obsequia, aut per intermedias personas, aut alio quovis prohibito modo suam procurant et practicant promotionem ?

Insuper, sicut ex præallegatis S. Bernardi verbis ostenditur, ambitio est artifex doli, quoniam ambitiosus est fraudulen- art. v.

tus : imo artificiose sive subtiliter excogitat vias dolosas, quibus adipiscatur intentum, aliumque impediat, deprimat, aut de sua statione extrudat. Est item ambitio mater hypocrisis : quia ambitiosus, ut cupitum queat sortiri honorem, fingit se honorem ipsum respuere, nequiter quoque humiliat se ut exaltetur, servit ut dominetur, virtuosum se simulat ut dignus prælatione putetur. Scit enim se optata promotione frustrari, si deprehensa et cognita fuerit sua ambitio, et item quod honor sequitur fugientem. Hinc super Lucam sanctus ait Ambrosius : Gratiam habet forensem domesticum periculum, puta ambitio : et ut dominetur aliis, prius servit; curvatur obsequio, ut honore donetur ; et dum vult esse sublimior, fit remissior. Hinc quoque in epistola ad episcopos Aquitaniæ scribit electus Dei Bernardus : Ambitio mater hypocrisis, latebras amat ac tenebras, et lucis impatiens est. Nam quum prorumpit in impudentiam, efficaciam perdit ; et quum improbus se pandit affectus, perit effectus. Ambitio spurcum est vitium, atque in imo latet : videt tamen omne sublime, sed videri refugit ipsa. Nec mirum. Optato namque necesse est careat, nisi caveat arbitros. Quo enim gloria plus affectatur, eo minus apprehenditur ubi deprehenditur affectari. Quid enim tam inglorium quam gloriæ cupidum deprehendi ? Inclytus erit ambitiosus, quamdiu in nocte versabitur ; et donec turpis lucri negotium perambulabit in tenebris, poterit hypocrita justus sanctusque videri. Hinc etiam Seneca protestatur : Sunt plures qui honores et dignitates verbis contemnunt ; sed quæ verbis despiciunt, clam furantur. Præterea, omnia ista breviter tangit Scri-
Eccli. XIX, 23. ptura, dicendo : Est qui nequiter se humiliat, et interiora ejus plena sunt dolo.

Prætacta autem de simulatione et occultatione ambitionis, præcipue vera sunt apud eos inter quos aliqua viget religio et observantia regularis, probitas vitæ ac virtutum honestas. Ceterum quidam ita corrupti sunt mente, ita vanitate et ambitione infecti ac victi, ut de ipsa ambitione non erubescant, quoniam omnes ea communiter sordent : propter quod ejus fœtor non sentitur nec fugitur. Ideo primo de Consideratione dicit Bernardus : Plena est ambitiosis Ecclesia. Non est jam quod horreat in studiis et molitionibus ambitionis, non plus quam spelunca latronum in spoliis viatorum. Tanta est impudentia nonnullorum, ut quum manifestæ ambitionis prurigine scateat tota facies causæ eorum, non erubescant audientiam flagitare, publicantes semetipsos ad multorum conscientias, in quo vel suæ solius satis poterant confundi judicio. Hinc nunc pro episcopatibus, archidiaconatibus, præposituris et aliis ecclesiasticis dignitatibus impudenter ac publice litigatur, laboratur, insistitur.

Præterea, de vitiosis ambitionis effectibus rursus tertio de Consideratione illuminatissimus scribit Bernardus : Dum quique quæ nostra sunt quærimus, proprios honores ambimus, fit ut invicem invidentes, *Galat.* V, 26.
invicem provocantes, exerceamur ad odia, animemur ad injurias, armemur ad lites, cavillemur ad dolos ; feramur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta ; opprimamur a fortioribus, opprimamus infirmiores. Quumque hæc vitia et germina ista detestandæ ambitionis sint in se ipsis amarissima, mentem dilanantia instarque vermis indesinenter corrodentia atque torquentia, recte iterum ait gloriosus Bernardus : O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places ? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat ; nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus.

Insuper, qualiter parens seu mater invidiæ exstet ambitio, quomodo item sit vitiorum origo, quum tot pessima mala oriantur ex ea, et criminum fomes, virtutum ærugo sanctitatisque tinea, satis reor ex præinductis patere. Quemadmodum enim tam multa et enormia ex ipsa causantur peccata, sic ipsa interius fovet, servat, vigere, fervere et crescere facit ea,

virtutes quoque exterminat; et sicut tinea A vestimento, sic ipsa nociva est sanctitati : imo quantumcumque quis in sanctitate excreverit, si huic pestifero vitio ac pestilentissimo morbo in se cœperit dare locum, paulatim ut tinea sanctitatem ejus consumet, atque ab omni virtutum arce deponet.

p. 337 D. Postremo, ambitio dicitur ex remediis parere morbos, et ex medicina generare languorem : quoniam correptionem caritativam et correctionem justam, quibus cetera curantur peccata, abhorret : imo ex B eis ambitiosus deterior redditur, magis exasperatur, insolentius adversatur, graviter indignatur, obdurescit, furit ac detrahit. Hinc octavo Moralium beatus ait Gregorius : Sicut carectum acutis surgens angulis, manu non carpitur, ita exasperatis per arrogantiam sensibus, hypocrita (seu ambitiosus) corripi dedignatur : imo, si quis eum corripere audet, asperitate sua protinus corripientis vitam dilacerat. Et quoniam dum corripitur, quasi in ipso omnis gloria detruncatur, deprehensum se C in pravitate irascitur, et loqui sibi redarguentem prohibet, quoniam velut in occulto vulnere tactus dolet. Qualis imperitis innotuit, talis vult ab omnibus reputari, et paratior est mori quam corripi. Redargutione deterior redditur, quia quasi diræ percussionis jaculum æstimat veritatis sinceritatisque verbum. Unde exasperatus protinus in contumelias surgit, et quæ mala exaggeret contra vitam correptoris inquirit. Demonstrare illum incomparabiliter magis reum desiderat, ut innocentem se D non suis actibus, sed alienis criminibus probet, ita ut sæpe vir bonus aliquid reprehensionis dixisse se doleat. Unde recte

Prov. IX, 8. per Salomonem monetur : Noli arguere derisorem, ne oderit te. Neque enim justo timendum est ne derisor quum corripitur, sibi contumelias inferat, sed ne tractus ad odium pejor fiat.

Talis demum, sicut decimo Moralium docet Gregorius, omne quod rectum dicitur, dedecus suæ irrisionis suspicatur : quia quum vera vox auribus pravorum se admovet, memoriam eorum culpa mordet, et per hoc quod generaliter contra perversos dicitur, se impeti specialiter arbitratur. Quod enim egisse intus se meminit, hoc foris audire erubescit. Unde mox ad defensionem sui se præparat, ut reatus sui verecundiam per verba pravæ refutationis tegat. Quemadmodum enim justi correptionem suæ culpæ caritatis ministerium judicant, sic perversi hoc contumeliam irrisionis existimant. Illi se protinus ad obedientiam sternunt, isti ad suæ defensionis insaniam eriguntur. Illi correptionis beneficium, vitæ suæ patrocinium deputant, per quod dum præsens culpa corripitur, venturi ira Judicis temperatur; isti quum se impeti redargutione conspiciunt, percussionis gladium credunt : quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, præsentis vitæ gloria perditur. Et fit plerumque ut dum superbus correpta in se mala defendere nequit, ex verecundia pejor fiat, et corripientem false accuset.

Ecce ex introductis elucescit infinita fugibilitas, odibilitas, enormitas, temeritas ambitionis. Ideo omnis fidelis, omnis veraciter sapiens omnisque timoratus eam in infinitum abhorreat, incessabiliter vitet, jugiter aspernetur, implacabiliter persequatur.

ARTICULUS VIII.

De rationibus ex parte hominum sumptis, propter quas summe vitanda et odienda est omnis ambitio.

QUICUMQUE se ipsum sapienter atque profunde considerat, omnem mox ambitionem abhorret, honorari veretur, præsidere formidat, humiliari conatur. Primo itaque prælationem et dignitatem debet homo refugere et horrere ex consideratione propriæ defectuositatis, fragilitatis et insufficientiæ suæ : quæ talis ac tanta est, quod non solum insufficiens impotensque est gubernare, custodire et salvare

se ipsum, sed nec aliquid boni cogitare A aut agere valet ex se, imo in cunctis indiget incessanter ope et gratia actualique motione Spiritus Sancti. Qui ergo se ipsum non valet dirigere et curare, custodire et gubernare, confortare et ad profectum virtutum perducere, qua fronte et præsumptione, qua temeritate et ambitione ad aliorum adspirat ducatum, ad regimen animarum, ad dirigendum, curandum, custodiendum, roborandum conservandumque alios?

Secundo ad idem movere et excitare B quemlibet debet consideratio incertitudinis proprii status : quia dum peregrinamur in sæculo isto, ignoramus an digni simus amore an odio, hoc est, an simus in caritate et gratia, sine quibus nullus ad prælationem est dignus et efficax. Idcirco non solum ambitiosum, sed etiam præsumptuosum censetur, ad præsidentiam adspirare, ad aliorum gubernationem se ipsum ingerere, ad animarum se curam præcipitare.

Eccle. IX, 1.

Tertio valet ad hoc consideratio propriæ C imperfectionis. Nam dato quod aliquis probabiliter aut certitudinaliter sciat se esse in caritate et gratia, non tamen continuo reputare potest aut debet ad aliorum præsidentiam se esse idoneum et condignum : quoniam ad prælatum non solum exigitur quicumque gradus caritatis et gratiæ, sapientiæ et justitiæ, fortitudinis, mansuetudinis, humilitatis, pietatis ac continentiæ, aliarum quoque virtutum, sed et magna prorsus perfectio in omnibus istis, exercitatio grandis, experientia longa, humilitas D solidata, caritas fervens, discretio ingens, justitia stabilis, tanta demum plenitudo gratiæ ac virtutum, tanta supernæ illuminationis exuberantia, tanta reformatio passionum, ut is qui præest, sine personarum acceptione regat, corripiat corrigatque subjectos, et absque sui ipsius læsione ac perturbatione, ipsorum mederi queat vulneribus, passiones eorum curare, tentationibus ipsorum consulere, suaque bonitate, sapientia, humilitate, mansuetudine, constantia, perfectione, illorum pravitatem, insipientiam, elationem, iram, instabilitatem, imperfectionem, infirmitatem valeat tolerare, reformare ac vincere; et quidquid sibi inferatur ab eis, ab ipsorum caritate ac cura nullatenus refrigescat, atque de plenitudine supernorum charismatum sibi desuper distributa, subditis possit influere, communicare, conferre, purgando, illuminando, perficiendo eosdem. Quum ergo hæc omnia multaque alia ad idoneam pastoralis officii exsecutionem sint requisita, quis se ipsum rite considerans et imperfectum suum inspiciens, poterit ad præsidentiam adspirare, et non potius in infinitum se humiliabit, renitetur, abhorrebit? Dicetque : Non sum medicus, et non est in domo mea panis; nolite me constituere principem populi. Et cum Salomone fatebitur : Stultissimus sum virorum.

Is. III, 7.

Prov. XXX, 2.

Quarto valet ad idem consideratio difficultatis bene regendi ac præsidendi : quia, ut ait Gregorius, ars artium est regimen animarum. Oportet etenim scire prælatum qualiter unicuique subditorum secundum exigentiam passionum et vulnerum, tentationum et dispositionum animæ suæ provideat, auxilietur ac medeatur; qualiter instruat, corripiat, corrigat, pietatem et æquitatem cum discretione exerceat et impendat : ad quod magna prorsus discretio atque peritia exiguntur.

Quinto valet ad hoc, considerare quanta sint in præsidendo pericula, et quam multi in prælatione penitus defecerunt, qui ante satis boni fuerunt.

Sexto valet ad idem, considerare quam vehementer multi Sanctorum, quum essent omni sapientia atque virtute ornati ac solidati, prælationem abhorruerunt ac diffugerunt. Quid ergo nos pusillos, qui propriis et quotidianis adhuc passionibus vitiisque sordemus, oportet peragere, quorum in hoc consistit profectus, ut quotidie humiliores efficiamur, et alios nobis meliores ac magis illuminatos sinceriter fateamur, non ut eis nos in donis gratiæ præferamus?

Septimo valet ad idem consideratio propriæ conditionis seu proprii meriti atque demeriti, utputa quod eo ipso quo quis ad prælationem adspirat se ipsumque ingerit, prorsus indignus omni divina directione ac ope Spiritus Sancti efficitur; quod item tam pravum principium, exitum sortietur pejorem; quod etiam per hoc ipsum proximos quibus præfici cupit, grandi exponit peccandi ac pereundi periculo.

Octavo valet ad hoc, considerare quanta consecuta sint et indesinenter sequantur mala ex ambitiosorum prælatione, ex quorum infelicissima damnabilissimaque præsidentia tot millia perierunt ac pereunt, et tota Ecclesia ad tantam devenit ruinam.

ARTICULUS IX.

Confirmatio prædictorum ex verbis sanctorum Patrum.

GLORIOSUS doctor Hieronymus ait in Regula sua : Felices et magis securi sunt qui subsunt, illis qui præsunt, et quibus ministratur, quam qui ministrant : et tamen superba mens hominum periculorum improvida, semper majorum dignitatum cupit ascensum, et non nisi post factum terretur ex descensu, qui tanto est durior quanto ascensus est altior. Sed forte descensum rarum existimatis; sed firmissime experientiis doctus non paucis, dico quod raro per gradus dignitatum ascendit homo quin multo gravius descendat. Denique ad hoc probandum refert S. Hieronymus quoddam exemplum de juvene quodam sancto ad episcopatum electo : qui arcessito patruo suo, viro sancto, prophetico spiritu pleno ac eremita, petiit ab eodem consilium. Cui ille non verbis, sed facto respondit, jubens nepoti ut super discum quadratum alte erectum se ipsum revolveret. Itaque juvenis iste electioni renuntiavit; et paulo post feliciter mortuus, hilaris et jucundus suo apparuit patruo : Gratias, inquiens, tibi refero, pater, ex dissuasione episcopatus. Nam scito quod nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero episcoporum.

Insuper, S. Gregorius Nazianzenus disseruit : Revera mihi videtur esse ars artium et disciplina disciplinarum regere homines, qui inter omnia animantia sunt maxime moribus varii et voluntate diversi. Quibus consonat quod beatus Papa Gregorius in Pastorali conscribit : Nulla ars doceri præsumitur, nisi prius intenta meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale officium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum? Quis enim cordium vulnera occultiora esse nesciat vulneribus corporum? Et tamen sæpe indigni et imperiti animarum se medicos profiteri non metuunt, qui dum per speciem regiminis gloriam affectant honoris, et ceteros transcendere concupiscunt, pastoralis officii debitum exercere tanto plus nequeunt, quanto ad hoc ipsum humilitatis magisterium ex elatione pervenerunt. De quibus loquitur Dominus : Ipsi regnaverunt, et non ex me. Ex se *Osee* VIII, 4.
namque, et non ex Deo regnant, qui divinitus non vocati, sed cupidine sua accensi, culmen honoris usurpant magis quam assequuntur.

Præterea, super epistolam ad Hebræos sanctus ait Chrysostomus : O quantum periculum! Quid dicamus infelicibus illis et miseris qui semetipsos ad alios regendos præcipitant, et se in tantorum suppliciorum jactant abyssum? Onerosam namque pro omnibus tibi subjectis redditurus es *Hebr.* XIII, 17.
rationem, et tanto igni tuum subjicis caput. Mirum si aliquis rectorum potest salvari. Post tantam namque comminationem quam negligentiæ videmus esse illatam, video aliquos etiam concurrere et præcipitare semetipsos tantæ moli, tantæ difficultati regiminis. Si enim qui necessitate compelluntur præesse, nullum poterunt habere refugium, neque ullam excusationem reperient, quando res male tractaverint, et quando administrationem suam gesserint negligenter (nam et Aaron neces-

sitate tractus est, et tamen in periculum A venit; et Moyses pericula sæpe sustinuit, qui regimen illud sæpe recusaverat; et Saul postquam recusavit, pericula incidit, quoniam male sui regiminis administravit officium) : quanto ergo amplius, qui cum studio et ambitione petunt principatus et se ipsos præcipitant, severius punientur? Hujusmodi enim homo multo amplius sibi veniæ locum claudit. Oportet ergo timere et tremere propter conscientiam et propter molem et magnitudinem curæ; et neque dum ad principatum quisquam tra- B hitur, immoderantius recusare, neque dum non trahitur, semetipsum præcipitare. Sed considerantes tantæ dignitatis amplitudinem, oportet effugere; comprehensos autem, obsequium et reverentiam oportet ostendere.

Hebr. v, 4. Insuper, sanctus ait Bernardus : Nemo hunc sibi sumat honorem, sed qui voca-
Joann. x, 9. tus fuerit a Deo tanquam Aaron. Per eum nempe si quis introierit, salvabitur; sin
Ibid. 1. autem ascenderit aliunde, fur plane est et latro. Et rursus : Considero (inquit) C gradum, et vereor casum; considero fastigium dignitatis, intueorque abyssum deorsum jacentis; attendo celsitudinem honoris, et e vicino reformido periculum. Item : Væ (inquit) vobis qui clavem tollitis non scientiæ solum, sed etiam auctoritatis. Nec ipsi introitis, et multipliciter impeditis quos introducere debuistis. Tollitis enim, non accipitis claves. De quibus Dominus conqueritur per Osee prophetam :
Osee viii, 4. Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi eos. Unde D tantus ardor prælationis? Unde ambitionis impudentia tanta? Unde tanta vesania præsumptionis? Audetne aliquis vestrum terreni cujuslibet reguli, eo non præcipiente aut etiam inhibente, occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare? Nec tu putes Deum approbare
Rom. ix, 22. quæ a vasis iræ aptis in interitum sustinet. Utinam tamen tam fideliter ministrarent quam fideliter se ingesserunt. Sed impossibile est ut ex amara radice ambitionis fructus prodeat caritatis. Væ ministris infidelibus, qui nondum Deo reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum gradus ac nomina sibi usurpare non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles se mediatores pacis, ut peccata populi co- *Osee* iv, 8.
medant, mentiuntur. Væ his qui ambu- *Rom.* viii, 8.
lantes in carne, Deo placere non possunt, et tamen eum placare velle præsumunt. Pecuniam, non justitiam, concupiscunt, insatiabiliter esuriunt dignitates, humanam sitiunt gloriam.

Postremo, ex pravitate, carnalitate et negligentia ambitiosorum prælatorum omnia oriuntur mala Ecclesiæ, dicente S. Bernardo : Inde est quod illa (videlicet Christi sponsa Ecclesia) pauper et inops ac nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida et exsangui. Propterea non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare; non custodire, sed perdere; non instituere, sed prostituere; non pascere, sed mactare et devorare, dicente de illis Domino : Qui de- *Ps.* lii, 5.
vorant plebem meam ut cibum panis.

ARTICULUS X.

De rationibus detestandi ac repellendi omnem ambitionis insaniam, sumptis ex parte Dei.

QUUM ad omnipotentiam ac sapientiam Creatoris pertineat regere quod creavit, et ei specialis sit cura ac providentia hominum, derogat auctoritati ac sapientiæ Dei, qui non vocatus ab ipso, audet se intromittere de regimine creaturarum suarum, præsertim rationalium. Ad ipsum namque spectat disponere qui quibus debeant præsidere, sicut ad regem terrenum pertinet ordinare potestatis suæ vicarios et inferiores in suo regno rectores. Faceretque injuriam regi, qui ab alio quam ab ipso, aut sine ejus consensu et dispositione, in suo regno niteretur præesse. Sic

et Deo facit injuriam, qui ab alio quam ab A ipso aut contra dispositionem ipsius præsidentiam quærit. Unde et scriptum est :
Eccli. vii, 4. Noli quærere ab homine ducatum, neque a rege cathedram honoris.

Joann. iii, 16. Præterea, quoniam Deus tantum dilexit genus humanum, quod pro ejus salute dedit ac misit unigenitum Filium suum, et ipse unicus Dei-Filius tanti nos æstimavit, quod pro nostra salute incarnari atque in mundo hoc inter homines conversari ac mori dignatus est; grandem infert contumeliam Patri ac Filio, qui proximorum sa- B lutem sic parvi pendit, et sanguine Christi redemptos tantis exponit periculis, ut ad illorum prælationem ac regimen se ipsum insufficientem et indignum, utpote ambitiosum, præsumptuosum ac vanum, ingerere audeat.

Insuper, quum divina justitia a prælatis rationem pro subditis exigat, et quidquid minus debito in subjectis invenerit, præsidentibus, nisi quod in ipsis est fecerint,
Sap. vi, 6. imputet, atque durissimum se esse facturum in prælatis judicium comminetur : C nonne infinitæ exstat vesaniæ, postposito et abjecto Dei timore, oblito judicii divini rigore, abjecta consideratione æterni supplicii, ad præsidentiam adspirare, ad prælationem se sponte offerre, ne dicam præcipitare atque ingerere, sive in ea vano affectu velle persistere? Idcirco de ambitiosorum vanitate et cæcitate sanctus admirans Bernardus, exclamat : Quæ est ista temeritas? quæ horum insania ? Ubi timor Dei? ubi memoria futuri judicii? ubi me-
Ps. xxxv, 7. tus gehennæ? O judiciorum Dei abyssus D
Ps. lxv, 5. multa ! O terribilis Deus in consiliis super filios hominum !

Præterea, quoniam Deus in Scripturis tam copiose omnem nobis ambitionem dissuasit, irreverentiam facimus ei, quod non obstantibus illis, contrarium agimus.

Postremo, quoniam Dominus et Salvator, Deus et Judex noster, Unigenitus Patris, in omni conversatione sua in sæculo isto exemplis et verbis edocuit et præcepit ut in vera humilitate, contempta omni elatione, ei deserviamus, et ipse in vita hac in summa humilitate et paupertate ac obedientia vixit; debemus eum in hoc jugiter imitari, non insolescere et ambire, non extolli aut superbire : quoniam non est Joann. xiii, 16.
servus major Domino suo, qui quum quæ- Ibid. vi, 15.
reretur a populo ut fieret rex, fugit in montem.

ARTICULUS XI.

De causis fugiendi ambitionem ex parte loci quo degimus.

Locus hujus nostri incolatus carcer atque exsilium appellatur, terra peregrinationis vallisque lacrimarum, campus certaminis et laboris, locus tentationis incessabilisque militiæ contra hostes nostræ salutis, locus laqueis ac periculis ita repletus, ut plurimi pereant, pauci evadant. In quem utique locum propter originale peccatum projectum et detrusum est genus humanum. Hic igitur locus exigit nos humiliationi et compunctioni, non exaltationi et vanitati, studere ; contritioni, non ambitioni, operam dare ; lacrimis et pœnitentiæ actibus, non dissolutioni, temporali honori aut laudi humanæ, totis esse præcordiis intentos, ut cum Propheta dicamus ex animo : Renuit consolari anima Ps. lxxvi, 3.
mea ; et, Fuerunt mihi lacrimæ meæ pa- Ps. xli, 4.
nes die ac nocte ; et, Heu mihi, quia in- Ps. cxix, 5.
colatus meus prolongatus est ; itemque :
Afflictus sum et humiliatus sum nimis, Ps. xxxvii, 9.
rugiebam a gemitu cordis mei ; et, Diem Jer. xvii, 16.
hominis non concupivi, neque cum his Tob. iii, 17.
qui ambulant in vanitate, me participem præbui.

Non transmigremus in montem pestiferum, procellosum et caliginosum, montem ambitionis, in quo consistit animæ mors, mentis inquietudo, excæcatio cordis : a quo in profunda corruitur Acherontis, quoniam qui se exaltat, humilia- Luc. xiv, 11; xviii, 14.
bitur. Hinc namque in Evangelio Dominus
protestatur : Væ vobis qui ridetis nunc, Ibid. vi, 25.
quia plorabitis et flebitis ; et, Væ vobis Ibid. 24.
divitibus qui habetis consolationem ve-

Matth. v, 5. stram. Et denuo : Beati (inquit) qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Idcirco in libro de Compunctione sic sanctus ait Chrysostomus : Lugendum est et vere lugendum præsentis vitæ tempus, in quo tantam malorum labem, tanta videmus quotidie flagitia cumulari : quæ si velis considerare per singula, nunquam poteris a lacrimis temperare. Basilius quoque in Regula sua : Non est, inquit, in hoc loco ridendum, in quo tam graviter ac multipliciter Deus indesinenter offenditur, atque tot millia animarum, pro quarum salute fusus est sanguis Christi, quotidie pereunt.

Præterea, si quis in aliena provincia quærit primatum ac præsidentiæ thronum, ostendit se non esse viatorem ac peregrinum, sed civem et incolam velle ibidem consistere. Sic plane qui in sæculo isto et terra hac appetit principatum et quærit præesse, pandit se non veraciter peregrinum ac viatorem in ea, et per consequens nec ad cœlestem tendere patriam, sed amatorem ac filium esse sæculi hujus. Nec veretur neque perpendit quod sanctus ait Jacobus apostolus : *Jacob* iv, 4. Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *Joann.* xxi, 7. Nec implet quod hortatur discipulus quem diligebat Jesus : *I Joann.* ii, 15. Nolite (inquiens) diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Talis namque appetit sciri, vult videri atque in sæculo aliquid apparere, imo et ceteris præeminere, non attendens peccata sua innumera.

Præterea, quum locus iste quo degimus, sit locus assiduæ conflictionis contra invisibiles hostes, contra vitia et sæculi vanitates, qui ambitioni dat locum, fatetur se victum ; et qui cupit præesse, gravioribus se exponit periculis, et atrocioribus multiplicioribusque impugnationibus ac tentationibus præbet se ipsum debilem et inermem, aut non satis armatum, hoc est virtutibus non sufficienter munitum, imo fundamento virtutum, puta humilitate, non satis firmatum. Propterea in prælatione, si eam sortiatur, gravissime vulneratur, facillime superatur, atque durissime condemnatur. Quemadmodum equidem in exteriori et corporali conflictu adversarii in regem seu principem maxime irruunt, et ejus dejectionem præcipue moliuntur et optant; ita in spirituali congressu invisibiles hostes super eos qui in potestate sunt constituti, crudelius ruunt, eorumque interitum subtilius machinantur : quia ex eorum ruina majora se gaudent consequi spolia, dejectionem videlicet subditorum, quoniam dum rector per abrupta progreditur, grex sequens illum in præcipitium delabitur. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Noli quærere fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates. *Eccli.* vii, 6. Sanctus quoque fatetur Gregorius : Omnis qui aliis præsidet, jaculis inimici latius patet.

Qui igitur de ambitione tentatur, contra propriam vanitatem, temeritatem atque elationem primitus prælietur. Audiat quoque Hieronymum consulentem : Cave honores quos sine culpa tenere non potes. Advertat quoque quod in Pastorali ait Gregorius : Virtutibus pollens, invitus et coactus ad regimen animarum accedat. Si itaque talis accedere debet invitus et coactus, quid de illo qui adhuc vitiis ac passionibus sordet, et ipsam ambitionis stultitiam non prostravit? Certe nequaquam debet accedere : quod si accesserit, non mediocriter sibi ac populo erit damnosum : quia, ut Salomon loquitur, regnantibus impiis, ruinæ populi. *Prov.* xxviii, 12.

ARTICULUS XII.

De rationibus aspernandi ambitionem, sumptis ex parte temporis vitæ præsentis.

QUUM tanta res sit nostræ salutis negotium, ut sapientissimus Paulus hortetur, Cum metu, timore et tremore vestram salutem operamini ; *Philipp.* ii, 12. constat quod quanto pluribus præest prælatus, tanto in omni vita sua oporteat eum esse magis sollicitum, custoditum, timoratum ac tremebundum. Qui igitur cupit aut tenet seu

amat prælationem ut amplius honoretur, (A) liberius vivat, jucundiorem et irrefrenatiorem habeat vitam, prorsus insanit, et omni sapientia est privatus. Insuper, insipientiæ ejus non est finis, eo quod propter tam brevissimæ ac incertissimæ durationis suæ præsidentiæ usum, imo abusum, honores, complacentias, libertates, tam rigoroso Dei judicio se exponat, tam intolerabilia sibi thesaurizet supplicia, atque se ipsum ac alios tantæ perditioni immergat. Ipse etenim tot mortibus, tot infernalibus fit dignus tormentis, quantis inefficaciter præsidet, quantis obicem ponit salutis, quantos secum perditioni involvit. Quid tibi, o excæcate et miser, dulcescunt honores, complacent libertates, delectant primatus tam incerti et breves, quibus tam æternalem, tam intolerabilem tamque multiplicem tibi promereris, accumulas ac cito recipies maledictionem, condemnationem ac pœnam? Quid tibi mox proderit elatio et honorificentia tua? Et (*Sap.* v, 8.) potestatis jactantia quid conferet tibi? Nonne potentes potenter tormenta patientur, (*Ibid.* vi, 7, 9.) et fortioribus fortior imminet cruciatus? Exiguo namque conceditur misericordia; (*Ibid.* 7.) ambitiosi vero quanto plus suam secuti sunt voluptatem, vanitatem et libertatem seu propriam voluntatem, quanto magis impune nunc peccant atque humana evadunt judicia, eo plus paulo post æternaliter arctabuntur, deprimentur, recludentur, tantoque gravius punientur, non tantum pro suis, sed pro subditorum quoque peccatis.

Denique, si inanis et stultus est quicumque viator in sæculo isto, qui propter hujus tam brevis incertæque vitæ delicias, divitias et honores, æterna se privat felicitate atque pœnis addicit perpetuis, quam ineffabiliter insipientior comprobatur ambitiosus, qui propter brevissimi principatus oblectamentum, famam, honorem aut quodcumque emolumentum, tam multiplicatis et importabilissimis se ingerit ærumnis, incendiis et tormentis carceris infernalis? Heu, quam dire ac miserabiliter obtenebrat mentem ambitio, ut nec sua nec aliorum advertat pericula! Nonne veraciter ait Scriptura, Omnis potentatus brevis vita, sic et rex hodie est, et cras morietur? (*Eccli.* x, 11, 12.) O quam inæstimabiliter Judex cœlestis, Christus Dominus, irascetur ambitiosis prælatis, per quorum vanitatem et impietatem amisit tot animas a se tam pretiose redemptas!

Postremo, quum tempus præsentis vitæ sit pœnitentiæ tempus, in quo oportet carnem cum concupiscentiis suis crucifigere, (*Galat.* v, 24.) arctam viam incedere, mala præterita, (B) quotidiana quoque vitia deplorare, et se ipsum in omnibus coram Altissimo exinanire, vilipendere et domare, sicque pœnitentiæ actibus immorari; tempore suo in superbiam infelix abutitur, qui ambitioni in se locum largitur, qui honorari conatur, qui ad sua afficitur commoda, et sibi tam graviter auget demerita. Quam in vano accepit hic animam suam, (*Ps.* xxiii, 4.) nec ad cœlestem proficiscitur patriam, imo ad infernalem accelerat foveam! Ideo in horum actuum exercitio expendamus indesinenter tempus hoc nostrum, (C) propter quos concessum est nobis. Et quoniam ignoramus diem et horam, (*Matth.* xxv, 13.) sic quemlibet expendamus diem quasi sit ultimus dies noster. Nec ulli unquam vanitati in nobis locum præstemus: quia, ut recte fatetur S. Bernardus, in ambitione est consolatio frivola, grave judicium, usus brevis, finis ignotus. Propter quod, secundum eumdem, ambitionis vermem fovet in animo peccatoris alienatio mentis atque oblivio veritatis, quæ quum irradiaverit et splenduerit cor- (D) di, intelligit et perpendit quam fallax, vilis, vitiosa et condemnanda sit ipsa ambitio.

ARTICULUS XIII.

De variis rationibus propter quas ambitio specialissime ac vehementissime religioso omni est abhorrenda, ex doctrina S. Dionysii.

Ut clarius innotescat quam summe et præcordialissime oporteat omnem religiosum prorsus odire, horrere, abjicere

universam ambitionis et vanæ gloriæ atque hypocrisis vanitatem, fatuitatem ac labem, necesse est ut doctrina divini ac magni Dionysii libro de Hierarchia ecclesiastica elucescat. Non est, inquit, officium monachi, aliorum curam, prælationem seu animarum habere gubernationem, sed sui ipsius esse sollicitum, et uni (videlicet Deo) et sibi soli intentum, Deum pure colendo, atque se ipsum jugiter in cordis puritate servando. Rursus oportet monachum a carnalibus desideriis penitus abstinere, et suam post Christum crucem portare, corpus proprium castigando, voluntatesque proprias mortificando. Insuper conversatio monachi debet esse munda, nuda, non ficta, ut vera simplicitas sit in corde, nec exteriori compositione simulet se habere quod sibi non inest, sed sinceriter ac directe tendat ac erigatur ad Deum. Debet quoque solis necessariis esse contentus, et omnia curiosa, superflua ac sæcularia resecare. Hinc quippe in claustro quasi in sepulcro absconditur, ut penitus sit sæculo mortuus, universasque inquietudines ac tumultus exteriorum rerum, imo et interiorum passionum ac motuum, a sui cordis cubiculo mere excludat, quatenus soli Altissimo pura, affectuosa ac stabili mente intentus sit.

cap. vi.

Ecce ex his beatissimi Dionysii documentis possunt diversæ considerationes formari ad declarandum quam vile et monstruosum, quam pestiferum et injustum, quam damnabile et perversum, quam stolidum et iniquum sit in religioso honorem proprium affectare, ad præsidentiam adspirare, vanæ gloriæ consentire, hypocrisi deservire, humanis laudibus delectari, sub monastico habitu cor deferre mundanum. Primo, quia ad monachum spectat sibi soli ac Deo vacare, et esse unius (hoc est sui ipsius) custodem. Ideo contra proprietatem et descriptionem ejus consistit, ut ad aliorum præsidentiam, curam et ducatum se ingerat, etiam si perfectus exsistat. Porro, si nondum perfectus præsumat hoc ipsum, non dubium quin acediæ morbo vanitatisque spiritu præsumptionisve vitio seducatur, quum negligat miser se ipsum, et id quod Deus ab ipso requirit, non satagat adimplere, videlicet semetipsum plenarie reformare : sic namque sub specie boni introeunt mala. Enitatur igitur religiosus omni die digne proficere, ut tenetur, et tunc exteriorum gubernationem ac dispensationem quotidie magis ac magis verebitur.

Secundo idem ostenditur, quoniam ad religiosum spectat propriam voluntatem mortificare, abnegare, relinquere, atque ad præsidentis imperium agi, duci, moveri ac regulari, et obedire, magis quam agere, ducere, aut se ipsum movere aut regulare, aut aliis imperare. Est itaque proprietati ac rationi suæ contrarium, ut ab inferioritatis ac subjectionis suæ statu se conetur excutere, et super alios se velit constitui, atque ad statum illum adspiret in quo sibi conveniat voluntatem suam præ solito recuperare, resumere, exercere, in tantum ut aliis quoque præcipiat, illorumque voluntates habeat sibi subjectas, et agat, moveat ac regulet eas. Si vero ad prælationem adspiret desiderio commodorum carnalium aut pristinæ libertatis, hoc quoque vocationi suæ prorsus contrariatur.

Tertio hoc probatur, quia (ut patuit) ambitio facit hominem pene in omnibus ad se ipsum inordinate reflecti, ita ut etiam in bonis quæ ex Ordinis debito operatur, ad sui ipsius temporalem honorem corporaleque commodum habeat oculum, non pure et irreflexe ad Deum ac ultimum finem. Propter quod conversatio sua non est munda, simplex et nuda atque non ficta, sed infecta, duplex, palliata et hypocritalis, nec recta et pura est ejus intentio : quod totum, ut dictum est, rationi ac proprietati veri repugnat religiosi. art. vi.

Quarto hoc demonstratur, quoniam (juxta præhabita) ambitio parit inquietudinem et tumultum vitiorum ac passionum in anima, diversas amaritudines, sollicitudines, anxietates, suspiciones, et curas inor- art. vi, vii.

dinatas, pravas ac pessimas causans in ea. Prælatum quoque oportet frequenter in exterioribus occupari, et inter sæculares homines apparere, loqui, tractare ac detineri : ex quo plurimas mentis distractiones, indispositiones, negligentias inquietudinesque faciliter potest incurrere. Idcirco affici ad primatum ac regimen exteriorumve dispensationem, omnino repugnat vocationi atque professioni religiosi, quem ad pectoris pacem, ad internam dulcedinem, ad veram animi libertatem, ad simplificationem cordis sui in Deo, ad meram absconsionem et mortificationem sui a sæculo isto, semper tendere ac conari oportet.

Postremo, religiosi ex sua professione tenentur ad perfectionem quotidie tendere, digne proficere, meliora et viciniora saluti amplecti, et cordis insistere puritati. Quum ergo tam multa (ut patuit) et gravia ex ambitione generentur peccata, non potest religiosus suæ satisfacere professioni, si intra se ambitioni tribuat locum, quæ nec permittit monachum quotidianas suas deplangere culpas, nec interiora sua sinceriter examinare, sed facit eum assidue adjicere ad peccandum et multiplicare quæ defleantur, atque in quadam cordis insensibilitate, superficialitate et excæcatione vitam transire ac deperdere, et tepiditati succumbere, et per consequens est evomi digna.

Rursus, quum omnia divina præcepta, evangelica quoque consilia atque monastica exercitia ad caritatis perfectionem ordinentur ac tendant, jamque ostensum sit ex ambitione ubertim nasci invidiam (art. VI.) caritati directe contrariam ; constat quam summe et maxime, quam indesinenter et vigilantissime odienda, vitanda et abhorrenda sit omni religioso diabolica illa et maledicta ambitio.

Item, secundum doctores, religiosus non tantum ad meliorem, sed item ad securiorem viam tenetur. Ideo suæ vocationi, professioni proprietatique derogat, ut a securissimo statu inferioritatis et subjectionis ad periculosum statum superioritatis adspiret. Dicit quoque in Summa sua Udalricus, paucos ad culmen illud virtutum pertingere cui debetur prælatio. Propterea nimis incertum, vanum, præsumptuosum et periculosum censetur, ut religiosus cupiat præsidere, præsertim quum ad religiosorum prælatum præcipue magna exigatur perfectio : siquidem quo religiosi sæcularibus virtuosiores consistere debent, eo prælatum ipsorum perfectiorem esse prælato sæcularium requirit justitia.

Advertamus ergo et impleamus quod tertio libro de Officiis ait Ambrosius : Quum dicat Apostolus, Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, (Coloss. III, 3.) nemo hic quærat fulgere, nemo sibi arroget, nemo se jactet. Nolebat se Christus hic agnosci, nolebat prædicari in Evangelio nomen suum quum in terra conversaretur, venit ut lateret hoc sæculum : et nos ergo simili modo abscondamus vitam nostram Christi exemplo, fugiamus jactantiam, prædicari non exspectemus. Melius est hic esse in humilitate, ibi in gloria. Quum Christus (Ibid. 4.) (inquit) apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.

ARTICULUS XIV.

De eadem materia ex dictis Cassiani.

SICUT elatio ad omne pertrahit malum, ita humilitas omne bonum inducit. Idcirco, ut illustris pater et doctor omnium religiosorum Joannes Cassianus testatur, (De Instit. Patr. lib. XII, c. 28.) religiosus elatione infectus, disciplinam sui Ordinis perhorrescens, aliis cupit præesse, ut ex discipulo nequam detestabilior magister effectus, ex sua ambitione in eum cadat perniciosissimum damnabilemque teporem, ut jam nec verus religiosus nec sæcularis exsistens, nihilo minus ex miserabili suo statu et conversatione reputet se perfectum.

Denique, quam damnabile et enorme istud in religioso exsistat, hinc certum

est, quoniam (sicut in libro de Institutis A Patrum docet nos Cassianus) oportet monachum simplicitatem et innocentiam cum omni sollicitudine custodire, mundanaque opera a se penitus amputare, atque ut militem Christi ad spiritualia bella semper esse accinctum, et in totius humilitatis abysso se plenissime profundare, quatenus sicut propria reputatione vilis, abjectus, defectuosus, ærumnosus et nihil est, ita in aliorum cordibus talis cupiat (quantum in se est) reputari. Ab omni igitur duplicitate et simulatione, ab omni ambitione et B appetitu laudis humanæ debet esse purissimus, et nemini invidere, nulli nocere, nec suis confratribus se præferre, imo potius omnium se putare vilissimum. Et dato quod in aliquibus donis naturæ, aut exterioribus actibus aut evidentibus bonis videatur præcellens, nihilo minus ei pensandum est, quod in donis gratiæ, in vera humilitate, in interioribus occultisque bonis, alii ipsum fortassis multum transcendant. Hinc namque Salvator : Nolite (inquit) secundum faciem judicare, sed C justum judicium judicate.

lib. I, c. 2, 4, 5; lib. XII, c. 29 et s.

Joann. VII, 24.

Hinc quoque beatissimi Patres in eremo, quum essent eximia sanctitate ornati et velut angeli incarnati, omnem tamen laudem humanam, temporalem honorem gloriamque terrenam intensissime abhorrebant ac fugiebant, in tantum quod multi eorum ne ab hominibus honorarentur, quædam quodammodo abusiva et prima facie indecentia exercebant. Denique S. Hieronymus refert in Regula sua : Dum per eremorum antra septem annis sanctos Pa- D tres visitarem, nihil ita carum, ita studiosum appetebatur et quærebatur a monachis, quam quod in eis qui juberet posset inveniri.

Postremo (quod in Homiliis suis venerabilis ille Eusebius Emisenus in religiosorum ait persona) peculiarius istud ad nostram spectat vocationem : nil honoris aut corporalis quietis, nil consolationis aut prosperitatis in vita præsenti requirere, sed subjectione et abjectione gaudere, in adversitatibus et aspernationibus gloriari, nec velle recipere bona in vita sua. — Omnino ergo religiosorum vocationi contrariatur, subjectionem et abjectionem horrere et graviter ferre, ad prælationem et honorem se ipsum præcipitare, prosperari velle in sæculo isto, et remunerari ac promoveri in eo.

Luc. XVI. 25.

ARTICULUS XV.

De eodem ex sententiis Climaci.

PROFUNDISSIMUS vir Joannes Climacus quid ad religiosos et monachos spectet subtilissime contemplatus : Monachus, inquit, est mœrens et dolens anima ex indesinenti mortis memoria. Atque, ut idem Pater fatetur, oportet monachum jugiter compunctioni insistere, et lacrimis sanctis perfundi, et metu futuri judicii præsentia cuncta despicere. Ideo prorsus repugnat proprietati ac debito boni religiosi velle in sæculo honorari, pristinam libertatem appetere, exterioribus occupationibus delectari, velle præ ceteris exaltari, inaniterque gaudere, aut aliquid hujus sæculi affectare.

Scal. parad. grad. I.

Insuper Climacus ait : Monachus est sanctificatum corpus, expurgatum os, illuminata mens. Quum ergo ambitio sit in se ipsa tam enorme peccatum, atque tam multa et magna ex ea pullulent vitia, in quibus et corpora exhibentur arma iniquitati, et os multiloquio ac variis verbis inquinatur illicitis, mens quoque præcipue excæcatur ; rite infertur quod ambitionem potissime debeat detestari omnis religiosus tanquam pestilentissimam infectionem.

Rom. VI, 13.

Iterum dicit : Monachus est qui solum ea quæ Dei sunt, agit, cogitat, loquitur, Christo unitus in omni tempore, loco atque negotio. Ex quo constat, quod vita religiosi debeat esse omnino divina, cœlestis ac spiritualis et christiformis. Qui ergo ab hujusmodi vita tepescens, pro spiritualibus exercitiis ad exteriora afficitur, iste

Thren. IV, 5. Num. XI, 4-6. Is. XIV, 12. Galat. III, 3. Jer. II, 21, juxta LXX; Is. V, 2. pro croceis stercora amplexatur, et manna fastidiens, ad Ægyptias redit ollas : imo et cum primo illo apostata angelo de cœlo ruit in terram; et quum spiritu cœperit, carne jam consummatur. In amaritudinem quoque convertitur vineæ alienæ, et pro uvis profert labruscas. Et huic competit illud in Psalmo : Homo quum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus. (Ps. XLVIII, 13, 21.) Magis quippe delectat eum cum hominibus fabulari, hinc inde discurrere, pro libitu suo ingredi et exire, inter homines comparere, quam Dominum Deum suum orando et contemplando affari, et propter eum in cellæ abscondito residere atque in omnibus obedire. Ideo rudis et crudus est monachus; nec gustare meretur quam magna sit multitudo dulcedinis Dei quam dat copiose his degustare qui extra eum renuunt consolari, quos ipse abscondit in abscondito vultus sui a conturbatione hominum, protegitque in tabernaculo suo a contradictione linguarum. (Ps. XXX, 20. Ps. LXXVI, 3. Ps. XXX, 21.)

Denique non competit ei definitio monachi quam Climacus dat, dicendo : Monachus est ordo et consistentia incorporalium in corpore materiali et sordido consummatus. (Scal. parad. grad. I.) Debet etenim monachus ordo esse, id est in omnibus ordinatus, et consistentia incorporalium, id est instar angelorum in carne consistens ac divinis semper intentus, ut sit conversatio sua in cœlis. (Philipp. III, 20.) Verum, ut loquitur Augustinus, unde tam ingens perversitas, nisi de languoribus animæ? Panis in fastidio est, et delectat venenum. Magis delectat homines et alia curiosa corporaliter intueri, quam omnium Creatorem fideliter speculari; extra vagari, quam intus morari. Postremo talis coram Deo est spiritualiter turpissimum monstrum; nec iis ornatur quæ per formam monasticarum suarum vestium designantur, imo sub veste claustrali gerit cor sæculare, et nec piscis est neque caro.

Itaque non ad nostros afficiamur honores, non periculosas promotiones, sed subsannationes quasi aquam bibamus, in adversis et irrisionibus quasi in omnibus divitiis gloriemur exerceri, corripi et corrigi gratulemur, quia in hoc vocati sumus.

ARTICULUS XVI.

De perversitate et temeritate religiosorum ambitiosorum, ex dictis S. Bernardi.

AIT S. Bernardus : Video, quod magis dolendum est, nonnullos post spretam sæculi pompam in schola humilitatis superbiam magis addiscere, atque sub alis mitis humilisque Magistri gravius insolescere, et impatientes magis fieri in claustro quam fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt, ut quia videlicet ubi honores a pluribus appetuntur, ibi locum habere et honores consequi non valebant, saltem ibi honorabiles videantur, ubi honores ab omnibus contemnuntur. Video etiam quosdam, quod sine magno dolore videri non debet, post aggressam Christi militiam rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi. Nec aliunde hæc omnia mala contingunt, nisi quod illam (qua sæculum deseruimus) humilitatem deserentes, dum denuo sectamur inepta studia ac desideria sæcularium, canes efficimur revertentes ad vomitum. (II Petr. II, 22.) Sed, o filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium? (Ps. IV, 3.) Quid vobis conari ubi tanta difficultas est et tam grave periculum? Potestatis ambitio angelum privavit felicitate æterna. Conetur quis in montem ascendere potestatis : quantos, putas, contradictores habebit? quantos inveniet repulsores, obstacula quanta, quam difficilem viam? Et tamen quam pauci evadunt quibus non dominetur dominandi libido! Quænam miseris libido tam dira? Sic ædificant Babel. Sic concupiscunt quod non expedit, imo quod summe nocet; quod

expedit et debitum est, omittentes. O perversitas filiorum Adam! quum ascendere tam difficile sit, et descendere tam facile, ipsi tamen eligunt potius laboriosum damnabilemque ascensum, quam facilem ac salubrem descensum.

Denique, quid ex hac perniciosa ambitione in detestabili religioso sequatur, pandit beatissimus pater Bernardus, dicendo: Gravis labor superbia; hæc est quæ non recipit disciplinam, curari renuit, nec suscipit medicinam; ulcus pessimum, medelam non sustinens, quod nec summis digitis se patitur attrectari. Verum quanto humilitas magis amplectenda ac necessaria est religioso, tanto integrius ei vitanda est omnis ambitio.

ARTICULUS XVII.

Quam gravia crimina oriantur frequenter etiam inter religiosos ex ambitionis stultitia.

QUEMADMODUM libro tertio de Civitate Dei sapientissimus asserit Augustinus, libido dominandi magnis malis agitat et conterit genus humanum. Imo, testante S. Bernardo, ipsa quoque pauperes qui se ipsos et omnia sua reliquerunt, interdum impugnat. Atque, ut dicitur in Horologio æternæ sapientiæ, religiosi nonnulli per fas ac nefas, secrete ac publice, per se ipsos ac alios, ad primatum, ad magisterium, ad officia quæque se ingerunt. In multis vero religionibus est tanta ruina, tam nulla observantia, ut ibidem hoc publice fiat, nec reputetur iniquum. Apud quosdam vero est observantia regularis et Dei timor, et tamen inter eos invenitur et Satan, de hac vanitate tentans quosdam illorum.

Præterea, sicut in veteri Testamento in legisperitis et Pharisæis ac sacerdotibus magis vigebat elatio, ita et nunc quidam religiosi præ ceteris eruditi atque famosi, qui aliis humiliores et exemplariores esse tenentur, sunt magis ambitiosi. Hi sunt quos inflat scientia, in quibus non est sapientia salutaris, nec formata, sed nuda ac informis scientia; qui confratres suos gravius scandalizant; per quos graviter perit religio, quia quæ sua sunt quærunt, *Philipp.* II, 21.
et singularitate a communitate se dividunt. Præterea, non hos dumtaxat Zabulus tentat, sed eos quoque qui inter regulariter conversantes alacriores, ferventiores, modestiores et irreprehensibiliores esse conspiciuntur, qui vitio isto frequenter occulte, periculose acriterque pulsantur. Quod si quis ei in se locum præbuerit, incidet multa mala enormia frequenter prætacta. art. V et s.

Similiter quidam pro quorumdam promotione periculosissime, incautissime damnabiliterque laborant; eis quoque quibus promotionem non favent, inordinatissime ac vitiosissime sæpe resistunt. Hinc inter religiosos nonnullos vicissim, præsertim electione instante, sunt practicæ detestandæ, adulationes, attrectationes, subornationes, detractiones, partialitates, aut etiam quodammodo promissiones, aut propriorum commodorum sive honorum respectus, omni periculo ineffabiliter plenæ atque æterna damnatione condignæ. Non oportet me ista diffusius prosequi, sed intelligentibus satis tactum opinor, ut tam pestifera mala vitentur, et Deus in omnibus habeatur præ oculis.

ARTICULUS XVIII.

Contra eos qui cito post suam conversionem aut religionis ingressum optant præesse; et quod in officiis non sunt ponendi nisi in virtutibus consolidati.

UT octavo Moralium sanctus ait Gregorius, sæpe nonnulli apertæ pravitatis vias deserunt, sanctitatisque habitum sumunt, moxque ut prima limina bene vivendi attigerunt, obliti quid fuerint, laudari de inchoata justitia appetunt, præesse ceteris etiam melioribus concupiscunt. Quos plerumque dum juxta votum præ-

sens prosperitas sequitur, multo pejores quam antea erant fiunt. Nam rebus multis occupati, et sua occupatione confusi, non solum præterita vitia non deplorant, sed adhuc quæ deplorentur exaggerant. Qui enim mundum deserunt, ad exteriora officia promoveri non debent, nisi per humilitatem in mundi contemptu diutius solidentur. Citius namque bona depereunt quæ ante tempus hominibus innotescunt : quoniam et arbusta plantata priusquam fixa radice coalescant, si concutiantur, arescunt.

Hinc rursus duodecimo Moralium scribit Gregorius : Si florentem vineam immoderatum frigus attigerit, protinus ab omni humore viriditatis hanc arefacit. Et sunt nonnulli qui post perversa itinera vias sanctas sectari appetunt, sed priusquam in eis bona desideria roborentur, quædam eis prosperitas accidit, quæ eos rebus exterioribus implicat, et eorum mentem dum a calore divini amoris retrahit, quasi ex frigore exstinguit, et quidquid in eis de virtutum flore apparere videbatur, interficit. In terrenis quippe actibus valde frigescit animus, si necdum fuerit per dona intima solidatus. Unde necesse est ut loca majora vel exteriora opera quæ humanis sunt necessitatibus profutura, illi exercenda suscipiant qui ea dijudicare et sub se premere ex interiori virtute noverunt. Nam quum infirmus quisque ad locum regiminis vel ad exteriora agenda retrahitur, quo quasi extra se ducitur, eradicatur atque ab internis exercitiis evacuatur. Nam quosdam videmus terrena quæ possederant reliquisse, et nil jam transitorium quærere ; sed quum quidam ex talibus rursus cœperint mundi gloriam quærere, rebusque transitoriis quas spreverant inhiare, penitus inanescunt. Sed, ut docet Gregorius, tales vanitatem gloriæ temporalis, fallaciam humani honoris, periculositatem laudis humanæ non pensant. Caduca namque, incerta, transitoria, deceptoria sunt omnia ista : imo animarum venena sunt cordiumque caligines ; et si quis eis prave consentiat, ad perpetuam trahunt damnationem.

Non ergo ad aliquid horum insipienter afficiamur, sed divini attendentes rigorem judicii et æternitatem sequentem, in omni humilitate, obedientia et fervore percurrere studeamus totum hoc tempus nostrum præsentis vitæ. In his quoque virtutibus et in præcordiali mundi contemptu quotidie perfici enitamur, ut tanto humiliores, ferventiores ac magis mortui nobis ipsis ac mundo inveniamur, quanto diutius in religione versamur. Nec ullo colore admittatur ambitio, quum sanctus dicat Joannes Chrysostomus : Primatum sæcularem appetere etsi ratio non est, vel causa est ; principatum autem Ecclesiæ concupiscere neque ratio neque causa est, quia nec justum nec utile est. Quis enim sapiens sustinet se tantæ subjici servituti, nisi forte qui non credit Dei judicium, nec metuit Deum impios puniturum? Quicumque ergo desiderat primatum cœlestem, sequatur humilitatem terrestrem. Quicumque autem desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem coram divina justitia. Nam et primatus se fugientem desiderat, desiderantem se horret. Hinc laus et honor mundanus umbræ assimilantur : nam umbra insequentem se fugit, et sequitur fugientem. Unde et quinto de Civitate Dei Augustinus allegat Sallustium de Catone dicentem, quod quo minus petebat honorem, eo plus honor ipsum sequebatur : quod et quotidie in aliquibus cernitur adimpleri.

ARTICULUS XIX.

De cauta ac vigilantissima evitatione totius ambitionis statim ab exordio conversionis, et de quotidiana atque sollicita examinatione propriæ conversationis.

OSTENSUM est quemadmodum religiosos præcipua ac profunda humilitas art.xiv.
deceat ; quod item ad quotidianum atque art.xiii.
assiduum teneantur profectum : idcirco

mox a conversionis suæ primordiis pror- A sus abhorrere ac maxime fugere debent ambitionis venenum. Rursus prætactum art. VII. est quam difficulter et raro ambitiosi curentur, quot etiam vitia ex ambitione nascantur : idcirco principio vitii tam enormis oportet resistere, nec ullum ei præbere locum. Mirabiliter namque, imo et miserabiliter ac lamentabiliter, sed et damnabiliter, vitium istud ab omni profectu mentem impedit spirituali, atque diversis eam inficit obliquitatibus et peccatis frequenter prænominatis, in tantum quod ipsa vix B advertit. Ideo ab exordio, vel si hoc factum non est, saltem deinceps, cum omni diligentia et cautela repugnandum est sceleri tanto. Nam debet se homo omni die discutere solerter, et actionum suarum radicem perpendere, an scilicet aliquid agat sinistra intentione, vano respectu laudis humanæ aut proprii commodi, seu honoris ambitu ; et si quid in se deprehenderit tale, illud ex intimo sui cordis sinu omnino eradicare, in vera quoque et sincerissima humilitate totum fundare quod agit C aut patitur, nec in humilitatis profectu exercitiisque monasticis unquam tædio affici aut lassari.

Hinc primo Moralium testatur Gregorius : Omne quod agitur, districta discussione oportet mundare, ne bona æstimentur quæ mala sunt, et ne quæ bona sunt æstimentur meliora quam sunt. Frequenter etenim mens aut mali qualitate aut boni quantitate decipitur. Pro gratia quoque et illuminatione efficaciter exercendi hanc ipsam discussionem, Deum assidue D ac devotissime exorare debemus. Denique, quæ in nobis ipsis perscrutari profundius nitimur, sæpe verius orando quam investigando penetramus. Quum enim mens per quamdam compunctionis machinam ad alta sustollitur, omne quod ei de se ipsa sub se ipsa est dijudicando certius contemplatur.

Itaque ante terribilis Judicis incomprehensibile subtilissimumque examen, non solum mala quæ commisimus, sed ipsa etiam (si qua in nobis sunt) bene gesta timeamus : quoniam sæpe in Dei judicio deprehenditur esse culpa, quod ante judicium esse putatur actio virtuosa ; et unde exspectatur merces glorificationis, inde infligitur pœna damnationis. Discamus ergo in omni quod agimus, pure et irreflexe ad Deum cor nostrum dirigere, conscientiam rite discutere, soli Deo et aliis non nisi in eo velle et quærere complacere. Nemo quoque incaute inficiat alium, persuadendo, adulando aut insinuando ei de futura sua promotione. Nec quisquam ex talibus inaniter intumescat, aut si se viderit honorari superbiat ; sed inde se magis humiliet, et Dei expavescat judicium, ne forte coram eo talis non inveniatur qualis ab hominibus reputatur.

Postremo, quidam ex ingenita dispositione magis ad honorem et laudem quam ad voluptatem afficiuntur : quibus ab ambitionis cupidine singulariter est cavendum. Cui etiam iniquitati tanto instantius indigent reluctari, quanto intensius ad illam se senserint inclinari sive tentari. Nam et ubertim qui melioris sunt indolis, et modestiores in moribus ac complacentiores hominibus, ambitione periculosius impugnantur, eaque gravius supplantantur. Unde et quinto de Civitate Dei asserit Augustinus : Juliani apostatæ egregiam indolem decepit amore dominandi curiositas detestanda atque sacrilega. Tales ergo sint specialiter custoditi semper, et timorati ac humiles.

ARTICULUS XX.

De signis ambitionis.

COMMUNE est vitiosis, ut dici nolint quod esse volunt : quod tamen ambitiosis specialiter competit. Indignatur et erubescit infelix ambitione infectus, ab hominibus ambitiosus vocari, et non verecundatur coram Deo et angelis sanctis ambitiosus consistere ac monstrari. Tales sunt omnes qui humanum adspectum

magis quam Dei præsentiam atque intuitum reverentur, metuunt et attendunt. *Jer.* XLVIII, 10. Idcirco sunt maledicti, opusque Dei faciunt fraudulenter, et creaturam præferunt Creatori. Ut ergo ambitiosus agnoscat se ipsum, ab aliis quoque quantum expedit agnoscatur, aliquos ambitionis effectus et quædam ipsius signa breviter tangam.

Primum itaque signum ipsius est, eorum qui in officiis aut prælationibus sunt constituti, depositionem appetere, et pro ea improbe laborare, aut eam importune seu fraudulenter aut detestabiliter practicare aut procurare. — Secundum signum est, se ipsum, electione instante aut propinquante, præ solito Fratribus applicare, affabilem exhibere, humilem ostendere, liberalem præbere, aut modis similibus II *Reg.* XV, 2-6. cum Absalon adulari, contrectare, amplecti. — Tertium signum est, alterius promotioni inhoneste resistere, et de ea turbulentiam tristitiamque immoderatam habere, præsertim dum apparentia seu æstimatio fuit de promotione taliter resistentis, et dum is cui ita resistit, fuit ei heri et nudiustertius amicabilis satis. Nempe si talis resistens vere humilis esset ambitionisque expers, non dubium quin de sua supportatione et evasione gratularetur, nec alii invideret. Et si aliqua probitas esset in eo aut ulla ornaretur prudentia, in tali casu cohiberet se ipsum, neque tam evidenter faceret se notari. — Quartum signum est, temerarie judicare eos ac persequi, eisque obloqui, a quibus quis a promotione noscit se impediri. Etenim si vere ex corde præsidentiam abhorreret, talibus regratiaretur. — Quintum signum est, inordinate atque superflue se occupare cum exterioribus et his quæ officiatos concernunt, et experientiam propriam jactare seu quovis modo monstrare ante promotionem. — Sextum signum est, superioribus se immoderate applicare et velle nimis placere, ac plurima eis in secreto denuntiare, atque præcipuam amicitiam ad ipsos importune ostendere. Quod totum faciunt quidam, ut per talia aliquid promotionis a suis superioribus sortiantur. — Septimum signum est, præsidenti in facie arridere amicitiamque monstrare, et ei occulte insidiari atque detrahere. — Octavum signum est, intimorate resistere receptioni aut professioni personarum ad officia bene dispositarum : quod plerumque nefarie accidit ex timore et suspicione damnabili promotionis illarum, et impeditionis propriæ promotionis.

Sunt demum et alia hujusmodi signa quod latet in corde ambitiosi prudentia. Hinc Innocentius : Vis, inquit, ambitiosum cognoscere ? Ambitiosus semper est pavidus et attentus ne quid quod hominibus displiceat dicat ; humilitatem simulat, honestatem mentitur ; affabilitatem et benignitatem omnibus exhibet, obsequiosus est, cunctos honorat, amplexatur, universis inclinat, blanditur, applaudit. Quum vero ad honorem et prælationem promotus est, statim extollitur, jactantia effrenatur, omnibus sapientiorem ac meliorem se reputat quibus superiorem se conspicit, inferioresque despicit atque erecta pergit cervice.

Nullus igitur palpet, nemo seducat se ipsum, sed interiora sua quisque rimetur, discutiat et expurget. Verumtamen ex his nullus apprehendat audaciam temere judicandi de alio, quoniam aliqua jam prætacta laudabiliter fieri queunt, nec signa inducta certitudinem faciunt absolutam. Ideo judicia simpliciter assertiva de re absolute non certa, periculosa sunt valde, stolida et vitanda.

ARTICULUS XXI.

De remediis ambitionis.

QUÆNAM contra ambitionem aptissima exstent remedia, ex præhabitis constat, eorum videlicet considerationes ex quibus jam demonstratum est quam odienda, spernenda ac evitanda sit ipsa ambitio. (art. IV et s.) Primum quippe ambitionis remedium est, subtiliter considerare quam enorme,

vile, perversum, stolidum ac diabolicum vitium sit ambitio in se ipsa, per quam efficitur homo servus, membrum ac filius primi illius impiissimi apostatæ de cœlo pro sua ambitione projecti, qui est rex super omnes filios ambitionis. — Secundum remedium est, efficaciter considerare quam multa ac magna mala tam pœnalia quam culpabilia ex ambitione nascantur, quanta mentis inquietudo, suspicio, anxietas, hypocrisis, invidentia, adulatio, afflictio, et cetera de quibus ubertim prædictum est : quibus ne quis inquinetur ac torqueatur, tam vipeream matrem ac maledictam radicem merito debet cum infinita abominatione projicere.

Is. XIV, 12-15. Job XLI, 25.

Tertium est, intueri sæpissime propria vitia, propter quæ non solum indignus est homo omni honore, imo et omni inhonoratione, confusione, abjectione exstat condignus, idque promeruit, ut omnis in ipsum creatura insurgat, Creatoris sui in ipso offensam injuriamque ulciscens, quemadmodum scriptum est : Pugnabit cum Deo orbis terrarum contra insensatos. — Quartum est, considerare quanta virtutum perfectio, quanta discretio, quanta charismatum unctio supernorum ad idoneam exigantur prælationem ; et item quam longe sint ista a se qui nec ad sui ipsius gubernationem sufficientem se reperit, imo nec scit an vel infimum caritatis attigerit gradum. — Quintum est, rite perpendere omnem sui ipsius defectuositatem, fragilitatem et vilitatem in anima et corpore, in naturalibus atque gratuitis, propter quas ceteris viliorem arbitrari se debet. — Sextum est consideratio rigoris divini judicii in ambitiosos inidoneosque prælatos, et summa illa ipsorum æterna damnatio.

Sap. V, 21.

Septimum est, adspicere quanta sint in prælatione pericula, et quam innumerabiles perierunt pereuntque omni die in ea ; quam multi quoque et incomputabiles ex ambitiosorum ac negligentium prælatorum negligentiis perierunt pereantque quotidie. Ideo dicit vir ille doctissimus, Nicolaus de Gorra : Multi in alto prælationis dejiciuntur, qui in valle religionis et subjectionis erant securi. Sanctus quoque Hieronymus ait in Regula : O felix et abundans gratia! in obedientia summa virtutum causa est. Nam simplici gressu hominem ducit ad Christum. Et mens non solum excusatur a reddenda Deo ratione pro subditis, sed nec etiam obligatur reddere de se ipsa (si videlicet perfecte obediens fuerit). O summa libertas, qua obtenta vix posset homo peccare !

Octavum est, considerare quod hic in loco peregrinationis atque exsilii, in valle lacrimarum et carcere quodam sumus. — Nonum, quod tam incertum et breve est tempus vitæ præsentis, et quod ipsum sit tempus exercendi pœnitentiam, non optandi præsidentiam. — Decimum, quod tantæ æstimationis est homo coram Deo, qui pro humana salute tot et tanta egit, fecit et pertulit. Idcirco ad hominum gubernationem nullus audeat se ipsum ingerere, ne ex sua insufficientia eos contingat perire pro quibus Filius Dei tanta assumpsit ac perpessus est. — Undecimum est, pensare quod ipsemet Christus in vita hac tam pauperem, humilem et subjectam, imo et obedientissimam vitam elegit, prælationemque fugit. — Duodecimum est, recordari quod viri perfecti et sancti prælationem in tantum fugerunt, ut jam extremæ atque immensæ probetur esse dementiæ, quod pusilli, passionati ambitiosique homines ad aliorum regimen præcipitare se audeant.

Insuper sunt alia contra ambitionem, sicut et contra alia tentamenta ac vitia, generalia quædam remedia, utputa : Dei adjutorium cum omni humilitate, fiducia ac fervore incessabiliter invocare ; in dominicæ passionis memoria se jugiter exercere ; gloriosæ Virginis et Sanctorum exorare subventionem, angelos quoque sanctos animarum nostrarum custodes fideliter deprecari.

Hinc sanctus scribit Gregorius : Quia plerumque per potestatem regiminis ad culpam prorumpitur elationis, magnopere

curandum est ut qui regendis hominibus præfertur, apud se, in secretario mentis, in cathedra præsideat humilitatis. Quumque judicanti ei a ceteris foris adsistitur, vigilanti oculo incessanter adspiciat cui judici ipse de his judicandus tandem adsistet, ut quanto nunc eum quem non videt sollicitius metuit, tanto eum postmodum securior cernat. Penset ergo qui ad satisfaciendum districto Judici pro sua tantummodo anima vix sufficit, quia quot subditis præest, pro tot rationem reddere compelletur : quæ nimirum cogitatio si quotidie mentem excoquit, omnem superbiæ premit tumorem, et potestatem acceptam onus facit existimari potius quam honorem. Cui autem nunc judicem esse libet, ei postmodum videre Judicem non libebit. Porro tunc solum potestas bene geritur, quum non amando, sed timendo tenetur : quæ ut recte valeat ministrari, oportet ut eam non cupiditas, sed necessitas imponat habenti.

ARTICULUS XXII.

Contra ambitionem, ex verbis S. Cyrilli episcopi.

GLORIOSUS ac sapiens vir S. Cyrillus antistes in suis ait Proverbiis : Cave ne appetendo dominationem, in superbiæ corruas servitutem, et ne quum te aliis præfers, tu ipse tam grande tui ipsius dominium perdas. Sed dic mihi, quæso, anne justum putas desiderare quod optas ? Nam si justum non est, hoc ipsum appetere, est injustum. Velle enim quod injustum est, iniquum esse cognoscitur. Ipsa quoque injustitia miseria est : ergo ex hoc appetitu es miser. Verum omnis miser suæ calamitatis est servus. Sed si quod injuste desideras obtineres, plus miser exsisteres : quoniam unusquisque tanto miserior esse convincitur, quanto ejus voluntas in malo celerius adimpletur. Si vero quod cupis, asseris esse justum, necesse est ut ex aliqua supereminentia tui. Ostende ergo quo

A dono aut specie ita excellis. Nimirum si sapientia alios cupis transcendere, et si ejus prælatione levaris, hæc dominatio vera est. Sed hæc nequaquam sursum te projicit, sed humilitatis sinu salubri te deorsum recondit. Nam ubi vera sapientia, ibi humilitas. Prov. xi, 2. Si autem potentia niteris transcendere alios, et si ejus prælatione levaris cum Nemrod impiissimo et Alexandro nequissimo, prædo eris : potentia namque per se non excellentiam, sed violentiam parit. Quamobrem apud te mane, B atque in communi naturalis societatis lege subsiste : quoniam si injuste te levas, mox veræ firmitatis amissa justitia, servus similium juste eris. Verum in æquitatis politia præesse, subesse est ; et qui arrogantia dominatur, justitiam spernit, et vitiis subest. Idcirco depone fastum, tolle nomina dignitatum. Et quid est omnis homo, nisi homo ? Una igitur tantum æquitas est hominem possidendi, voluntas diligendi.

Insuper, contra inordinatum libertatis af- C fectum subjectionisque fugam sic scribit :

Libertas dulcis est incomparabilisque thesaurus, sed non competit æqualiter universis. Plura enim sunt quibus pax, vita securitasque salutis tantum ex debita subjectione contingit : propter quod non aliud est eis vera libertas, quam propriæ libertatis salutaris perditio. Populus quippe quem rector non coercet, libertate perit. Sic et corpus animæ subjectum atque conjunctum vivit, et mox quum ab ea liberatur, exstinguitur. Navis subjecta nautis serva- D tur a fluctibus, a quibus si relinquatur, mox naufraga dissolvetur. His ergo libertas certa est perditionis captivitas : sic et subdito a suo præsidente averso. Sed ex quo naturaliter te delectet libertas, dic, quæso : an ad bene vel male agendum ? Quippe si intendis bene facere, hoc tantum est quod exigit pastor tuus. Ut quid refugis eum ? Si autem sine ratione agere cupis, ipsa tibi erit libertas exitialis servitutis captivitas. Nam malæ voluntati libertas causa peccandi est : qua quidem

ejus consummatur iniquitas, et mox captivitas sequetur. Sic mala voluntas quanto liberior, tanto servilior; quanto potentior, tanto infirmior; quanto sublimior, tanto minor.

Audi ergo consilium meum, et pastori tuo te libenter subjice, ne libere pereas, et ne instar ovis te infernalibus lupis devorandum exponas. Noli appetere cornua, quia qui appetit ea, est fatuus : perdit namque caput discretionis et aures quietæ virtutis. Ecce superbi dum elevantur jactantiæ flatu, ruunt inferius, atque ad ima inferi divinæ ictu justitiæ profundantur. Quamobrem fuge fallax hujus sæculi sursum, et ad verum tende per humilitatem deorsum. Agnosce celsitudinem deceptivam, a sapientibus fugiendam, quiete privatam, securitatisque nesciam, innumeris hinc inde vallatam angustiis. O quam felix est subjectio humilis, jugiter stabilis, undique tuta! Hoc nos docuit Christus : Discite (inquiens) a me quia mitis sum et humilis corde. *Matth.* XI, 29. Qui cum Patre et Spiritu Sancto unus est Creator et gubernator omnipotens, omnium superborum ac sublimium colla propria virtute conculcans, humilitatis amator, ambitionis damnator : qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. *Eccli.* XXIV, 11.

FINIS OPUSCULI CONTRA AMBITIONEM.

DE GRAVITATE
ET ENORMITATE PECCATI

PROŒMIUM

DEUS *solus est, et nemo avertere potest cogitationes ejus. Idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor.* Job XXIII, 13, 15.

Quanto quis divinæ æquitatis rigorem ac propriæ conversationis peccata dili-
gentius clariusque perpenderit, tanto utique formidolosior erit, non ignorans quam hor- *Hebr.* X,
rendum sit incidere in manus Dei viventis, qui per Moysen ait : Non est qui de manu 31. *Deut.* XXXII,
mea possit eruere. Unde cogitationes ejus nemo avertere potest, quoniam quidquid in 39.
se ipso ab æterno disposuit fierique decrevit, nullus poterit impedire, prout ipsemet
Deus gloriosus et sanctus per Prophetam testatur : Consilium meum stabit, et omnis *Is.* XLVI, 10.
voluntas mea fiet. Et rursus : Quis similis mei ? et quis sustinebit me ? et quis est iste *Jer.* XLIX,
pastor qui resistat vultui meo ? Ecce Deus magnus, Deus excelsus in fortitudine sua, et 19. *Job* XXXVI,
nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutari vias ejus ? aut quis ei dicere 22, 23.
potest, Operatus es iniquitatem ? Hinc itaque inflexibilis dicitur Deus : non quod placari non possit, vel ejus providentia rebus necessitatem imponat ; sed quoniam invariabilis, infallibilis atque certissima est dispositio et præcognitio ejus, nec per comparationem ad divinæ mentis æternalem ac providentialem intuitum quidquam casuale est sive fortuitum.

Quo igitur divinorum judiciorum incomprehensibilem et imperscrutabilem altitudinem, nostræ quoque conditionis inexplicabilem fragilitatem ac defectibilitatem, imo et nostræ salvationis incertitudinem sagacius contemplati fuerimus, eo merito humiliores cautioresque erimus, magisque custodite ac timorate coram Deo altissimo incedemus. Ecce enim in medio universi, videlicet in terra hac inter regnum cœleste et chaos tartareum, positi sumus ; et tamen post vitam hanc momentaneam, an ad regnum cœlorum ascendemus, an in lacum inferi descendemus, penitus ignoramus, quippe
qui hoc quoque prorsus nescimus, an odio an amore digni sumus : quum tamen certis- *Eccle.* IX, 1.
sime cognoscamus, quod vel ad felicitatem æternam cœlorum vel ad tormenta perpetua infernorum tandem deducemur. O si cordis nostri palatum hoc ipsum ut dignum est saperet, puto quod nunquam ad inanem resolveremur lætitiam ; non ridere, non jocari, non ludere usquam placeret, sed flere ac pœnitere, ita ut cum beato Job veraciter
fateremur : Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Præinducta nempe *Job* XXXI,
profunde contemplans Psalmista : Venite (inquit) et videte opera Dei terribilis in con- 23. *Ps.* LXV, 5.
siliis super filios hominum. Paulus quoque apostolus : O altitudo (ait) divitiarum sa- *Rom.* XI, 33.
pientiæ et scientiæ Dei ! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles
viæ ejus ! Ipse est Dominus, rex ille omnipotens, in cujus ditione cuncta sunt posita ; *Esther*
qui solus est, ita ut esse ejus tam infinite omni esse creato præemineat, ut respectu XIII, 9. *Job* XIV, 4 ;
ipsius alia universa quasi non esse videantur. XXIII, 13.

Præterea, quum in tanto simus constituti periculo, quid nobis agendum relinquitur, quid remedii exhibetur, nisi ut ea per quæ Deus tam metuendus offenditur, tamque infinibilis damnationis pœna infligitur, puta peccata, vigilantissimo animo evitemus, quemadmodum nos monet Scriptura, dicens, Quasi a facie colubri fuge peccata? Nulla namque nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Denique, ut peccata deinceps cautius declinemus, aliquid de enormitate et nocumentis peccati, Deo agente, intendo conscribere pro animæ tuæ excitatione ac inflammatione, carorum carissime mi frater, optimæ indolis adolescens : quatenus peccati fœditate ac vilitate perspicaciter intellectis, tanta cum diligentia demum fugias vitia, ut taliter merearis a Creatore tuo præveniri ac adornari muneribus gratiæ, qualiter ab eodem præventus et decoratus es donis naturæ.

Eccli. XXI, 2.

DE GRAVITATE ET ENORMITATE PECCATI[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quod sola peccata constituunt rationalem creaturam Deo displicentem, aspernabilem atque odibilem.

QUEMADMODUM nihil desiderabilius est quam Deo placere, atque ab eo amari, reputari, seu honorari ; sic detestabilius, terribilius itemque deterius nihil, quam ei displicere, ab ipso despici ac odiri. Porro, sicut virtutes et actus earum faciunt nos Deo vero placentes, honorabiles et dilectos ; sic habitus vitiosi et peccata reddunt nos Deo displicentes, contemptibiles, odiosos. Ipse etenim universitatis Creator omnipotens, quamvis diligat cuncta quantum ad id quod habent ab ipso, videlicet quoad eorum essentiam, quam incessanter conservat in esse, juxta
Sap. xi, 25. id Sapientis, Diligis, Domine, omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti ; nihilo minus rationales creaturas nonnullas odit quantum ad id quod habent et sunt ex propria voluntate, scilicet quoad iniquitatem et culpam ipsarum, quemad-
Ibid. xiv, 9. modum ait Scriptura : Odio sunt Deo im-
Ps. v, 7. pius et impietas ejus ; itemque : Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quod
Ps. cxviii, 118. autem despiciat eos, testatur qui ait : Sprevisti omnes discedentes a justitiis tuis, quia injusta cogitatio eorum ; et rursus :
Ps. ii, 4, 5. Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos ; tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos. Hoc equidem æquissimo Dei contingit judicio, ut qui Deum superexaltatum ac superdignissimum inhonorant atque contemnunt, propriam voluntatem præferentes divinæ, despiciantur ac deprimantur ab ipso, prout ipsemet protestatur :
I Reg. ii, 30. Quicumque (inquiens) glorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Tales sunt omnes impii et perversi, qui verbum Dei audire non curant, vel auditum adimplere omittunt. De quibus æterna et increata dicit Sapien-
Prov. i, 24-26. tia : Quia vocavi, et renuistis, despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis ; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, quum vobis id quod timebatis advenerit.

Ecce, mi prædilecte, his verbis reprobatur illorum insania qui tardant converti, atque in fine vitæ, articulo mortis jam ingruente, pœnitere ac confiteri proponunt, non advertentes quam horribiliter Deus æternus, judex altissimus, comminetur et asserat se tales tempore mortis subsannaturum ac irrisurum. Denique, sic-
Job xxi, 30, 20. ut sanctus Job ait, in diem perditionis servantur mali, et ad diem furoris ducentur, et de furore Omnipotentis bibent. Si itaque cupis Deo placere, si vereris ab ipso contemni odioque haberi ; declina a ma-

1 Ex editionibus Coloniæ, Melchioris Novesiani, 1530, 1533, 1540.

lo, fuge peccatum, vitia detestare, indesinenter formida summo Judici displicere, *Matth.* x, 28. qui potestatem habet et corpus et animam mittere in gehennam. Considera quantum et quomodo filii hujus sæculi principumque ministri dominis suis placere nituntur, quomodo despici metuunt, quanta agunt ut laudem sortiantur volatilem ac humanam. Unde, si inter filios Dei computari veraciter cupis, erubesce minus conari ad complacendum Deo et ad honorandum ac diligendum ab ipso, quam illi pro humano student favore.

Postremo, sicut ex naturaliter tibi indita probitate, humanitate atque facetia, decenter et morigerate te habes coram hominibus foris ; sic multo amplius coram Deo reverenter ac ordinate te habe intrinsecus, imo intus et foris. Si autem alicui viro honesto locuturus reverenter accedis, caput nudas, et verba tua vigilanter attendis, Deum vero allocuturus orando, psallendo, horas canonicas persolvendo, sine reverentia accedis et inchoas, sine attentione pronuntias : nonne nimium vilipendis ac negligis Deum, homineque mortali ac peccatore inferiorem efficis eum ? Absit a te tanta improbitas, tanta iniquitas, tanta *Eccli.* XVIII, 23. perversitas. Hinc igitur ante orationem et laudem divinam ad devotionem te præpara, corpus quoque et animam Deo sublimi ac superfelici humilia ; exteriores etiam sensus, maxime visum, tempore divinorum præcipue frena, in choro potissimum, sicque coram aliis exemplarem te exhibe cum intima humilitate, absque omni penitus varietate, ad gloriam Dei ædificationemque proximi.

Præterea, si quis sciscitetur cur peccata faciunt creaturam rationalem Deo tam displicentem, despectam, odibilem ; dicendum quod ideo, quoniam sicut similitudo ponitur causa amoris et ratio unionis, sic dissimilitudo asseritur odii, aversionis separationisque causa. Unumquodque autem creatum quantum de entitate, tantumdem de bonitate atque divina similitudine habet. Quum ergo peccatum, quoad suum

A formale, sit nihil et prorsus ruina ac defectus ab esse, puta aversio mentis creatæ a vero bono, et actionis deformitas, innotescit quod nullam cum Deo similitudinem sortiatur, sed dissimilitudinem maximam. Idcirco mentem creatam facit Deo odibilem, displicentem, despectam, et tanto quidem amplius, quo magis peccaverit.

ARTICULUS II.

B *Quod tota moralis sacræ Scripturæ doctrina ad peccati devitationem quodammodo ordinatur.*

In prima sua epistola ait Joannes apostolus : Hæc scribo vobis, ut non peccetis. I *Joann.* II, 1.
Isaias quoque dicit : Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Itaque constat quod puritas seu immunitas a peccato sit omnium documentorum Scripturæ quodammodo finis. Porro in Scriptura divina commemorantur supplicia impiis infligenda, gaudia quoque justis parata, ut C tam suppliciorum terrore quam gaudiorum amore inducamur ad fugam odiumque peccati. *Is.* XXVII, 9.

Insuper, duæ ponuntur quasi partes integrales justitiæ, scilicet, a peccato recessus, et ad virtutem actualis accessus seu operativus ingressus. Unde ait Psalmista : Declina a malo, et fac bonum. Primo equidem necesse est fugere vitia, deinde opera exercere virtutum. Verum hæc duo se invicem frequenter includunt. Duplicia namque sunt divinæ legis præcepta, utputa D affirmativa et negativa. Affirmativa autem obligant semper, sed non ad semper : sicut quum dicitur, Unum cole Deum, parentes honora. Ad hæc enim semper tenemur ; non autem tenemur hæc pro omni tempore actualiter adimplere. Negativa vero præcepta obligant semper, et ad semper : ut quum dicitur, Non occides, non furaberis. Hæc enim præcepta jubent non facere malum, sed declinare ac fugere a peccato : ad quod omni tempore obligamur. Quoniam itaque per præcepta nega- *Ps.* XXXVI, 27. *Deut.* VI, 13. *Exod.* XX, 12. *Ibid.* 13, 15.

tiva præcipimur peccata vitare, peccatum autem universaliter vitare nequimus, nisi etiam debito tempore bene agamus, quemadmodum per præcepta affirmativa jubemur; idcirco in præceptis vitandi peccata includitur jussio bene agendi. Ad quæ quidem duo tendit tota sacræ Scripturæ doctrina. Absolute tamen loquendo, beatifica visio Dei in patria est finis vitandi peccata operandique bona.

Præterea, quoniam proni sumus ad mala, pauperes ac fragiles vehementer, imo et tardi ad bona defectuosique nimis, juxta illud, Sensus et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia sua; hinc quotidiana, frequenti ac mutua exhortatione ad vitandum peccata non mediocriter indigemus, ne per subreptionem, oblivionem, inadvertentiam aut alio modo incidamus peccatum. Propter quod ad Hebræos scribit Apostolus : Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Hæc quoque exhortatio imperfectis ac incipientibus oppido necessaria est, et tanto cuique amplius opportuna, quanto plures habet occasiones peccandi. Unde et tibi amantissimo meo quam maxime eam reor necessariam, qui in medio sæcularium conversaris, inter quos tibi innumerabiles vitiorum occasiones occurrunt ac laquei, in quibus solus Deus te a peccatis potens est præservare.

Gen. VIII, 21. *Hebr.* III, 13.

ARTICULUS III.

Quod gravitas enormitasque peccati pensatur ex sex, in generali loquendo.

QUAM detestanda, enormia, fœda ac vilia sint peccata, præsertim mortalia, ex sex rite perpenditur. Primo et maxime, ex parte Dei, qui peccato inhonoratur atque offenditur. Cujus quanto sublimior est majestas majorque sanctitas, tanto enormius est in eum peccare, ei non obedire, ipsum inhonorare. Ideo Psalmista loquitur Deo : Maledicti qui declinant a mandatis tuis ; et denuo : Qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Porro, quum Deus æternus ac adorandus sit omnino immensæ majestatis, infinitæ sanctitatis, æquitatis et perfectionis, peccatum omne, in quantum contra ipsum et ejus præceptum committitur, infinitam quodammodo enormitatem gravitatemque contrahit. Unde Dominus loquitur impiis : Væ eis, quoniam recesserunt a me ; vastabuntur, quia prævaricati sunt in me. Apud Jeremiam quoque ait Scriptura : Scito et vide quoniam malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem ejus apud te. Nempe, quum Deus sit fons totius salutis, omnisque nobilitatis ac suavitatis origo causalis, constat quod mens creata ab ipso aversa, vera beatitudine spolietur, spirituali gratuita nobilitate privetur, et omni sincera dulcedine denudetur. Idcirco misera fit, ignobilis et amara, et pauperrima revera efficitur, utpote omni spiritualium gratiarum opulentia destituta. Hinc dicitur peccatori impœnitenti : Nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus.

Ps. CXVIII, 21. *Ps.* LXXII, 27. *Osee* VII, 13. *Jer.* II, 19. *Apoc.* III, 17.

Secundo idem perpenditur ex qualitate peccantis. Qui quidem quanto plus obligatur ad æquitatem, et quanto plura beneficia a Deo sortitus est, vel quanto doctior et ad bene agendum potentior fuerit, tanto enormiora redduntur ejus peccata. — Tertio, ex parte materiæ circa quam versatur peccatum : sicut gravius est furari calicem quam catinum, quamvis pretiosiorem, graviusque est peccare in personam hominis quam in ejus substantiam. Gravissima autem sunt peccata in Deum directe commissa, sicut blasphemia, infidelitas, desperatio. — Quarto, ex parte finis quem peccans intendit. Quo enim peccantis finalis intentio deterior fuerit, eo gravius est peccatum. — Quinto, ex parte circumstantiarum, videlicet loci ac temporis. — Sexto, ex ipsa peccati deformitate secundum se et ex propria ratione. Quæ tanto est major ac turpior, quanto virtus

peccato opposita dignior est et pulchrior. Unde sicut amor Dei est virtus altissima, sic odium Dei maximum vitium est.

Itaque ex omni parte multiplicatur et crescit peccati vilitas, fœditas atque enormitas. Ideo S. Gregorius ait : Si sciremus qualiter per unumquodque peccatum vulneratur et fœtet anima, usque ad mortem resisteremus peccato. Et idem : Tolerabilius, inquit, fœtet canis putridus homini, quam peccatrix anima Deo. Eia ergo, carissime, si coram sancto ac præstantissimo Deo viles, fœdi, detestabiles atque ignobiles esse et apparere veremur ac nolumus, si vultum Creatoris nostri a nobis averti horremus, cum omni sollicitudine et puro affectu vitemus peccata : quoniam utique nulla monstruositas, nulla læsio, nulla macula potest in tantum corpus humanum deturpare, inficere, deordinare, vel coram hominum corporeo visu tam detestabile ac deforme ostendere, quantum quocumque peccato mortali anima rationalis deformatur, vilificatur, inficitur, coramque oculis mentis divinæ et angelorum sanctorum turpis ac detestabilis exhibetur. Nam et diabolo similis redditur, atque a fonte lucis aversa, tenebris perversitatis impletur.

ARTICULUS IV.

Quid sit peccatum.

TESTE S. Ambrosio, peccatum est prævaricatio legis divinæ et cœlestium inobedientia mandatorum. Porro, secundum Augustinum, peccatum est, spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere. Et iterum : Peccatum, inquit, est voluntas retinendi vel consequendi quod vetat justitia. Itaque peccatum est divini præcepti transgressio, utpote id quod Deus prohibet agere, vel quod jubet omittere. Unde contra divinam legem cogitare, desiderare, loqui aut operari, peccatum est.

Duo autem considerantur in peccato : A unum quasi formale, videlicet aversio mentis a summo et incommutabili bono, et hoc est in peccato principale ; aliud quasi materiale, puta conversio mentis ad bonum creatum, variabile et caducum. Hinc duo mala correspondent peccato : nam quoad formale ejus, correspondet ei pœna damni, quæ est divinæ visionis carentia ac summa miseria ; sed quoad materiale peccati, correspondet ei pœna sensus, videlicet sensibilis pœna inferni, quæ est punitio ignis æterni.

B Præterea, secundum divinum Dionysium, peccatum est recessus ab ordine, id est a convenienti ac debita habitudine qua mens creata suo Creatori adhærere debet ac subjici. Id namque rectus exigit ordo, ut inferius suo superiori subdatur, ut effectus ad suam causam convertatur, ut creatura intellectualis suo Creatori ut beatificanti principio innitatur. Hoc autem totum peccato subvertitur : quia per ipsum mens creata suo Conditori rebellis est, eique quasi dorsum suum in faciem vertit, C nec ejus auxilio est innitens, sed in viribus suis confidens. (De Divin. nom. c. IV.)

Insuper peccatum est propriam voluntatem præferre divinæ, et propriam libertatem juxta divinæ legis tenorem non refrenare. Unde in omni peccato mortali peccans constituit sibi finem in bono creato, caduco, cui inordinate afficitur et vitiose adhæret, utpote plus quam Deo, quia contra voluntatem et legem ipsius. Hoc vero directe repugnat caritati divinæ, qua Deum super omnia diligere, eique confor- D mari, affici et inhærere debemus ; itemque justitiæ, qua divinis præceptis præ omnibus obedire tenemur. Eapropter, secundum doctores, quidquid directe repugnat caritati qua Deus proximusque diligitur, sive justitiæ, est ex suo genere peccatum mortale. Denique Deo et Ecclesiæ rectæque rationi pariformiter est parendum. Qui ergo præcepta Ecclesiæ non custodit aut rectæ rationi non acquiescit in jussis ac debitis, mortaliter peccat, ut is qui divina præcepta non servat.

Itaque peccatum est divinæ bonitatis A contemptus, divinæ majestatis injuria, divinæ sanctitatis offensio, contra divinam voluntatem rebellio, divinæ sapientiæ derelictio, divinorum beneficiorum ingratitudo, perversæ ac propriæ voluntatis impletio, rationis seductio, infectio animæ, vulneratio virium ejus, turpitudoque mentis, peremptio gratiæ, ablatio caritatis infusæ, laqueus mortis, via damnationis, porta inferni, rete diaboli, imitatio dæmonum, detestatio angelorum, pessima fera, crudelissima bestia, summa malitia, pra- B vitas pura, deformitas maxima, monstruositas quoque turpissima, atque æternæ illius felicitatis amissio deploranda. Postremo, peccatum est id quod maxime displicet Deo, quod summe placet diabolo, quod potissimum nocet cordi humano.

Ecce vides, mi prædilecte, quam odiendum atque vitandum sit peccatum : imo plus quam aliquis nostrum comprehendere valet aut eloqui, odiendum est et jugiter fugiendum. Incessabiliter ergo ac fortiter valde armemus nos et dimicemus C contra hoc malum, contra tam pessimum hostem, contra tam mortiferam læsionem. Porro arma nostra sunt ipsæ virtutes ; et dimicatio nostra sunt actus virtutum, præsertim Dei laudatio atque oratio (quemad-
Ps. xvii, 4. modum scriptum est : Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero), item diligens cordis custodia, et divinam præsentiam considerare, se ipsum in omnibus humiliare, in Deo tota mente sperare, Deum semper timere.

ARTICULUS V.

De enormitate peccati ex parte bonitatis divinæ, cui peccator peccando præfert bonum caducum atque mutabile.

SICUT quarto de Divinis nominibus capitulo egregius ille theologorum princeps, divus Dionysius, edocet, Dei natura est bonitas, haud dubium quin pura, perfecta et infinita. Porro natura entis non potest in ipso esse minorata, sicut in Summa contra gentiles Thomas eleganter deducit. lib. i, c. 28. Idcirco quidquid ad bonitatis plenitudinem, desiderabilitatem, excellentiam pertinet, id divinæ et increatæ bonitati cum infinita perfectione atque immensa et superpræstantissima elegantia competit. Unde Deus supervoluptuosissimus et æternus, est summum, superexaltatum et incomparabile bonum, in quo est universorum bonorum omniumque pulchrorum ac desiderabilium incircumscriptibilis plenitudo, incomprehensibilis et superessentialis perfectio ; a cujus bonitate, amabilitate ac desiderabilitate in infinitum prorsus deficiunt omnium rerum creatarum bonitates, diligibilitates ac appetibilitates. Quum itaque talis et tanta sit bonitas Dei, nonne irrationabilissimum atque insanissimæ prorsus est stultitiæ, aliquam bonitatem seu rem creatam, variabilem et caducam ei præferre, hanc plus amando, quærendo, optando, honorando sive colendo, quam illam quæ est omnis boni idea, exemplar et ratio ? Sed, ut dictum est, in art. præced. peccato mortali bonum creatum, mutabile, dependens et indigens, bono divino, immenso, independenti simpliciterque perfecto præfertur, per inhæsionem finalem et ampliorem affectionem fortioremque conversionem mentis ad hoc bonum creatum. Itaque ex hac parte peccati enormitas magna profecto est et pene ineffabilis ; et ipse peccator inexplicabilem inhonorationem atque injuriam infert superbono, superamabili et superappetibili Deo, cujus D bonitatem in tantum parvi pendit, spernit et abjicit, ut præferat ei bona ista terrena, caduca, mundana, vanissima.

Jam nunc profunde ac sapienter considera ista, mi prædilectissime frater, et respice quam vanæ, perversæ, fœdæ, viles atque stultissimæ sint mentes eorum qui vitiis gulæ et luxuriæ vacant : quoniam alimenta ista carnalia, carnemque mox morituram, fœtentem et sordibus intus repletam, supermundissimæ divinitati et superinfinitæ bonitati Creatoris sui præfe-

runt, prædiligunt, præhonorant. Pariformiter infelices, viles, vani insipientissimique censendi sunt avari, qui argentum et aurum, terram albam et rubeam, quæ non sunt nisi quædam peritura metalla, Deo præponunt ; qui domum, agrum, ceterasque terrenas divitias salutem potius impedientes quam promoventes, superopulentissimo bonorum omnium fonti, summo ac felicissimo præferunt Deo, primo, vero adorandoque bono, infinitis divitiis pleno. Similiter vani, insensati atque miserrimi sunt superbi, ambitiosi, humani honoris, transitoriæ laudis, inanis gloriæ cupidi, qui propriam laudem, venerationem ac gloriam, honori, laudi et gloriæ Dei sublimis et benedicti præponere non verentur ; qui hoc quod soli sancto, summo immortalique debetur, sibi, quum sint vitiosissimi et statim utique morituri, volunt cupiuntque impendi. Unde fures sunt divini honoris, et item sacrilegi, omni confusione atque æterna damnatione dignissimi.

Hinc ergo, mi care, ad hoc bonum æternum, divinum, immensum, semper sit cor tuum conversum, ejus honorem et gloriam semper desidera, ipsum præ omnibus ama, cole et honora, et contra ejus honorem, amorem et cultum, nil terrenum, nil caducum, nil mundanum aut vanum digneris adspicere, amare, requirere, vel tenere, ut vere et digne psallas cum
Ps. LXI, 2, 3. Sancto : Nonne Deo subjecta erit anima mea ? ab ipso enim salutare meum : nam et ipse Deus meus et salutaris meus, susceptor meus ; non movebor amplius. Et
Ibid. 8. quod rursus ibidem Psalmista dicit : In Deo salutare meum et gloria mea ; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. In ipso omne bonum copiosissime invenis. Si potestatem desideras, omnipotens est. Si sa-
Ps. CXLVI, 5. pientiam quæris, sapientiæ ejus non est numerus. Si pulchritudinem appetis, pulchritudinis ejus nullus est finis. Si deli-
Ps. XV, 10. cias cupis, delectationes in dextera ejus usque in finem. Si honorem, laudem, glo-
I Reg. II, 30. riam affectas, ipse glorificantes se glori-
A ficat in æternum. Denique diligentes se Prov. VIII, 17.
diligit, timentes se exaudit, sperantes in Ps. CXLIV, 19.
se salvat. Ps. XVI, 7.

Quemadmodum autem peccatum mortale caritati divinæ omnino repugnat eamque tollit, sic veniale divinæ caritatis fervori et perfectioni adversatur. Ne ergo in nobis amor Dei tepescat aut minoretur, etiam venialia diligentissime (quantum fieri potest) vitemus, deploremus et emendemus, quatenus in Divinitatis sancto amore quotidie ferventiores efficiamur. At ve-
B ro, sicut (juxta inducta) mortale peccatum committitur dum creaturæ magis quam Creatori inhæretur, sic veniale peccatum incurrimus dum rei creatæ inordinate afficimur, tamen citra Deum.

ARTICULUS VI.

De enormitate peccati ex parte majestatis et auctoritatis divinæ, quæ in peccato inhonoratur.

C QUANTO is in quem peccatur majoris est dignitatis, sublimioris auctoritatis eminentiorisque majestatis, tanto peccatum reputatur enormius : ut si quis offendat episcopum, gravius est quam si peccet in simplicem sacerdotem. Quum igitur Deus, contra cujus legem et contra quem omne peccatum mortale committitur, sit prorsus infinitæ majestatis, incomparabilis dignitatis, superaltissimæ auctoritatis ; certissime innotescit quod peccatum ex hac parte sit quodammodo infinitæ enor-
D mitatis, atque incomparabiliter gravius omni offensa in puram creaturam ut in talem commissa.

Rursus, quanto præceptor ac legifer fuerit major atque sublimior, tanto enormius judicatur ejus jussionibus non obedire, ejus mandata negligere. Quum ergo præceptor ac legifer noster sit Deus deorum, Dominus dominorum, Rex regum, et princeps universorum, cui (sicut scri-
ptum est) nullus similis est in legislatori- Job XXXVI, 22.
bus ; de quo item legitur, Dominus judex Is. XXXIII, 22.

noster, Dominus legifer noster, Dominus A rex noster : constat quod sicut ipse est incomparabilis sublimitatis atque incircumscriptibilis majestatis, sic ejus præceptis non obedire, ea parvi pendere, dissimulare, negligere, sit incomparabilis et quasi immensæ enormitatis, perversitatis et impietatis. Nempe, si grave ac nimis iniquum est, patri carnali, mortali et peccatori non obedire, non acquiescere, non deferre honorem : nonne impiissimum est,
Hebr. xii, 9. Patri spirituum, Creatori æterno, sancto, omnipotenti immortalique Deo non obe- B dire, acquiescere et deferre? Ipse equidem
Ps. cxliv, 3. est ille magnus Dominus et laudabilis nimis, cujus magnitudinis (id est perfectionis, dignitatis et gloriæ) non est finis; quem ipse quoque Porphyrius, magnus Platonicus, appellat regem ac patrem deorum, quem et ipsa numina perhorrescunt : quod in libro de Civitate Dei Augustinus a Porphyrio dictum frequenter commemorat.

Denique, quum lex evangelica ab ipso Dei unigenito Filio, vero utique Deo, im- C mediate collata sit, jussa atque proposita; constat eam diligentissime observandam, ita ut multo enormius sit eam prævaricari, quam fuerat olim legem Moysis trans-
Galat. iii, 19. gredi, quæ a Deo proposita est populo, mediantibus angelo ac Moyse. Hinc quippe
Hebr. x, 28, 29. ad Hebræos ait Apostolus : Irritam quis faciens legem Moysis, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, D et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

Præterea, post cœnam illam sanctissimam novissimam, Christus passioni jam proximus, in ipsa nocte qua tradebatur
Joann. xv, 22. inter cetera dixit Apostolis : Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Quoniam ergo Christus Dominus, rex Messias, jam venit, atque in
Hebr. i, 2. propria persona locutus est patribus nostris et nobis per ipsos, enitamur ei in omnibus obedire : alioqui peccata nostra erunt vehementer enormia. Heu! quare negligimus? cur inerti torpore deprimimur? cur vitiorum sopore tabescimus?

Ista, mi amantissime, profunde considera, vigilanter perpende, jugiter intuere; et superexaltati illius universorum Dominatoris offensam abhorre, inhonorationem devita, mandata custodi. Ipse est enim cui (teste Scriptura) exercitus cœli cum reverentiali timore adsistit; cujus iræ nemo resistere potest, sub quo curvantur qui portant orbem; ad cujus nutum columnæ cœli contremiscunt et pavent. Ecce enim cœlum et cœli cœlorum, abyssus universaque terra, et omnia quæ in eis sunt, in conspectu Dei commovebuntur : et tamen insensatum cor hominis non formidat, et ejus offensam non metuit, qui nullum peccatum relinquit inultum, ac pro uno mortali peccato æternum infligit tormentum. II Par. xviii, 18. Job ix, 13. Ibid. xxvi, 11. Eccli. xvi, 18. 20. Job xxiv, 12.

ARTICULUS VII.

De enormitate peccati ex parte sanctitatis atque justitiæ mentis divinæ.

CONSTAT omni menti bene dispositæ peccati labem tanto amplius displicere, quanto fuerit ipsa sanctior magisque justa. Quoniam ergo mens divina, summa ac adoranda, est puritatis, æquitatis et sanctitatis penitus infinitæ, imo puritas superessentialis, immensa, sanctitas idealis, in se subsistens, incircumscripta, æquitas exemplaris, fontana; certum quod ipsa peccati deformitatem, impuritatem et maculam infinito detestetur odiatque abominatu ac odio, prout Moyses loquitur : Aversatur Dominus omnem impietatem *. Hinc igitur sortitur peccatum tortuosissimam atque gravissimam enormitatem, quod est contra divinæ mentis supermundissimam sanctitatem, et interminabilem ejus justitiam. Ipse quoque peccator, qui id amat, eligit, agit, amplectitur, continet, quod Deus usque adeo odit, reprobat ac repellit, infinitam quodammodo deformitatem displicentiamque Dei immensam incurrit. Deut. xxv, 16. *injustitiam

Denique, quo Deus est sanctior ac justior, eo peccati turpitudo atque deformitas ei est dissimilior. Est autem Deus (ut dictum est) sanctitatis atque justitiæ perfectionaliter illimitatæ. Idcirco peccatum mortale infinitam dissimilitudinem habet a puritate sanctitatis et rectitudine æquitatis Dei altissimi. Hinc quoque in infinitum elongat a Deo : quia, ut nono de Civitate Dei fert Augustinus, nulla est a Deo alia longinquitas quam ejus dissimilitudo. Quumque dissimilitudo causa sit displicentiæ, aversionis ac odii, peccatum mortale æternam ac infinitam meretur displicentiam, aversionem et odium Dei. Ideo æternam meretur damnationem. Unde in infinitum dicitur gravius veniali peccato.

Præterea, quo fuerit aliquid alicui magis naturale, placitum atque conveniens, eo illius oppositum est illi magis contrarium, disconveniens ac displicens. Sanctitas autem Deo glorioso ac summo in tantum est naturalis, quod ipse est substantialiter sanctus, non per aliquod additamentum : ita ut idem omnino sit illi esse et sanctum esse, in tantum ut ejus sanctitas sit ejus essentia. Et ejus essentia est sanctitas supermundissima, simplicissima simpliciterque perfecta, omnis virtutis ac puritatis, primordialis, finalis et honorabilissima ratio. Sanctitas quoque est Deo convenientissima et maxime placita. Ipse namque sanctimoniam requirit ac diligit ; et sanctitati digne jugiterque intentos, sibi familiares, intimos atque carissimos efficit. Elucescit ergo, quod peccati impuritas sit Deo in infinitum contraria, disconveniens et displicens. Ideo
Ps. v, 5, 6. cantat Psalmista : Mane adstabo tibi, et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es, neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. — Simile argumentum est de peccati enormitate ex consideratione divinæ justitiæ : quæ prorsus immensa est, omnisque rectitudinis virtuosæ infallibilis regula inflexibilisque mensura, quoniam justus Dominus, et justitias dilexit, æquitatem videt vultus ejus. De quo legitur : Ps. x, 8.
Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens ; justæ et veræ sunt omnes viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te et magnificabit nomen tuum ? Apoc. xv, 3, 4.

Itaque, quo in æquitate et sanctitate amplius crescimus, eo Creatori, Salvatori et Judici nostro similiores et cariores efficimur. Quo autem vitiis plus fœdamur ac vincimur, tanto dissimiliores ei odibilioresque invenimur, qui ad hoc venit per Incarnationis mysterium in hunc mundum, ut serviamus ei in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris ; qui Luc. i, 74, 75.
etiam ineffabili caritate atque piissima dignatione ad suæ sanctitatis imitationem nos invitat, dicendo : Nolite contaminare animas vestras, ego enim sum sanctus Dominus Deus vester ; sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Lev. xi, 43, 44.

Ecce, mi prædilecte, si ista profunde, frequenter stabiliterque perpenderis, puto quod utique peccati fœditatem, immunditiam, enormitatem odies ac vitabis ; ad confessionem quoque sacramentalem, in qua (secundum Scripturas) omnia lavantur, frequentius festinabis ; insuper in præsentia supersanctissimi Dei et coram oculis suæ immensæ justitiæ justius, sanctius atque sincerius conversari conaberis. Ps. xxxi, 5 ; Prov. xxviii, 13.

ARTICULUS VIII.

De enormitate peccati ex consideratione caritatis divinæ, qua Deus prævenit prædilexitque nos.

PRÆTEREA, quo quis alium in dilectione liberalius copiosiusque prævenerit, eo decentius ac justius est eum cordialiter redamare, et eo perversius quoque eum non redamare ; perversissimum vero est etiam eum odire, abjicere, spernere, seque ab ipso prorsus avertere, præsertim si constet dilecto a diligente ita se diligi. Itaque, ut iniquitatum nostrarum abominandas ac maledictas malitias efficacius

atque sincerius cognoscamus, diligentissime contemplemur quantum et qualiter (Ps. xxiv, 8.) Deus noster dulcis et rectus prævenerit nos in amore, nec tantum in amore, sed in amore liberalissimo, mere gratuito, purissimo, æterno, dignissimo.

Et quidem in primis hoc certum est, quod nullus amator creatus tantopere nos dilexerit aut diligat, etiam nec parentes, (Ps. lxxxv, 5.) ut Deus noster suavis et mitis. Nempe ex suo æternali ac præveniente ad nos amore, quum nihil essemus, creavit nos, imo (Gen. i, 26.) ad sui ipsius imaginem similitudinemque plasmavit nos. Divinus etenim amor non reliquit Deum sine germine esse. Insuper non dumtaxat naturalibus donis, sed supernaturalibus quoque muneribus nostram naturam multiformiter decoravit. Nam et protoplastos nostros parentes in originali justitia condidit, in paradiso constituit, cunctis hujus mundi viventibus prætulit, eosque, si non peccassent, de paradiso ad regnum transtulisset cœleste sine media morte. Quod totum posteritati eorum conferre disposuit, nisi illi egissent inique. Unde, quamvis tot tantisque bonis simus privati, nihilo minus Deum sic amare debemus ac si eis non privati essemus, quoniam non ex parte Dei privatio contigit.

Præterea, quoniam proprius amoris effectus est unio, itemque communio (amor quippe amato nectit amantem, et bona amantis communia facit amato); si ergo rite ac digne optamus agnoscere qualiter nos Deus noster dilexerit, intueamur qualiter ipse se nobis ac nostræ naturæ conjunxerit. Ecce etenim nonne ipse Unigenitus Dei, Deo Patre volente et Spiritu Sancto cooperante, nostram naturam suæ divinitati univit unione hypostatica, immediata, summa ac intima, qua major aut dignior esse nequivit? Quoniam ergo tam summe ac intime se nostræ naturæ conjunxit, constat quam summe nos præamavit, præsertim quoniam in natura assumpta nobiscum tanto tempore conversari (Joann. iii, 16.) dignatus est. Sed et ipse Pater æternus sic dilexit nos, ut Filium suum unigenitum daret, ut ait evangelista Joannes. Qui rursus hortatur : Carissimi, diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. (I Joann. iv, 19.) Insuper mentes nostras incessanter sibi conjungit per supernaturalia dona, videlicet, per gratiam gratum facientem, per actualem Spiritus Sancti motionem, per fidem, spem, caritatem, ceterasque virtutes infusas et actus earum. Præterea Deus noster omnia sua, imo se ipsum nobis communicare paratus est. Nam oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis (Is. lxiv, 4; I Cor. ii, 9.) comprehendere valet quæ Deus suis electis paravit. Etenim se ipsum præparavit eis in præmium : quia ad sui ipsius felicissimam visionem atque dulcissimam fruitionem creavit nos. Et hæc est liberalissima Dei dilectio, quod dando nobis sua dona, simul cum ipsis donis largitur nobis se ipsum, ut ipsum vere, æternaliter atque feliciter habeamus, possideamus, inspiciamus, fruamur. Postremo, in tantum nos diligit, ut per Salomonem testatus sit : Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. (Prov. viii, 31.)

Nunc ergo, carissime mi, sapienter intende quam enorme, perversum ac indecens sit, hunc talem ac tantum amatorem non redamare, negligere, offendere, parvi pendere, spernere aut odire. Qui autem peccat, vult utique quod Deus non vult; et quod Deus vult, ipse non vult. Non ergo veraciter diligit Deum : quoniam amicorum est eadem velle et nolle. Spernit quoque vilipenditque Deum, cujus præcepta non curat : et ita se prorsus ab ipso avertit, et tam superclementissimo, munificentissimo ac superaltissimo amatori nullam rependit vicem, sed pro bonis retribuit mala, et odium pro amore; Deum quoque, qui se tam familiarem exhibuit sibi, contemnit. Hinc itaque, prædilecte, Deum sincere ac intime diligamus, toto cordis ardore feramur in ipsum, nostrum affectum suæ supersanctissimæ voluntati semper in omnibus conformemus; quod ipse odit, odiamus, et omne bonum et honestum jugiter amplectamur.

ARTICULUS IX.

De enormitate peccati ex parte beneficiorum Dei.

PALAM est ingratitudinem divino atque humano judicio plurimum reprobari. Quo autem quis alteri plura ac potiora beneficia dederit, tanto iniquius est vicem non rependere, ingratum esse et immemorem; iniquissimum vero est, etiam mala pro bonis exhibere. Insuper, quanto beneficia benefactoris diutius continuantur, frequentius iterantur, liberalius multiplicantur, quo etiam benefactor fuerit altior atque dignior, beneficiatus vero inferior, tanto amplior debet gratitudo adesse, graviusque peccatum committitur dum beneficiatus benefactori ingratus seu inobediens reperitur. Ut igitur nostræ ingratitudinis et inobedientiæ ac peccati malignitas, et item perversitas, clarius pateant, cordialius defleantur, sollicitius emendentur ac caveantur, pensemus munificentiam et beneficia Dei nostri ad nos.

Ps. xcix, 3. Et quidem in primis, ipse fecit nos, et non ipsi nos. Quidquid habemus et sumus, ab ipso processit atque suscepimus: corpus et omnia membra ejus, animam quoque rationalem et universas ejus potentias. Si unum nobis membrum aut potentia animæ una deesset, puta pes, manus, oculus, aut voluntas: quantum contristaremur? quantum eum amaremus cujus pietate et ope recuperaretur et redderetur nobis quod defuit? Cur igitur Deum liberalissimum et beneficentissimum non amamus? cur ei gratias non agimus? cur inobedientes, perversi atque ingrati ei esse non veremur, qui nobis omnia nunc præfata ab exordio nostræ generationis largitus est sine meritis nostris ac precibus? Nonne ipsum esse omnibus est naturaliter amabile, prout libro de Civitate Dei pulchre disserit Augustinus? Porro a Deo, esse, vivere, sentire, moveri, ratiocinari et liberum esse communicata sunt nobis; a conceptionis nostri initio usque in A præsens ab innumerabilibus periculis nos præservavit; angelum sanctum unicuique pro custode delegavit continuo; ad sacrum nos Baptisma perduxit, in Baptismo ab omni nos peccato purgavit, gratia atque virtutibus perornavit; peccantibus nobis exuberanti pietate pepercit; hucusque conversionem nostram præstolari dignatus est; et non dubium quin jam multos de sæculo isto tulit æternaliterque damnavit qui minus peccaverunt quam nos, et tamen adhuc jugiter emendationem nostram B incomprehensibili exspectavit clementia. Numquid parva aut parvi pendenda sunt beneficia ista? Nonne Deus incessanter benefacit ac subvenit nobis? Ipse equidem in esse conservat nos et omnia quæ habemus; ipse nos vestit ac pascit quotidie; pœnitentibus mox indulget, gratiam quoque amissam et virtutes retribuit; ad bona aliqua nos quotidie excitat ac deducit; per sacram Scripturam omni tempore nos informat; insuper æternam, supernaturalem plenissimamque beatitu- C dinem nobis spopondit ac præparavit.

Ecce, mi amantissime, quanta perversitas, ingratitudo, enormitas est, hunc supersublimem, effluentissimum, indeficientissimum, superbonum benefactorem offendere, abjicere, non curare, non considerare! Ad hæc convenit te vigilanter perpendere singularia beneficia tibi a tuo Creatore collata, qui te donis naturæ non mediocriter decoravit in corpore atque in anima. Etenim quum (juxta Augustinum libro de Civitate Dei) ingeniosum nasci D felicitatis sit, et (teste eodem) corporis pulchritudo et facundia dona Dei sint, quamvis his plurimi abutantur; ad quantam gratiarum actionem ac obedientiam obligatus sis Deo prudenter perpende, non inaniter gloriando, vel te alicui præferendo, aut aliquem aspernando, sed peccata tua amplius aggravando, exuberantius deplangendo, demumque sollicitius præcavendo, divinum quoque judicium vehementer timendo, quoniam (sicut Christus protestatur) cui multum datum est, mul- Luc. xii, 48.

tum quæretur ab eo. Imo quo tibi plura A a Deo bona perpendis collata, eo in ejus amore amplius debes accendi, perfectius subdi, gratior atque humilior inveniri. Ecce habes a Deo dona naturæ, bona fortunæ, fructus Ecclesiæ : nonne ergo magna et gravia nimis sunt tua peccata, ea præsertim quæ non proveniunt ex infirmitate humana aut ignorantia, sed quæ nosti esse illicita ? Vide igitur quam Deo de omnibus his redditurus sis rationem.

Postremo, enormitas peccatorum nostrorum vehementissime aggravatur ex parte B beneficiorum Christi, puta eorum omnium quæ pro nostra salute ipse assumpsit, fecit et passus est. Nonne etenim infinita est nostra perversitas, ingratitudo, impietas, dum unigenitum Filium Dei inhonoramus, relinquimus, spernimus, qui pro nostra liberatione se ipsum tam ineffabiliter exinanivit, divinitatis suæ altitudinem usque ad nostræ naturæ parvitatem misericordissime inclinavit; qui inter homines tot annis conversari dignatus est, in tanta humilitate, paupertate, patientia, C tribulationibus, persecutionibus, tentamentis ; qui jejunando, discurrendo, prædicando, flendo, orando, tantum pro nostra laboravit salute ; qui (ut Matthæus refert) in cœna novissima corpus suum et sanguinem dedit ineffabili caritate discipulis, nobisque quotidie dignantissime tribuit ; qui postremo acerbissimam atque turpissimam pro nobis pertulit mortem, tanta quoque pro nostra conversione ad fidem et gratiam fecit per sanctos Apostolos aliosque electos miracula ? D

Philipp. II, 7.

Matth. XXVI, 26-28.

Adhuc autem, quo quis alium plus honorat, eo iniquius est eum non rehonorare : imo pravissimum est eum etiam inhonorare, præsertim si auctoritate et virtute præstantior sit. Quoniam igitur per præmemorata beneficia tam naturalia quam supernaturalia, præcipue per Verbi incarnationem et humanitatis suæ glorificationem, Deus genus humanum tam inexplicabiliter honoravit ; qui etiam quosdam hominum præelectorum tam excellentissima potestate, sanctitate et gratia adornavit, nosque vermiculos vocare dignatus est (imo et fecit) filios suos, heredes atque amicos, insuper ad summi cœli splendidissimam aulam, angelicæ quoque beatitudinis æqualitatem, provehere repromisit : nonne ineffabiliter enormia sunt nostra peccata, quibus Deum tam benignissimum inhonoramus, offendimus, aspernamur ?

Nunc itaque, prædilecte, Deum in omnibus toto cordis zelo colamus ac veneremur, et quidquid valemus, ad ejus reverentiam peragamus ; nec tamen aliquid dignum nos agere arbitremur, sed quod plus facere non valemus, cordialiter doleamus : quoniam sicut ipse est immensæ majestatis, ita est infinita reverentia dignus.

ARTICULUS X.

De enormitate peccati ratione divinæ præsentiæ omnia intuentis.

HOC præterea auget gravitatem peccati accumulatque contemptum mentis nostræ in Deum, quod in conspectu atque præsentia Creatoris, Salvatoris ac Judicis nostri peccare audemus. Ipse etenim Deus noster omnipotens universa præterita, præsentia et futura, clarissime, æternaliter et infallibiliter contemplatur, pensat, discernit, quemadmodum sanctus Job profitetur : Nonne Deus considerat vias meas, et Job XXXI, 4.
omnes gressus meos dinumerat ? Et denuo loquens Deo : Posuisti (inquit) in nervo Ibid. XIII, 27.
pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Unde apud Jeremiam habetur : Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi ; magnus consilio et Jer. XXXII, 18, 19.
incomprehensibilis cogitatu, cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas. Nonne judex terrenus, homo mortalis, reputaret grandem sibi injuriam contumeliamque inferri, si quis subditorum suorum in ipsius præsentia et adspectu

transgrederetur ejus præceptum ? Quanto magis summo, cœlesti æternoque Judici magnam irrogamus inhonorationem atque injuriam, dum in ejus adspectu, qui vere ubique præsens, imo præsentissimus est, universaque implet, dijudicat, ponderat, peccare non formidamus ?

Hinc igitur, mi amande, divinam semper præsentiam cogita, divini vultus adspectum honora, divinæ mentis puritatem ubilibet venerare ; et quod coram homine honesto ac probo agere verecundareris, coram Deo altissimo agere erubesce : imo coram sanctitatis ejus præsentia cogitare aut desiderare non audeas quod coram viro bono ac sapiente loqui metueres. (I *Reg.* xvi, 7.) Deus quippe intuetur intima cordis ; et quod hominibus sunt verba oris, hoc Deo sunt cogitationes cordis ; rursus, quod terreno judici sunt opera exteriora penes quæ judicat, hoc Deo metuendo ac justo sunt desideria ipsa interna, qui affectum pro effectu seu opere recipit. Nimis infelix, vilis atque injustus est, qui hominum magis quam Dei honorat præsentiam metuitque judicium. Non ergo id tibi, carissime meus, unquam conveniat ; sed illud sancti Eliæ ubique et semper mente revolve : (III *Reg.* xvii, 1.) Vivit Dominus, in cujus conspectu sto hodie. Itaque, sicut ait Boetius, (De Consolat. lib. v, pros. 6.) magna nobis indicta est bene agendi necessitas, quoniam ante oculos Judicis cuncta cernentis omnia agimus.

ARTICULUS XI.

De enormitate peccati ex parte peccantis.

HUCUSQUE de enormitate peccati tractatum est ex parte Dei : in quem omne peccatum committitur mediate vel immediate. Quamvis enim quædam peccata dicantur esse in Deum, quædam in proximum, quædam in se ipsum, puta in ipsum peccantem, eo quod quorumdam vitiorum immediata materia proximumque objectum sit Deus (ut sunt ea quæ virtutibus theologicis directe sunt contraria), A quorumdam proximus, quorumdam ipse is qui peccat ; nihilo minus omne peccatum in Deum est, qui omne peccatum detestatur, prohibet, punit. Lege quippe divina omne prohibetur aut dissuadetur peccatum. Nunc itaque exigit ordo et de peccati enormitate aliquid fari ex parte peccantis, et hoc quantum ad homines.

Primo igitur peccati enormitas potest attendi ex nostra inferioritate. Quo enim quis subditus legislatori ac præceptori minor atque inferior est, eo debet esse humilior, itemque subjectior. B Unde gravior quoad aliquid videtur esse contemptus, si ipse legislatori seu superiori rebellis sit, quam si major ipse esset, aut major eo id faceret. In ordine autem intellectualium substantiarum homo ipse ultimum locum sortitur. Nonne ergo Legislator ille superaltissimus, Deus sanctus, adorandus, immensus, indignari plurimum potest, dum videt nos viles vermiculos, lutea vasa portantes, vanitati ac cineri comparatos, infinitis vitiis in anima et corpore plenos, C suis non obedire præceptis, suam majestatem inhonorantes, suorum beneficiorum non recordantes, omni hora ipsum incessabiliter offendentes, suis exhortationibus quas per suos facit ministros non acquiescentes, suam quoque præsentiam non curantes ? Præterea, ex hac nostræ parvitatis ac vilitatis consideratione etiam nos ipsi nostros in Deum excessus vehementer exaggerare, aggravare, detestari atque deflere, et item nos ipsos aspernari, reprobare et castigare debemus, eo quod nos D pauperrimæ, miserrimæ ac vilissimæ creaturæ, mox morituræ, imo quotidie morientes, Dominum Deum nostrum, Deum supersublimem ac infinitum, Deum omnipotentem, supergloriosissimum, superessentialem, toties et tam graviter inhonoravimus, offendimus, sprevimus, et quotidie offendere non cessamus. Ecce nos pulvis et cinis, nos putredo et vermis, qui velut (*Job* xiv, 2.) flos egredimur et conterimur, qui fugimus tanquam umbra, et nunquam in eodem statu manemus, contra Regem regum, con-

tra Principem universorum, contra Creato- A rem mundi superlaudabilem, invariabilem et superexaltatum, qui est simplicissimus, purissimus, supersplendidissimus ac supersanctissimus spiritus, tam frequenter tamque enormiter prævaricati sumus et incessanter peccamus. Quid igitur inanissime gloriamur? Quid vanissime superbimus? Cur nos non humiliamus, aspernamur, deflemus, et castigamus nos ipsos jejuniis ac flagellis, vigiliis, orationibus, ceterisque pœnitentiæ actibus? Itaque nobis ipsis jugiter displiceamus, et coram B supermundissimo Deo animas nostras indesinenter profundissime humiliemus, neminem alium contemnentes.

Secundo, peccati enormitas ex parte peccantis, pensatur ex superioritate peccantis, utpote ex prælatione ac præsidentia ejus. Quo enim qui peccat major est prælatus, princeps, seu judex, vel officialis, eo ad ampliorem obligatur justitiam, caritatem exemplaremque vitam : præsertim quum (teste Philosopho) judex et præsidens debeat esse quasi viva lex et æquitas C animata. Unde peccata ejus enormiora redduntur, præsertim si in spiritualibus præsit et prædicationi ac doctrinæ intendere habeat. Unde quod homini simplici esset veniale, aut simplex peccatum mortale, talibus fit mortale, et nonnunquam etiam dupliciter multipliciterque mortale.

Tertio, peccati enormitas quoad peccantem, accipi potest ex parte gradus vel ordinis ejus qui peccat : quemadmodum gravius est peccatum sacerdotis, magistri sive doctoris, quam idiotæ ac laici. — Quarto, D ex parte scientiæ ejus qui peccat. Cujus quo major fuerit litteratura, eo fit gravior ejus culpa, semper ceteris paribus, Chri-
Luc. XII, 47. sto protestante, qui ait : Servus sciens voluntatem domini sui et non faciens, plagis vapulabit multis ; Jacobo quoque aposto-
Jacob. IV, 17. lo, qui ait : Scienti bonum facere et non facienti, peccatum est illi. Etenim, sicut
II *Petr.* II, 21. princeps asserit Apostolorum, melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum reverti. — Quinto, ex parte virtutis. Quo enim homo in ampliori interdum perfectione vixit et spiritualior fuit, eo (si ad vitam revertatur carnalem) abominabilior demonstratur ac vilior, semper ceteris paribus. Tales sunt
qui quum spiritu cœperunt, carne con- *Galat.* III, 3.
summantur. — Sexto, ex parte status aut professionis : ut si religiosus apostatet, aut regulam non observet; in quo contra justitiam agens, mortaliter peccat. — Septimo, ratione voti, aut simplicis promissionis. Votum quippe, ut dicunt doctores, plus obligat juramento, ita ut perjuro probetur deterior voti transgressor. — Octavo, ex parte beneficiorum peccanti datorum :
quia, ut dictum est, quo plura ac potiora art. IX.
quis desuper beneficia est sortitus, eo enormiora sunt ejus peccata. Unde quo Deus peccantem diutius atque benignius ut convertatur exspectat, eo damnabiliora ejus peccata redduntur. — Nono, ex assidua peccandi consuetudine, quæ indurationem ac obstinationem inducit : quia, ut
Salomon scribit, impius quum in profun- *Prov.* XVIII, 3.
dum peccatorum venerit, contemnit. — Decimo, ratione ætatis. Idem namque peccatum in senioribus vituperabilius quam in junioribus judicatur. — Undecimo, ex facilitate non peccandi seu resistendi peccato : quemadmodum in hominibus bonæ indolis gravius est peccatum quam in pronis ad vitia. Propter quod quartodecimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Primum præceptum in paradiso tanto majori injustitia violatum est, quanto faciliori posset observantia custodiri. In peccatis autem eorum qui bonæ sunt indolis, est majus de voluntario, quoniam ab intrinseco minus impelluntur ad mala : ideo, ceteris paribus, gravius peccant, præsertim quum et Dei beneficiis infeliciter abutantur, et ingratiores sint Creatori.

Ex his unusquisque vitiorum suorum enormitatem perpendat : quoniam in quibusdam omnia vel pene omnia ista peccatum gravantia concurrunt; in quibusdam autem multa, in aliis pauciora.

Tibi autem carissimo meo ultimum ho-

rum singularissime considerandum propono, ne præclaræ tuæ indolis bonitate damnabiliter abutaris, sed digno conatu virtutibus tanto vigilantius insistas quanto facilius virtuosus effici vales. Quod si feceris, devotissimus et Deo gratissimus eris. Si vero te ipsum neglexeris, et vitiis locum præstiteris, magna vehementer erit iniquitas atque damnatio tua. Unde secundo de Civitate Dei dicit Augustinus : Si quid in te laudabile naturaliter eminet, non nisi vera pietate (id est cultu divino) purgatur atque perficitur ; impietate autem disperditur et punitur.

Postremo, in omnibus præinductis aggravatio ipsa peccati intelligenda est ceteris paribus.

ARTICULUS XII.

De enormitate peccati ex parte materiæ circa quam versatur, seu objecti.

art.præced. Ut tactum est jam, quædam peccata dicuntur esse in Deum, quædam in proximum, quædam in se ipsum ; certumque est peccata in Deum esse gravissima, loquendo in genere. Nunc quoque tractatum est de gravitate peccati ex parte Dei. Quemadmodum autem peccata in Deum feruntur gravissima propter bonitatem, majestatem, sanctitatem, caritatem ac beneficentiam ejus ; sic quanto proximus in quem peccatur, fuerit Deo similior, tanto enormiora erunt peccata.

Unde enormitas peccati in proximum primo attenditur ex parte auctoritatis, dignitatis ac potestatis ejus in quem peccatum committitur. Qui quanto majoris fuerit auctoritatis seu potestatis, tanto gravius est in eum peccare : sicut apparet in peccatis contra summum Pontificem aut episcopum factis, et in crimine læsæ majestatis. Hinc in patrem spiritualem, Dei vicarium, pastorem seu prælatum peccare, est multum enorme, quum sit potissimum contra caritatem quæ illis debetur, et justitiam, per quam illis reverentia et obedientia sunt exhibendæ. Propter quod de talibus Christus loquitur : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Luc. x, 16 Moyses quoque ad rebelles ait Israelitas : Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum. Exod. xvi, 8. Hinc itidem ad Romanos docet apostolus Paulus : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Rom. xiii, 1, 2. Non est enim potestas nisi a Deo ; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt : itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit ; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Secundo pensatur enormitas peccati in proximum ex parte propinquitatis : quemadmodum gravius est fratrem carnalem occidere, aut propriam sororem violare ; gravissimum vero in parentes peccare, quum filius sit de illorum substantia natus, et quasi aliquid eorum. — Tertio, ex parte beneficiorum quæ peccans a proximo in quem peccat suscepit. Sic rursus grave nimis est in parentes impie agere, a quibus proles adepta est esse, alimentum, custodiam et doctrinam ; item, in magistros, quibus honor debetur et amor : imo, secundum Philosophum, magistris ac parentibus non potest reddi æquivalens. Ideo scriptum est : Quam malæ famæ est qui relinquit patrem ! Eccli. iii, 18. et est maledictus a Deo qui exasperat matrem. — Quarto, ex parte bonitatis, virtutis seu sanctitatis ejus in quem peccatur : qui quanto melior, justior, sanctior fuerit, tanto iniquius est in eum peccare. Sed et eruditis ac sapientibus specialis honor debetur : hincque irreverentia seu injuria ipsis irrogata amplius aggravatur. — Quinto, ex parte status, gradus seu ordinis. Unde in spirituales, claustrales et religiosos peccare, specialiter est enorme. — Sexto, ratione ætatis. Senioribus namque reverentia major debetur, et in ipsos peccare, gravius esse censetur. Hinc siquidem ait Scriptura : Coram cano capite consurge, et honora personam senis. Lev. xix, 32. — Septimo, ex parte simplicitatis ac innocentiæ vel etiam stoliditatis ejus in quem impie agitur : qui quanto innocentior fuerit atque simplicior, tanto crude-

lius est in eum delinquere. Simili modo A si fuerit usu rationis privatus penitus, aut certe partim. Talibus quippe sunt major compassio et subventio impendendæ. Idcirco pro grandi malo fertur in libro
Job XII, 4. Job : Deridetur justi simplicitas. — Octavo, ratione caritatis itemque fiduciæ quas habet is in quem peccatur, ad eum qui peccat in ipsum. Siquidem quo quis amplius diligit aliquem et magis confidit in ipso, tanto gravius est in ipsum peccare, injuriam inferendo, nocendo, fallendo. Un-
Ibidem. de apud Job legitur : Qui deridetur ab B amico suo, invocabit Dominum, et exau-
Eccli IX, 14. diet eum ; et in Ecclesiastico : Ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non
Job XXXVI, 13. erit similis illi. Hinc simulatores et callidi provocant iram Dei. — Nono, ex parte imperfectionis cujuslibet, seu monstruosita-
Lev. XIX. 14. tis. Unde in Levitico jubetur : Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum. Tales ergo deridere aut lædere, est vehementer impium ac crudele. — Decimo, ex parte impotentiæ, parvitatis atque inopiæ ejus in quem peccatur. Ideo C impotentes, abjectos, egenos opprimere, persequi, spoliare aut lædere, est valde
Prov. XIV, 31. enorme. Hinc Salomon ait : Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus. Et
Deut. X, 18. Moyses : Dominus (inquit) facit judicium viduæ et pupillo, amatque peregrinum. Unde de talibus præfato modo injuriam
Jacob. V, 4. passis scriptum est : Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. — Undecimo, ex parte contrarii eventus proximi in quem peccatur. Hinc desolatis, afflictis, tentatis tribulationem adjicere injuriam- D que inferre, plurimum grave est; quum talibus consolatio debeatur, sicut beatus
Job XXX, 25. Job se fecisse testatur, dicens : Flebam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur
Ibid. XXIX, 25. anima mea pauperi. Et alibi : Quum sederem (inquit) quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. Idcirco monet nos quoque Sapiens :
Eccli. VII, 38. Non desis plorantibus in consolatione ; et
Rom. XII, 15. Apostolus : Flere cum flentibus.

Ex his considerare quilibet valet enormitatem suorum peccatorum in proximum, quantum est ex parte proximi in quem delinquit. Generaliter quoque, quo majus nocumentum aut malum quis peccando intulerit proximo, eo gravius peccat, ceteris paribus. Ideo virginem deflorare, multum enorme est. Detractio quoque, quæ tollit bonam famam, argento et auro præferendam, et seminatio discordiæ, quæ dilectionem, auro et argento ac famæ præponendam, aufert aut minuit, sunt peccata prorsus enormia, et furto utique graviora. Iterum, quo materia peccati fuerit Deo magis consecrata, eo major fit culpa : ut si quis bona Ecclesiæ, ornamenta utensiliaque altaris furetur aut rapiat, vel velatam seu voto castitatis adstrictam illegitimo modo cognoscat.

Postremo, tuæ industriæ, o dilecte, erit enormitates peccatorum tuorum in proximos quoquam modo commissorum sapienter pensare secundum considerationes prætactas, eademque digne corrigere, diligenter in posterum declinare, et ad unumquemque te ordinate habere, secundum conditionem, statum vel qualitatem ipsius, quemadmodum ad Romanos docet Apostolus : Reddite omnibus debita : cui timo- Rom. XIII, 7.
rem, timorem ; cui honorem, honorem.

ARTICULUS XIII.

De enormitate peccati ex parte circumstantiarum ac finis.

PRÆTEREA, nomen circumstantiæ in actu virtutis originaliter sumitur a circumstantia secundum locum. Quemadmodum enim id localiter rem circumstat, quod eam attingit et tamen ei extrinsecum est ; sic conditiones actuum humanorum quæ ipsos actus concernunt et tamen extra eorum substantiam sunt, circumstantiæ appellantur : sicut in prima secundæ, quæstione septima, Thomas scribit. art. 1.

Sunt autem circumstantiæ septem : quæ versu hoc continentur :

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, [quando.

Pensandum est namque quis fecit, quid egit, quibus subsidiis operatus est, quo loco, quo tempore, quo fine, et qualiter. Sed quoniam a fine accipit actus speciem, et ipsum opus est de substantia actus ; idcirco, quod finis et opus circumstantiæ nominantur, non est intelligendum de fine principali, et actu quantum ad id quod est, sed de aliquo fine adjuncto, et quadam proprietate circa opus seu actum.

Harum circumstantiarum potissima est, *cur*, id est, quo fine quid factum sit : idcirco, quo aliquid fit fine magis illicito ac perverso, eo peccatum amplius aggravatur. Et si quis opus suum ordinet ad plures fines prohibitos, quanto fuerint fines plures ac perversiores, eo fit major peccati enormitas : ut si quis furetur, ut voluptati gulæ ac venereorum possit vacare, ad mundanos quoque honores pertingere. Præterea, si opus fuerit de genere bonorum, si tamen finis ejus sit vanus et pravus, ipsum erit illicitum : ut si quis oret, jejunet, eleemosynam faciat intuitu laudis humanæ.

Itaque, quoniam (teste divino Dionysio) bonum est ex integra causa, concurrentibus videlicet omnibus virtutum circumstantiis jam prætactis, defectus vero seu malum ex cujuslibet circumstantiæ omissione contingit; ideo peccati gravitas tanto fit major, quanto plures circumstantiæ deseruntur, et quanto ab ipsa virtutis convenienti circumstantia magis receditur. Hinc ergo non jam dumtaxat doleamus quod ea quæ in se vitiosa absoluteque mala sunt fecimus, vel agenda omisimus, sed etiam quia peccavimus tempore magis indebito, loco magis prohibito, fine multum perverso, auxilio inhonesto, et modo prorsus incongruo, utpote intimorate ac irreverenter omnino. Considerandum quoque quoties et cum quali persona, cum quali etiam scandalo proximi ; itemque cum quanta voluntate peccandi : quo enim voluntas peccandi, puta ipsa volitio mali, est magis intensa, eo est gravior culpa. Similiter nos considerare convenit et oportet in bonis quæ agimus, an debito loco et tempore apto sint facta, cum recta quoque intentione, ac reverenter. Gravius nempe est tempore cultus divini, ac festis diebus, et in ecclesia, præsertim in choro, mente vagari, confabulari, circumspicere, vitiisque intendere.

De Divin. nom. c. IV.

A

Bona ergo quæ agere obligaris, cum præinductis virtutum circumstantiis, quantum tibi possibile est, care mi, adimplere coneris, et peccatorum tuorum gravitatem ex omnibus nunc præfatis peccatum gravantibus vigilanter consideres.

B

ARTICULUS XIV.

De fugibilitate, odibilitate et deformitate peccati secundum se.

QUONIAM Deus, qui peccato inhonoratur, infinitæ honorabilitatis, amabilitatis pulchritudinisque consistit, peccatum infinitæ fugibilitatis, odibilitatis et deformitatis esse censetur : quippe quod divinæ
C voluntatis sanctitati ac æquitati omnino displicet et contrariatur. Hinc pro nulla re, nullo timore damni, periculi seu tormenti, nullo amore commodi, prosperitatis aut gaudii peccatum committi debet sive admitti, secundum legem divinam : imo potius debet homo mortem gravissimam sponte subire quam minimum peccatum veniale incurrere. Idcirco qui adulatione aut comminatione, qui humano favore ad peccatum inducitur, imperfectum satis se esse declarat. Denique mi-
D nimum malum culpæ, hoc est minimum peccatum, fugibilius ac odibilius est quocumque malo pœnæ, seu quovis supplicio, etiam infernali quantum ad id quod mere supplicium est. Pro nullo ergo tormento, damno incommodoque vitando, peccandum, sed potius debet homo omnem pœnam velle ferre quam Deum offendere. Nam Deum offendere, est Deum, puta immensum bonum, amittere, ejusque supersanctæ voluntati propriam directe opponere.

Nunc ergo, mi præamande, considera quanta sit eorum perversitas et a vera perfectione distantia, quorum tota affectio die ac nocte tendit ad ea quæ lege prohibentur divina; qui blandiendo, dando, currendo, laborant eas ad suum consensum allicere cum quibus suam expleant immundissimam voluptatem; qui student in hoc mundo prosperari, honorari, ditari. Stet ergo inflexibilis mentis nostræ status; nec prosperis extollamur, neque adversis vincamur; nec timore humanæ offensæ, increpationis vel confusionis a via justitiæ corruamus; mortem animæ, id est peccatum, incomparabiliter magis quam mortem corporis formidemus.

ARTICULUS XV.

Contra eos qui amplius timent, vitant et odiunt malum pœnæ quam malum culpæ.

TIMOR est fuga seu detestatio mali. Quo ergo quid pejus est, eo fugibilius et fortius detestandum esse convincitur, quum malum sit timoris objectum. Porro jam patuit quod malum culpæ sit fugibilitatis immensæ. (art. præced.) Malum autem pœnæ, seu ipsa peccati punitio, vel quæcumque adversitas afflictiva, non est in se absolute malum aut simpliciter fugiendum; sed a Deo juste infligitur, estque ad deletionem peccati et gratiæ infusionem in sæculo isto proficuum, in purgatorio quoque delet peccati reatum, in inferno autem est divinæ justitiæ opus et culpæ ordinativum, quamvis sit ipsi damnato nocivum.

Quum ergo hæc ita se habeant, quam imperfecti, viles et pueriles exsistunt, qui in vita hac potius timent et fugiunt justam pro peccatis suis punitionem, increpationem, confusionem, quam ipsam peccati fœdissimam deformitatem, divinæ sanctitatis offensam ac Dei altissimi inhonorationem ! Isti sunt inordinati ac miseri, in quibus divino amori præponderat amor privatus, in quibus major est timor servilis quam filialis; qui plus honorant ac metuunt adspectum judiciumque humanum quam divinum, non verentes agere Deo præsente ac intuente, quod homine judice conspiciente operari formidant. Hi de proprio magis tristantur temporali seu corporali incommodo, damno atque supplicio, quam de Dei offensa, de gratiæ amissione, de animæ suæ læsione. Isti appropinquante aut imminente humano examine atque judicio, emendationem quamdam prætendunt ac simulant; sed eo qui timebatur absente et in brevi ad judicandum ac puniendum non redituro, vivunt ut ante.

Eia ergo, mi prædilecte, Deum sincerissime formidemus, malum culpæ incomparabiliter odiamus, justam punitionem in hoc sæculo cordialiter affectemus hilariterque feramus, damnum animæ seu peccatum magis quam temporalium rerum amissionem aut corporis afflictionem fidelissime defleamus. Postremo hæc omnia implere poterimus, si illud Salomonis efficaciter attendamus : Fili, honora Deum, et valebis ; præter eum vero ne timueris alienum. (*Prov.* VII, 1, juxta LXX.) Hinc rursus ait Scriptura : Qui timet Deum, nil trepidabit. (*Eccli.* XXXIV, 16.) Qui timet hominem, cito corruet. (*Prov.* XXIX, 25.) Non quod superiores nostros nequaquam metuere debeamus, quum Petrus dicat apostolus, Servi, subditi estote dominis vestris in omni timore ; (I *Petr.* II, 18.) sed quod timendi non sunt ut homines, sed ut Dei vicarii ac ministri, ne propter eorum timorem Deum in aliquo offendamus. Pro gratia adipiscendi perfectionem in isto articulo jam descriptam, misericordissimum Deum indesinenter cordialiterque exora.

ARTICULUS XVI.

Quomodo diversi diversis ex causis atque motivis vitant peccata.

PRÆTEREA, sunt qui a vitiis retrahuntur solo servili timore, hoc est pœnarum formidine, non æternæ felicitatis affectu, neque ipsius Dei sincero amore. Isti

quamdiu hujusmodi sunt, nihil merentur. A Tamen hujusmodi timor ad caritatem gratiamque disponit in eo quod retrahit a peccato. Nil quippe meritorium est vitæ æternæ Deoque gratum ac placitum, nisi ex caritate Dei procedat atque amore justitiæ fiat, dicente Augustino vicesimo primo de Civitate Dei : Vitia laboriosa difficultate vincuntur, neque id fit veraciter ac sinceriter, nisi delectatione veræ justitiæ. Qui præfato modo declinant a malo et facere bona quædam videntur, sunt servi mali ac infideles : quoniam manet in eis affe- B ctus peccati et complacentia mali. De tali genere servorum ait Salvator Apostolis :
Joann. xv. 15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus; et rursus:
Ibid. viii, 35. Servus non manet in domo in æternum.

Porro alii vitant peccata spe præmii desiderioque felicitatis æternæ. In istis non est amor Dei perfectus et omnino sincerus, quoniam ad se ipsos reflectuntur, proprium commodum cogitantes ac intuentes, et de retributione seu præmio multum se occupantes. Imo si hi proprium C commodum magis quam Dei honorem adspiciant et affectent, si ex privati amoris affectione potius quam ex divinæ caritatis motione ad opera bona inducantur, nihil merentur, et puri mercenarii nominantur. Nihilo minus licet mercedis intuitu felicitatisque cœlestis affectu Deo servire, sic ut honor Dei proprio præmio præferatur, ipsumque beatitudinis præmium quod optatur, ad Dei honorem ac gloriam ordinetur : quod qui fecerit, non erit mercenarius tantum, sed insuper et amicus, D quoniam Deum atque justitiam præ omnibus amat. Isti nondum perfecti, dicuntur initialem seu mixtum habere timorem : quoniam a peccato se abstrahunt, virtutibus quoque insistunt, partim timore supplicii gehennalis, vel etiam præsentis ac temporalis, partim spe præmii supercœlestis. Verumtamen amor Dei in eis præponderat privato amori, et Dei honorem ac gloriam principaliter finaliterque desiderant : ideo sunt in statu salutis ac gratiæ.

Insuper alii recedunt a vitiis et faciunt bona solo Divinitatis amore ac divini honoris zelo sincero, tota mente ad Deum ardenter conversi, nihil utique cupientes nisi ut Deus gloriosus ac sanctus in omnibus honoretur ac diligatur; præmium vero non cogitant neque inspiciunt, quia ad se ipsos non reflectuntur, imo sibi ipsis totaliter moriuntur, ut Deo purissime vivant, quemadmodum contestatur Apostolus : Vivo (inquiens) jam non ego, vivit vero in me Christus. Galat. II, 20. Præterea, si hi vicissim præmium cogitent et affectent, non erit hoc per inordinatam reflexionem ad se, sed per caritativam relationem ad Deum, et ob hoc quod Dei voluntas est ut æternam felicitatem desiderent, quatenus in bono confirmati, Deoque feliciter perfruentes, perfectissime vacent honori, dilectioni ac laudibus ejus : sicque præmii amor caritatis perfectioni non repugnabit. Isti sunt amici ac filii Dei, quorum mentes in ipsum caritatis divinæ zelique justitiæ sincerissimum affectum conversæ sunt. Et hi ubique et semper virtuose se habent, quoniam ratio bene agendi est in ipsis uniformis, pura ac stabilis, utpote ipsemet Deus, amor ipsius, justitiæ zelus, Divinitatis præsentia, puritatis dilectio, ingens divini honoris affectus, complacentia boni honesti omniumque virtutum.

Nunc ergo, mi frater prædiligende, vitia fuge, bona exerce potius ex purissimo Dei amore, æquitatisque zelo ac puritatis affectu, quam pœnarum formidine, vel mercedis intuitu. Et si nondum perfectionem hanc attigisti, ora Deum pro ea ; interim vero fuge peccata, saltem æternæ damnationis timore, cœlestisque beatitudinis dilectione.

ARTICULUS XVII.

Quod peccati enormitatem in hac vita plene comprehendere non valemus.

QUEMADMODUM vicesimo primo de Civitate Dei loquitur Augustinus, ideo pœna æterna quæ pro temporali peccato

infligitur, dura et injusta sensibus videtur humanis, quia in hac vita mortali deest nobis ille altissimæ atque purissimæ sapientiæ sensus quo sentiri possit quantum nefas in prævaricatione committatur. Jam quippe multipliciter est ostensum peccati enormitatem tanto consistere ampliorem, quo major est Dei bonitas, cui in peccato res caduca præfertur; itemque quo sublimior Dei majestas atque auctoritas, quæ per peccatum inhonoratur; quo etiam major est sanctitas Dei et æquitas, quæ peccati fœditatem abominatur; itemque quo major est caritas Dei ad nos, et quo plura ac potiora sunt ejus beneficia super nos. Quoniam itaque divinæ bonitatis immensitatem, divinæ majestatis incircumscriptibilem sublimitatem, divinæ sanctitatis et æquitatis mundissimam infinitatem, magnitudinem quoque divini amoris beneficiorumque ejus super nos in hac carne mortali comprehendere non valemus, imo nec satis limpida acie contemplari; certum opinor quod peccati enormitatem plene in hoc statu cognoscere nequaquam possumus. Hinc viri perfecti atque sancti, quanto in sæculo isto Deum sincerius atque sublimius contemplabantur, et ea ex quibus peccati enormitas perpenditur ac gravatur (de quibus jam scripta sunt plura), mente divinitus plus illustrata et uncta diligentius intuebantur, eo se ipsos amplius despexerunt, humiliaverunt, castigaverunt, peccataque sua, etiam minima ac venialissima, vehementissime ponderaverunt, planxerunt ac correxerunt.

art. v et s.

A B C

Denique unum peccatum aggravatur ex alio. Quum ergo cogitationum, affectionum, locutionum, commissionum et omissionum nostrarum peccata sint adeo multa, saltem venialia, quod mentis nostræ cognitionem ac numerum superant et evadunt; certum est quod vitiorum nostrorum enormitatem intelligere non possumus nisi ex gratia valde singulari utcumque. Ideo scriptum est: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Hinc utique quid-

Ps. XVIII, 13, 14.

quid adversitatis evenerit nobis, merito cum omni gaudio patientissime sustineremus pro peccatis nostris occultis, latentibus, multis ac magnis. Sed quoniam peccatorum nostrorum enormitatem non ponderamus, non satis humiliamus coram Deo cor nostrum; nec in adversis gratias agimus Deo, qui quos amat, arguit et castigat, sed impatientia victi, ad inordinatam tristitiam ac pusillanimitatem prolabimur.

Apoc. III, 19.

Amplius, cetera paulo ante descripta peccatum gravantia tam ex parte peccantis, et objecti seu materiæ circa quam versatur peccatum, quam finis ac circumstantiarum, sunt tot et tanta in speciali, quod nemo nostrum omnia ea cognoscere potest distincte. Ideo peccatorum nostrorum gravitatem plenarie intelligere non valemus. Sed nos ipsos in infinitum humiliare debemus, divinamque jugiter invocare clementiam, atque in sola Dei misericordia respirare, dicentes cum vero pœnitente: Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem; et rursus: Iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, et peccata nostra creverunt usque ad cœlum.

art. XI-XIII.

Ps. XXXIX, 13. I Esdr. IX, 6.

Postremo, etsi impietatum nostrarum enormitates plene comprehendere nequeamus, tamen quod vere tam incomprehensibiliter sint enormes, clarissime innotescit ex pœna illa infernali acerbissima, sempiterna, quam justus Deus pro uno mortali infligit peccato: qui tamen etiam in inferno misericordiam miscet justitiæ, puniendo citra condignum. At vero tanta est peccati mortalis quantumcumque parvi enormitas, quod nulla creatura est Deo tam cara in toto universo mundo, quin eam odiret æternaliterque damnaret pro uno peccato mortali, si finaliter deprehenderet eam in illo. Adhuc, tanta est peccati enormitas, quod facit peccantem Deo eatenus displicentem, ut omnium bonorum quæ ante peregit, Deus ipse non recordetur, sicut in Ezechiele Dominus justus judex testatus est: Si averterit se justus a justi-

D

Ezech. XVIII, 24.

tia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ quas fecerat non recordabuntur. Ita- I Cor. x, 12. que qui stat, videat ne cadat; nemo securus Prov. xxviii, 14. est, et beatus homo qui semper est pavidus. Amplius, quam incomprehensibilis sit peccati enormitas hinc potest attendi, quod pro humani generis peccato satisfacere illudque auferre nulla pura creatura fuit idonea, sed ipsummet Unigenitum Dei, verum immensumque Deum, decuit et modo quodam oportuit incarnari, et pro hominum redemptione a peccati reatu pati ac mori.

Si ista, mi amantissime, rite pensaveris, peccata abhorrebis, deflebis ac fugies, teque coram divinæ majestatis præsentia timorate habebis.

ARTICULUS XVIII.

De diversis effectibus ac nocumentis peccati.

CAUSÆ contrariæ contrarios solent habere effectus. Peccata autem vitiosique habitus virtutibus et earum actibus contrariantur. Quemadmodum ergo gratia naturam perficit, sic peccatum ignobilitat, lædit ac inficit eam. Et sicut virtutes ac dona Spiritus Sancti vires animæ reddunt ad bene agendum expeditas ac faciles, a ratione quoque et Spiritu Sancto bene prompteque mobiles; sic peccata et habitus vitiosi vires præfatas a bonis retardant, ad bona agenda infirmas efficiunt, ad mala pronas constituunt, ad diabolicum instinctum passionumque impetum assequendum faciles reddunt. Hinc Hugo in libro de Arca Noe : Animam (inquit) divino desertam auxilio quæcumque tentatio impetierit, subvertit. Beda quoque testatur, quod homo in peccata ruens, spoliatur gratuitis, et vulneratur in naturalibus.

Ut itaque ordinatus fiat processus, dicendum quod peccatum mortale primo spoliat mentem gratuitis, gratia gratum faciente, caritate infusa, ceterisque virtu-
A tibus quantum ad hoc quod sunt meritoriæ in agendo, septem quoque donis Spiritus Sancti.

Secundo, maculat animam : quæ maculatio gratuitorum spoliationem concomitatur, estque amissio spiritualis pulchritudinis ac nitoris. Nam sicut in corporalibus macula est perditio propriæ pulchritudinis ac nitoris ex contactu alicujus immundi, ita in spiritualibus ponitur macula pro amissione spiritualis nitoris. Anima autem duplicem sortitur nitorem. Unus est
B luminis naturalis, seu rationis ; alius est divinæ illuminationis per gratiam. Porro dum anima inferioribus, terrenis atque carnalibus rebus inhæret, agit utique contra lumen naturalis rationis et gratiam divinæ illustrationis : sicque spiritualis nitor, quantum ad lumen naturale, minoratur et offuscatur ; sed quoad lumen gratiæ, omnino aufertur.

Tertio, per peccatum minoratur ac læditur naturalis inclinatio ad virtutes : nunquam tamen totaliter tollitur quantum ad
C suam radicem, quoniam naturam rationalis creaturæ concomitatur. Quod vero divinus ac sanctus Dionysius asserit quarto capitulo de Divinis nominibus, bonum naturæ seu naturalia etiam in dæmonibus integra perseverare, intelligendum est de ipsa intellectualium creaturarum essentia naturalibusque potentiis, non de inclinatione prædicta.

Quarto, peccatum ad pœnam perpetuam obligat : sicut de impiis ait Judas in sua Canonica, quod procella tenebrarum con- Judæ 13.
D servata est eis in æternum. In Apocalypsi quoque legitur : Cruciabitur iniquus igne Apoc. xiv, 10, 11. et sulfure, et fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum.

Quinto, peccatum conscientiam ipsam amaricat : quia, ut Sapiens ille scriptum reliquit, semper præsumit sæva perturbata Sap. xvii, 10. conscientia. Unde et amicorum Job quidam asserit : Sonitus terroris semper in Job xv, 21. auribus impii. Ideo loquitur Jeremias : Amarum est te reliquisse Dominum Deum Jer. ii, 19. tuum. Peccatum quippe conscientiæ parit

remorsum, quia synderesis remurmurat malo. Hinc gaudium spirituale et pax interna ac vera et ordinata lætitia in impiis locum non habent.

Sexto, peccatum mentem indurat, ita quod compunctionis et gratiæ receptiva non est, nec intima ejus verbum Dei ingreditur, sed bonis ac salutaribus rebus resistit, nisi Deus omnipotentiæ suæ clementissimam gratiæ opem impendat corque mollificet. Idcirco in Proverbiorum libro asserit Salomon : Impius quum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Et apud Isaiam Dominus ait vitiis habituato et malo : Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. Isti sic indurati, non erubescunt de malo : imo lætantur quum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis. Unde de talibus Jeremias testatur : Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Quo enim quis gravius, diutius atque frequentius peccat, eo ratio ejus amplius excæcatur. Et quanto plus ratio excæcatur, tanto plus errat, sumendo mala pro bonis, falsa pro veris, nociva, vana et vilia, pro salubribus et fixis ac pretiosis.

Prov. XVIII, 3. — *Is.* XLVIII, 4. — *Prov.* II, 14. — *Jer.* III, 3.

Septimo, peccatum facit peccantem insensibilem quantum ad ea quæ sunt suæ salutis : ideo verba Dei non sapiunt ei, nec proprium sentit periculum. Hinc quibusdam Moyses in Deuteronomio dicit : Non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possint audire. Nempe, ut in Actibus scriptum est, hujusmodi auribus graviter audiunt, et oculos suos comprimunt ne convertantur et vivant.

Deut. XXIX, 4. — *Act.* XXVIII, 27.

Octavo, peccatum interficit animam : quoniam vitam gratiæ tollit ab ea, et vera vita, quæ Deus est, privat eamdem ; estque peccator velut cadaver putridum, fœtens, turpissimum coram Deo. Hinc in Apocalypsi legitur : Nomen habes quod vivas, et mortuus es : non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. Peccatum quoque, secundum Augustinum, annihilat, quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines peccando : non esse naturæ, sed gratiæ, amittendo.

Apoc. III, 1, 2.

Nono, peccatum unum disponit ac trahit ad aliud, ita quod sequens peccatum, est peccatum et pœna peccati. Est namque peccatum in se ; et per respectum ad peccatum præcedens, est pœna peccati : quia præcedentis peccati demerito meretur peccator a Deo relinqui, sicque diversa incidit vitia. Unde, juxta Gregorium, peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, suo mox pondere trahit ad aliud.

Decimo, peccatum bona meritoria ante peracta facit infructuosa, et a gloria regni cœlestis excludit, quemadmodum scriptum est : Tollatur impius ne videat gloriam Dei.

Is. XXVI, 10, juxta LXX.

Undecimo, de membro Christi facit membrum diaboli : siquidem per caritatem Christo incorporamur ; sed per peccatum mortale caritatem perdendo incorporamur diabolo, qui est injustorum caput princepsque.

Duodecimo, hominem, qui esse debet templum Dei, facit inferno consimilem. Sicut enim in inferno sunt ignis et frigus, fœtor, caligo, vermis, confusio, sitis, odiumque boni honesti ; ita in peccatore est ignis iræ, impatientiæ, avaritiæ, frigus invidiæ, fœtor luxuriæ, vermis conscientiæ, sitis concupiscentiæ, inordinatio atque perversitas animi, detestatio quoque virtutum.

Tertiodecimo, hominem facit instabilem. Peccator namque omni vento passionum, tentationum ac vitiorum prosternitur, agitatur et circumfertur, quemadmodum scriptum est : In circuitu impii ambulant. Sunt enim tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ, eo quod corda eorum non sint per vigorem virtutum summo et incommutabili, uni, vero ac simplicissimo bono infixa : ideoque in rebus creatis vagantur, menteque dividuntur, et inordinatissime afficiuntur. Unde in Threnis loquitur Jeremias : Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.

Ps. XI, 9. — *Ps.* I, 4. — *Thren.* I, 8.

Insuper, sicut esca in hamo decipit pi-

scem, sic peccatum fallit peccantem : quia A dum vane impieque delectat, ad tristitiam sempiternam perducit. Hinc quartodecimo de Civitate Dei asserit Augustinus : Dicere possumus omne peccatum esse mendacium : non enim peccamus nisi ea voluntate, ut bene sit nobis ; et tamen hinc male est nobis. Rursus peccatum assimilat peccantem serpenti, qui graditur super pectus et comedit terram : sic peccatores terrenis inhærent, et eis se satiare laborant. Peccatum quoque peccantem fatuum esse demonstrat : quia peccando B quisque se ipsum magis magisque onerat, gravat et opprimit ; ligna quibus in inferno cremetur, sibi supra dorsum ponit et colligit ; ipsi etiam servit qui nihil nisi ejus æternam damnationem requirit, tantoque eum gravius cruciabit quanto sibi plenius servit.

Insuper peccatum veram libertatem tollit, atque miserrimam efficit servitutem : quia, ut apud Evangelistam Salvator testatur, omnis qui peccat, servus est peccati. *Joann.* VIII, 34. Propterea quarto de Civitate Dei Augusti- C nus fatetur : Bonus etiam si serviat, liber est ; malus autem etiam si regnet, servus est tot dominorum quot vitiorum. Itemque quartodecimo de Civitate Dei : Arbitrium hominis tunc vere est liberum, quum vitiis peccatisque non servit. Salomon quoque in Proverbiorum libro protestatur : Justitia elevat gentem, miseros facit populos peccatum. *Prov.* XIV, 34. Si enim pœna facit hominem miserum, multo amplius culpa : tanto utique amplius, quo detestabilior est culpa quam pœna. Unde tertiodecimo de Trini- D tate Augustinus : Velle, inquit, quod non decet, miserrimum est. Et denuo : Sola mala voluntate quisque miser efficitur ; sed miserior potestate qua desiderium malæ voluntatis impletur. Et quia peccator vanis inhæret, peccatum finaliter eum qui peccat inanem vacuumque relinquit, dicente Apostolo ad Romanos : *Rom.* VI, 21. Quem fructum habuistis tunc in illis (scilicet in peccatis, quando peccastis) in quibus nunc erubescitis ? nam finis illorum mors est.

Præterea peccatum præcipue gravat peccatorem tempore mortis : facit enim eum dolere de temporalium rerum (videlicet deliciarum, divitiarum, honorum quoque sæculi hujus) quas inordinate dilexit, amissione ; facit quoque eum timere de divini judicii districtione, infernali punitione, et dæmonum occursione, qui tunc potissime nituntur peccatorem ad desperationem ac alia mala inducere. Tuncque dolet iniquus quod tempus suum tam infructuose ac vitiose expendit et perdidit ; sed hæc est pœnitentia sera. Ad hæc autem post mortem peccata ineffabiliter gravant injustos : quoniam coram justo Dei judicio ostendunt eos confusione ac pœna æterna dignissimos, merenturque audire verbum illud terrificum : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Matth.* XXV, 41. Participatione suffragiorum Ecclesiæ spoliant reprobos ; irreparabiliter quoque tenent eos a summo bono et fonte felicitatis aversos.

Postremo, sicut peccata nocent exsistentibus in peccato, ita gravant et eos qui pœnitendo a peccatis se retrahunt. Primo, quia gloriam primæ innocentiæ nunquam recuperant : sicut semel corrupta nunquam erit virgo. Secundo, quia peccata ad temporalem obligant pœnam, videlicet dignam satisfactionem. Tertio, quia retardant a gloria, quam pœnitens non intrabit, donec ab omni reatu maculaque purgatus, ad baptismalem redeat puritatem. Quarto, quia tempus amissum atque præteritum, cum quo sibi præmium conquirere potuit, nunquam recuperabit. Frequenter quoque contingit, quod peccator pœnitens ex pristinorum vitiorum suorum reliquiis manet tepidior in affectu, ad fastidium boni proclivior, ratione obscurior, ad bene agendum debilior, ad resistendum malis fragilior. Eapropter undecimo de Civitate Dei Augustinus disseruit : Mens nostra, cui ratio et intelligentia naturaliter inest, vitiis quibusdam tenebrosis ac veteribus invalida est, non solum ad inhærendum Deo fruendo, sed etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem

renovata ac sanata, fiat tantæ capax felicitatis.

Ex quibus patescit quam insipienter se habeant qui tardant converti, et dicunt se velle post certum tempus omnino converti, interim in suis vitiis permanentes. Non enim rite perpendunt quanta interim damna, nocumenta, pericula incidant.

Proinde peccatum semper pluribus nocet. Primo, ei qui peccat. Secundo, proximis, et toti Ecclesiæ : quia interim proximus scandalizatur, et ipsa Ecclesiæ acies ad standum contra diabolum quodammodo minoratur ac infirmatur in eo qui impie conversatur. Tertio nocet in purgatorio constitutis : quoniam non juvantur tam efficaciter ab injustis sicut a bonis. Quarto nocet damnatis : quia quo plures in infernum descendunt, tanto est illic major horror, ululatus ac cruciatus. Siquidem ibi locum non habet quod dicitur : Solatium est misero socium habere miseriæ. Quinto nocet quodammodo Beatis in patria, per modum subtractionis : quo etenim copiosior est numerus Beatorum, eo præmium accidentale fit majus ex societate felici, uno de felicitate alterius gloriante.

Postremo, ex recidivatione in pristina vitia incurrit peccator plurima mala ac damna. Nam culpa fit gravior ad dimit-
Jer. II, 36. tendum, Jeremia testante : Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas ! Vulnus quippe iteratum difficilius tardiusque sanatur. Deus quoque fit difficilior ad placandum ; diabolus, fortior ad possidendum : quemadmodum Christus in Evangelio
Luc. XI, 26. ait, quod tunc vadit diabolus et assumit alios septem spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi, fiuntque novissima hominis illius pejora prioribus. Peccatum etiam fortificatur ad prævalendum rationis judicio, sicut de se loquens asserit Augustinus : Plus valebat malum inolitum quam bonum insolitum. Demum et ipse peccator fit impotentior ad surgendum.

Ecce, mi præcarissime, quanta et quam ineffabiliter mala incurrit homo peccando. Et utique, si ista peccati nocumenta legendo et cognoscendo, vitam non corrigis, peccata non detestaris, puritati coram Deo non instas virtutum ; inexcusabiliter culpabilis comprobaris, neque naturalem egregiæ tuæ indolis probitatem id aliquo condecet modo.

Elucescit autem ex his, quam vere ab Augustino dictum sit duodecimo de Civitate Dei : Peccatum nocet naturæ, et per hoc contra naturam est : quo tamen vitio magna multumque laudabilis ostenditur ipsa natura. Cujus enim recte vitium vituperatur, procul dubio natura laudatur : nam recta vitii vituperatio est, quod illo dehonestatur natura laudabilis.

ARTICULUS XIX.

De nocumentis et effectibus peccati venialis.

QUIBUSDAM satis videtur, si a mortalibus peccatis abstineant, infernaliaque tormenta evadant. Unde venialia vitare non enituntur, nec diligenti cordis insistunt custodiæ, nec ad perfectionem feruntur ; sed cum quadam mediocritate Deo servire contenti sunt, non cum metu, *Philipp.* II,
tremore atque timore suam ipsorum operantes salutem juxta apostolicum documentum. Isti sunt plurimum imperfecti, et sæpenumero damnabiliter fallunt se ipsos ac pereunt, non attendentes peccatorum venialium nocumenta, et quod mortale nequeat evitare, qui venialia abjicere non conatur, Salomone dicente : Qui spernit *Eccli.* XIX,
modica, paulatim decidit. Unde, secundum Hugonem, talium conversatio est plerumque periculosior quam eorum qui graviter peccant : non quod in se ipsa deterior sit, sed quia interdum difficilius convertuntur, et non putantes se in peccatis esse mortalibus, mortalibus contabescunt. Hinc, secundum Gregorium, aliqui in peccatis minoribus tanto periculosius jacent, quanto illa minora sunt. His quippe timendum est valde quod in Apocalypsi loquitur Christus : Scio opera tua, quia nec frigidus es, *Apoc.* III, 15, 16.

nec calidus. Utinam frigidus esses, aut calidus. Sed nunc quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

Ut ergo, mi amantissime, ad plenissimam emendationem te dones, et minora sicut majora vites peccata, de venialium peccatorum nocumentis atque effectibus modicum tangam.

In primis igitur, Gregorio teste, sicut peccatum mortale obtenebrat, sic veniale mentem obscurat, et quodammodo maculat. Internam namque animæ pulchritudinem minuit, rationisque lumen partim offuscat, sicut et modici pulveres in oculum corruentes. — Secundo, veniale peccatum ad pœnam obligat, vel in præsenti, vel in purgatorio aut in inferno luendam : nullum enim malum relinquitur impunitum. Sed pœna pro veniali in hoc mundo perpessa aut patienda, quasi incomparabiliter minor est pœna illa quæ in purgatorio ei debetur. In inferno autem, propter mortale cui adjunctum est, æternaliter puniri asseritur. — Tertio, veniali potestas animæ ad bona lassatur ac retardatur, quoniam aliqualiter onerat eam. — Quarto, fervorem caritatis diminuit, sicut modica aqua in ignem projecta, ignis minuit caliditatem. — Quinto, veniale perfectionis adeptionem tanto plus impedit quanto minus vigilanter vitatur ac deploratur. Idcirco et multi religiosi ad veram perfectionem parum propinquant, vel nunquam attingunt, quoniam venialia cum incessabili diligentia non declinant, nec mentem suam in divinæ æternæque lucis præsentia semper timorate constituunt, imo facilius ad inania resolvuntur. — Sexto, familiaritatem mentis cum Deo, spiritualemque illam secretam consolationem Spiritus Sancti et gustum bonitatis divinæ non modice impedit, nisi quis quotidiano fervore venialia ista deploret, castiget, exstirpet. — Septimo, retardat a gloria, quam nemo ingreditur nisi ab omni venialium culpa pœnaque plene mundatus. — Octavo, sicut in præsenti caritatis fervorem perfectionisque incrementum diminuit, ita

A in patria felicitatis præmia aliquo modo minorat : non illa quæ jam caritati et bonis debentur operibus, sed quæ deberentur si venialia non fierent, quia tunc opera ex ferventiori caritate procederent. — Nono, venialia ad mortalia prædisponunt, nisi digne jugiter emendentur. — Decimo, facit tempus infructuose ac negligenter expendi, possentque maxima bona fieri interim dum venialibus peccatis sumus intenti.

Præterea, sicut ad remissionem morta-
B lium requiritur detestatio vitii, cum voluntate de cetero abstinendi ; sic et veniale in hac vita non dimittitur, nisi proposito et actu deseratur.

Itaque his venialium nocumentis effectibusque pensatis, retrahere ab eis, quemadmodum vera postulat ratio.

ARTICULUS XX.

De infinita misericordia Dei.

C DE enormitate, fœditate ac impietate peccati jam dicta sunt multa, et quam vehementer Deus sanctus ac supersublimis inhonoretur peccatis eademque detestetur, utcumque nunc patefactum est. Ne ergo ex horum consideratione quispiam in pusillanimitatem labatur, aut desperatione frangatur, vel nimio mœrore deficiat, seu scrupulositate indiscreta tabescat, aliquid de superincomprehensibili et immensa misericordia Dei dicendum est. art. v et s.

Itàque, sicut bonitas Dei est pura, infini-
D ta et superplenissima ; ita dulcedo, liberalitas atque clementia ejus est prorsus illimitata, ineffabilis, inexcogitabilis, omnem nostram malitiam, indigentiam miseriamque in infinitum excedens ac superans : incomparabiliter utique amplius quam universa pelagi aqua minimam guttam, aut moles orbis cœlestis minutissimum granum. Nemo ergo vitiorum suorum enormitate desperet : quia per hoc divinæ misericordiæ maximam irrogaret injuriam, increatamque veritatem Dei altissimi

vehementissime inhonoraret, quasi minor A esset bonitas atque clementia Dei (qui omnibus, quantumcumque iniquis, tamen veraciter pœnitentibus, veniam spopondit et gratiam) quam sua iniquitas.

Denique, nonne superinfinita est misericordia Dei adorandi ac gloriosi, qui omni momento cernit tot peccata committi in sæculo, seque a tot tam ineffabiliter inhonorari, sperni et blasphemari, et tamen conservat eos in esse, bona naturæ atque fortunæ incessanter communicat eis, alit, vestit eos ac providet eis? Imo, B
art. xvii. quum (juxta præhabita) tam incomprehensibilis sit enormitas peccati mortalis : nonne in hoc innotescit magna et mirabiliter infinita pietas Dei, quod unquam dignatur ei reconciliari, aut eum inspicere vel ad suam caritatem et gratiam capere, a quo vel semel mortali peccato offensus est? Et ecce illos a quibus toties tamque gravissimis est peccatis offensus, contemptus, terrenis rebus postpositus, non solum ad veniam, pacem et gratiam dignatur recipere, sed et vicissim incomprehensibili C pietate prævenit eos, et corda eorum compunctione interna immutat feliciter ad salutem, omnem cordis duritiam tollens ab
Rom. v, 20. eis, et tanta eos gratia implens, ut ubi abundavit iniquitas, superabundet et gratia, atque ex inimicissimis fiant Deo carissimi. Non ergo est desperandum de aliquo.

Proinde, ut ait Bonaventura, Deus ex misericordia sua peccatores patienter exspectat, benigne revocat, punire et ulcisci dissimulat, a multis periculis liberat, gratiam liberaliter donat, datam multiplicat, D multiplicatam conservat, conservatam in cœlestibus præmiat. Denique Deus peccatorem ad se redeuntem hilariter suscipit ad pœnitentiam, cor emollit, offensam cito dimittit, injuriæ post remissionem non meminit. Rursus, ex misericordia dat Deus adversa, ut peccata expurget; dat prospera, ut ad amorem provocet; dat sacramenta, ut meritum accumulet; dat præcepta, ut præmio ditet. Postremo, Deus ex misericordia sua errantes ad se reducit, redeuntes ad se conducit, cadentes erigit, stantes sustentat, perseverantes ad gloriam introducit.

Ecce quanta et quam vere ineffabilis, incomprehensibilis et immensa est Dei nostri clementia, præsertim super electos. Verumtamen ex hac divinæ misericordiæ consideratione nemo audentius peccet, de divina benignitate insipientissime præsumendo. Maledictus namque qui peccat in spe. Nempe quo meliorem atque clementiorem Deum esse cognoscimus, eo intensius ipsum amare debemus, non inhonorare ac spernere. Unde inter desperationem ac præsumptionem sapientiale medium observemus, cum timore sperando, et cum spe timendo, sicque sollicite et amorose coram Deo jugiter conversando.

ARTICULUS XXI.

De his ex quorum consideratione peccata efficacius evitantur.

MULTA et pene innumerabilia sunt quæ nos ad evitandum vitia debent inducere. Primo, consideratio brevitatis, vanitatis, instabilitatis atque fallaciæ vitæ præsentis. Quæ enim est vita nostra, nisi *Jacob.* iv, 15.
fumus celerrime evanescens, et vapor ad modicum parens? Etenim dies nostri sicut umbra supra terram, et nulla est mora. I *Par.* xxix, 15.
Quantumcumque etiam longa videatur aut fuerit in hoc sæculo vita nostra, tamen comparatione vitæ futuræ nunquam finiendæ, est tanquam momentum, secundum quod sanctus Job loquitur : Parce mihi, *Job* vii, 16.
Domine, nihil enim sunt dies mei. Videmus quoque ad oculum quam multos et innumerabiles fallat quotidie vita præsens, qui mundi hujus divitiis, deliciis atque honoribus delectati, obtenebrati, infatuati, ea quæ salutis sunt negligunt, spiritualia bona non expetunt, neque ad mortem omni die se præparant. Ideo, sicut vivunt, sic finiunt; et sicut Deum infelicissime inhonorant, dum sani incolumesque consistunt, sic tempore mortis ab ipso justissime relinquuntur, spernuntur et condem-

nantur. Nonne ergo salubrius est vitam hanc pro amore futuræ æternæque felicissimæ vitæ contemnere, omnem ipsius vanitatem ac impietatem abjicere, et bono illi divino, æterno, immenso fidelissime adhærere? Ecce in hac præsenti instabilissima vita necesse est nos aut æternam felicitatem aut æternam damnationem mereri. Elige igitur, mi amantissime, quod tibi salubrius conspicis, et peccata cordialissime detestare, odi, devita.

Secundo, ad vitanda peccata valet non modice diligens consideratio mortis, nobis incessabiliter ac velocissime propinquantis, in qua finem miserrimum sortietur vita vitiosa quæ modo delectat. Tunc enim quærent perversi huic mundo magis quam Deo intenti ac adhærentes, unius horæ inducias; et sola eorum peccata migrabunt cum eis.

Tertio, consideratio summæ ac rigorosissimæ districtionis divini judicii, utputa quam horribile erit statim post mortem ante Christi tribunal præsentari, ab ipso justissime judicari, suæ prolationem sententiæ præstolari, a dæmonibus ac propria conscientia accusari, coram Deo et Sanctis ipsius vitiosum videri. Itemque consideratio extremi ac generalis judicii in fine mundi venturi : quod adeo erit terribile, ut nulla illud lingua queat exprimere, nulla mens viatorum concipere. Itaque qui profunde considerat quam miserabile, triste, horribile erit tunc cum corpore et anima in infernalem lacum descendere, in ignem æternum corruere, in tenebrosissimo inferi carcere in æternum ac desperabiliter clausum manere, diabolorum dolorosissima societate potiri, et ultra quam dici possit indesinenter torqueri : hic indubitanter peccata vitabit, commissa deplanget, cor suum timorate custodiet.

Quarto, consideratio efficax totius infernalis supplicii. Itaque quem mundus iste et carnis voluptas vel vanitas cordis delectat ac allicit, si rite perpenderit ad quantam desolationem æternalemque pœnam et omnium calamitatum seu mise-

A riarum plenitudinem prædicta perducant, ea protinus abhorrebit ac fugiet. O mi amabilissime frater, utinam tibi ista ut dignum est saperent! quam promptissime tunc mundum despiceres! Ecce enim quis vellet nunc per unius spatium horæ in fornace ardenti pro toto mundo jacere? Cur ergo non vitas quotidiana peccata, etiam venialissima, quibus tanta in purgatorio infligenda est pœna, gravior omni supplicio quod in præsenti infligi poterit vita?

Istæ quatuor considerationes a pecca-
B to retrahentes, præcipue pertinent ad imperfectos et incipientes, qui timore mali potius quam boni amore declinant a vitiis.

Quinto autem valet ad idem consideratio illius summæ et incomprehensibilis felicitatis cœlestis, quam Deus daturus est his qui ejus amore vitant odiuntque peccata. Quum spes præmii minuat vim flagelli, nihil in sæculo isto esse potest tam laboriosum, pœnale ac arduum, quod non prompte et æquanimiter sustinebit qui æterna illius beatitudine inex-
C cogitabilem gloriam digne perpenderit.

Sexto valet ad idem devota, fiducialis ac frequens oratio, ut homo sine gratia Dei piissima se non posse peccata effugere pensans, non cesset Deum pro gratia virtuose vivendi præcordialiter exorare. Oportet quippe, ut ait Salvator, semper *Luc.* XVIII, 1.
orare et non deficere. Quoniam quidem vere peccatores sumus atque indigni per nos ipsos gratiæ thronum et Deum majestatis accedere, Virginem sanctam aliosque Sanctos ac Sanctas in patrocinatores
D eligamus ac invocemus.

Septimo ad vitandum peccata prodest præcipue consideratio divinæ præsentiæ, qua Deus nos ubique et semper intuetur atque considerat : ex qua consideratione oritur in nobis castus pudor de omni inhonesto. — Octavo, consideratio beneficiorum ipsius.

Porro ad perfectos potissime attinet vitare peccata ex consideratione divinæ bonitatis, cui in peccato bonum caducum præfertur; ex consideratione quoque di-

vinæ majestatis, quæ peccato mortali infinite quodammodo inhonoratur; item ex consideratione divinæ sanctitatis et æquitatis, cui peccatum displicet infinite; ex consideratione etiam caritatis divinæ, qua Deus prior dilexit nos; insuper ex ipso virtutum ac puritatis amore, et deformitatis peccati horrore, quemadmodum quidam asseruit: Quamvis scirem Deum mihi ignosciturum, non peccarem, propter peccati inordinationem.

I Joann. IV, 10, 19.

At vero in Profectu religiosorum conscribitur, quod generalia remedia contra peccata communiter sunt hæc: Primum est voluntaria paupertas, ut homo in omnibus patiatur penuriam, etiam in vestitu ac victu ceterisque necessariis. Quemadmodum enim temporalium abundantia plurimorum est occasio vitiorum, sic paupertas a multis retrahit malis. Secundum est despectio hominum, ut quis in omnibus contemnatur, exprobretur et confundatur: sic enim superbiæ tumor reprimitur, singularisque gratia a Domino impetratur. Tertium est strenuum magisterium, quo homo cogitur facere quæ sibi alias displicerent, et ea omittere quæ libenter efficeret, atque in singulis propriam relinquere voluntatem. Quartum est elongatio a sæcularium consortio, per quod quies et puritas animæ impeditur. Quintum est, quamcumque adversitatem ac tribulationem patienter sufferre.

Et sicut sancti Patres in eremo concorditer docuerunt, ad vincendum tentamenta diaboli et peccata, potissime juvat proprii cordis secreta alicui viro spirituali idoneo plenarie aperire, ejusque consiliis assentire. Diabolus namque, quum sit princeps tenebrarum, odit fugitque lucem seu fraudum suarum manifestationem, ac humilem sui ipsius accusationem; insidiarum autem suarum occultationem maxime amat. Hinc ait Salvator: Omnis qui male agit, odit lucem; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. Verum aliqui sunt male ac periculose verecundi, cogitationum, affectionum et tentationum suarum secreta pandere non volentes modo nunc tacto: idcirco victi labuntur, et variis vitiis implicantur.

Joann. III, 20, 21.

Certum est insuper, quod frequens atque devota sacramentalis confessio plurimum valet ad fugiendum peccata et gratiam promerendam. Imo, sicut quilibet Christianus debet quotidie, saltem aliqua hora, actualem habere peccatorum suorum contritionem, sic quoque debet quotidie firmum habere propositum confitendi tempore opportuno. Similiter, fugere otia, prodest ad vitandum peccata. Otia namque dant vitia. Ideo assumenda est semper aliqua occupatio fructuosa.

Præterea, reor quod nihil efficacius sit ad omnia mala vitanda, ad resistendum diabolo, ad proficiendum in omni virtute, caritate et gratia, ad insistendum sanctis operibus, ad vacandum Deo mente compuncta, dulci ac pia, quam interna, frequens ac diligens meditatio dominicæ passionis. In hac enim videmus quantum Deus dilexit nos, quantam etiam patientiam, mansuetudinem, humilitatem, Christus in passione monstravit ac docuit, et qualiter in cruce distentus, pro occisoribus suis precatus sit: quæ omnia digne pensando, omnem superbiam, iram, impatientiam, carnalitatem atque invidiam abjiciemus, caritati, mititati, patientiæ pœnitentiæque studentes.

Ecce, mi prædilecte, omnium horum jam descriptorum consideratio provida, ad vitandum ea quæ Deo displicent et tibi potissime nocent, id est peccata, te semper inducat, ut mente purgata, crescas semper in caritate divina et gratia universisque charismatibus Spiritus Sancti.

ARTICULUS XXII.

Quomodo habere se debet,
qui ad perfectionem cupit pertingere.

QUICUMQUE internæ puritati ac sanctitati optat studere, veramque perfectionem attingere, primo omnium debet

se totamque conversationem suam in vera A suetudinem vertere ut sive comedat, sive bibat, sive se vestiat, vel quidquid foris peragat, aut laboret, aut alios audiat aut aliis ipse loquatur, semper (quantum gratia auxiliante potuerit) cor suum levet ad Deum, et intra se aliquid divinum revolvat, dicendo mentaliter, Cor mundum *Ps.* L, 12. crea in me, Deus, et cetera quæ devotioni suæ dulciora convenientioraque fuerint. Præsertim vero debet Deum incessanter precari pro gratia ampliori et cordis custodia. — Septimo debet in omnibus sin-

I *Petr.* v, 5. humilitate ac divino timore fundare. Deus namque superbis resistit, humilibus vero dat gratiam tanto pleniorem quo profundiorem habuerint humilitatem. Et rursus *Eccli.* XXVII, 4. ait Scriptura : Si non in timore Dei tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. — Secundo debet venialia peccata quasi mortalia abhorrere ac fugere, quantum possibile fuerit, eo quod venialia incrementum gratiæ, caritatis fervorem sanctitatisque munditiam modo præinducto impediant. — Sed quoniam sine venialibus B esse et vivere non valemus per tempus notabile, tertio debet vitam suam omni die et nocte frequenter ac diligentissime considerare, venialia deplorare, punire, seque in omnibus dijudicare, humiliare ac spernere ; aliorum autem facta non debet curiose observare aut judicare. — Quarto debet in omnibus quæ agit oculum circumspectionis habere, actualiterque attendere et curare ne Deum aliquo modo offendat. Quum enim in actibus humanis individualibus non sit indifferens, ut C S. Thomas affirmat, ita quod omnis actus hominis ex rationis deliberatione procedens, est bonus ac meritorius, vel malus moraliter ac demeritorius ; certum est quod nisi quis in universis quæ agit circumspecte omnino se gerat, multa venialia incidet. Ideo scribit ad Timotheum I *Tim.* v, 21. Apostolus : Sine præjudicio (id est prævio discretionis judicio) nihil facias. In Ec- *Eccli.* XXXII, 24. clesiastico quoque conscriptum est : Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis. In omnibus ergo pensan- D dum est an liceat, an expediat, an prosit : an liceat quoad Deum, an expediat ad proximi ædificationem, an prosit ad meritum ipsi qui operatur. Qui talis est, semper omnique loco timorate se habet : qualis *Job* IX, 28. fuit sanctus Job : Verebar (inquiens) omnia opera mea, sciens quod non parceres, *Prov.* IV, 23. Domine, delinquenti. — Quinto debet omni custodia cor suum custodire, ne aliqua cogitatio vana vel affectio inordinata in eo moretur. — Sexto debet sibi in con-

cerissimam intentionem habere, Dei venerationem ferventer zelando, magis quam proprium meritum aut præmium cogitando. — Octavo debet in omni adversitate et corporis afflictione cordialiter jucundari, in quantum hæc sibi proficua sunt quantum ad Deum.

Verum, quoniam ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtulerimus, neglecto eo ad quod tenemur, debet in primis debita sua reverenter Deo persolvere, utpote orationes vel Horas, verba divina ac sacra distincte pronuntiando, corde tenus advertendo, et quasi cum gustu mentis velut ex proprio affectu ea formando, si tamen sensum verborum intelligat : alioqui cor suum ad Deum salubriter erigat, ejus bonitatem, pietatem ac beneficia contemplando. — Postremo, ad devotionis excitationem valet subinde tunsio pectoris, prostratio corporis, oculorum ac manuum ad cœlos levatio.

Hæc, amantissime frater, ruditer celeriterque, prout occurrit memoriæ et Deus ipse (a quo omne effluit bonum) dare dignatur, tibi describo, ut ad perfectionis amorem cor tuum inflammetur, et qualiter eam adipisci possit, agnoscat. Vere enim, si naturalibus donis tibi divinitus ingeminatis sapienter fueris usus, cum mira facilitate ad singularem perfectionem pertinges. Idcirco vehementer hortor et cupio ut affectus tuus circa ista terrena sit ordinatus, temporales divitias non amplius appetendo quam necessitas exigit,

temperata vita requirit, interiorque animæ A
tuæ profectus in spiritualibus postulat. Ait enim nono de Civitate Dei Augustinus : Incorporali, æterno et incommutabili bono est anima hominis tanto dissimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumque cupidior. Sed et carnis delectationes impuras penitus asperneris : quia, ut secundo de Trinitate loquitur Augustinus, anima rationalis tanto spiritualior, mundior ardentiorque efficitur, quanto amplius carnalibus moritur. Denique quanto anima tua corpore tuo exstat præstantior, tanto diligentius interiorem ornatum virtutum spiritualesque divitias ames, quæras et congreges, quam exteriorem corporis aut vestitus decorem, non hominibus complacere desiderans, sed Creatori, Salvatori ac Judici tuo præmetuendo, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS TRACTATULI DE GRAVITATE ET ENORMITATE PECCATI.

SPECULUM SIVE DIALOGUS
DE CONVERSIONE PECCATORUM

PROŒMIUM

Justus. — *Convertere ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua.* Osee xiv, 2.

Quum peccatum sit aversio ac recessus mentis creatæ a summo, immenso et incommutabili bono, atque conversio quædam inordinata ad bonum creatum, caducum et vanum; constat quod ipsum peccatum sit maxima profundissimaque ruina, puta lapsus a summo ad infimum, ab optimo ad pessimum, a dignissimo ad vilissimum. Idcirco peccator merito suæ transgressionis repelli meretur a Deo altissimo, ac præcipitari in profundissimum inferorum, ut culpæ correspondeat pœna. Quum ergo hoc ita sit, admoneo te, peccator, ut relicto impietatis tuæ errore te ad inferos pertrahente, ad tuum redeas Creatorem, ad tuæ salutis fontem, in quo solo salus tua consistit. Usquequo per abrupta ambulas vitiorum? Cur itinera eligis tenebrosa, ad terram mortis caligine coopertam ducentia? Aperi oculos cordis, et pensa quo tendas. *Job* x, 21.

Peccator. — Quis tu, qui me increpare, docere, judicare præsumis, quum scriptum sit, Nolite judicare, et non judicabimini; itemque, Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. *Luc.* vi, 37. *Rom.* xiv, 4.

Justus. — Putasne intelligis quæ allegas? Nonne sicut de occultis et ignotis judicare vetamur, sic de manifestis judicare licentiamur, imo et sæpe jubemur, quemadmodum per Moysen locutus est Deus, Juste judica proximo tuo? Et cur increpationem graviter accipis, quum rursus per Moysen locutus sit Dominus, Publice argue fratrem (id est proximum) tuum peccantem, ne habeas super illo peccatum? Cur non attendis quod Salomon dixit, Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus? An non credis quod asserit Augustinus, Si increpare errantem neglexeris, pejor eo efficeris? Nonne peccantem et non corripientem eadem involvit damnatio? *Lev.* xix, 15. *Ibid.* 17. *Prov.* xxix, 1.

Peccator. — Quis te huc adduxit? et quis te constituit judicem super me? Cur me turbas et inquietas, et a concupita delectatione me impedis?

Justus. — An ignoras quod in Ecclesiastico scriptum est, Unicuique mandavit Deus de proximo suo? Nonne tenemur diligere proximos nostros sicut nos ipsos? Attende quod summus præcipit Judex: Si peccaverit in te (id est te sciente) frater (id est proximus) tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. *Eccli.* xvii, 12. *Matth.* xxii, 39. *Ibid.* xviii, 15.

Peccator. — Unde advenit mihi tribulatio ista, qui sine resistentia in deliciis vivere statui? Nonne et tu peccator es, quum Jacobus dicat apostolus, In multis offendimus omnes? *Jacob.* iii, 2.

Justus. — Videtur mihi impleri in te quod Salomon dixit: Impius quum in pro- *Prov.* xviii, 3.

Amos v, 10. fundum venerit peccatorum, contemnit ; Amos quoque propheta : Odio habuerunt cor-
Jer. iv, 22. ripientem ; et item quod loquitur Jeremias : Sapientes sunt ut faciant mala. Sic quippe et tu, qui in Scripturis eruditus esse videris, per easdem te armas ad impietatem, hoc est, ad excusandum et palliandum vitia tua, et ad redarguendum increpantem et exhortantem te caritative. Verumtamen, ut tuæ satisfaciam objectioni, homo in Scripturis multis modis vocatur peccator. Primo, propter originale. Secundo, propter veniale. Tertio, propter mortale peccatum in quo fuit, quamvis nunc in eo non sit,
I *Tim.* i, 15. quum et Paulus apostolus protestetur : Venit Jesus peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Quarto, propter mortale in quo jacet. Porro qui a mortalibus vitiis abstinet, de venialibus quoque dolet quotidie et ea deplorat, virtutibusque insistit, faciens quod tenetur, justus censetur : cui et licet, imo injungitur, ut eum qui publice peccat, corripiat.

Eccli. xxxii, 6. Peccator. — Scriptum est : Ubi non est auditus, non effundas sermonem ; et rursus : Ne mittas falcem tuam in messem alienam. Desine ergo esse sollicitus mei. Ætatem habeo, præcepta cognosco : permitte me agere quod delectat.

Is. xlvii, 10. Justus. — Sapientia tua et scientia tua te deceperunt, ut asserit Isaias. Ea quoque quæ nosti, impertinenter allegas. Adverte quod sacratissimus ait princeps apo-
II *Petr.* ii, 21. stolici agminis : Melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem
Luc. xii, 47. retrorsum reverti. Recordare et expavesce quod Filius Dei deprompsit : Servus qui cognovit voluntatem domini sui et non fecit, plagis vapulabit multis. Noli Pharisæis
Joann. ix, 40. te conformare, qui dixerunt ad Lumen, Numquid et nos cæci sumus ? ne merearis au-
Ibid. 41. dire quod illi audierunt a Judice : Si cæci essetis, non haberetis peccatum ; nunc autem quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum manet.

Galat. vi, 3. Peccator. — Adverte et tu illud Apostoli : Qui se putat aliquid esse, quum nihil
I *Cor.* viii, 2. sit, ipse se seducit ; itemque : Qui se putat aliquid scire, nondum cognovit quemad-
Job xv, 12. modum oporteat eum scire. Cur ergo te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ? Cur sapientis ac justi officium tibi assumis, ne dicam usurpas, sicque sapientem ac justum te esse præsupponis aut jactas ?

Justus. — Herinaceo assimilaris, et dialecticus acer et recens effectus es. Verum, ut cerno, correptione acuta non emendaris, nec proficis, imo potius obduraris. Aliud ergo assumam genus sermonis, quo te ad tuorum recognitionem, deplorationem emendationemque vitiorum ac periculorum queam reducere.

SPECULUM SIVE DIALOGUS

DE

CONVERSIONE PECCATORUM[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Captatio benevolentiæ peccatoris.

Prov. I, 8, 9. Senior. — Audi, fili mi, disciplinam patris tui, ut addatur gratia capiti tuo. Fili mi, si susceperis sermones meos, ut audiat sapientiam auris tua, tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam. *Ibid.* II, 1, 2, 9.

Juvenis. — Quæ est hæc vox dulcis quæ resonat in auribus meis?

Senior. — Amator sum animæ tuæ, et ejus opto salutem. Et quoniam extra viam salutis te esse intueor, ad viam salubrem et rectam te reducere nitor : ideo dulcibus paternæ caritatis verbis te affari et aggredi orsus sum.

Juvenis. — Quemadmodum omnes homines naturaliter scire desiderant, sic et beatitudinem omnes naturaliter cupiunt. Ideo informationem ad beatitudinem obtinendam tendentem ac proficientem abjicere, improbum fateor et perversum. Nunc ergo me doce, et festinabo accipere.

Ps. CX, 10. Senior. — Initium sapientiæ quam te cupio edocere, est timor Dei, ut discedas ab omni iniquitate. Hoc itaque in primis te hortor et instruo, ut timeas Deum atque ad mandatorum ipsius observantias te extendas : quia ingratum est Deo quidquid egeris, quidquid studueris, quidquid ei obtuleris, neglectis his ad quæ teneris. *Prov.* XV, 27.

Juvenis. — Putabam quod in scientiis naturalibus et speculativis erudire me velles. Nam et in sapientia quæ speculativa vocatur magis quam in practica, beatitudo consistit : sicut decimo Ethicorum ait Philosophus, quod in speculatione optimi speculabilis consistit felicitas.

Senior. — Ad sapientiam illam ejusque contemplationem, per moralem scientiam practicam pervenitur. Ethica namque ad theoricam introducit. Primo itaque moralia Scripturæ sanctæ documenta tibi propono, quorum finis est operatio bona et conversatio virtuosa. Siquidem quid sit virtus, quid vitium, quæ mandata sint observanda, discimus et docemus, non principaliter ut sciamus, sed ut bene vivendo, virtuosi efficiamur. Nisi istam scientiam in primis habueris et vixeris juxta eam, nunquam ad sapientiam salutarem, nunquam ad felicitatem pertinges.

Juvenis. — Bona, fateor, est ista moralis doctrina; sed juxta eam vivere, præsertim in juventute, molestum videtur. Estque difficile et cum pœna quadam conjunctum, in timore Dei assidue stare.

1 Ex editionibus Coloniæ, Melchioris Novesiani, 1530, 1533, 1540.

SENIOR. — Longe aliter sensit, qui di-
Eccli. xxiii, 37. xit : Nihil dulcius quam timere Deum ; et
Ibid. i, 12. denuo : Timor Domini delectabit cor. Nihilo minus, sicut dicis, in servili timore
Matth. vii, 14. sic jugiter esse, est grave. Sed arcta est
Ibid. xi, 12. via salutis ; et regnum cœlorum vim patitur, atque necesse est vincere semet-
Galat. v, 24. ipsum. Denique, sicut dixit Apostolus, hi qui sunt Christi, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt.

JUVENIS. — Durus est sermo iste, et quis juvenum potest eum audire ac adimplere? Quis sic refrenare potest se ipsum, quum naturale sit homini liberum esse ac libertate gaudere?

SENIOR. — Duorum tibi optio datur : aut temporaliter atque carnaliter nunc gaudere cum sæculo, et post vitam hanc brevem damnari et puniri æternaliter in inferno ; aut certe in vita hac per arctam viam salutis incedere et de culpis præteritis pœnitere, sicque post vitæ hujus curriculum æternæ beatitudinis consequi bravium.

JUVENIS. — Gravis conditio, atque horribile verbum. Attamen inter hæc duo medium esse videtur. Quod si non esset, quis non potius eligeret temporaliter pœnitere in tota hac vita, quam post eam sortiri æterna supplicia?

SENIOR. — Quod est medium illud, quum dicat Hieronymus, Impossibile est, jam gaudere cum mundo, et postea regnare cum Christo? imo, quum protestetur Ve-
Luc. xiii, 3, 5. ritas ipsa, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis?

JUVENIS. — Veritas non dixit, Nisi pœnitentiam egeritis in juventute, peribitis ; sed, Nisi pœnitentiam (inquit) egeritis (subintelligendum est, ante terminum hujus vitæ), peribitis. Et quod affirmat Hieronymus, impossibile esse, jam gaudere cum mundo, et postea regnare cum Christo, sic reor intelligendum, quod impossibile sit, toto hujus vitæ tempore gloriari cum sæculo, et post vitam hanc beatificari in Deo. Verum potest contingere, imo contingit quotidie, ut aliquis in juventute

A in deliciis conversatus libertateque propria ad libitum usus, in senio convertatur. Insuper cernitur frequenter accidere ut aliquis in juventute ac senectute conversatus inique, in ipso mortis articulo pœniteat ac salvetur. Nonne in extremis
plurimi convertuntur? Et certe ubicumque Eccle. xi, 3.
ceciderit lignum, ibi erit, sive ad austrum, sive ad aquilonem. Quis tam enormiter videtur peccasse, etiam in tota sua juven-
tute, sicut Manasses rex Juda? qui tamen II Par. xxxiii.
in senectute vere pœnituit.

B SENIOR. — Satis abundas in verbis et in acumine intellectus, imo et in Scripturis; sed utinam omnibus his salubrius uteteris. Hinc frequenter contingit ut difficilius sit convertere ingeniosos ac litteratos atque prudentes sæculi hujus, quam idiotas ac simplices. Ad quod insinuandum
dixit Apostolus : Videte vocationem ve- I Cor. i, 26,
stram, fratres, quia non multi sapientes 27.
secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos ; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut con-
C fundat sapientes. Hoc ipsum et ipsemet
Christus insinuavit, dicendo : Confiteor Matth. xi,
tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia 25.
abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis, id est humilibus.

Itaque multipliciter tibi persuasisti, esse medium inter duo quorum tibi optionem proposui : ut scilicet homo in juventute sua in concupiscentiis vivat, et in senectute pœniteat; aut etiam toto sanitatis suæ tempore conversetur ad libitum,
D et pœniteat in extremis. Hoc quoque medium tu ipse elegisse videris.

JUVENIS. — Fateor ita esse : præsertim
quum (teste Apostolo) ubi abundavit ini- Rom. v, 20.
quitas, superabundet et gratia ; quum et per Ezechielem prophetam locutus sit Do-
minus : In quacumque hora impius ege- Ezech.
rit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus xviii, 21, 22.
non recordabor amplius.

SENIOR. — Quam periculosum, damnosum et perversum sit istud, tibi monstrabo.

ARTICULUS II.

Quam periculosum, impium et damnosum sit, pœnitentiam usque ad tempus ægritudinis aut senectutis differre.

Senior. — In omni materia acquiescendum est prudentibus et expertis in ipsa materia. Quum ergo ipsemet Dominus noster Jesus Christus, Sapientia Dei Patris et magni consilii Angelus, et universi sancti ipsius Apostoli et Prophetæ, ac ceteri sancti Doctores, hanc pœnitentiæ dilationem omnino dissuadeant, concorditer reprobent ac vehementer condemnent; certum est quod stultissimum et iniquum sit, pœnitentiam sic differre.

Juvenis. — Ubi Christus sic reprobat
Luc. xii, 37, 38. eam? Nonne in Evangelio ait, Beati servi quos quum venerit Dominus, invenerit vigilantes, et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi? Ergo in quacumque ætate invenerit hominem præparatum ad mortem, beatus est homo. Quid ergo necesse est in juventute pœnitere, et semetipsum in arduis virtutum exercitiis cruciare, ac pondus diei et æstus tam diu portare, quum valeat homo brevi compendio adipisci salutem? — Præterea, in evangelica parabola loquitur Christus:
Matth. xx, 8-12. Quum sero factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Quum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi. Acceperunt autem et ipsi singulos denarios. Et accipientes, murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. Quibus
Ibid. 16. verbis paulo post addidit Dominus: Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Potest ergo accidere ut conversi in senectute æquales fiant in præmio conversis
A in juventute. — Imo, ut in homilia scribit Gregorius, quidam sero conversi et de magnis sibi sceleribus conscii, ferventiores fiunt innocentibus ac mane conversis. Atque, ut asserit Augustinus, non diuturnitas temporis, non numerositas operis, sed major caritas meliorque voluntas præmiantur a Domino. Non ergo oportet ad agendum pœnitentiam festinare. — Denique, quum sit valde difficile in viis justitiæ diu perseverare, periculosum apparet in juventute converti, quum juventus ha-
B beat multa ac magna incitamenta peccandi atque recidivandi. Consultius ergo videtur ad senectutem vel ægritudinem conversionem pœnitentiamque differre, quatenus cor tunc tanto ardentius ac festinantius et perseverantius convertatur ad Dominum, quanto videt sibi de propinquo majus imminere periculum ac minus superesse de tempore: quemadmodum cernimus in quibusdam reis et criminosis et morti adjudicatis, quod pœnitent vehementer.

Senior. — Audi me, fili, et divinam
C Scripturam sane intellige; noli ex verbis Veritatis fabricare arma iniquitatis, noli abuti eloquiis Spiritus Sancti, noli decipere temetipsum. Cur pedibus tuis expandis rete damnationis? Cur laqueis perditionis te ipsum innectis? Porro quod in præinducta argumentatione abusus sis verbis Scripturæ, eliciendo et concludendo ex sermonibus Christi id quod intentioni Christi directe contrarium est, nunc tibi ex verbis Domini nostri Jesu Christi ostendam. Certe in Evangelio locutus est: Vi- *Matth.*
D gilate, quia nescitis qua hora Dominus xxiv, 42. vester venturus sit. In quibus verbis, si rite intelligis, exhortatur ut indesinenter et absque dilatione vigilemus, hoc est, custoditi simus atque ad mortem dispositi (quoniam incessanter sumus incerti quando visitandi simus a Christo per mortem ac particulare judicium), quum infinitum exstet periculum inveniri imparatos. Hinc alibi apertius monet: Vigilate, quia nesci- *Ibid.* xxv, tis diem neque horam. Quolibet ergo die 13. et indesinenter sic conversari tenemur,

quasi morituri quocumque die. Hinc ait A
Marc. XIII, 33. apud Marcum, tertiodecimo : Videte, vigilate et orate : nescitis enim quando tempus sit. Eodem quoque capitulo rursus
Ibid. 35, 36. hortatur ac jubet : Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane : ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes, id est torpore vitiorum oppressos. Insuper
Luc. XII, 35, 36. præcipit : Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris ; et vos similes estote hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur B a nuptiis, ut quum venerit et pulsaverit,
Ibid. 39, 40. confestim aperiant ei. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. In quibus utique verbis vult nos indesinenter omni hora esse paratos ad vitandum æternæ damnationis periculum : quia hora qua non putamus, perhibet se venturum, tam ad particulare nostrum judicium, quod in morte agi- C tur singulorum, quam ad universale judicium.

Amplius, pœnitentiam et conversionem differre, non est aliud quam in peccatis manere, alios scandalizare, carnaliter vivere. Quod quam damnabile sit, Dominus
Matth. XXIV, 48-51. pandit, ita loquens apud Matthæum : Si dixerit servus malus in corde suo, Moram facit dominus meus venire ; et cœperit percutere pueros et ancillas, et edere et bibere et inebriari : veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora D qua ignorat ; et dividet eum (id est, ab electorum grege ac præmio separabit), et partem ejus cum infidelibus et hypocritis ponet.

Juvenis. — Satis probasti utile esse ac tutius sine dilatione converti ac pœnitere, non tamen quod sit necessarium ad salutem ; nec ceteris meis satisfecisti instantiis.

Senior. — Instantiæ tuæ innumerabiles decipiunt homines, qui sub spe pœnitendi in posterum, manent in vitiis differuntque converti. Etenim, quo diutius in vitiis perseverant, eo plus habituantur, radicantur et assuefiunt in eis ; sicque mole vitiosæ ac pessimæ consuetudinis opprimuntur, ut vix queant consurgere ; atque per hoc quotidie ineptiores ad conversionem redduntur, et vix unquam veraciter pœnitent. Et quamvis quidam talium tandem aliquando, vel in senio vel tempore ægritudinis, convertantur ; hoc tamen respectu et comparatione aliorum paucissimis datur, minimeque consultum est se periculo huic committere, in quo tam pauci evadunt. Quis audeat ire per iter in quo vix unus de centum evadit ?

Juvenis. — Nonne in extremis usque ad ultimum vitæ suæ momentum potest unusquisque pœnitere mortalium ? Et quis tam amens, qui videns se protinus moriturum, non de suis pœniteat culpis ? An non vides quod Christiani quantumlibet mali, tamen dum putant se morituros, confitentur atque ecclesiastica suscipiunt sacramenta ? quod nisi de suis dolerent peccatis, non facerent. Certe tales sunt innumerabiles. Quibus (ni fallor) spem remediumque salutis non audebis negare : alioqui homines ad desperationem induces.

Senior. — Verba suscipe Augustini dicentis : Qui dum sani sunt pœnitent et se emendant, secure hinc exeunt (id est, salubriter moriuntur) ; qui autem tunc pœnitent quando diutius se vivere posse non putant, an secure hinc exeant, ego non sum securus. Et hoc loquitur Augustinus, non quod dubitaverit an tales salventur, dummodo ex vera pœniteant contritione et decedant in ea, sed quia paucissimi talium veram habent contritionem, et confitentur ex consuetudine quadam Ecclesiæ, aut ex servili timore districtionis divini judicii atque æterni supplicii, non ex vero zelo justitiæ, caritateque Dei, sine qua nihil proficit ad salutem. Denique hujus rei satis probabile signum est, quod si viderent se diutius vivere posse, non confiterentur, nec a solitis resipiscerent

culpis. Ideo non amore boni, sed timore mali ad hujusmodi pœnitentiam inducuntur : quamvis ex speciali gratia Omnipotentis queat accidere ut pœniteant vere. Idcirco nec desperandum affirmo, sed periculosissimum esse protestor pœnitentiam sic differre. Privilegia quoque paucorum non faciunt legem. At vero tempore magnæ ægritudinis, et præsertim tempore mortis, natura infirmantis ita debilitatur, interioresque sensus tam dire gravantur, et ratio tam graviter offuscatur, ut difficillimum sit tunc veram habere devotionem, salubrem contritionem, perseverantiamque finalem, sine valde speciali gratia Dei : quæ illis tunc datur qui eam tempore suæ incolumitatis promeruerunt; qui autem dum sani et fortes sunt et apti ad Dei obsequium, Deum creatorem suum parvi pendunt ac deserunt, in hora necessitatis extremæ ab ipso relinqui merentur. Adde quod in extremis agonizantes tam acriter a dæmonibus impugnantur, ut etiam si virtuose jam ante fuerint conversati, absque præcipuo Dei auxilio nequeant prævalere. Atque, ut sanctus vir Climacus scribit, dæmones qui peccatoribus adhuc sanis fallaciter persuadent peccata non esse ita enormia sicut fertur, Deum quoque misericordissimum esse et omni momento etiam in extremis paratum ad indulgendum, tempore mortis econtrario ostendunt agonizanti quam multa et enormia fuerint ejus peccata, quanta fuerit ejus ingratitudo, quam infinita sit justitia Dei, et quam horrendum sit in manus ejus incidere; sicque infelicem inducunt ad desperandum, nisi forsan succurrat Omnipotens, qui tunc eos non derelinquit qui in sua juventute ac sanitate ei fideliter servierunt.

Scal. parad. grad. v, vii, xv.

Hebr. x, 31.

Postremo, conversionem pœnitentiamque differre, est tempus non solum infructuose, imo et vitiose expendere; spiritualia lucra negligere, hoc est profectum in omni gratia et virtute, in multiplicatione meritorum, in incremento cœlestium præmiorum; propriam animam vitiis lacerare, dæmonibus deservire ; Deo altissimo prorsus ingratum exsistere, qui emendationem iniqui tam misericorditer præstolatur, qui ei pro malis tot bona largitur et ipsum ad meliora hortatur, qui in se ipso tam infinitæ est bonitatis, sanctitatis ac dignitatis, ut solo ejus amore debeamus ad honorificentiam et amorem ejus allici et accendi. Hinc impio pœnitentiam differenti terribiliter ait Apostolus : Existimas, o homo qui impie agis, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis et patientiæ et longanimitatis Dei contemnis? Secundum duritiam autem tuam et impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram (id est justam ac diram ultionem) in die iræ et revelationis justi judicii Dei.

Rom. ii, 3-5.

Juvenis. — Prævaluisti mihi, o senex, et undique obstruxisti mihi os contradicendi. Verumtamen a conversione et pœnitentia indilata me retrahunt spes pœnitendi in posterum atque pensatio immensæ misericordiæ Creatoris, amor quoque pristinarum solitarumque voluptatum, copia facultatum, jucunda societas, speciositas terrenorum, pœnitentiæ horror, difficultas et labor virtuose vivendi : quanquam non negem periculum esse in mora, et culpam in dilatione hac ipsa; in quibus tamen confido de meliori. Sed vehementer admiror, quod dicis eorum qui in juventute ac tempore sanitatis prave vivunt, tam paucos vere pœnitere in fine, in tantum ut vix credere queam istud. Idcirco, si placet, hoc per Scripturas et exempla evidentius mihi demonstres.

Senior. — Quidquid pro tua salute agere potero, agam cum gaudio.

ARTICULUS III.

Declaratio per Scripturarum testimonia et exempla, quod paucissimi vere in fine vitæ pœniteant, qui antea scelerate vixerunt.

Senior. — Secundo Machabæorum narratur quemadmodum Antiochus, rex su-

II *Mach.* ix, 1-12.

perbus ac impius, propter sua facinora A dire a Deo plagatus est, in tantum quod ex corpore ejus vermes scaturiebant, et carnes ejus excidebant et effluebant, atque fœtore ipsius totus gravabatur exercitus. Quumque nec ipse suum posset ferre fœtorem, vexatione propria informatus et humiliatus ait : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.
II Mach. IX, 13. Et subditur ibi : Orabat autem scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam
Ibid. 14-17. consecuturus. Promisit quoque quod civitatem Jerusalem faceret liberam, quam B paulo ante minabatur se funditus destructurum ; quod item Judæos similes Atheniensibus faceret, quos dixerat se occisurum, nec dignos sepultura habiturum ; et quod templum Dei a se antea spoliatum, optimis donis ornaret, sancta quoque vasa multiplicaret, sacrificiorumque sumptus præstaret. Insuper promisit se Judæum futurum, et sacra loca perambulaturum, ac
Ibid. 28. prædicaturum Dei potentiam. Nec tamen consecutus est veniam, sed æternaliter condemnatus. Vindicavitque Deus scelera C ejus in vita hac et in inferno.

Juvenis. — Hoc satis terribiliter sonat, et desperationem multis posset incutere : præsertim quod recognovit se a Deo propter crimina sua percussum, et emendationem promisit, imo quod gentilitate relicta, legem Dei assumpturus esset ; nec tamen veniam est adeptus, sed in præsenti atque futuro punitus. Et ubi est quod ait
Nahum I, 9. Scriptura, Non consurget duplex tribula-
Ibidem, juxta LXX. tio ; et, Non vindicabit Dominus bis in id ipsum ?

Senior. — Tota illa vitiosi Antiochi pœnitentia ex servili processit timore ac desiderio sanitatis recuperandæ. Porro scriptura quam allegas, intelligitur, quando pœna una sufficit pro culpæ vindicta, atque dum reus pœnam illam ex vera contritione æquanimiter tolerat.

Juvenis. — Si aliud quid ex Scripturis occurrit ad idem probandum, prosequere.

Senior. — Ad Hebræos protestatur Apostolus : Ne quis fornicator sit, aut profa- *Hebr.* XII, 16, 17.
nus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam et postea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus est : non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. Præterea, his qui tempestive renuunt Deo servire, ac tempore suæ angustiæ clamant ad eum, Dominus per Salomonem ita respondet : Quia vocavi, et renuistis ; extendi manum *Prov.* I, 24-30.
meam, et non fuit qui adspiceret ; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis : ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, quum vobis id quod timebatis evenerit ; quum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit ; quando venerit super vos tribulatio et angustia. Tunc invocabunt me, et non exaudiam ; mane consurgent, et non invenient me : eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo. Denique, sanctus pater Gregorius in libris Dialogorum recitat de quibusdam qui in extremis dæmones visibiliter conspexerunt, aut alias territi valde fuerunt, atque inducias petierunt unius diei, haud dubium quin desiderio pœnitendi, qui et de suis dolebant peccatis ; nec tamen profuit eis. Multa his similia ex Scripturis possem utique allegare, sed ad persuadendum benevolum hæc reor sufficere.

Juvenis. — O quam arcta est via salutis, *Matth.* VII, 14.
et quam intutum est pœnitentiam in fi- D nem differre, ac spe vitæ diuturnioris perseverare in vitiis ! Certe, ut cerno, multi spe vana fallunt se ipsos. Et utinam Deus omnipotens oculo suæ pietatis immensæ immundum et infectum cor meum adspiceret, ac vitiosos a me auferret affectus, ac ea quæ turpiter amo, et quæ male oblectant, in fastidium mihi converteret.

Senior. — Paulatim proficitur, et successive longius itur. Et quia peccata tua tibi incipiunt displicere, invoca Dominum, et invocare non cesses ; fac quod in te est,

acquiesce consilio, et ea quæ ad detestationem turpium voluptatum inducunt, attende.

Juvenis. — Quænam sint hæc, precor te, tange.

ARTICULUS IV.

Commemoratio horum quæ ad turpium ac pravarum delectationum detestationem ac fugam inducunt.

Senior. — Quædam appetibilia reputantur, quæ tamen in fastidium, fugam ac odium convertuntur, si bene considerentur quæ ea concomitantur : quemadmodum delectat aliquem ire ad loca amœna ; sed si loca illa sint raptoribus atque latronibus plena, tædet et horret eum ipsa accedere. Sic voluptas carnis suo modo appetibilis est ; verum si ea consideres quæ eam sequuntur, abhorrebis eamdem.

Juvenis. — Quæ sunt illa ?

Senior. — Non solum æterna damnatio in futuro, sed et multiplex malum tam culpæ quam pœnæ in præsenti. Nempe, ut scire potes, ad luxuriam vitia multa sequuntur : imo et propter eam plurima fiunt mala. Nonne ex luxuria oriuntur excæcatio mentis, fastidium divinorum, inquietudo et inconstantia cordis, præcipitatio et inconsideratio mentis, stultiloquia, ludicra, scurrilia, turpiloquia, consumptio facultatum, enervatio virium, odia, lites, contentiones, diffamatio, immorigeratio ? Denique, quo major est voluptas luxuriæ, et quo plura ac graviora ei annexa sunt vitia, eo intolerabilior æternæ damnationis punitio eam consequitur, sicut in Apoca-
Apoc. xviii, 7. lypsi Dominus loquitur : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum. Ecce quam brevis est delectatio fornicationis ! Sed perpetua est pœna fornicatoris. Ideo recte asserit Augustinus : Qui pro tam brevi voluptate dat diabolo animam suam, pro qua Chri-
Is. liii, 12. stus dedit se ipsum in mortem ac pretium et fudit sanguinem suum, stultissimus est, aut fatuum mercatorem reputat Christum. Insuper, quemadmodum et philosophi quidam egregii fassi sunt, in vitiis carnis maxima est turpitudo et inhonestas. Suntque vitia illa prorsus brutalia atque vilissima, et brutis assimilant, imo incomparabiliter viliorem et deteriorem efficiunt hominem. Ideo Innocentius recte dixit : O extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effeminat, sed et corpus enervat ; non solum maculat animam, sed et fœdat personam ! Omne namque peccatum quod- I Cor. vi, 18.
cumque fecerit homo, extra corpus ipsius est ; qui autem fornicatur, peccat in corpus suum.

Juvenis. — Nonne delectatio illa est naturalis, et ab auctore naturæ rationabiliter instituta, non ergo tam vitiosa ?

Senior. — Prout a Deo est instituta, nec vitiosa est neque illicita, utputa prout immixta est actui conjugali a recta voluntate mananti. Sed annexa actui venereo a perversa voluntate divino præcepto contraria procedenti, est vitiosa.

Juvenis. — Si displicet Deo illegitimus concubitus, cur Deus perficit eum, infundendo animam fetui ex concubitu tali concepto ?

Senior. — Actus ille, in quantum operatio potentiæ vegetativæ ac generativæ, a Deo est, et complementum ab eo sortitur, videlicet formam seu animam rationalem ; non autem in quantum est actus voluntatis perversæ.

Juvenis. — Nonne sapientissimus Salomon dixit, Feci mihi cantatores et canta- Eccle. ii, 8, 10.
trices, et delicias filiorum hominum, et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in his quæ præparaveram ? Itemque : Non- Ibid. 24, 25.
ne (inquit) melius est comedere et bibere, et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis ? Quis ita vorabit et deliciis affluet ut ego ? Et rursus : Lætare, juvenis, in adole- Ibid. xi, 9.
scentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui. Ac iterum : Laudavi lætitiam, quod Ibid. viii, 15.

non esset homini bonum sub sole, nisi A quod comederet et biberet atque gauderet, et hoc solum secum auferret de labore suo in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.

Senior. — Ex libro quodam Salomonis jam allegasti quæ lubricorum affectui magis deservire et favere videntur ; sed verba in eodem libro contenta, et omnium iniquorum ac lubricorum vanitatem, voluptatem ac impietatem reprobantia, non advertisti, aut ex proposito subticuisti. Noveris ergo quod liber ille vocetur Ec- B clesiastes, id est concionator. Quo in libro loquitur Salomon instar concionatoris, in personis diversorum, et ad partem utramque, videlicet nunc in persona carnalium, jam in persona sapientium virtuosorumque hominum. Quod etiam ex verbis ejus apertissime innotescit. Nam et auctoritati quam primo allegasti, adjecit : *Eccle.* II, 11. Quumque me convertissem ad universa opera mea, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole. Porro secundæ auctoritati adje- C cit : *Ibid.* 26. Homini bono dedit Deus sapientiam et scientiam et lætitiam ; peccatori autem dedit afflictionem et curam superfluam. Tertiæ quoque auctoritati mox addidit : *Ibid.* XI, 9, 10. Scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium ; aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua : adolescentia enim et voluptas vana sunt. Præterea, quod verba illa, Lætare, juvenis, in adolescentia tua, etc., non dixerit eo sensu quo allegasti, constat ex hoc quod in *Ibid.* XII, 1. eodem loquitur libro : Memento Creatoris D tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, et appropinquent anni de quibus dicas : Non mihi *Ibid.* VIII, 15. placent. Similiter quo sensu dixerat, Laudavi lætitiam, quod non esset bonum homini, nisi quod comederet et biberet atque gauderet, elucescit ex eo quod in *Ibid.* VII, 3. eodem codice dixit : Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Itemque : Dixi in corde meo, Vadam *Eccle.* II, 1, 2. et effluam deliciis, et fruar bonis ; et vidi quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ? Et denuo : Cor sapientium *Ibid.* VII, 5. ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia. Quod autem pœnitentia virtuosaque vita non sint differendæ, sed indilate ac jugiter exercendæ, Salomon contestatur : Quod- *Ibid.* IX, 10. cumque (inquiens) potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos.

Juvenis. — Objectionibus meis sapienter atque plenissime respondisti, nisi quod ipsemet Salomon deliciis carnis se totum exposuit.

Senior. — De hoc Scriptura eum acriter *Eccli.* XLVII, 21-23. reprehendit. Imo ex vitio illo ad tantam devenit dementiam, ut idola coluerit, ne *III Reg.* XI, 4-8. suas contristaret delicias. Ex hoc ergo non datur hominibus licentia lasciviendi, sed cautela vitandi.

Juvenis. — Ecce David vir sanctus, præter sex uxores legitimas, legitur decem *II Reg.* XV, 16. habuisse concubinas. Conformiter in Genesi recitatur quod Abraham filiis concu- *Gen.* XXV, 6. binarum suarum largitus est munera. Si ergo tales ac tanti viri, Prophetæ, Patriarchæ, non solum plures habuerunt uxores, sed multas etiam concubinas : cur simplicem fornicationem in tantum condemnas ?

Senior. — Ad hæc tibi sequenti articulo respondebo.

ARTICULUS V.

Quam enorme crimen sit adulterium ; et qualiter intelligendum sit quod aliqui sancti in veteri Testamento ac lege naturæ leguntur concubinas habuisse.

Senior. — Quamvis actus conjugalis absque peccato fieri queat, dum in ipso non intenditur voluptas, sed proles ad Dei obsequium educanda, aut persolutio debiti carnis, vel evitatio incontinentiæ in contorali ; multi tamen abutuntur connu-

bio, et suas accedunt uxores non maritali A sed adulterino affectu, hoc est concupiscentia prædominante, voluptatem quærentes etiam extra limites ipsius conjugii. Qui in hoc peccant mortaliter, quum sanctus dicat Hieronymus : Omnis amator ferventior, est adulter. Hi sua voluptate et carnalitate sic excæcantur et indurantur, quod legitimis non sunt contenti uxoribus, sed vagam exercent luxuriam, jam cum solutis, jam cum maritatis personis, imo interdum cum personis religiosis. Denique quorumdam talium tanta est perver- B sitas, ut quum uxores habeant formosas, bonas, aut etiam nobiles, quibus sine peccato possent uti, nihilo minus illis contemptis, potius delectentur turpibus ac vilibus seu aliis quibuslibet puellis aut feminis commisceri : quorum iniquitas ineffabiliter est enormis, nec ullam excusationem admittit.

Juvenis. — Videtur tibi adulterium esse tam grave scelus ut tangis?

Senior. — Jam dixi, et iterum dico et sentio, quod ineffabiliter sit enorme ; et C inter peccata quæ fiunt in proximum, post homicidium, est de gravioribus unum.

Juvenis. — O horribile verbum, quum multi tam levi occasione illud committant! Sed nunc, quæso, causas tantæ enormitatis expone.

Senior. — In adulterio primo est violatio voti fidelitatis quam conjugati sibi invicem in contractione connubii promiserunt. Porro violatio voti, secundum doctores, gravius crimen est quam perjurii scelus. Secundo, in adulterio maxima est D inhonoratio et contemptus sacramenti Matrimonii, quod ipsemet Deus in exordio mundi instituit in innocentiæ statu atque paradiso. Tanti autem injuriatio sacramenti non caret grandi contumelia Dei. Tertio, in adulterio est furtum, dum maritus propriæ conjugi aufert suum corpus et semen corporis sui, quod conjugis suæ est et ei debetur, quum dicat Apostolus : Vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier. *I Cor.* VII, 4. Quarto, in adulterio est rapina, dum quis manifeste adulterium agit. Imo in adulterio frequenter est duplex furtum, aut duplex rapina : ut quum uxoratus cum uxore alterius viri peccat. Tunc enim suæ uxori aufert suum corpus, marito quoque uxoris quam fœdat, aufert corpus uxoris illius. Quinto, in adulterio est sacrilegium, id est abusus rei sacræ. Conjugati quippe in sua desponsatione solenniter ab Ecclesia benedicuntur, eorumque corpora consecrantur ad prolificandum Deo, ut sobolem generent in qua fides et cultus Dei conserventur : idcirco dum adulterio polluuntur, suis corporibus sacrilege abutuntur. Sexto, in adulterio maxima fit injuria proximo cujus uxor contaminatur : quod tam viro illi quam soboli ejus est valde injuriosum et confusivum. Sicque adulterium est juri naturali valde contrarium. Naturalis etenim juris præceptum est : Quod tibi non vis fieri, non facias alteri. *Tob.* IV, 16. Adulter enim nequaquam vult conjugem suam ab alio inquinari : imo multi potius usque ad mortem resisterent quam hoc ipsum permitterent. Septimo, in adulterio est origo exheredandi veram sobolem propria portione, dum ad filium illegitimum devolvitur hereditas legitimæ debita proli. Et dato quod ex adulterio soboles non nascatur, adulterans tamen tanto periculo se committit.

Præterea, tanta est gravitas hujus facinoris, quod pro eo jussit Dominus in veteri Testamento mortem infligi. *Lev.* XX, 10; *Deut.* XXII, 22. In sacrificio quoque zelotypiæ dicebatur uxori de adulterio suspectæ : Si concubuisti cum adultero viro, his maledictionibus subjacebis : *Num.* V, 20-22. Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo suo ; putrescere faciat femur tuum, et tumens uterus tuus dirumpatur ; ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum. Amplius, quum David rex, Dei sui oblitus, adulterium perpetrasset, *II Reg.* XI, 4. Dominus dixit ad eum : Non recedet *Ibid.* XII, 10, 11. gladius de domo tua (id est de sobole et posteritate tua) usque in sempiternum, eo quod despexeris me et tuleris uxorem Uriæ Hethæi. Ecce ego suscitabo super te ma-

lum de domo tua, et tollam uxores tuas, et dabo eas proximo tuo, et dormiet cum uxoribus tuis. Hoc autem dicitur Deus fecisse, quia justo judicio permisit hoc fi-
Exod. IX-XI, XIV. eri : quemadmodum Pharaonem dicitur indurasse. Unde elicitur, quod qui aliorum cognoscunt uxores, hoc promerentur, ut ipsorum quoque conjuges constuprentur. Postremo, quidam gentiles, sicut Ægyptii, in tantum abhorruerunt adulterium, quod dixerunt illud homicidio gravius esse, ut aliqui expositores Scripturæ fatentur, ex-
Gen. XII, 11-13. ponentes quod in Genesi recitatur : Quum B prope esset ut Abraham ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ : Novi quod pulchra sis mulier, et quod quum te viderint Ægyptii, dicturi sunt, Uxor illius est ; interficientque me, et te reservabunt : dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi.

Juvenis. — Nimis gravas atque magnificas adulterii culpam, et forsan ut terreas ac revoces homines inde. Sed non apparet tam grave ut asseris ; et forsitan tropice ac hyperbolice loqueris.

Senior. — O male fili ! adhuc inclinatio tua infecta est, et ad tantum scelus inclinat te. Sed audi quid sanctus Job in lege
Job XXXI, 9-12. naturæ locutus sit : Si deceptum est (inquit) cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alterius uxor mea, et super illam incurventur alii : hoc enim nefas est, et iniquitas maxima ; ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.

Juvenis. — Si ita est, cur sancta Scri- D ptura affirmat præfatos sanctos patriarchas Abraham, Jacob et David habuisse concubinas ?

Senior. — Qualiter intelligendum sit hoc, ipsa Scriptura non tacet : quoniam concubinas illas interdum vocat uxores, aliquando concubinas, quoniam erant uxores secundariæ minusque principales, quæ (juxta modum loquendi in veteri Testamento) concubinæ vocantur. Nempe, quod
Gen. XXV, 6. Abraham legitur filiis concubinarum mu- A nera præstitisse, exponitur de filiis Agar et Ceturæ : quæ tamen ab aliquibus una fuisse mulier asseruntur. Ipsaque Agar in Genesi uxor Abrahæ appellatur. In eodem *Gen.* XVI, 3. quoque Geneseos libro narratur : Abraham *Ibid.* XXV, 1. aliam duxit uxorem, nomine Ceturam. Idem patet in Genesi de Zelpha et Bala, quæ in- *Ibid.* XXX, 4, 9, 26 ; XXXV, 22. terdum uxores, aliquando concubinæ ipsius Jacob ibi vocantur. Denique, quod de uxoribus David Dominus dixit, Tollam uxo- II *Reg.* XII, 11. res tuas, et dabo eas proximo tuo, certum est de decem concubinis David intelligi, B prout secundo Regum describitur. *Ibid.* XVI, 22.

Juvenis. — Cur sanctus vir ille voluit tot uxores habere, quod non videtur junioribus exemplare ?

Senior. — Tempore legis Mosaicæ cultus veri Dei quasi in sola Israelitica viguit plebe, in qua per generationem carnalem conservabatur : ideo desiderio sobolis ad Dei obsequium educandæ, non voluptatis affectu, David tot conjuges sumpsit ; quibus et moderanter est usus, nocturnis temporibus lacrimis compunctionis magis C quam lasciviis vacans, sicut in Psalmo testatur : Laboravi in gemitu meo, lavabo *Ps.* VI, 7. per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo. Quocirca ait Chrysostomus : Summus rex erat, qui ista dicebat ; summus rex erat, qui ista faciebat.

Juvenis. — Ecce instructionibus et exhortationibus tuis obtemperare desidero ; sed retrahit prava consuetudo. Et quamvis ratio deprecetur et conetur ad optima, atque synderesis remurmuret malo, conscientia quoque remordeat : passiones tamen fortes sunt valde, et caro infirma, sensua- *Matth.* XXVI, 41. litasque infecta ; fomes etiam et lex pec- *Rom.* VII, 23. cati regnans in membris, stimulare non cessant. Objecta item alliciunt, societas trahit, dæmones tentant, et sanguis est calidus. Quid in tot impugnationibus ac incitamentis peccandi facturus est miserabilis adolescens aut juvenis ?

Senior. — Plures et fortiores nobiscum IV *Reg.* VI, 16. sunt, quam contra nos : imo omnipotens est, qui paratissimus est ad se confugien-

tes, in se sperantes, suum auxilium invocantes, juvare, confortare, defendere ; qui
Ps. xc, 11. et angelis suis mandavit de nobis, et per Scripturas ac suos ministros nos instruit, multa et efficacia præbens ac docens remedia contra vitia carnis.

Juvenis. — Tange, o senex, tange et doce me remedia ista.

Senior. — Sic agam.

ARTICULUS VI.

De multis remediis contra vitia carnis.

Senior. — Sicut consuetudo paulatim contrahitur, ita paulatim expellitur, non sine conatu, et præsertim cum adjutorio Dei. Primum ergo remedium contra vitia carnis est, propriam fragilitatem ac pronitatem ad vitia coram Deo humiliter ac frequenter cognoscere, et Dei subsidium ad prævalendum his vitiis fideliter atque assidue invocare, et etiam Sanctos Dei, et potissimum gloriosissimam ac mundissimam Dei Matrem, et eos ad quos quis majorem devotionem et confidentiam habet, ac proprium angelum sanctum. — Secundum est, se ipsum avertere a consideratione, imaginatione, inspectione ac recordatione delectabilium delectationumque carnis et carnalium operum. Omnis namque appetitio ex prævia aliqua apprehensione seu cognitione procedit, quum objectum appetitus sit bonum cognitum : quod enim omnino incognitum est, nequaquam appetitur.

Juvenis. — Quomodo potest se homo ab horum apprehensione et recordatione avertere, quæ oculis carnis ac cordis indesinenter occurrunt ac præsentantur ?

Senior. — Hoc facere potest ac debet, convertendo considerationem sui cordis ad salubria ac divina. Nonne David rex
Ps. xxiv, 15. dixit, Oculi mei semper ad Dominum ? Et
Job xxiii, 15. sanctus Job : Considerans (inquit) Deum, timore sollicitor. — Tertium remedium valde idoneum est, se ipsum quotidie, imo multoties omni die, diligenter exercere in præcordiali et compassiva meditatione amarissimæ passionis Domini nostri Jesu Christi : quæ si sic consideretur, omnis immunda et fœda ac vilis voluptas in nauseam vertitur. Idcirco meditatio passionis Christi tunc est protinus assumenda, dum oriri incipit in corde tentatio, aut recordatio impura, venerea. — Quartum remedium est, profunde et frequenter attendere propria metuenda novissima, hoc est : mortis acerbitatem, incertitudinem, periculositatem et approximationem ; districtionem quoque divini judicii, et quam horrendum sit incidere in manus Dei vi- Hebr. x, 31.
ventis ; intolerabilia etiam tormenta inferni, quæ tanto acrius punient lubricum, quo intensius in rebus immundis et actibus delectatur obscenis. — Quintum remedium est, vilitatem carnalium vitiorum, et mala eis annexa, ac quantum noceant homini, vigilanter considerare : et de hoc dictum est præcedenti articulo. Verumtamen homini adhuc prono ad talia, non expedit talium considerationi diu insistere : quia ex hoc magis incitaretur ad ea. — Sextum remedium est, occasiones et incitamenta horum vitiorum vitare, quæ sunt : morosi et incauti mulierum adspectus, familiaritates, munuscula, confabulationes, loca solitaria et secreta cum feminis, attactus, amplexus et oscula ; otium, prava consortia ; immoderata repletio ventris, præsertim ex calidis cibis ac potibus ; amatoriæ cantilenæ, turpiloquia, et musica
quædam. Hinc ait Scriptura : Virginem Eccli. ix, 5.
ne conspicias, ne scandalizeris in decore
ejus. Noli circumspicere in vicis civitatis ; Ibid. 7-9.
averte faciem tuam a muliere compta : propter speciem mulieris multi perierunt. — Septimum remedium est, intenta et honesta occupatio circa bona. Unde Hieronymus dixit : Ama studium Scripturarum, et carnis vitia non amabis. — Octavum est, consideratio præsentiæ summi et sancti Dei : cujus præsentia atque inspectio merito retraheret hominem ab omni peccato, præsertim a tam turpibus culpis, imo etiam præsentia proprii angeli sancti.

JUVENIS. — Fateor quod qui his remediis uteretur, et præfato modo se exerceret in meditationibus actibusque prætactis, vitia ista contemneret.

SENIOR. — Laborare oportet. Et si pro corporali sanitate recuperanda, pro temporali lucro homines tot et tanta agunt ac patiuntur : cur pro animarum curatione, pro evadenda æterna damnatione, pro adeptione gratiæ ac virtutum, et pro æterna felicitate, laborare et aliquid pati piget?

JUVENIS. — Ora pro me, quia ad ista me dare propono, et fœda corporis inquinamenta vitare. Verumtamen divitias mundi relinquere nondum paratus sum.

ARTICULUS VII.

Exhortatio ad cupiditatem vitandam.

SENIOR. — Advertere debes, o juvenis, quod temporalia et corporalia bona ordinantur ad bona spiritualia et divina, sicut medicina ad sanitatem, et sicut media ad finem. Ideo, sicut medicina nocet ac lædit, debilitat et occidit, si abundantius accipiatur quam ad sanitatem requiritur : sic temporalia bona si plus appetantur, congregentur aut reserventur, quam necessarium aut utile est ad virtuose vivendum, ad proficiendum in gratia atque virtutibus, ad obtinendum salutem æternam ; culpa est et superfluitas, quæ avaritia nuncupatur, id est inordinatus amor temporalium rerum. Ideo dixit Apostolus : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus. *I Tim.* VI, 8.

JUVENIS. — Certe ex terrenis divitiis consequitur homo commoda multa, provisionem securam, lautam refectionem, honorem, famam et dignitatem.

SENIOR. — Non vides quod lauta refectio, promotio ad honores, reputatio hominum, pretiosus vestitus, abundans provisio pro hac vita, sunt instrumenta peccandi, periclitatio animarum, occasio vitiorum, origo superbiæ, otii causa, materia gulæ, fomentum luxuriæ, impedimentum

A spiritualis amoris? Propter quod dixit Apostolus : Radix omnium malorum est cupiditas ; *I Tim.* VI, 10. itemque : Qui volunt divites fieri, *Ibid.* 9. incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Hinc ait Chrysostomus : Divitiarum sequela sunt, gula, luxuria, ira intemperata, furor injustus, arrogantia, superbia, et omnis irrationabilis motus. Innocentius quoque : Dives, inquit, in superfluitatem resolvitur, jactantia effrena-B tur, currit ad libitum, corruit ad illicitum.

JUVENIS. — Nonne hereditatem parentum meorum possum sine peccato possidere? Nonne multi divites justi fuerunt et sancti? Nonne Christus divites habuit quosdam discipulos, Nicodemum et Joseph ab Arimathæa, Lazarum et ejus sorores, Joannam, Susannam, et alios utriusque sexus nonnullos? Nonne omnis creatura Dei est bona? *Ibid.* IV, 4. Cur ergo contemnis divitias?

SENIOR. — Si bene advertisti, non damno divitias, nec omnes divites dico injustos, C sed divitiarum abusum, cupiditatem, tenaciam ; idque affirmo, quod paucissimi sunt qui eis non abutantur, ideoque periculosum sit eas habere ; nec ultra quam utiles aut necessariæ sunt ad spiritualia bona licet eas appetere.

JUVENIS. — Nonne multa possunt adversa et damna ac pericula homini evenire? Propter quod providentiæ esse videtur congregare et reservare divitias : præsertim quum in senectute pluribus indigeat homo.

D SENIOR. — Dominus noster Jesus Christus per omnem Evangelii textum nos docuit Deum altissimum patrem vocare, ut in ipso filialem confidentiam habeamus, atque superfluam circa temporalia sollicitudinem aspernemur, nec propter incertos futurorum eventus adversos thesaurizemus, quum et bruta pascat et inanimata servet atque gubernet Deus. Hinc etenim ait : Ne solliciti sitis quid manducetis neque quid induamini. *Matth.* VI, 25, 26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt;

Matth. VI, 34. et Pater vester cœlestis pascit ea. Nolite *Ibid.* 19. solliciti esse in crastinum. Itemque : Nolite thesaurizare in terra.

JUVENIS. — Si non licet sollicitum esse in crastinum, non licebit fructus terræ congregare in horreum.

SENIOR.—Per crastinum intelligitur tempus futurum.

JUVENIS. — Usque in quantum tempus licitum est sibi providere de necessariis vitæ ?

SENIOR. — Dicunt quidam famosi doctores, quod pro uno anno.

JUVENIS. — Adhuc intelligere nequeo cur non liceat divitias possidere ac conservare nisi secundum mensuram quam præfixisti, utpote prout utiles aut necessariæ sunt ad spiritualia bona, quum possideantur titulo justo et ex successione legitima, et multa opera bona fieri possint ex ipsis.

SENIOR. — Omnia temporalia et terrena sunt dona Dei concessa hominibus ad bene et ordinate utendum eis : ita quod homines magis sunt dispensatores divitiarum quam domini. Propter quod tenentur eis uti secundum præceptum Domini Dei sui, cui et de omnibus bonis eis concessis daturi sunt rationem. Audi ergo quid sancti patres Basilius atque Ambrosius dicant : Non minoris est criminis habenti sua auferre ac rapere, quam quum possis et habeas, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem detines ; nudorum indumentum, quod recludis ; miserorum redemptio et captivorum absolutio, pecunia quam in terra abscondis : tantorum ergo scias te bona invadere, quantis possis et non vis præstare. Hinc ait gloriosus Hieronymus : Quidquid amplius quam nobis opus est a Deo accepimus, pauperibus erogare debemus ; si autem quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis ubi sumus paupertate aut nuditate defecerint, noverimus nos de animabus illorum in die judicii rationem daturos. [.] XXXII, a. 5 ad 2um. Denique, ut S. Thomas in secunda secun- A dæ declarat, temporalia bona quamvis sint possidentis quantum ad proprietatem, tamen quantum ad usum debent esse illorum qui de eorum superfluo possunt sustentari. Propter quod sanctus ait Basilius : Si fateris ea tibi divinitus provenisse, an injustus est Deus res inæqualiter nobis distribuens ? Cur tu abundas, et ille mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris, et ille patientiæ braviis decoretur ?

JUVENIS. — Nimis arctam facis viam sa- B lutis.

SENIOR. — Quæ dixi adhuc minus stricte minusque terribiliter sonant quam quod Filius Dei in Evangelio ait : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. *Matth.* XIX, 24.

JUVENIS. — Omnes ergo divites sunt in statu damnationis ?

SENIOR. — Sicut in libro sancti Job legitur, Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens ; sic dicere possumus : Deus divites non abjicit, quum et ipse sit dives. *Job* XXXVI, 5. C Porro Christus per divitem intellexit amatorem divitiarum immoderatum ; atque ad insinuandum quam pauci sint divites justi, sic loquitur. Unde et verbis illis præmisit : Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum ! *Matth.* XIX, 23 ; *Luc.* XVIII, 24.

JUVENIS.— Ad divitias vehementer affici consuevi, et quomodo possum nunc affectum meum ab illis avertere ?

SENIOR. — Si consideres quod divitiæ sint tam periculosæ, ut dixi, et quod eis sint tot mala annexa, quod item superfluus D amor earum sit caritatis venenum, et avaritia appelletur, quam Apostolus idololatriam vocat ; *Ephes.* V, 5. insuper, si attendas quod Deus sit infinite et prorsus incomparabiliter universis et cunctis creatis amabilior, melior atque suavior, quod etiam spiritualia ejus dona, quæ sunt animarum opulentia, sint ineffabiliter digniora cunctis terrenis divitiis ; si quoque perpendas brevitatem vitæ præsentis, in cujus termino cuncta terrena relinques, ac perpetuitatem vitæ sequentis, in qua sola spiritu-

alia bona juvare, sustentare et beatificare A te queunt. Nonne fatuum reputares quem cerneres lutum et stercora pretiosissimis gemmis ac purissimo auro præferre? Quanto magis te ipsum arbitrari debes insipientem, quamdiu Deo bonitatis ac amabilitatis immensæ, et spiritualibus donis ipsius ac felicitati æternæ, præfers hæc temporalia et caduca, nec quoad hoc vis ea contemnere, quod a divino amore, a gratia et virtute, a spirituali profectu, a salute perpetua te impediunt et avertunt?

Juvenis. — Fortia, sapientialia sunt quæ B dicis, nec quod dicere valeam habeo; nec tamen ex me ad hunc divitiarum despectum pertingere queo.

Senior. — Fac quod in te est, te ad gratiam disponendo, et Dominum invoca adjutorem, nec deerit tibi. Nonne multi gentiles philosophi ex naturali ratione atque virtutibus acquisitis contempserunt et abjecerunt divitias, ne earum amore et occupatione a studio sapientiæ naturalis impedirentur? Quanto magis amore supernaturalis sapientiæ, gratiæ gratum facientis, C infusarum virtutum, atque donorum et fructuum Spiritus Sancti, beatitudinis quoque futuræ ac sempiternæ, et maxime intuitu et amore Dei tui, id facere debes, ut saltem necessariis sis contentus?

Juvenis. — Bonum esset sic agere, sed quis potest?

Senior. — Cur pusillanimis manes? Cur in te stas, et non stas? Fige ancoram spei tuæ in Domino. An non vides quam multi elegantes, docti, locupletes, nobiles adolescentes ac juvenes quotidie deserant D mundum, parentes, cognatos, consortes, et cuncta quæ habent habiturique erant in sæculo, et claustra ingrediantur, imo et Ordinem Cartusiensium, in quo sub perpetua maneut clausura?

Juvenis. — Video, et admiror, nec sine speciali gratia id fieri posse reor.

Act. x, 34. Senior. — Numquid personarum acce-
Ps. cxliv, 18. ptor est Deus? Nonne prope est omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum perseveranter in veritate, nec ulli se disponenti suæ gratiæ denegat opem?

Juvenis. — Ecce ex his ad divitiarum contemptum inclinor, et necessariis contentus esse propono. Verumtamen ad honores mundi, ad humanas laudes, ad dignitates ac præsidentiam adhuc cor meum afficitur; seque ad hæc licite affici arbitratur, quum (juxta Philosophum) honor videatur præmium esse virtutum, solique sapientes ac virtuosi principatu ac prælatione sint digni.

Senior. — Talis affectio christianæ religioni non congruit: imo ambitionis est vitium, et veræ humilitati contraria, imo et vitiorum gravissimorum origo, quemadmodum in sequenti tibi pandam articulo.

ARTICULUS VIII.

Quod ad veraciter christianum pertineat gloriam et honorem mundi, laudes humanas, promotionem ad præsidendum aspernari ac fugere.

Senior. — Scire te puto, sanctam humilitatem esse fundamentum virtutum, sicut superbia mater est et origo omnium vitiorum. Agnosce ergo te ipsum, et ita intelliges an liceat tibi appetere principatum, honorem laudemque hominum.

Juvenis. — Cognosco me esse rationalem creaturam, non solum cunctis irrationalibus creaturis eminentiorem, sed multis quoque hominibus doctiorem, atque in multis præeminentem his inter quos vivo et ambulo: propter quod dignum me arbitror honorari ab ipsis, ac ipsis præesse.

Senior. — Si propter hujuscemodi eminentias tuas contendis aliis præsidere, non deerunt qui in his aut consimilibus aut certe majoribus donis erunt (aut reputabunt se) excellentiores te, et tuæ promotioni resistent, ac tibi præferri nitentur: sicque inter illos et te orientur dissensio, displicentia, inquietudo, suspicio, rancor, lis atque contentio.

Juvenis. — Hæc quotidie oriri inter eos A qui ad principatum et prælationem adspirant, experientia monstrat.

Senior. — Quomodo ergo opinaris te id licite affectare ex quo tot vitia oriuntur, et quod affectantem sic maculat, inquietat, atque ab omni profectu spirituali et vera mentis tranquillitate impedit et elongat?

Juvenis. — Nonne aliqui justi pro principatu obtinendo aut conservando decertant?

Senior. — Hi quibus ex jure successio- B nis aut alio titulo justo competit principatus, pro eo possunt certare, dummodo recta eorum sit intentio, et ipsi se dignos exhibeant principatu. Aliunde vero ad præsidentiam adspirare, præsertim ad ecclesiasticas dignitates ac promotiones quibus cura annexa est animarum, præsumptuosum, ambitiosum, incautum, imo et stultum censetur.

Juvenis. — Nonne his qui vigent et præpollent ingenio ac prudentia, jure naturali competit præsidere, ut ait Philo- C sophus?

Senior. — Si ingenio ac vera prudentia, quæ sine aliis virtutibus non habetur, præsertim infusa prudentia polleant, ceterosque transcendant, præesse sunt digni : non tamen consequitur quod se ipsos ingerere debeant, aut præsidentiam affectare ; sed præstolari, humiliare se ipsos, subesse et obedire convenit, quousque vocentur legi-
Hebr. v, 4. time, quum dicat Apostolus : Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tan-
Is. v, 21. quam Aaron ; et Isaias : Væ qui sapientes D estis in oculis vestris, et coram vobismet-
Rom. xii, 16. ipsis prudentes. Unde et Paulus : Nolite (inquit) esse prudentes apud vosmetipsos. Quod si væ his qui in oculis suis prudentes sunt, quanto magis his qui se aliis reputant prudentiores, potissimum quum infusa prudentia præsupponat caritatem, in
Eccle. ix, 1. qua nemo se esse cognoscit pro certo sine revelatione divina? Sed jam plenius exprime mihi quid sis. Quum enim dixi, Agnosce te ipsum, non id admonere intendi, ut noscas quid sis definitive seu per naturam, et quantum ad dona fortunæ, quæ bonis et malis sunt communia, sed ut penses qualis sis per conversationem.

Juvenis. — Defectuosum et fragilem me esse non denego.

Senior. — Si ergo hucusque non recte rexisti te ipsum, nec sub regimine superioris juste vixisti, quo colore appetis aliis præsidere? Intuere quantæ debeat esse virtuositatis, qui dignus est præesse hominibus. Nonne judex debet esse quasi viva lex ac animata justitia, ut nusquam ab æquitate et veritate declinet? Quod si quis vera careat humilitate, utpote ambitiosus, o quam longe distat a virtuositate! Denique, si universa et singula tua peccata clare et efficaciter penses ac ponderes, non jam primatu, honore, laude et gloria, sed omni dejectione, confusione, vituperio, subjectione dignum te reputabis. Itaque qui in virtutibus et profunda humilitate exercitatus non est, et qui subesse ac prompte obedire non didicit, non est aptus et dignus præesse. Nec enim idoneus est alios in virtutibus edocere, qui in virtutibus non est practice doctus.

Juvenis. — Si hæc ita se habent, quid est quod in Ecclesia non solum ad sæcularia officia et ad dignitates civiles, sed ad spiritualia quoque regimina et ecclesiasticas prælaturas, multi inexercitati et juvenes ac se ipsos ad talia ingerentes quotidie promoventur?

Senior. — Allegare inconvenientia, non est satisfacere veritati, sed absurditates augere sive detegere. Verumtamen, quoniam id quod tangis, assidue agitur, Ecclesia vehementer declinat, et innumerabiles tam præsidentes quam subditi pereunt ac damnantur. Præterea, si tales ad præsidendum sic adspirantes, districtionem pensarent divini judicii, nequaquam se tanto innodarent periculo ; et qui pro se ipsis non sufficiunt summo Judici reddere rationem, nullatenus statum illum appeterent in quo pro aliis quoque obligarentur rationem dare Altissimo. Scriptum est

Sap. vi, 6. enim : Judicium durissimum in his qui A præsunt fiet.

Juvenis. — Si tam periculosum est præsidere, mirum quod aliquis cupit primatum.

Senior. — Audi quid electus et illuminatus dicat Gregorius : Unusquisque toties ad apostasiæ crimen delabitur, quoties præesse hominibus gloriatur ; et rursus : Toties Deum meum præcedere cupio, quoties proximis meis præesse desidero ; et iterum : Quem nunc judicem esse delectat, Christum judicem videre in die judicii B non delectabit ; itemque : Numerari vitia nequeunt quæ ex ambitione procedunt. Hinc et S. Bernardus disseruit : O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places ? Et denuo : Quid magis mirandum, quid amplius detestandum, quid gravius puniendum, quam ut videns Filium Dei summum in regno angelorum, factum novissimum in regno ho-
Ps. x, 18, sec. Hebr. minum, apponat ultra magnificare se homo super terram ?

Juvenis. — Mirum quod Christus in C Evangelio ista non tangit.

Senior. — Non solum in Evangelio tangit hæc, sed exemplo et verbo apertissime percutit, damnat, confundit totius ambitionis insaniam, omnis arrogantiæ vanitatem, universam laudis humanæ, gloriæ sæcularis transitoriique honoris affectionem.
Joann. vi, 15. Nonne apud Joannem narratur, Quum cognovisset Jesus quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit in montem solus ? Nonne de Christo
Hebr. xii, 2. vere dixit Apostolus, quod proposito sibi D gaudio sustinuit crucem, confusione con-
Ibid. v, 5, 6. tempta ? Et denuo : Christus (inquit) non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret,
Ps. cix, 4. sed qui locutus est ad eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Mel-
Matth. xi, 29. chisedech. Nonne in Evangelio ait, Discite a me quia mitis sum et humilis corde ?
Ibid. xxiii, 12 ; *Luc.* xiv, 11 ; xviii, 14. Nonne frequenter locutus est, Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur ? Denique ipse venit in mundum hunc, et in mundo hoc inter homines conversari elegit, non in opulentia temporali, non in deliciis carnis, non in mundano honore, non in potestate et gloria, sed in maxima paupertate, in corporali afflictione, in profundissima humilitate, abjectione, persecutione, obedientia, servitute, factus obediens Patri usque ad *Philipp.* ii, 8.
mortem ; et dixit : Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. *Matth.* xx, 28. Præterea, quum in cœna novissima facta fuisset in- *Luc.* xxii, 24-26.
ter discipulos adhuc imperfectos et rudes contentio quis eorum videretur esse major, respondit : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur ; vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor ; et qui præcessor est, sicut ministrator. Apud Marcum quoque loquitur : Quicumque voluerit fieri major, erit ve- *Marc.* x, 43, 44.
ster minister ; et quicumque voluerit inter vos primus esse, erit omnium servus. Atque, ut in Matthæo recitatur, interrogatus *Matth.* xviii, 1, 3, 4.
ab Apostolis Jesus, Quis major est in regno cœlorum ? respondit : Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum : quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum.

Juvenis. — Ut video, humilitas in primis necessaria est, et ipsa præcipue commendatur ; estque necesse ut homo in oculis suæ mentis sit vilis et modicus, et deprimat, non extollat se ipsum, et cupiat obedire, subesse ac parvi pendi, potius quam jubere, præesse aut promoveri, quamvis hoc totum satis difficile videatur implere.

Senior. — Hoc totum facile fiet nobis, et paulatim delectabile erit, si consideremus quotidie omnem Domini nostri Jesu Christi humilitatem, obedientiam, subjectionem, proprias quoque defectuositates, et innumerabiles quotidianasque culpas, sed et naturales defectus in corpore et in anima, sordes fœditatesque carnis, et quod a nobis ipsis nil habeamus nisi deficere et peccare, imo quod nec ad momentum possimus manere in esse nec aliquid meritorie agere, nisi ex conservatione et gratia

Dei, cui omne bonum semper adscribere A
obligamur ; si demum pensemus quantum displiceat Deo et quantum noceat homini superbia, quantam mereatur damnationem, quantum etiam placeat Deo et quantum
Prov. XIII, 10. prosit homini beata humilitas. Nonne inter superbos semper sunt jurgia, humiles vero pacifice ac jucunde conversantur ad invicem?

JUVENIS. — Bona doctrina, cui nec quidquam objicere queo. Plenius tamen et compendiose, quæso, me instrue qualiter omnia ad quæ in isto dialogo ac tractatu B
me admonuisti, valeam adimplere.

SENIOR. — Dilige te in Deo, et hæc omnia implebis.

JUVENIS. — Quid est diligere se in Deo?

SENIOR. — Omnia illa appetere et amplecti quæ expediunt homini ad complacendum Deo, ad proficiendum in gratia et caritate ipsius, ad obtinendum æternam salutem.

JUVENIS. — Quæ sunt illa?

SENIOR. — Corpus proprium per jejunia et abstinentias, per vigilias fructuosas et C
disciplinas, per pœnitentiæ opera castigare, sensualitatem rationi subjicere, in adversis gaudere, injurias, correptiones, aspernationes hilariter tolerare, ad assiduam mentis unionem cum Deo indefesse conari per orationes ferventes ac frequentes, per meditationes salubres, per ardentes affectus, atque in omnibus coram Deo custodite ac timorate et sinceriter conversari.

JUVENIS. — Ad carnalium deliciarum despectum, ad temporalium divitiarum vi- D
lipensionem, ad transitoriorum, inanium fallaciumque honorum horrorem ac fugam, per omnia præinducta me attraxisti.
Gen. VIII, 21. Verumtamen, quoniam sensus et cogitatio cordis humani prona sunt in malum ab adolescentia, in tantum quod peccare delectat, et ad ludos, jocos, confabulationes, solatia jugiter inclinamur nos qui in virtutibus nondum sumus constabiliti; precor ut aliquid dicas de his quæ ad peccati horrorem et fugam accendunt.

ARTICULUS IX.

De his quæ ad horrorem et fugam peccati inducunt, et de enormitate ac gravitate peccati; de stultitiis quoque peccantium, et de effectibus vitiorum.

SENIOR. — Gravitas enormitasque peccati ex multis pensantur, præsertim ex parte Dei, qui per omne mortale peccatum contemnitur, relinquitur et amittitur. Ideo, quanto major est bonitas Dei, tanto detestabilius est ei præferre ista terrena, carnalia et caduca, et propter ista vana, fœda ac vilia se ab ipso avertere, ac bonum tam purum et infinitum relinquere. Rursus, quo major est auctoritas ac dignitas Dei præcipientis, eo enormius est ipsius præcepta prævaricari, præsertim ipsomet intuente. Iterum, quo major est sapientia Dei, eo stolidius est ejus documentis et exhortationibus non obtemperare. Amplius, quo major est sanctitas ac justitia Dei, eo plus displicet ei iniquitas. Quo etiam gratiosius nos prævenit sua gratuita ad nos dilectione, eo perversius est eum non redamare, et ab ipso mentem avertere. Quo item majora et copiosiora sunt beneficia ejus, eo plus improbum et ingratum est ipsum offendere, et mala pro tot bonis rependere. Postremo, quo major est dignatio atque fidelitas ejus ad nos, in tantum quod a nobis pauperrimis vermiculis pater appellari dignatur, eo damnabilior est nostra transgressio. Et si vitiosum valde censetur carnalibus esse rebellem parentibus, nonne sceleratissimum est Deo Patri omnipotenti non obedire?

JUVENIS. — His plane contradici non potest.

SENIOR. — Quemadmodum ergo infinitam Dei bonitatem, fidelitatem, dignitatem, sapientiam, caritatem, beneficientiam, dignationem et eminentiam in hac vita comprehendere non valemus, ita nec plene et limpide capere aut exprimere possumus quanta sit gravitas atque enormitas omnis peccati mortalis.

JUVENIS. — Heu! quid audio? Quum enim inter peccata mortalia sit tanta diversitas, ita ut unum sit alio quasi incomparabiliter majus et gravius; si tanta est minimi peccati mortalis enormitas, quid de gravioribus vitiis, quibus et me contaminatum non ignoro, est sentiendum?

SENIOR. — Bene consideras. Quemadmodum enim una virtus est dignior alia, sic unum peccatum est alio gravius.

JUVENIS. — Inchoatam disputationem prosequere.

SENIOR. — Frequenter contingit ut id quod in se ipso plene cognosci non valet, ex suis cognoscatur effectibus. Sic et cujuslibet mortalis peccati ineffabilem gravitatem aliqualiter scire valemus, si consideremus quod Deus naturaliter pius et bonus, non obstante omni sua benignitate et caritate ad genus humanum, pro unoquoque peccato mortali æternam damnationem et pœnam omni tormento hujus vitæ acerbiorem, nunquam finiendam, infligit, imo pœnarum congeriem inæstimabiliter dolorosam, videlicet pœnam damni et pœnam sensus. Ipsaque pœna sensus est multiplex: quia nunc æstuantissimo calore, nunc vehementissimo frigore, absque reductione ad medium, miserrimi affliguntur damnati. Nec tantum ipso infernali incendio gehennalique frigore cruciantur quantum ipsa mentis desolatione, angustia, desperatione, pressura, dum jugiter pensant tantam eorum calamitatem perpetue duraturam. Jam dæmonum quoque societas et horrendus adspectus pœnalissimus est damnatis.

JUVENIS. — Metuenda et jugiter pensanda sunt ista. Quod si pro quolibet mortali peccato quantumlibet parvo infligitur tanta punitio, quam intoleranda ac vehementissima erit eorum pœna qui gravioribus vitiis implicantur, imo multis mortalibus sordent criminibus? Sed dic an etiam venialia puniantur in inferis, et quam diu.

SENIOR. — Deus justus nullum malum quantumlibet modicum deserit impunitum. Nonne Christus in Evangelio dixit,

A quod de omni verbo otioso exigenda sit in die judicii ratio? *Matth.* XII, 36. Quamvis autem peccato veniali non æterna sed temporalis pœna debeatur secundum se, tamen in quantum conjunctum est culpæ mortali, et ratione status miserorum in inferno, in quo nulla est redemptio, dicunt doctores communiter, quod etiam venialia in inferno æternaliter puniantur.

JUVENIS. — Grandem formidinem et tremorem mihi ista incutiunt. Et certe insensati sunt qui ista non pensant, sed absque *Eccle.* VIII, 11.
B terrore et freno perpetrant mala.

SENIOR. — Multæ et magnæ sunt peccantium stultitiæ. Prima est, quod pessimo et crudelissimo suo hosti deserviunt, a quo tanto graviora recipient ac sustinebunt tormenta, quanto plus servierint et acquieverint illi. Secunda, quia a summo et optimo suo amatore, scilicet Deo, avertunt se, et ejus voluntati, præceptis, documentis, consiliis renuunt consentire. Tertia, quia spiritualiter corda sua excæcant, juxta quod scriptum est: Excæcavit illos ma- *Sap.* II, 21.
C litia eorum. Quarta, quia letaliter vulnerant, imo occidunt animas suas, sicut in libro Sapientiæ scriptum est: Homo per *Ibid.* XVI, 14.
malitiam occidit animam suam; et item:
Os quod mentitur, occidit animam. Quinta, *Ibid.* I, 11.
quia se ipsos diabolo incorporant, illaqueant, tradunt et vendunt. Sexta, quoniam omnia præcedentia merita sua mortificant. Septima, quia omnes spirituales suas divitias, scilicet gratiam, virtutes et dona Spiritus Sancti, amittunt. Octava, quia Spiritum Sanctum ejusque inhabitationem
D piissimam a cordibus suis excludunt, atque in eis diabolo exhibent mansionem. Nona, quia scienter et sponte ad inferos gradiuntur. Decima, quoniam vilia corpora sua præferunt suis nobilibus et immortalibus animabus, magisque amant et quærunt temporalia quam æterna, præsentia quam futura, terrena quam cœlestia, carnalia quam spiritualia ac divina. Undecima, quod dæmonum suggestionibus acquiescunt, et angelorum sanctorum inspirationibus inobedientes consistunt. Duodecima,

quod matrem suam Ecclesiam, ac bonos A prælatos spiritualesque patres suos, audire contemnunt.

Juvenis. — Incomparabiliter magnæ et inexcusabiles sunt istæ stultitiæ. Nunc de effectibus vitiorum aliquid adde.

Senior. — Quemadmodum caritas virtutesque ceteræ faciunt hominem Dei amicum, filium adoptivum, servum fidelem, æternæ vitæ heredem, membrum ac militem Christi, Deo consimilem et unitum ; sic omne mortale peccatum facit hominem adversarium Dei, filium et servum ac B membrum diaboli, dignum pœnis inferni, spiritualiter mortuum, miserum, pauperem, cæcum et nudum : ita quod suæ salutis fit immemor, nec sua advertit pericula, nec ea quæ Dei sunt sapiunt ei, nec vitiorum suorum percipit læsiones, imo ad ea quæ suam concernunt salutem insensibilis exsistit. Venialia quoque peccata ad mortalia disponunt, caritatis fervorem diminuunt, spiritualem consolationem impediunt, a profectu retrahunt spirituali, retardant a gloria, et magna purgatorii merentur tor- C menta, mentis quoque inquinant puritatem, et ejus cum Deo familiaritatem præpediunt, tempus infructuose expendunt. Idcirco qui mortalia peccata cupit vitare, necesse habet diligentiam adhibere ut et venialia, quoad ejus fieri poterit, declinet, et quotidiana peccata deploret quotidie, atque in via virtutum proficiat, quia in ea non progredi neque proficere, regredi est et deficere.

Apoc. III, 17.

Juvenis. — Jam tanta mihi locutus es de enormitate peccati, de stultitiis pec- D catoris, de effectibus vitiorum, de suppliciis damnatorum, ut saxo et ferro sit durior qui ex his non compungitur nec terretur, nec vitia detestatur, nec pœnitere et converti festinat. Ego itaque consideratione horum pœnitere et mox converti propono, auxilianteque Deo dignos pœnitentiæ fructus agere cupio. Sed, proh dolor ! adhuc terret me arctitudo viæ salutis, difficultas virtutum, pœnitentiæ labor, pugna tentationum, et perseverantia laboriosa usque in finem. Ideo precor ut ad hæc arripienda me animes et confortes, meque mœstum ac tremulum consoleris.

Senior. — Libenter, quantum Dominus dederit, faciam.

ARTICULUS X.

Exhortatio, confortatio et consolatio ad aggrediendum viriliter ac jucunde viam salutis, pœnitentiam salutarem, conversionem perseverantem.

Senior. — Considerare debes in primis, o juvenis, quod Dominus noster Jesus in Evangelio ait : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos ; tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Mox ergo ut viam pœnitentiæ ac salutis cœperis introire, et laborem ac difficultatem senseris in eadem, accede ad Christum, et ipse reficiet te. Quumque jugum præceptoris ipsius super te sumpseris, et mandata ejus exsequi cœperis, invenies requiem animæ tuæ, et experieris quod jugum Christi, id est lex evangelica, suave exsistat, et prompte ac dulciter Deo obediens serviensque eris.

Matth. XI, 28-30.

Juvenis. — Quid est ad Christum accedere ? et quid est refici ab eo ?

Senior. — Ad Christum accedere, est ejus pietatem, caritatem et omnipotentiam considerare, et ipsum confidenter, humiliter ac perseveranter orare ut dona gratiæ suæ dignetur augere in ipso orante, et consolationem internam interdum conferre, et præsertim caritatem accendere, atque in omni tentatione et necessitate gratiose adsistere ac juvare. Ad hunc spiritualem accessum hortatur Apostolus, dicens : Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hebr. IV, 16.

Ps. xxxiii, 6. Et Psalmista : Accedite (inquit) ad eum, A et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. Denique, quam confidenter debemus orare, ipsemet Christus, infallibilis Matth. vii, 7, 8. veritas, docet, dicendo : Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis : omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Luc xviii, 1. Atque, ut idem testatur, oportet semper orare et non deficere. Oportet quoque Deum majestatis et sanctitatis immensæ, ubique præsentem ac omnia intuentem, cum grandi reverentia et diligenti B cordis custodia invocare, non ex arida consuetudine, nec corde distracto, pigro ac tepido. Qui ergo sic invocaverit Deum, exaudietur certissime, et consolationes divinas experietur frequenter : sicque celeriter in caritate proficiet, et accendetur cor ejus in Deo, ita quod cum ingenti alacritate spiritualique gaudio serviet ei, Ps. xcix, 2. sicut hortatur Propheta : Servite Domino in lætitia, introite in conspectu ejus in exsultatione; Philipp. iv, 4. Paulus quoque : Gaudete in Domino semper. C Verum ad hæc impetranda et conservanda, necesse est carnales et mundanas consolationes despicere ac vitare, et coram Deo timorate, custodite ac sollicite ambulare, cogitando ac venerando assidue omnipotentis Dei præsentiam.

Juvenis. — Magna sunt hæc. Virtus tamen, ut puto, ex sua natura est ardua, estque difficile ac laboriosum actibus virtutum insistere.

Senior. — Melius intuere. Quid enim dulcius et quietius caritate, pietate, mansuetudine, D patientia, sobrietate? Quid vero amarius ac pœnalius invidia et rancore, crudelitate, indignatione, ira, impatientia et gulositate? Virtus ergo ex sua natura suavis est, et actui suo habet delectationem annexam : idcirco menti bene dispositæ delectabile est virtutum actibus inhærere, et spiritualibus exercitiis occupari. Quid dulcius animæ devotæ ac fervidæ quam Deum laudare, psallere, orare, contemplari, diligere, et ipsum brachiis caritatis intra se amorose constringere? Hinc Jacobus apostolus, assignans quædam remedia pravæ tristitiæ expulsiva, disseruit : Tristatur aliquis vestrum? oret æquo animo, et psallat. Jacob. v, 13.

Juvenis. — Unde ergo oritur difficultas insistendi actibus virtutum in multis hominibus?

Senior. — Dimissis peccatis, manent adhuc in homine noviter converso reliquiæ peccatorum, id est pronitas ad peccandum, difficultas ad bene agendum, infirmitas resistendi tentationibus ex pristina assuefactione iniqua. Hæ autem reliquiæ vitiorum paulatim tolluntur per exercitia bona, per assuefactionem ad meliora, per caritatis profectum, per diligentem exercitationem in omni virtute. Sicque vitiis exstirpatis cum suis reliquiis, et passionibus reformatis, virtus dulcescit, atque facillimum fit virtutum actibus occupari, Deo uniri, in ipso quiescere, et ea quæ Dei sunt ac salutis intendere. Imo sic mens in affectum totius boni honesti totaliter transformatur, ac in Deo firmatur, atque ab eo quotidie copiosius locupletatur, limpidius illustratur, frequentius visitatur, validius quoque accenditur, et uberiores consolationes sortitur, ita ut cum viro sancto dicere possit Deo : Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam; Ps. xciii, 19 et cum Apostolo : Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. II Cor. i, 3, 4.

Juvenis. — Bona et consolatoria sunt hæc verba.

Senior. — Si Deus in isto exsilio, in valle hac lacrimarum, in hoc pœnitentiæ loco, suos electos tam dulciter consolatur et tanta eis charismata gratiarum largitur, quantam putas beatitudinem, quam gloriosam et copiosam mercedem præparavit eis in cœlis, in throno gloriæ suæ, in patria Beatorum?

Juvenis. — De hoc audire te opto.

Senior. — Spes et consideratio præmii minuunt vim flagelli, et difficultatem la-

boris alleviant. Si ergo perpenderis quam (A) inæstimabilem et exuberantissimam atque æternam mercedem, felicitatem et gloriam præparaverit Deus altissimus suis fidelibus servis pro temporali eorum obsequio, pro brevi labore, pro modico cultu, maxime autem pro pia ac ferventi eorum affectione ad Deum; fateberis nihil dignum ad præmia illa cœlestia te agere posse, non terrebit, sed delectabit te pœnitentiæ labor, obsequium Dei, et omnis adversitas. Propter quod ait Apostolus : (*Rom.* VIII, 18.) Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam illam ; et rursus : (II *Cor.* IV, 17.) Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Imo, si possemus quotidie millies mortem pati pro gloria illa, et mille annis Deo servire pro fruitione illa beatifica summi boni per unum diem habenda, adhuc non esset condigna omnis hæc passio et universa hæc servitus ad tantam mercedem et gloriam, quæ consistit potissime in clara, immediata ac jucundissima visione divinæ essentiæ, atque in plenissima ac suavissima fruitione bonitatis æternæ ac infinitæ. Quam incomparabiliter putas esse jucundum, summi et adorandi Dei vultum superpulcherrimum in se ipso clarissime intueri, ejusque infinita dulcedine ad libitum frui, quum ipse gloriosissimus Deus sit universis et singulis creaturis prorsus infinite pulchrior, melior, amabilior, dulcior, perfectior atque felicior; deinde conspicere qualiter natura nostra ab unigenito Dei Filio sit in unitatem personæ assumpta, gratiosissime decorata et gloriosissime exaltata ; videre insuper electissimam et præclarissimam Dei Genitricem ac Virginem, omnesque ordines angelorum ac civium supernorum?

Juvenis. — Tantæ mercedis et gloriæ consideratio, tam immensa et nunquam finienda felicitas, omnem torporem pigritiæ, omnem horrorem laboris, omne tædium merito debent excludere, alacritatem ingerere, caritatem accendere, et ad indesinentem excitare profectum virtutum.

Senior. — Quamvis hoc ita est, potius tamen debemus Deo servire et ipsum diligere propter puram ac infinitam bonitatem, honorabilitatem et sanctitatem ipsius, quam præmiorum intuitu.

Juvenis. — Ad hæc successive pertingitur. Verumtamen de cœlesti felicitate et gloria illa plus aliquid audire inardesco.

(B) Senior. — Quid tibi plus dicere possum? Apostolus dixit, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se. (I *Cor.* II, 9.) Ecce tanta est caritas, liberalitas, dignatio Dei ad suos electos, quod præparavit eis se ipsum, ut suæ gloriæ infinitæ sint participes et consortes, et ipsum possideant, intueantur et gustent sicuti est in se ipso, atque quod ipse est per naturam, sint ipsi per participationem et gratiam consummatam, sicque plenissime (C) transformentur ac felicissime absorbeantur in ipsum, et inavertibiliter ac æternaliter cum securitate perfecta stent intenti vultui gloriæ ejus, cum ardentissima caritate et superfluentissima jucunditate. Certe tanta est pulchritudo Deitatis æternæ, tanta jucunditas visionis lucis divinæ et increatæ, tanta dulcedo beatificæ fruitionis summæ ac præstantissimæ bonitatis, ut quamvis non liceret manere in gloria illa nisi horula una, propter hoc tamen innumerabiles anni sæculi hujus pleni de- (D) liciis merito contemnerentur. Ibi incessabilis et infatigabilis laus Creatoris, contentatio plena, ita ut nil amplius appeti possit, summa concordia, inviolabilis amor, invariabilis status, æterna securitas, jucundissima prorsus societas.

Juvenis. — Satisfecisti desiderio meo, et nunc toto corde cum ingenti affectu ad pœnitentiam et conversionem indilatam paratus sum. Sed, precor, dignare me informare qualiter inchoandum, prosequendum et consummandum sit mihi.

ARTICULUS XI.

Qualiter pœnitens et converti volens debeat inchoare, prosequi et complere.

Senior. — Sicut sanctus asserit Augustinus, initium bonorum confessio est malorum. In primis ergo debes in secreto et quieto loco vitam tuam præteritam diligenter discutere, peccata tua, quantum poteris, omnia ad memoriam revocare, atque de eis intra te cordialiter ac vehementer dolere, sicque ad confessionem B procedere, et ea distincte ac dolorose cum pleno emendationis proposito confiteri, et quidquid tibi pro satisfactione a confessore injungitur, devote et in statu salutis humiliter adimplere, et a recidivo incessanter cavere. Deinde, quum dicat Salvator, Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, (*Matth.* xix, 17.) oportet te præcepta Dei atque Ecclesiæ omnia observare, quantum ad tuum pertinet statum : quia, ut ait apostolus Jacobus, (*Jacob.* ii, 10.) si quis totam legem impleverit, offendat autem in uno, factus est omnium C reus. Debes ergo Deum super omnia toto corde diligere, et te ipsum ac omnia tua, et cuncta quæ agis, cogitas, appetis aut loqueris, ad Dei honorem et gloriam et ad divini amoris ordinare profectum. Quatuor novissima tua jugiter in memoria habe. Totam conversationem tuam in timore Dei initiali ac filiali et in profunda ac stabili funda humilitate. Coram proximis exemplariter vive. Ad resistendum tentationibus semper esto paratus. In dubiis quære a sapientibus ac discretis con- D silium et doctrinam. Quotidie antequam eas dormitum examina temetipsum, qualiter diem expenderis, quid mali in ea

A commiseris, quid boni omiseris ; et sic de omnibus tuis peccatis quotidianisque culpis dole, ingemisce, plora, veniam pete, emendationem propone, et suo tempore confiteri intende. In lecto decenter et pudice te habe ; mox quando evigilas cor tuum leva ad Deum, orando ac salubria meditando ; et dum surgis, primum quære regnum Dei et justitiam ejus, (*Matth.* vi, 33.) ac diem fructuose expende. In cibo, potu, somno ac vestitu moderamen observa. Passionem Domini nostri Jesu Christi quotidie diligenter recogita. Motus animi ac passiones vince ac rege. Proximis esto benignus, affabilis, caritativus, pauperibus liberalis, imo ad omnia opera misericordiæ tam corporalia quam spiritualia pro posse intentus. Linguam refrena. In exterioribus occupationibus mentem multoties ad Deum erige ; discretionem in cunctis observa ; præsentiam Dei assidue pensa. Justitiam dilige ; esto sincerus, omni calliditate, duplicitate, simulatione exclusis ; majoribus esto subjectus. Nemini quidquam debeas, (*Rom.* xiii, 8.) nisi ut diligas omnes. In his et consimilibus te exerce, profice, persevera.

Juvenis. — Saluberrimæ prorsus doctrinæ : quibus, Deo præstante, obtemperare conabor. Et nunc, senior venerande, o pater optime, ex totis præcordiis gratias tibi ago, me totum tibi exhibeo ac rependo.

Senior. — Conversioni et gratitudini tuæ toto corde congratulor, de tuo profectu in Domino lætor. Præstet nobis Altissimus taliter conversari in sæculo isto, ut vitæ hujus completo curriculo congregemur et beatificemur simul in cœlo, in Creatore et Salvatore nostro : qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS SPECULI SIVE DIALOGI DE CONVERSIONE PECCATORUM.

DE ARCTA VIA SALUTIS
AC MUNDI CONTEMPTU

PROŒMIUM

INDICABO tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te : utique facere judicium atque justitiam, *et sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Mich. VI, 8.

Quoniam rationalem creaturam Deus ad æternam beatitudinem obtinendam creavit, ab exordio mundi eam instruxit de his quæ ei necessaria sunt ad felicitatem hanc sortiendam : quatenus inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter virtutes et vitia rite discernat, bona et vera ac virtuosa præeligendo, mala autem et falsa ac vitiosa penitus detestando. Itaque ratio nostra per divinæ legis doctrinam instructa, per sacram Scripturam edocta, esse debet judex omnium actuum vitæ nostræ, ut conversationem propriam unusquisque quotidie sapienter discutiat, veraciter judicet, efficaciter corrigat. Quamvis ergo alios inordinate judicare divinitus prohibemur, juxta illud, Nolite judicare, ut non judicemini : nihilo minus se ipsum quilibet *Matth.* VII, 1.
judicet, considerando propriam vitam ; et quidquid in ea reprehensibile viderit, abhorrescat, defleat, vitet, neque inultum relinquat, sed per pœnitentialem satisfactionem emendet. Hoc est facere judicium atque justitiam. Quod qui fecerit, divini judicii districtionem æternamque inferi pœnam evadet, quemadmodum Paulus testatur : Si *I Cor.* XI, 31.
nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Insuper sollicíti ambulare debemus cum Domino Deo nostro, jugiter formidantes ne oculos majestatis sanctitatisque ejus in aliquo inhonoremus aut offendamus, ne gratiam in præsenti gloriamque in futuro perdamus, ne sempiterna gehennæ supplicia incurramus. Hinc ait Scriptura divina : Beatus homo qui semper est pavidus ; et, Qui sine timore est, justificari non *Prov.*
potest. Ad hanc timoratam atque sollicitam coram Domino conversationem hortatur XXVIII, 14. *Eccli.* I, 28.
nos Paulus, dicendo : Cum metu et tremore vestram salutem operamini ; Jeremias *Philipp.* II, 12.
quoque, dum ait : Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Oportet ergo di- *Jer.* XLVIII,
ligenter, cum omni cordis custodia debitoque caritatis affectu ac filiali timore Deo 10.
sublimi servire, sicut cantatur in Psalmo : Servite Domino in timore, et exsultate ei *Ps.* II, 11.
cum tremore. Talis erat beatus Job, de se ipso verissime loquens : Semper quasi *Job* XXXI, 23.
tumentes super me fluctus timui Deum. Et denuo : Deus est (inquit) cujus iræ resi- *Ibid.* IX, 13;
stere nullus potest : idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore XXIII, 15.
sollicitor. Porro qui dissolutus est corde, qui levis est mente, qui divini vultus intuitum non perpendit, nec summi, æterni metuendique Judicis præsentiam reveretur, sed sic secure incedit, sic negligenter se habet, quasi jam pericula cuncta evaserit, et tanquam a Deo judicandus non sit : nonne se ipsum lamentabiliter perdit, incidetque in manus Dei viventis, recepturus cum reprobis æterna supplicia in infernalibus locis ?

Tu ergo, carissime, et in Christo Jesu cordialiter prædilecte, cui hæc scribo, noli

in vanitate et vana securitate te ipsum negligere, noli coram Deo altissimo te incessabiliter inspiciente, irreverenter incedere, noli ad ejus injuriam impie vivere ; sed
Deut. IV, 9. quemadmodum Moyses exhortatur, custodi temetipsum et animam tuam sollicite, ne obliviscaris verborum Domini Dei tui, et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Hinc siquidem Augustinus : In vanum, inquit, Dei misericordiam sperat, qui ejus justitiam non formidat. Et Hieronymus : Si Deum (ait) præsentem et omnia videntem judicantemque credimus, et id sæpe pensamus, credo quod raro vel nunquam
Job XXXI, 4. peccabimus. Hoc utique attendit sanctus Job, dicens : Nonne Deus considerat vias
Ibid. XIII, 27. meas, et omnes gressus meos dinumerat? itemque : Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Propterea Basilius admonet : Memento te sub Dei conspectu stare, qui occulta cordis inspicit et abscondita novit. Consideratio
Ps. CXVIII, 168. ista ad divinorum observantiam præceptorum inducit, dicente Psalmista : Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Si ergo vis Deum timere, sagaciter cogita eum universa videre ; erubesce coram præsentia infinitæ sanctitatis ejus corde impuro adsistere animamque maculatam et vitiosam ha-
Eccle. XII, 1. bere. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ.

DE ARCTA VIA SALUTIS

AC

MUNDI CONTEMPTU[1]

ARTICULUS PRIMUS.

Quam diligenter sint audienda verba Dei.

Eccli. v, 13. ESTO *mansuetus ad audiendum verbum Dei.* Quanto rem aliquam magis diligimus, tanto libentius de ea loquimur et loqui audimus. Unde de amatoribus hu-
I Joann. iv, 5. jus sæculi Joannes ait : Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Qui ergo Deum veraciter diligit, qui æternam beatitudinem appetit et se ipsum in Deo spiritualiter amat, is verba divina audit libenter, retinet diligenter, implet ferventer. Quod utique signum est prædestinationis æternæ. Hinc
Joann. viii, 47. nempe ait Salvator : Qui est ex Deo, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Verbum enim Dei seu sacra Scriptura, cibus est animæ. Quemadmodum ergo ejus vita naturalis desperatur qui corporalem cibum non sumit, aut sumptum non tenet, sed evomit ; sic vita gratiæ desperatur de illo qui verba Dei non curat diligenter audire, memoriter retinere, efficaciterque implere, ut dicit Gregorius.

Tu ergo, carissime, verba Dei attente, affectuose, reverenter atque humiliter audi, lege, pertracta et loquere, tanquam
A epistolam tibi a Spiritu Sancto transmissam. Nec enim sufficit ea scire sive recolere, sed operibus quoque necesse est ea
implere, quemadmodum ait Psalmista : In Ps. cxviii,
corde meo abscondi eloquia tua, ut non 11.
peccem tibi. Denique, Servus sciens vo- Luc. xii, 47.
luntatem domini sui et non faciens, plagis vapulabit multis, ait Salvator. Jacobus
quoque in sua Canonica : Scienti (inquit) Jacob. iv,
bonum facere et non facienti, peccatum 17.
est illi. Hinc Augustinus disseruit : Non minus dignum est verbum Dei quam cor-
B pus Christi : idcirco non minus reus est qui verbum Dei negligenter audit, quam ille qui corpus Christi in terram cadere sua negligentia permittit.

Quoniam ergo Deo ordinante (sine cujus providentia nec arbor movetur, nec folium ejus delabitur) ista tibi conscribo, cujus salutem ardentissime cupio, precor ut ea diligentia et affectu tanto hæc legas, quam diligenter atque ferventer pro tua exhortatione descripta sunt. Hoc namque ad naturalem præclaræ indolis tuæ pertinet
C bonitatem. Scriptum est enim : Auris bona Eccli. iii,
cum omni concupiscentia audiet sapien- 31.
tiam. Quod quam meritorium Deoque placitum sit, per quemdam sapientem dici-
tur : Concupiscentia sapientiæ deducet ad Sap. vi, 21.
regnum perpetuum. Non utique de sapien-

[1] Ex editionibus Coloniæ, Melchioris Novesiani, 1530, 1533, 1540.

tia hujus mundi, non de sapientia philosophorum, poetarum aut rhetorum (quoni-
I Cor. I, 20. am, teste Apostolo, stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi; principem quoque philosophorum Aristotelem, gloriosus et sanctus pater noster Hieronymus principem nominat fatuorum), sed de sapientia sacræ atque divinæ Scripturæ rite intelliguntur verba præmemorata. Nonne vani ac fatui sunt, qui relictis his quæ ad salutem animæ requiruntur, qui omissa divinorum præceptorum custodia et salutari Scripturarum sanctarum notitia, in supervacuis, puta in his quæ Deus non requirit ab eis, jugiter occupantur? Hinc tales videmus infinitis vanitatibus offuscari, sine timore Dei conversari, ludis, jocis ac risibus (ut de gravioribus vitiis taceam) dele-
Matth. VII, 14. ctari. Numquid hæc est via arcta ducens ad vitam, quam, Christo docente, inveniunt pauci? Fac ergo quod docet sermo
Eccli. III, 22, 24. divinus: Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in supervacuis rebus noli scrutari multipliciter.

Denique, quid prodest cognitio creaturarum, sine dilectione ac debita veneratione Creatoris? Imo utique plurimum obest, damnabilioremque efficit sciolum. Non igitur magis delectet te studium naturalis philosophiæ quam theologiæ, sed in intellectu ac studio sacræ paginæ delectatio tua consistat præcipua, ut dicere possis :
Ps. CXVIII, 103. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!
Ibid. 14. super mel ori meo; et rursus : In via testimoniorum tuorum delectatus sum sic-
Ibid. 72. ut in omnibus divitiis; itemque : Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. Hoc expertus Hugo de S. Victore : Nihil, inquit, in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil sic mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil hominem sic juvat et excitat ad omne bonum, sicut studium sacræ Scripturæ; et iterum : In sacra Scriptura quidquid docetur est veritas, quidquid præcipitur, bonitas, quidquid promittitur, felicitas.

A Itaque hoc est saluberrimum studium, quod discit homo cognoscere semetipsum, vitam corrigere, in omni gratia Spiritus Sancti proficere. Idcirco hortatur Augustinus : Utere lectione divina pro speculo, fœda in te corrigendo, pulchra conservando, pulchriora agendo. Pinguissimus est sermo divinus, omnes in se delicias continens. Quum hoc speculum oculis mentis opponimus, faciem nostram internam conspicimus; ibi sentimus quantum profecimus, quantumve a perfectione distamus.
B Hinc ait Isidorus : Geminum confert donum lectio Scripturarum, quoniam mentis intellectum erudit, atque a mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Numquid hujus sapientiæ studio aliud aliquod potest scientiæ studium comparari?

Præterea audi Gregorium : Quamvis, inquit, omnem scientiam et doctrinam sacra Scriptura sine aliqua comparatione transcendat, quæ vera prædicat, ad cœlestem patriam vocat, a terrenis desideriis ad su-
C perna amplectenda cor legentis invitat; quæ nec sic clausa est ut pavesci debeat, neque sic patet ut vilescat; quæ usu fastidium tollit, et tanto amplius diligitur quanto amplius meditatur : omnes tamen scientias et doctrinas etiam ipso locutionis suæ more transcendit. Hinc quoque ait Hieronymus : Ama studia Scripturarum, et vitia carnis non amabis.

Cupio ergo animam tuam hac divinæ Scripturæ supernaturali ac nobilissima sapientia adornari, quæ æternæ, summæ et
D increatæ Sapientiæ fulgor quidam radiusque consistit; cujus lectio, teste Hieronymo, sensum acuit, intellectum multiplicat, teporem calefacit, torporem repellit, libidinis tela exstinguit, gemitum excitat, lacrimas elicit, Deo nos proximos facit; cui quum studemus, Spiritus Sanctus loquitur nobis, ut ait Isidorus. Postremo, hujus sacræ ac salutaris scientiæ singulariter capax es, quum et naturali acumine intellectus sis decoratus, ita ut illud dicere queas : Puer eram ingeniosus, et sortitus Sap. VIII, 19

sum animam bonam. Det itaque tibi clementissimus Deus tantam hujus sapientiæ dilectionem, ut cum auctore libri Sapientiæ veraciter dicas : Hanc amavi et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam eam mihi assumere, et amator factus sum formæ illius ; intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium. Hinc Salomon loquitur : Pretiosior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. Absit ergo ut animam tuam in inferioribus vilioribusque scientiis occupes.

Sap. VIII, 2, 16.

Prov. III, 15.

ARTICULUS II.

De duplici hominum via.

Prov. IV, 18, 19.

JUSTORUM semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem ; via autem impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruunt. Quemadmodum in prima epistola sua contestatur beatissimus evangelista Joannes, Deus lux est, et tenebræ non sunt in eo ullæ. Deus namque, secundum divinum et magnum Dionysium, est lux pura, plena et infinita, fontalis, vitalis, intellectualis et superpulcherrima. Quum ergo ipse sit terminus viæ peregrinationisque nostræ, et finis totius vitæ, laboris ac studii nostri, per semitas splendidas viasque pulchras ad ipsum proficisci debemus, quatenus via proportionata sit termino, et medium fini. Neque enim aliter ad eum pertingitur. Porro semita ista justorum, est actio virtuosa, conversatio bona, divinæ legis præceptorumque ejus observantia timorata. De quibus Salomon ait : Viæ Domini, viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ. Sunt itaque viæ istæ quibus ad Deum patriamque procedimus, cogitationes bonæ, affectiones sanctæ, locutiones fructuosæ, et opera meritoria, Deo accepta. Hæc merito viæ seu semitæ nominantur, quum sint media quædam quibus ab isto exsilio

Joann. I, 5.

De Cœlest. Hier. c. XIII; De Divin. Nom. c. IV.

Prov. III, 17.

A ad patriam pervenitur. Quæ utique semitæ rationabiliter splendidæ appellantur, quoniam ex caritate et gratia, quæ sunt supernaturalia animæ lumina, oriuntur, et quia tenebras vitiorum fugant ab anima, et quia luci divinæ et increatæ uniunt corda nostra, et quia operante Deo atque hominibus, reddunt spectabilem, mundum et sanctum, proximis etiam exemplarem. Unde dicit Apostolus justos tanquam luminaria lucere inter perversos. Peccatoribus quoque conversis : Fuistis (inquit) aliquando B tenebræ, nunc autem lux in Domino. Præterea semita ista justorum procedit a bono in melius, de imperfectione ad perfectionem, de virtute in virtutem, de via ad patriam; et crescit usque ad perfectam diem, utique æternitatis, quia de fide pertingit ad speciem, hoc est ad summæ adorandæque Trinitatis æternam atque beatificam visionem.

Philipp. II, 15.

Ephes. V, 8.

Hæc est via electorum, via immaculata, via virtutum, de labore pœnitentiæ ducens ad requiem sempiternam. De qua via cantamus : Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. De qua ait beatus Job : Viam Dei custodivi, et non declinavi ex ea ; Jeremias quoque : Interrogate quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.

Ps CXVIII, 1. *Job* XXIII, 11. *Jer.* VI, 16.

Insuper alia est via reproborum, via tenebrosa, hoc est scelerata ac impia vita, quæ veræ rationis lumine caret, nec gratiæ luce perfunditur, sed passionum et concupiscentiarum caligine offuscatur ; quæ rectum pervertit judicium, et ad infer- D nalium tenebrarum perducit ergastulum. Hæc via sunt habitus vitiosi, passiones effrenatæ, concupiscentiæ carnis, cogitationes perversæ, opera mala, verba illicita, negligentiæ temporis : quæ sic obtenebrant aciem mentis, ut spiritualem suam ruinam non penset. Nempe in hac via damnanda ac lubrica, quæ videtur impiis bona, quamvis novissima ejus ducant ad mortem, est casus a summo et incommutabili bono, Deo benedicto, usque ad bonum commutabile, caducum et vanum, a statu salutis et

Prov. XIV, 12 ; XVI, 25.

gratiæ ad statum damnationis et culpæ, a vita spirituali ad vitam carnalem, et tandem a vita præsenti ad carcerem infernalem. De qua via seu viis iniquis scriptum
Ezech. xxxvi, 32. est : Confundimini et erubescite super viis vestris.

Itaque, mi dilecte, non eas in viam ruinæ, non sequaris itinera vanitatis mundanæ libertatisque propriæ, sed viam Sanctorum viriliter imitare. Qui enim ea quæ carnem exterioresque sensus oblectant sectatur, qui cordis dissolutionem et gaudia mundi amplectitur, per viam tenebrosam B progreditur. Qui vero juxta evangelicæ legis mandata ac documenta incedit, viam splendidam electorum elegit, potestque di-
Ps. cxviii, 101. cere cum Psalmista : Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua. Quod ut implere mereamur, oremus quotidie, imo sæpissime, devotissima men-
Ibid. 133. te : Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia.

ARTICULUS III.

De triplici genere viatorum.

Galat. ii, 19, 20. *CHRISTO confixus sum cruci. Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Hæc de se ipso scribit Apostolus. Porro hæc est christianæ religionis sapientia salutaris, quod propter primorum parentum transgressionem universum genus humanum amœni- D tate et mansione paradisi terrestris privatum est, atque in mundum hunc tanquam in vallem miseriæ, in locum exsilii, in regionem longinquam projectum : quatenus isto in loco pœnitentiam peragendo, suamque calamitatem incessanter deflendo, mereatur post vitam hanc beatitudinis locum seu patriam ingredi Beatorum. Hinc ait Gregorius : A regione nostra (paradiso scilicet terrestri), superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum degu- A stando, discessimus ; sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo carnisque appetitum frenando, redeamus. Idcirco omnes nos in sæculo isto viatores vocamur : quia, ut ait Apostolus, non habemus hic manentem civitatem, sed *Hebr.* xiii, 14. futuram inquirimus. Et alio loco : Dum *II Cor.* v, 6, 7. sumus in corpore, peregrinamur a Domino : per fidem enim ambulamus, non per speciem. Simili ratione cantat Psalmista, colloquens Deo : Ne sileas, quoniam adve- *Ps.* xxxviii, 13. na ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. Porro ad viatorem providum pertinet, ut itineri suo necessaria habens, aliis se non gravet oneribus, neque in via sine rationabili causa subsistat, neque de his quæ aguntur ab aliis per quorum terminos transit, se intromittat, sed regia via incedens, et neque ad dexte- *Is.* xxx, 21. ram neque ad sinistram declinans, simplicique vestitu ac victu contentus, ad patriam indesinenter suspiret, festinet et propinquet. Sic Christianus omnis facere debet, ut scilicet se perpendat peregrinum C esse in vita præsenti, et totam conversationem suam disponat atque coaptet ad obtinendum felicitatem futuram cœlestemque patriam, omnia sua ad Dei gloriam *I Cor.* x, 31. ordinando, divina præcepta implendo, per vitam virtuosam ad patriam adspirando. Ad hoc siquidem hortatur nos apostolus Paulus, quum ait : Reliquum est ut qui *Ibid.* vii, 29-31. utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes, et qui habent uxores, sint tanquam non habentes : præterit enim figura hujus mundi. Et rursus : Habentes (inquit) *I Tim.* vi, 8, 9. victum et quibus tegamur, his contenti simus : nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli. Felix qui sic suam cognoscit habitationem, dicens illud : Heu mihi, quia inco- *Ps.* cxix, 5. latus meus prolongatus est. Qui hoc modo tendit ad patriam, proprie peregrinus vocatur.

Sed quoniam nonnunquam contingit ut peregrinus, visis his quæ fiunt in via, delectetur in illis, atque subsistat talia intuendo et nova inquirendo seu recitando,

per quod in itinere retardatur, et minus A patriæ recordatur (imo interdum sic delectatur in talibus aliena in terra, ut ex toto remaneat, neque ad patriam suam perveniat) ; idcirco est altior atque perfectior modus eundi ad patriam electorum, ut scilicet homo non solum modo nunc dicto tendat ad regnum cœleste, sed insuper universa sui itineris impeditiva nequaquam attendat, non curet, non sentiat, imo tanquam non pertinentia ad se pertranseat atque contemnat. Talis est qui non magis cupit laudari quam vituperari, B prosperari, quam adversitatibus exerceri, ditari, quam inopiam pati ; qui demum nihil eorum in quibus delectatur hic mundus, libenter attendit, sed ut mortuus talibus, vana omnia parvi pendit. Ad hanc perfectionem monet nos Paulus, dicendo :
I Cor. IV, 11. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Tales præterea erant quibus idem scribit Apo-
oloss. III, stolus : Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Talis fuit et C
r. XVII, 16. Jeremias, qui loquens ad Deum : Diem (inquit) hominis non desideravi, tu scis. Talis quoque est omnis qui non gloriatur nisi in Domino ; qui se jam alienum fecit a sæculo isto. Et talis proprie dicitur mortuus mundo.

Verumtamen adhuc modus invenitur sublimior. Qui nimirum privatum sui amorem plene exstinxit, atque in divino amore perfectus est, ac per hoc se ipsum in Deo perfecte ac spiritualiter diligit : hic non jam dumtaxat cum peregrino viæ suæ D ad Deum vitat obstacula, nec solum cum mortuo non attendit sæculi blandimenta ac prospera ; sed et omnia quibus mundus adhæret, quæ mundus amat et reputat, ut sunt divitiæ atque deliciæ mundi, carnis voluptas, mundi honores, vanæ hominum laudes, propriæ voluntatis libertas, hæc omnia toto corde abhorret, et tanquam cruciamenta atque hostilia cordis tormenta detestatur et refugit, eo quod talia cursum suum ad Deum iterque suum ad patriam impedire potius valeant quam juvare. Denique ea quæ mundus reputat crucem, videlicet dura sive adversa, sicut sunt abstinentiæ, disciplinæ, vigiliæ, ista toto affectu amplectitur, illis adhæret atque configitur ; amat nesciri, cupit contemni, et omnia dura pro Dei amore gaudet perferre, sciens talia sibi prodesse quantum ad Deum, ad satisfaciendum pro culpa, ad evadendum futura supplicia, ad proficiendum in gratia. Per talia quoque præcipue Christo pro se passo assimilatur, et maximam mercedem sibi in patria mercatur. Hinc gaudet in istis sicut in omnibus divitiis, sicut et reprobi gloriantur in prosperis sæculi hujus. Qui ad hanc felicem perfectionem pervenit, dicere potest cum Paulo : Mihi absit gloriari, nisi in cruce *Galat.* VI, 14.
Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Unde et iste proprie dicitur crucifixus, et non solum peregrinus, ut primus, aut mortuus, ut secundus. In hoc tertio peregrinationis gradu christianæ religionis consistit sublimitas. Tales plane fuerunt beatissimi principes nostri, sancti Apostoli, qui quum a principibus sacerdotum flagellati fuis- *Act.* V, 40, 41.
sent et reprobati, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Postremo, de ista materia pulchre tractat in quodam sermone B. Bernardus, ex In Quadrag. serm. 7.
quo ista pro parte accepta sunt.

Nunc ergo considera, mi dilecte, in quo horum trium sis positus genere. Qui enim ad primum genus seu gradum nondum pervenit, non se arbitretur esse in statu salutis. Porro industriæ tuæ erit primo gradu non esse contentum, sed per secundum usque ad tertium velle conscendere : quatenus in carne mortali cœliformem atque angelicam vitam ducens, quotidie in omni caritate, sapientia et gratia Christi mirabiliter crescens, inter amantissimos Dei gloriosi et sancti filios computeris, neque post vitam præsentem a gloria Dei diutius retarderis. Noli stulto similis esse viatori, ut te mundi hujus pulchritudo, prosperi-

tas, favor lætitiaque alliciant, delectent, a Deo avertant, a via ad patriam impediant aut retardent. Noli hoc mundo uti pro patria : quia, ut venerabilis Beda scribit, hoc inter electos ac reprobos distat, quod electi nunc peregrini et exsules, patriam exspectant in futuro, tantoque minus in præsenti gaudiis delectantur caducis, quanto futura sine fine gaudia se sperant accipere, et in æternum regnare cum Christo; at vero reprobi hic habent patriam, cujus vitæ desideriis solummodo inhiant : ideoque post hanc vitam in exsilium relegantur perpetuum, ubi cunctis carentes voluptatibus, sola in tormentis patiantur adversa.

ARTICULUS IV.

De arcta via salutis, et spatiosa via perditionis.

Matth. VII, 13, 14. *INTRATE per angustam portam : quia lata porta et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam !* Christus locutus est verba hæc. Et quid utique verbis his horribilius dici potuit ? aut quid tam terribiliter sonat? Certe ad perterrendum corda nostra sufficere potuit, si aliud nihil Christus dixisset, nisi quod arcta est via salutis, spatiosa vero damnationis : quo pateret quam facile sit damnari, difficile autem salvari. Jam vero dicendo quod pauci inveniant viam arctam salutis, multi autem ambulent viam spatiosam damnationis, evidenter insinuat quod pauci salventur plurimique damnentur. Quod et alibi clarius protestatur : Multi (inquiens) sunt vocati, pauci vero electi. *Ibid.* XX, 16; XXII, 14.

Quis audito hoc verbo non expavescat et contremiscat, si tamen vere fidelis est, et illuminatam sortitus est fidem ? Talis namque et tanta, tam alta et ardua est fides christiana, ut licet certissime sciremus omnes homines qui unquam fuerunt, erunt aut sunt in mundo esse salvandos, uno excepto, merito viatorum unusquisque vehementer timeret ne forte ipse esset ille damnandus, et insuper cum metu et reverentia Deo serviret. *Hebr.* XII, 28. Quid enim est, quæso, id quod credimus, quod statim post vitam hanc momentaneam deducemur ante tribunal Christi, veri, omnipotentis Dei, et judicis infallibilis, metuendi atque justissimi, recepturi ab eo aut pœnam æternam inferni, aut sempiterna gaudia cœli ? Si hæc diligenti ac limpida fide attenderemus, mirum si unquam sine timore atque tremore esse possemus. Sed malitia et negligentia nostra excæcat cor nostrum. *Sap.* II, 21. Si ituri essemus per campum latronibus plenum, in quo pauci transeuntes evaderent: quis non vehementer metueret ne temporalem incurreret mortem ? Nunc autem ambulamus per sæculi hujus campum dæmonibus plenum, in quo, sicut nunc dictum est, pauci (comparative loquendo) evadunt damnationem æternam ; nec tamen timemus, sed ridemus, epulamur, jocamur, et vana ac periculosissima securitate resolvimur.

Non ita, dilectissime frater, non ita sit apud nos ; non ita superficialiter audiamus eloquia Christi, ne negligamus et perdamus nos ipsos perditione irrecuperabili, intolerabili, sempiterna. Sed profunde atque solerter verba Salvatoris pensando, impleamus quod scriptum est : Dominum exercituum sanctificate, ipse pavor vester et terror vester ; *Is.* VIII, 13 illud quoque : In timore Domini esto tota die, et habebis spem in novissimo. *Prov.* XXIII, 17, 18. Unde et Jeremias ista considerans, dixit : Non est similis tui, Domine : magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. *Jer.* X, 6, 7 Quis non timebit te, o Rex gentium ? Hinc etenim scriptum est : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens ; justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum : quis non timebit te et magnificabit nomen tuum, quoniam judicia tua manifesta sunt ? *Apoc.* XV, 3, 4.

Sed antequam de hoc plura commemorem, pauca dicenda sunt de intellectu præ-

inductorum Christi verborum. Ait ergo A angustam esse portam arctamque viam salutis, imo (ut verius loquar) multum angustam valdeque arctam. Ait nempe : Quam angusta (id est multum angusta) est porta ! Latam vero asserit portam spatiosamque viam damnationis perpetuæ. Ex præhabitis autem patet intelligentia horum art. II. verborum. Siquidem paulo ante nunc introduxi duplicem esse hominum viam : unam virtuosam ac splendidam, quæ est via seu vita electorum, Deo timorate atque sollicite servientium. Hæc autem est via B arcta et porta angusta, quoniam ars et virtus sunt circa difficilia : quod statim clarius explanabo. Porro alia est via vitiosa ac tenebrosa, utpote via seu vita reproborum : quæ spatiosa censetur, quoniam facile est a medio rationis discedere, a rectitudine virtutis deficere, et legem divinam omittere.

Verumtamen circa hoc utilis oritur quæstio. Quum enim, juxta Philosophum, ratio deprecetur ad optima, virtus quoque, secundum Damascenum, sit secundum na- C turam, videlicet rationi consentanea, et secundum Tullium, imo secundum Augustinum atque Basilium, seminaria quædam virtutum nobis connata concreataque sint ; videtur quod virtus sit maxime deliciosa ac facilis.

Et respondendum, quod utique virtus ex sua natura est connaturalis, deliciosa et facilis ; sed difficultas virtutes adipiscendi ac virtuose agendi est ex parte nostri, videlicet ex imperfectione, corruptione infectioneque nostri, præsertim autem pro- D pter originale peccatum, per quod quatuor vulnera animæ nostræ infliguntur, quæ sunt : ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in vi irascibili, concupiscentia in vi seu appetitu concupiscibili. Insuper, juxta Philosophum quoque, quo intellectualis substantia longius distat, occumbit ac deficit ab ente primo, intellectu divino, omnium rerum ultimo fine, tanto difficilius seu pluribus motibus ad ipsum pertingit. Quum igitur anima rationalis in ordine intellectualium naturarum sit ima ac ultima, in qua intellectuale lumen adeo debile est, ut ipsa in principio sui sit tanquam tabula rasa, depingibilis, non depicta ; elucescit quod ipsa difficillime ad ultimum finem, Deum æternum, pertingat, quantum in ipsa est. Et istud verum est etiam de naturali animæ felicitate naturalibusque loquendo virtutibus. Propterea multo verius est de supernaturali ejus beatitudine (quæ est visio Dei per speciem) virtutibusque infusis loquendo, quum talis finis, tales quoque virtutes, pene incomparabiliter præstantiores sint et sublimiores naturali beatitudine ac naturalibus virtutibus animæ. Hinc anima nostra indiget incessabili adjutorio gratiæ Dei, et inspiratione ac motione Spiritus Sancti. Præterea pene innumerabilia nobis occurrunt impedimenta virtutum, tam ex parte propriæ carnis quam mundi et dæmonis, quibus a conversatione virtuosa non mediocriter impedimur, retrahimur aut tardamur. Unde Bernardus : Primum, inquit, impedimentum nostrum et occupatio gravis, ipsa est necessitas miseri corporis hujus, quod dum modo somnum, modo cibum, modo alia quæque requirit, non dubium quin frequenter nos ab exercitio spirituali impediat. Diabolus quoque (ut Petrus ait apostolus) tanquam leo ru- I *Petr.* v, 8. giens circuit, quærens quem devoret. Sed et mundus multa, heu ! nimis offert virtutum obstacula. Hinc ergo perarduum est, semper in medio permanere virtutum, et non declinare ad vitiosum extremum. Adhuc autem, ut Dionysius docet, virtus seu De Divin. actio virtuosa, est ex integra et omnifaria nom. c. IV. causa, omnibus virtutum circumstantiis pariter concurrentibus ; vitium vero est per cujuslibet circumstantiæ defectum, infinitisque modis contingit errare, deficere et perire. Unde et Salomon dicit : Stulto- *Eccle* I, 15. rum infinitus est numerus. Hinc ergo via virtutum est arcta, via vero vitiorum spatiosa : et hoc maxime quantum ad incipientes et imperfectos, non autem quoad perfectos, sicut patebit.

ARTICULUS V.

Increpatio ignaviæ, negligentiæ ac acediæ nostræ.

Luc. XIII, 23, 24. AIT *autem quidam* ad Jesum : *Domine, si pauci sunt qui salvantur ?* Qui dixit : *Contendite intrare per angustam portam.* Ex his verbis innotescit, quod præhabita verba de arcta via salutis Christus induxit ad demonstrandam salvandorum paucitatem.

Præterea, ut clarius agnoscamus quam vere arcta sit via salutis, advertamus verba Gregorii : Arcta, inquit, via, in qua quisque studiose constringitur qui sub præceptorum custodia sollicite coarctatur, est in hoc mundo vivere, et de mundi hujus concupiscentia nil habere, aliena non appetere, propria quoque non tenere, laudes mundi despicere, opprobria pro Deo amare, gloriam fugere, despectum sequi, adulationes despicere, despicientes honorare, mala nocentium ex corde dimittere, dilectionisque gratiam circa eos immobilem conservare.

Quamvis autem hæc ceteraque pœnitentiæ opera, vigiliæ, abstinentiæ, disciplinæ, concupiscentiæ et propriæ voluntatis abjectio, sint arcta ac ardua, ad magnam tamen quietem perducunt ; incomparabile
I Cor. II, 9. etiam præmium, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis comprehendere potest, eis promittitur, utpote beatitudo æterna, perfecta, plenissima, imo bonum immensum, quod est ipsemet Deus sublimis et benedictus. Et in hoc patet intolerabilis negligentia, perversitas atque acedia nostra, quod pro tanto bono nolumus prædictam viam arctam ad modicum tempus incedere.

Propter quod dicit Chrysostomus : Arctam viam, o homo, jussus es ambulare : cur de requie et abundantia percontaris ? Et quidem qui principibus sæculi hujus ministrant, horum nihil requirunt, sed solum si congruum lucrum eis præstabitur : quo cognito, jam nullum refugiunt laborem, nullum vitant periculum, neque ser-
A vilia obsequia negant, peregrinationes longissimas ac periculosissimas, contumelias, pœnas, temporum permutationes patiuntur spe lucri et aviditate pecuniæ. Nos econtrario, qui cœlum et cœlestis regni divitias quærimus, de requie corporis percontamur, et aspera pati dedignamur. Vide quantum illis molliores miserabilioresque sumus. Quid dicis, o homo ? quid agis ? Cœlum paras ascendere, et interrogas ne qua tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid tibi in via asperum accidat aut labo-
B riosum : et non erubescis de hoc ? non pudore oppressus, sub terram te ipsum defodis ? Si omnia namque tibi mala occurrerent, si universa tibi pericula imminerent, convitia, injuriæ, ignominiæ, calumniæ, gladius, ferrum, bestiæ, præcipitium, fames, ægritudo, et cuncta quæ dici possunt vel excogitari, super te irruerent : nonne hæc omnia tibi pro tanto præmio ridenda prorsus et contemnenda merito viderentur ? Non ergo sit aliquis tam abjectus atque infelix, tamque degeneris ani-
C mi, ut cœlum optans ascendere, de terrena requie mundique deliciis cogitet, quas non solum requirere, sed etiam paratas recipere indecorum est penitusque indignum.

Idcirco ait Gregorius : Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur. Laboremus ergo viriliter, fortiterque contra vitia præliemur ; in Dei obsequio fatigari sit nobis prædulce, scientibus quod labor noster non erit inanis in Domino, sed erit merces operi nostro. Denique, qui in labo- I Cor. XV, 58 ; II Par. XV, 7.
D re hominum non sunt (præsertim in labore pœnitentialium actuum), et cum hominibus non flagellantur, cum dæmonibus, secundum Hieronymum, flagellabuntur. Ps. LXXII, 5.

Præterea, ad confundendum nostrum teporem, ad excitandum nostrum torporem, pensemus quanta homines sæculares pro terrenis, caducis parvisque commodis agant et patiantur, ut vel sic discamus pro Dei amore, pro regno cœlesti, pro beatitudine sempiterna, arctam viam digne incedere, omnia vana despicere, et Deo nos ipsos

promptissimo corde totaliter inviolabiliterque offerre. Ut enim Augustinus quoque commemorat, quibus, quæso, tempestatibus et procellis, quam horribili et tremendæ sævitiæ cœli et maris exponunt se mercatores, ut divitias perituras acquirant, majoribus quam quibus acquisitæ sunt periculis et tempestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab aquis, a fossis, a præcipitiis, a fluminibus, a feris perferunt venatores? quem laborem esuriendi et sitiendi, quantas vilissimi et sordidissimi cibi et potus angustias, ut bestiam capiant? Secari et uri se homines patiuntur, ut dolores, non æterni, sed aliquantulo diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. Pro languida et incerta ultimæ atque brevissimæ vitæ vacatione, immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus. Sed in his omnibus, qui hæc non amant, eadem gravia patiuntur; qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia pati videntur. Omnia enim sæva et immania, prorsus facilia et prope nulla efficit amor. Multo ergo certius, felicius atque virilius ad veram beatitudinem obtinendam in nobis faciat caritas, quod in illis ad miseriam facit cupiditas. Facile toleretur a nobis quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, ut dicit Apostolus. Non torpenti aut tepida mente, sed vere ferventi ministremus Deo altissimo, ne ipse nobis improperet illud Apocalypsis : Scio opera tua, quia nec calidus es, nec frigidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo.

Rom. VIII, 18.

Apoc. III, 15, 16.

ARTICULUS VI.

Introductio Scripturarum ex quibus elucescit quam arcta sit via salutis.

Marc. XII, 30.

DILIGES *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.* Hoc Dei mandatum omnium mandatorum finis est, ratio atque perfectio. Ad cujus perfectam impletionem quantum in hoc statu possibile est, non solum cetera universa mandata, sed cuncta quoque Christi evangelica ordinantur consilia. Porro mandatum hoc non nisi in patria omnino plenarie adimpletur. A religiosis vero quodammodo perfecte impletur, eo quod omnia illa quæ divinæ dilectionis affectum impediunt, abnegent et relinquant, quatenus soli Deo juxta professionis suæ tenorem intenti sint. Ab omni demum viatore in tantum necesse est ipsum impleri, quatenus nihil contra aut supra Deum diligat, in nullo nisi in Deo finaliter conquiescat.

Nunc autem de arcta via salutis dicta sunt plurima, patuitque viam hanc esse divinæ legis, seu præceptorum ac documentorum Christi, custodiam. Nunc ergo paulisper pensandum est quænam sint ardua ista Christi præcepta ac documenta, propter quorum difficultatem ipsemet Christus disseruit viam quæ ducit ad vitam esse tam arctam, portamque angustam, spatiosam vero viam quæ ducit ad perditionem et mortem æternam. Matth. VII, 14, 13.

Ecce Salvator ait : Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo, Raca (id est, vocem indignationis aut vituperationis emiserit), reus erit consilio; qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis, videlicet damnationis æternæ. Nonne arctum et metuendum est verbum hoc? Ibid. V, 21, 22.

Insuper ait : Audistis quia dictum est antiquis, Non perjurabis. Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Sit autem sermo vester : Est, est; Non, non. Hinc et Jacobus in sua ait epistola : Ante omnia, fratres, nolite jurare. Ibid. 33, 34, 37. Jacob. V, 12.

Iterum ait Salvator : Ego dico vobis, non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram; et qui voluerit tecum judicio Matth. V, 39, 40.

contendere, et tunicam tuam tollere, di-
Matth. v, 44. mitte ei et pallium. Diligite inimicos ve-
stros, benefacite his qui oderunt vos, et
orate pro persequentibus et calumnianti-
bus vos. Quid difficilius isto? Quemadmo-
dum enim amicum diligere naturalissi-
mum facillimumque consistit, sic inimicum
amare difficillimum est, secundum Hie-
ronymum, et tamen necessarium est salu-
ti. Imo, qui unum hominem odit, nul-
lum vere ac spiritualiter diligit, sed nec
se ipsum, nec Deum, quum sit in peccato
mortali.

Ibid. vi, 15. Insuper ait Salvator : Si non dimiseritis
hominibus peccata eorum, nec Pater ve-
ster cœlestis dimittet vobis peccata vestra.
Ibid. 19. Nolite thesaurizare in terra. Nolite solliciti
Ibid. 34. *Ibid.* vii, 1. esse in crastinum. Nolite judicare, ut non
Ibid. x, 34, 35. judicemini. Nolite arbitrari quod venerim
pacem mittere in terram ; non veni pacem
mittere, sed gladium : veni enim separare
filium a patre suo, et filiam a matre, et
Ibid. 37, 38. nurum a socru. Qui amat patrem vel ma-
trem plus quam me, non est me dignus ;
et qui non accipit crucem suam et se-
Ibid. xi, 12. quitur me, non est me dignus. Regnum
cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt
Ibid. xii, 36. illud. Omne verbum otiosum quod locuti
fuerint homines, reddent de eo rationem
Luc. ix, 23, 24; *Matth.* x, 39. in die judicii. Qui vult venire post me,
abneget semetipsum, et tollat crucem suam
quotidie, et sequatur me : qui enim volu-
erit animam suam salvam facere, perdet
eam ; qui autem perdiderit animam suam
Matth. xviii, 7, 6. propter me, inveniet eam. Væ illi per
quem scandalum venit. Qui autem scanda-
lizaverit unum de pusillis credentibus, ex-
pedit ei ut suspendatur mola asinaria in
collo ejus, et demergatur in profundum
Ibid. 3. maris. Nisi conversi fueritis, et efficiamini
sicut parvuli, non intrabitis in regnum
Ibid. xix, 24. cœlorum. Facilius est camelum per fora-
men acus transire, quam divitem intrare
Ibid. xx, 26. in regnum cœlorum. Quicumque voluerit
inter vos major fieri, sit vester minister.
Luc. vi, 24-26. Væ vobis divitibus qui habetis consolatio-
nem vestram ; væ vobis qui saturati estis,
quia esurietis ; væ vobis qui ridetis nunc,

A quia lugebitis et flebitis ; væ quum bene-
dixerint vobis homines omnes. Quid vides *Luc.* vi, 41.
festucam in oculo fratris tui, trabem au-
tem in oculo tuo non consideras? Dixit *Ibid.* ix, 59, 60.
autem Jesus ad quemdam, Sequere me.
Qui ait : Domine, permitte mihi primum
ire et sepelire patrem meum. Dixitque illi
Jesus : Sine mortuos sepelire mortuos su-
os. Nolite timere eos qui corpus occidunt, *Matth.* x, 28.
animam autem non possunt occidere ; sed
eum timete qui potestatem habet corpus
et animam perdere in gehennam. Stulte, *Luc.* xii, 20, 21.
B hac nocte animam tuam repetent a te :
quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est
omnis qui sibi thesaurizat, et non est in
Deum dives. Vendite quæ possidetis, et *Ibid.* 33.
date eleemosynam. Nisi pœnitentiam ege- *Ibid.* xiii, 3, 5.
ritis, omnes similiter peribitis. Discedite *Ibid.* 27.
a me, omnes operarii iniquitatis. Quum *Ibid.* xiv, 12-14.
facis prandium aut cœnam, noli vocare
amicos tuos, neque fratres, neque cogna-
tos, neque vicinos divites, ne forte te rein-
vitent et fiat tibi retributio; sed quum facis
convivium, voca pauperes, debiles, clau-
C dos et cæcos, et beatus eris. Si quis venit *Ibid.* 26.
ad me, et non odit patrem suum et ma-
trem, et uxorem et filios, et fratres et so-
rores, adhuc autem et animam suam, non
potest meus esse discipulus. Et qui non *Ibid.* 33.
renuntiat omnibus quæ possidet, non pot-
est meus esse discipulus. Quod hominibus *Ibid.* xvi, 15.
altum est, abominatio est apud Deum.
Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt *Ibid.* xvii, 10.
vobis, dicite : Servi inutiles sumus ; quod
debuimus facere, fecimus. Omnis qui se *Ibid.* xiv, 11; xviii, 14
exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat,
D exaltabitur. Videte ne graventur corda ve- *Luc.* xxi, 34
stra in crapula et ebrietate, aut curis hu-
jus vitæ.

Ex his advertere potes, carissime, quam vere angusta et arcta sit via salutis. Verumtamen eorum quæ dicta sunt, quædam pertinent ad præcepta, et ad illa omnes tenentur ; alia ad consilia, ad quæ religionem professi sunt obligati.

Præterea ex aliis scripturis idem osten-
ditur. Dicit enim Apostolus : Qui autem *Galat.* v, 24
sunt Christi, carnem suam crucifixerunt

cum vitiis et concupiscentiis. Ergo qui vitia et concupiscentias non exstinguunt nec corpus suum castigant, ad Christum non pertinent. Rursus : Vidua (inquit) quæ in deliciis vivit, vivens mortua est. Vivens quidem vita naturæ, mortua est morte culpæ. Si ergo deliciose vivere, peccatum mortale est viduis, quanto magis clericis, monachis atque canonicis?

I *Tim.* v, 6.

Ad idem possent alia multa adduci, sed ista sufficiant. Quæ quidem idcirco commemoravi, ut ad timorem Dei, ad cordis custodiam, ad divinæ Scripturæ diligentiorem advertentiam te inducam, ne tibi de divina misericordia inaniter blandiaris, neque his qui spatiosam viam ambulant conformeris : quia, ut ait Apostolus, si Christo compatimur, et conglorificabimur; si sustinemus, simul cum illo vivemus. Nonne, juxta Apostolum, per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei? Sed verum est (non tamen verificetur in te) quod ait Bernardus : Domine, multi volunt tecum regnare, sed non compati; volunt consequi, sed non sequi; volunt invenire, sed non quærere. Itaque tribulationes pati non terreamur, quum dicat Hieronymus : Nullus servus Christi est sine tribulatione. Si tribulationem non pateris, nondum christianus esse cœpisti.

Rom. VIII, 17; II *Tim.* II, 12, 11.

Act. XIV, 21.

ARTICULUS VII.

Quomodo non obstante quod arcta est via salutis, nihilo minus jugum Christi suave est, et onus ejus leve.

Matth. XI, 28-30.

VENITE ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde : jugum enim meum suave est, et onus meum leve. Locutus est Christus verba hæc de se ipso. Porro jugum Christi aliud prorsus non est nisi evangelica lex, seu divinorum custodia mandatorum, per quam sub divinæ voluntatis obedientia ligamur ac detinemur, atque a sæculari vita restringimur. Onus vero Salvatoris intelligi potest observantia consiliorum ipsius. De tali jugo scriptum est : Bonum est viro, quum portaverit jugum ab adolescentia sua. Quod quidem reprobi a se repellunt, juxta illud Jeremiæ : A sæculo confregisti jugum, et dixisti, Non serviam.

Thren. III, 27.

Jer. II, 20.

Constat itaque idem esse in re viam arctam salutis et portam vitæ angustam, cum jugo Christi et onere ejus. Si ergo via salutis est arcta, et porta vitæ angusta : quomodo jugum Christi suave est, et onus ejus leve?

Et respondendum, quod idem jugum, seu eadem via, incipientibus, imperfectis, nondum exercitatis, et spiritualis internæque vitæ dulcedinem necdum expertis, est arcta, dura ac laboriosa : quæ tamen perfectis, virtuosis, purgatis divinisque viris ac ferventer Deum amantibus, lata est, facilis atque dulcissima, ita ut per eam potius currant quam eant. Unde vir sanctus fatetur : Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum. Et denuo : Ambulabam (inquit) in latitudine, quia mandata tua exquisivi.

Ps. CXVIII, 32.

Ibid. 45.

Porro nulla forma nullusque habitus promptius aut delectabilius operatur quam amor, quoniam amor ex propria natura et ratione inclinat et trahit amantem ad actum : propter quod ponderi comparatur. Quum ergo omnium actuum meritoriorum causa, directrix ac imperatrix sit caritas, quæ animæ vita vocatur, et sine qua nihil est meritorium; palam est quod quanto in Dei amore proficimus, tanto ea quæ Dei sunt delectabilius exercemus, ea quoque quæ mundi sunt cordialius abhorremus. Imo fervido amatori nil prorsus jucundius quam aliquid facere pro dilecto. Hinc Rabanus : Nil durum, inquit, nil grave, nil asperum, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem perfectum poterunt superare? Si amor est, omnia vincit, nec sentit laborem. Thesaurus indeficiens est amor Dei : quem qui habet, dives est; quo qui caret, egenus est. Proinde

tanto magis delectat opus bonum displicetque peccatum, quanto amplius diligitur Deus, summum et incommutabile bonum.

Aristoteles quoque testatur, quod signum virtutis est delectatio fiens in opere. Idcirco, quo virtuosiores efficimur, eo plenius in bonis actibus delectamur.

Iterum, sicut natura est naturalium operationum principium, sic gratia Dei gratificans est omnium meritoriorum actuum primum, formale, immediatum intrinsecumque principium. Quemadmodum ergo bene dispositi in natura faciliter et jucunde opera naturæ exercent, sic quum homo in gratia Dei cœperit abundare, omne opus Dei quotidie magis hilariter implet. Quod quidem mitibus atque humilibus præcipue solet evenire. Hinc ait Bernardus : Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus. Et facile omnia præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium et obedientia mollit imperium. Nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur. At vero, si profunde ac sapienter recogitemus nos pro Deo altissimo operari quæ agimus, nil ultra arctum aut arduum arbitrabimur : imo, si pro eo omnes moriamur, omnesque virtutes jugiter exsequamur, nil dignum gerimus ad ea quæ ab ipso percepimus. Propterea dicit Gregorius : Si mens forti intentione in Deum dirigitur, quidquid sibi in hac vita amarum occurrit, dulce æstimat; omne quod affligit, requiem putat.

Constat præterea, quod quanto anima fortius intenta est uni alicui, tanto intentio ejus circa aliud magis remittitur. Quemadmodum ergo sæculi amatores, qui se penitus implicant mundo et in transitoriis toti occupantur, spiritualia et divina omnino fastidiunt, divinum obsequium sine affectu et gustu festinanter persolvunt; sic Dei amatores, qui prorsus se divinis mancipant, et integerrima mente Deo inhærere, vacare, uniri exoptant, ea quæ mundi sunt vehementer fastidiunt, detestantur, refugiunt, et in laudibus Dei incessabiliter occupari gaudent et cupiunt, arctamque viam deliciose incedunt. Hoc est quod sanctus contestatur Gregorius : Fortis est ut mors dilectio, quoniam sicut mors corpus interimit, sic ab amore temporalium rerum spe vitæ æternæ caritas Dei mentem occidit : quem enim perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Et iterum : Necesse est (ait) ut cui Christus dulcescit, mundus protinus amarescat. *Cant.* VIII, 6.

Hæc ideo dixi, ut te, quam dilectissime frater, a mundi amore avertam, atque ad sincerissimam in Deo delectationem invitem, ad statum perfectionis alliciam, atque ad experiendum quam dulcis est Deus, quam dulce est ei familiariter adhærere, ferventer servire, inducam, ut sis non jam dumtaxat servus, sed et amicus dilectusque filius Creatoris tui ac Salvatoris. Hoc enim plus appetendum est tibi quam universus hic mundus cum omni suo ornatu et gloria. Spero quod Dominus dabit tibi de his omnibus intellectum. Non enim præsumo exhortationem meam tibi in aliquo profuturam, nisi adsit Spiritus Sanctus dans gustum et sapientiam per inspirationem occultam, quemadmodum scriptum est : Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam. *Ps.* XXXIV, — *II Tim.* II, 7. — *Job* XXXII, —

ARTICULUS VIII.

Quid sit contemnere, relinquere et non diligere mundum ; et quid in tali locutione nomine mundi designetur.

AMICITIA *hujus mundi inimica est Deo. Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei constituitur.* Quemadmodum Augustinus testatur, sola dilectio distinguit inter filios Dei et filios diaboli. In filiis etenim Dei regnat et prævalet amor divinus ac spiritualis, per quem ad cœlestia jugiter tendunt ; in filiis vero diaboli regnat et prævalet amor mundi, amor privatus, improbus et inordinatus, qui divinæ caritatis *Jacob.* IV, 4.

est venenum. Tota ergo sacra Scriptura A hortatur nos ad privati atque mundani amoris exstirpationem, et item ad proficiendum in dilectione Dei ac proximi. Porro privatus est amor quo ad nos ipsos vitiose reflectimur, ea videlicet appetendo quæ nostræ naturæ utilia seu delectabilia sunt in ordine ad se ipsam, non quantum ad Deum : ut sunt mundi deliciæ atque divitiæ, honores, laudes, ceteraque mundana similia. Qui autem diligit se vere in Deo, omnia ista contemnit et abjicit, quantum ad usum superfluum, B vel quantum ad plenariam abnegationem.

I Tim. IV, 4. Sed quoniam omnis creatura Dei est bo-
Matth. V, 44. na, ideoque amanda, jubemurque inimicos diligere, nec quemquam debemus con-
Is. XXXIII, 1. temnere, nisi nos ipsos, Isaia dicente, Væ qui spernis, nonne et ipse sperneris ? hinc igitur habet quæstionem, quomodo intelligendum sit quod Scriptura præcipit nos mundum odire ac spernere. Denique, si omnis qui diligit mundum, Dei inimicus efficitur, videtur quod mundi contemptus sit de necessitate salutis. Ex quo ultra C inferre quis posset, quod omnes sæculares et conjugati essent in statu damnationis.

Ad horum solutionem habendam, advertendum quod mundus diversis modis accipitur, tam a philosophis quam theologis. Nam et quidam philosophorum, videlicet Plato et Pythagoras, discipulos suos ad mundi hortabantur contemptum.

Primo igitur mundus accipitur pro elemento terræ seu orbe terrarum. Sic sumitur in Evangelio, ubi loquitur Christus D
Marc. XVI, 15. Apostolis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Sic quoque dicunt philosophi, quod minima stella cœli major est toto mundo. — Secundo accipitur mundus pro tota regione elementari atque mixtorum. De quo acci-
I Cor. VII, 31. pi potest illud Apostoli : Præterit figura hujus mundi. Juxta hunc sensum dicit philosophorum princeps : Oportet hunc mundum contiguum esse lationibus superiorum, ut tota virtus ejus inde gubernetur. — Tertio mundus accipitur pro tota substantia corporali creata. Sic Plato in Timæo tractat de productione mundi sensibilis. — Quarto sumitur mundus pro toto universo, in quo visibilia et invisibilia, separatæ substantiæ et materiales comprehenduntur. De quo accipi potest illud :
Mundus per ipsum factus est. Sicque Phi- Joann. I, 10.
losophus ait : Extra mundum nihil est. — Quinto accipitur mundus pro hominibus in mundo hoc inferiori manentibus, seu pro toto genere humano. De quo dicit Apo-
stolus : Omnis (seu totus) mundus sub- Rom. III, 19.
ditus fiat Deo ; et Christus : Prædicabitur Matth. XXIV, 14.
hoc Evangelium regni in universo mun-
do*. — Sexto accipitur mundus pro electis *orbe
ac prædestinatis hominibus. De quo legi-
tur : Sic Deus dilexit mundum, ut Filium Joann. III, 16.
suum unigenitum daret.

Septimo mundus accipitur pro præscitis, perversis et reprobis. De quo Chri-
stus ait ad Judæos : Vos de hoc mundo Ibid. VIII, 23.
estis ; ego non sum de hoc mundo, id est de numero impiorum hominum, mundanam ac vanam vitam ducentium, de quorum numero estis vos. Itemque ad Apo-
stolos : Quia (inquit) de mundo non estis, Ibid. XV, 19.
sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Hoc modo mundus frequenter magis accipitur in Scripturis, præsertim in Evangelio atque Epistolis S. Joannis. — Postremo, Hugo in libro quem de Vanitate mundi composuit, accipit mundum pro mutabilitate conversationis humanæ in mundo isto.

Quum ergo Scriptura divina jubet mundum contemni odioque haberi, juxta illud,
Nolite diligere mundum, neque ea quæ in I Joann. II, 15.
mundo sunt ; per mundum intelligendi sunt homines mundani et vani, transitoriis, non divinis intenti ; bona quoque terrena, et ea quæ mundani reputant magna, ut sunt, temporaliter prosperari, carnaliter deliciari, laudari ac honorari, ditari ac sublimari. Omnia ista, et sensibilia ac temporalia universa, contemnenda odiendaque sunt : non quantum ad id quod essentialiter sunt, sed in quantum in via

Dei nobis obsistunt iterque nostrum ad patriam impediunt aut retardant, et ne eis finaliter inhæreamus, quemadmodum hi qui in bonis creatis, caducis, sibi finem constituunt, ea magis quam Deum quærendo, amando, cogitando, optando. Quum ergo videmus quempiam in sæculo isto multipliciter prosperari atque ad libitum conversari, non reputemus, non magnificemus, non affectemus hujusmodi vitam, nec talem hominem magni pendamus, sed potius vilipendamus, non odiendo naturam, neque spernendo absolute personam, sed vitia ejus, et eum quantum ad illa per quæ elongatur a Deo æterno ac adorando.
Ps. xiv. 4. Unde de viro justo cantamus : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus ; timentes autem Dominum glorificat. Sic quoque Aristoteles in Ethicis ait, quod magnanimus est contemptivus, quoniam parvi pendit aliquos, in quantum viliter vivunt. Nihilo minus personis iniquis, quantum ad id quod sunt, caritatis et piæ compassionis affectum debemus impendere, tanto amplius quanto videmus eas plus implicari et obtenebrari, florere, gaudere et exaltari in sæculo isto. Propter quod dicit Hieronymus : Peccatores tunc perpendimus magis miseros, quando conspicimus eos in culpis suis sine pœna relictos. Imo, ut idem ait gloriosus Hieronymus, atque Ambrosius, nullum est certius signum reprobationis divinæ et damnationis futuræ, quam prosperari et sine flagello esse in vita præsenti, præsertim quum Do-
Apoc. iii, 19. minus dicat : Ego quos amo, arguo et castigo.

Nunc considerare incumbit quomodo contemptus et odium mundi sit de necessitate salutis. Nisi enim aliquo modo esset de necessitate salutis, non dixisset
I Joann. ii, 15. S. Joannes : Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo.

Itaque advertendum quod duo sunt gradus odiendi contemnendique mundum, loquendo in genere. Primus est, ut mundus et ea quæ mundi sunt contemnantur ac odio habeantur in quantum directe a Deo
A impediunt et avertunt, hoc est, ne supra vel contra Deum amentur, ne eis contra divina præcepta quis conformetur aut acquiescat, ne bona terrena cœlestibus præferat bonis nec laudes honoresque temporales cœlestibus anteponat, ne vitam præsentem amet amplius quam futuram. Hoc modo contemptus et odium mundi est de necessitate salutis, ita quod unusquisque tenetur sic contemnere mundum, tam solutus quam conjugatus : quod non mediocriter opinor difficile his qui con-
B versantur in mundo.

Secundus vero gradus contemnendi mundum, est per plenam omnium mundanorum abnegationem, ut quis divitias, delicias honoresque mundi abjiciens, Deo in voluntaria paupertate et vera castitate eligat deservire. Sic mundum contemnere, est temporalibus rebus, sæculi pompis, sæcularibus moribus ac dignitatibus renuntiare, omnem sæculi vanitatem despicere, per viam consiliorum Dei incedere. Quod qui fecerit, certum est quod mundanis
C hominibus displicebit : quoniam sicut similitudo est causa amoris et complacentiæ, sic dissimilitudo displicentiæ est origo aversionisque mater. Hinc clamat Apostolus : An quæro hominibus placere? Si ho- Galat. i. 10.
minibus adhuc placerem, Christi servus non essem. Et item Psalmista : Deus (in- Ps. lii, 6.
quit) dissipavit ossa eorum qui hominibus placent; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Nonne horribile nimis est verbum hoc? Quid enim tam formidolosum ut sperni a Deo, quum Salomon dicat, Con- Eccle. vii 14.
D sidera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit? Hoc modo mundum contemnere, est universa mundana, caduca et vana non solum despicere in quantum directe, sed etiam in quantum occasionaliter a Deo impediunt. Creaturæ namque, Sapiente testante, fa- Sap. xiv 11.
ctæ sunt in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium : non utique directe, quia (ut Salomon docet) opera sua fecit Deus ut timeatur ; sed Eccle. iii, 14.
occasionaliter, in quantum scilicet repro-

bi creaturarum decore et utilitate inaniter A delectati, ibi subsistunt finaliterque quiescunt, nec talia ad gloriam referunt Creatoris, qui solus est omnium nostrum ultimus finis. Hinc ait Isidorus : Melius est habere odium malorum, quam consortium. Sicut enim multa bona affert communis vita sanctorum, sic plurima mala affert societas iniquorum.

Porro in hujus processu opusculi principaliter loqui intendo de contemptu mundi secundo modo, prout scilicet statum perfectionis observantiamque consiliorum B concernit. Interdum tamen aliqua introducam de mundi contemptu primo modo accepto, prout est de necessitate salutis et observantia præceptorum.

ARTICULUS IX.

De triplici motivo contemptus mundi in generali.

Thren. III, 24, 25. PARS *mea Dominus, dixit anima mea: propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* Quemadmodum ait Scriptura, Eccle. IV, 12. funiculus triplex difficile rumpitur. Triplici ergo motivo tripartitaque via monstrandum est quam sanctum, divinum ac meritorium, quam salubre, nobile expediensque sit, mundum et ea quæ mundi sunt perfecte contemnere. Quædam ergo rationes motivæ seu viæ hujus beati contemptus sumuntur ex parte Dei, quædam ex parte nostri, et quædam ex parte mundi. De quibus seriatim ac ordinate tractandum est.

Itaque ex parte Dei ad mundi contemptum nos inducere debet : primo, amor et bonitas Dei gloriosi et benedicti ; secundo, zelus divini honoris, hoc est ingens affectio honorandi Deum perfecte, quantum possibile est ; tertio, exhibitio beneficiorum ipsius Dei ; quarto, consideratio promissorum ejus ; quinto, quod Deus ipse in propria persona hoc ipsum consuluit ; sexto, quod ipse id fecit. — De aliis autem infra dicetur.

ARTICULUS X.

Quod propter bonitatem Dei et ejus amorem induci debeat homo ad mundi contemptum.

NOMEN *tuum et memoriale tuum, Domine, in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Is. XXVI, 8, 9. Quum bonum sit appetitus objectum, sicut Deus sublimis est bonitas pura, immensa, perfecta, sic ipse est in infinitum desiderabilis atque amabilis, ita ut eum præ omnibus incomparabiliter amare debeamus. Unde quidquid ab ejus amore aut sui amoris fervore impedit, avertit, retardat, justum est spernere, abnegare, relinquere. Porro a Dei amore ac bonitate præsertim impediunt seu avertunt nos mundus et ea quæ mundi sunt. Propter quod ait Gregorius : Tanto a superno amore disjungimur, quanto inferius delectamur, in terrenis occupamur, sæcularibus implicamur. Virtus namque major C et fortior est unita quam dispersa. Idcirco, quo animæ nostræ affectus magis dispergitur atque dividitur in creaturarum inordinato amore seu mundana affectione, eo ad diligendum Deum debilior, frigidior, tenebrosior et ineptior redditur. Propter quod dicit Chrysostomus : Pro quanta parte est cor tuum ad aliquam rem, pro tanta est minus ad Deum. Quid enim sunt ista terrena et carnalia, nisi onera quædam gravissima affectum hominis deorsum trahentia, a supernorum intuitu et affectu D impeditiva ? Totum ergo cor nostrum extendamus ad Deum, tota mente feramur in eum. Ipse sit nobis causa et ratio diligendi omnia alia, ita ut nihil in creaturis amemus nisi in quantum est nobis medium quoddam tendendi ad Deum, hoc est, in quantum est nobis necessarium vel utile in via ad patriam. Ceterum tam ferventer afficiamur ad Deum, ejusque amorem dulcissimum tanti æstimemus, ut cetera omnia et cuncta vana ac transitoria arbitremur et aspernemur tanquam vilis-

sima stercora, eo quod Deus omnipotens A et æternus sit omnibus prorsus in infinitum pretiosior, appetibilior, gloriosior, pulchrior, dulcior, atque in omni bonitate, perfectione ac nobilitate præstantior.

Itaque animæ nostræ in divinæ majestatis contemplatione suspensæ angusta sit omnis creatura. Videat totum universum respectu incircumscriptibilis Dei esse velut imperceptibile punctum, nec alicujus reputationis aut amabilitatis, ita ut nec dignum ducat transitoria ista adspicere, sed tota transformetur, inflammetur, sta- B biliatur, liquefiat et absorbeatur in Deum, *Ps.* LXXII, 26. dicens cum Sancto : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum ; et iterum : *Ps.* XVII, 2. Diligam te, Domine, fortitudo mea. Item- *Rom.* VIII, 38, 39. que cum Apostolo : Scio quod neque mors, neque vita, neque creatura aliqua poterit me separare a caritate Dei.

Intueamur quam vile sit, pro deliciis mortalis ac miseræ carnis, pro humana laude et gloria, pro temporali honore, ab hoc superessentiali, incommutabili et incomprehensibili bono averti aut retardari. C Efficiamur cœlestes, deiformes ac deificati, familiares ac intimi Deo viventi. Quid nobis et istis terrenis, qui ad imaginem supersanctæ Trinitatis sumus creati, Christi sanguine liberati, ad angelicæ beatitudinis æqualitatem vocati? Despiciamus er- *Luc.* x, 42. go hæc omnia, et in illo uno quod solum necessarium est, fixa atque collecta sit tota occupatio, intentio et affectio nostra, quemadmodum admonet Augustinus : Ut homo sit aliquid, convertat se ad illum a quo creatus est. Recedendo enim frige- D scit, accedendo fervescit ; recedendo tenebrescit, accedendo clarescit. A quo enim habet ut sit, apud illum habet ut bene sit. Ipse enim Dominus Deus noster est summa et vera suavitas, omni suavitate dulcior, omni luce clarior, omni secreto interior, omni honore sublimior. Ipse insuper vita purissima : a quo averti, est cadere ; ad quem converti, est surgere ; in quo manere, est vere consistere ; in quo habitare, est vivere. Præterea, sicut frumentum in terra putrescit, in superioribus vero locis conservatur illæsum ; sic non putrescit cor nostrum, si elevetur ad Deum, si vero deprimatur in rebus terrenis, putrescit continuo.

Cupio ergo te, frater præamande, amore bonitatis divinæ, affectu proficiendi in Divinitatis dilectione, desiderio tam contemplativæ, theoricæ ac nobilissimæ vitæ, transitoria cuncta calcare, omnem mundi ornatum horrere, soli Deo tota mente vacare. Quod fieri nequit, nisi corporales delicias, vanitates mundanas ac proprias libertates omnino contemnas, prout etiam Cassianus testatur : Nunquam affectus noster ad desiderium æternorum perfecte accenditur, nec intellectus noster ad contemplationem cœlestium perfecte acuitur, nisi cura carnis fortiter refrenetur. O dilecte, si dives vis esse, et infiniti boni possessor consistere, audi consilium S. Ambrosii : Qui vult, inquit, Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. Quantum moreris mundo, tantum vivis Deo ; et quantum vivis mundo, tantum es mortuus Deo. Denique qui diligit mundum, diligit inimicum et proditorem, amplexatur immundum, et amat periculum suum. Ideo Augustinus : Si delectat te, inquit, hic mundus, semper vis esse immundus ; et rursus : Si amas mundum, absorbebit te totum.

Postremo, Deum summe debemus amare : primo, propter suam bonitatem immensam ; secundo, quoniam ipse prior di- I *Joann.* IV, 19. lexit nos ; tertio, quoniam multa nobis beneficia jam impendit ; quarto, quoniam ampliora dare in patria decrevit atque promisit. Ad hujus caritatis fervorem extendamus nos semper, quoniam (juxta doctrinam Augustini) non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major caritas meliorque voluntas auget meritum. Siquidem quod patet et quod latet in divinis codicibus tenet qui caritatem servat in moribus. Ipsa namque aperit capacemque efficit mentem amantis amati.

O Domine Deus meus, tu caritas es, tu

amor qui nunquam exstingueris ; tu cor A meum accende, tu illud inebria. Quid volvor ? quid discurro de uno ad aliud ? quid vagor per multa ? Nonne in te solo, o Deus sancte ac adorande, Deus fortis et gloriose, est omnium bonorum omniumque pulchrorum et desiderabilium perfecta possessio, incomprehensibilis plenitudo, opulentia quomodolibet infinita ? Quid ergo præstantius, quid amabilius te putavi, ut abstraherem cor meum a te, et ad caduca illud converterem, concupiscendo quidquam extra et contra te ? Ubi eram, quum B tecum non eram ? Quo defluxerunt affectus mei, quum te solum non desideraverunt ? Deus vitæ meæ, quam vane consumpta et infructuose dilapsa sunt tempora mea, in quibus sine fructu vixi coram te ! Verum deinceps immobilitetur anima mea
Ps. XLI, 2. in te, quatenus sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desideret anima mea ad te, Deus.

ARTICULUS XI.

Inductio ad contemptum mundi ex zelo honoris divini.

I *Reg.* II, 30. QUICUMQUE *glorificaverit me, glorificabo eum, dicit Dominus ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Ex Dei dilectione procedit et oritur zelus divini honoris, seu ingens affectio honorandi Deum. Quem zelum habebat Elias,
III *Reg.* XIX, 10, 14. quum diceret : Zelo zelatus sum pro Domino. Quo enim ardentius Deum amamus, eo intensius cupimus ipsum venerari in omnibus, alios quoque ad Dei veneratio- D nem inducere. Etenim, sicut Deus ratione suæ immensæ bonitatis est infinitæ amabilitatis, ita ut nullus poterit eum in tantum diligere quantum ipse est dignus amari, sed in infinitum hinc deficit ; sic Deus ratione suæ majestatis, dignitatis ac sanctitatis immensæ, est honorabilitatis infinitæ, ita quod omnis creatura in infinitum occumbit ab exhibitione reverentiæ qua ipse Deus dignus est, quantum ex parte ipsius. Hoc viri sancti profunde pensantes, omnem conversationem suam quantumcumque perfectam, nullius arbitrantur momenti. Et ut dicunt doctores, potius deberet homo mortem subire, quam unum veniale peccatum quantumcumque minutum committere : præsertim quum peccatum, in quantum divinæ derogat majestati immensæ, sit enormitatis quodammodo infinitæ. Quum itaque Deum tanto excellentius honoremus, quanto dignitatis ejus intuitu cuncta caduca, vana et transitoria cordialius aspernamur atque relinquimus, quatenus ab omnibus absoluti et exonerati, tota, pura ac libera mente divinæ majestatis venerationi et cultui insistamus ; patescit quod hi qui zelo honorandi Deum, mundum prorsus contemnunt ac deserunt, Deum eminenter honorant. Idcirco merentur ab ipso præclarissime honorari, glorificari, extolli. Porro quo minus se occupat homo in multis, eo perfectius intentus est uni enti altissimo, sicque sublimius, diuturnius atque sincerius laudibus Dei et ceteris latriæ actibus valet vacare, C cunctisque virtutibus ordinate insistere.

Dicit insuper Salomon : Honora Deum *Prov.* III, 9.
de tua substantia et de primitiis frugum tuarum. Si ergo ad Dei honorationem pertinet partem aliquam exteriorum bonorum Deo offerre, utique incomparabiliter plus ad ejus spectat honorem omnia pro ejus veneratione et gloria sponte deserere, et se ipsum Deo totaliter ac devote offerre. Quod agunt qui mundum præfato modo contemnunt.

Ut igitur possis divinæ majestatis cultui, venerationi ac laudi, quantum possibile est, incessanter insistere, in ejus amorosa contemplatione tranquilla mente quiescere, ejus beatitudini filialiter congaudere, omne temporis vitæ tuæ momentum virtuose expendere ; opto te, frater dilecte, mundum plene despicere, universa hæc mutabilia nobili mente transcendere, ad honorandum Deum cordialiter æstuare. Nonne infinita est vilitas et contemptibilitas hujus mundi comparatione summi et incommutabilis boni ? Nonne demum putas

indignum, occasione occupationis terrenæ A sæcularisque vitæ a Divinitatis obsequio, ab honore divino elongari aut impediri, et propter vanissimas mundanæ conversationis libertates atque illicitas actiones, a tam divinis theologicarum ac ceterarum virtutum exercitiis abstrahi? Postremo, si modo nunc dicto glorificaveris Deum, despiciens mundum, utique Deus honorabit te honore præcipuo, quemadmodum in
Is. LVIII, 13, 11, 14. Isaia habetur : Si glorificaveris Dominum, dum non facis vias tuas et non invenitur voluntas tua, tunc requiem dabit tibi B Dominus, et implebit splendoribus animam tuam ; tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ.

Denique dicit S. Hilarius : Hoc potissimum debeo Deo, ut eum omnis virtus, sensus et substantia mea loquantur. Ad hoc enim corpus et corporis membra, animam et animæ vires a Deo suscepimus, ut eum per hæc omnia colamus ac veneremur. Propter quod dicit Apostolus :
Rom. VI, 19. Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati, ita nunc exhi- C bete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Hoc autem est Deum dignissime honorare, facere ad ejus honorem quidquid possibile eique placitum est, et tamen humiliter confiteri quod dignum
Eccli. XLIII, 32, 33. nihil agamus. Propterea scriptum est : Glorificate Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc : major est enim omni laude. Sic ergo, carissime, te ipsum et omnia tua, corpus et animam, interiora et exteriora, divino obsequio mancipare ne differas, ne Dei donis abutens, D per hæc dæmoni et peccatis deservias. Qui enim vitiis servit, dæmonis servus est.

ARTICULUS XII.

Quod consideratio beneficiorum Dei, præsertim passionis Christi, ad mundi contemptum nos debet inducere.

Is. LXIII, 7. M*ISERATIONUM Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis et quæ largitus est secundum indulgentiam suam.* Si scire volumus quanta sollicitudine viam salutis quærere atque incedere, omnia vana mundique gaudia spernere debeamus, sapienter pensemus quid ipse Unigenitus Dei, verus Deus, pro nostra salute assumpsit, fecit et pertulit. Quum namque sit ipse Sapientia Dei Patris, Sapientia utique increata, æterna, genita et immensa, non sine condigna causa et maxima ratione pro nobis tanta assumpsit, egit et passus est. Quoniam itaque pro nostra salute unicus Dei Filius, Deus omnipotens et perfectus, humanam naturam assumpsit, in mundo tot conversatus est annis, tantos pro nostri instructione et redemptione labores sustinuit, et demum acerbissimam mortem perpessus est ; non negligamus nos ipsos, nec propriam parvi pendamus salutem. Non putemus nos remisse et superficie tenus operando, mundi vanitatibus inhiando, intimorate vivendo posse salvari. Non sic æterna pœna evaditur, nec beatitudo cœlestis acquiritur. Christus siquidem passus *I Petr.* II, 21. est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Necesse est ergo ut ejus passioni conformemur eique commoriamur. Nam qui se dicit in Christo *I Joann.* II, 6. manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. Hinc dicit Apostolus : Si com- *II Tim.* II, 11. mortui sumus, et convivemus ; et iterum : Imitatores Dei estote sicut filii carissimi. *Ephes.* V, 1. Sed quid est Christi passioni conformari, Christoque commori, et ejus vestigia sequi, nisi vanitates et vitia mortificare, divino timore corpus configere, libertatem propriam sub divinæ legis præceptis fortiter coarctare, divinæ voluntati nostram in omnibus subdere? Quum ergo credamus Deum et Dominum nostrum Jesum Christum in mundo hoc in omni paupertate et patientia, in omni humilitate et mansuetudine, in omni caritate et perfectione vixisse, innumerabiles irrisiones, contumelias, blasphemias, labores et fatigationes patientissime pertulisse, et tandem amarissimum genus mortis subiisse ; indecentissimum arbitremur ut Domino sic con-

versato, afflicto, occiso, servus ejus in A deliciis vivat, in divitiis gaudeat, in mundi vanitatibus se oblectet. Non enim est servus major Domino suo. *Joann.* XIII, 16. Hinc dicit Gregorius : Nihil tam grave quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam revocetur.

Præterea audi sanctum devotissimumque Bernardum, in persona Christi te alloquentem : O homo, vide quæ pro te patior; non est dolor sicut dolor quo crucior. Ad te clamo, qui pro te morior : Vide pœnas quibus pro te afficior, vide clavos B quibus confodior, vide quomodo toto corpore pro te extendor. Et quum sit tantus dolor exterior, intus tamen est planctus gravior, quum te tam ingratum experior.

Si ista, mi dilecte, intenta mente perpendis ; mundum contemnis, concupiscentias frangis, Christum sequi desideras, cuncta quæ mundi sunt toto corde abhorres, cum his qui in vanitate ambulant permanere recusas. Absit autem ut tantis Christi beneficiis sis ingratus. Ingratus es, si non gratias agis. Nec gratias agis, si non re- C cogitas, attendis et recognoscis, quum maxima ingratitudinis pars, juxta Senecam, sit beneficii collati oblivio. Omni itaque die recogita quid ipsemet Deus pro tua salute fecit et pertulit.

Præterea, alia beneficia Dei nobis exhibita adeo multa et magna et pene innumerabilia sunt, ut ex consideratione eorum merito accendi debeamus divino amore et zelo honorandi Deum cum omni devotione, affectu quoque gratias semper agendi et Deum incessanter laudandi. Nonne a D Deo excelso suscepimus quidquid sumus sive habemus, bona fortunæ, dona naturæ, esse, vivere, sentire, intelligere, munera gratiæ, fidem, spem, caritatem, septem dona Spiritus Sancti, sacramenta Ecclesiæ, superdignissimum Sacramentum altaris ? Quoties nobis peccantibus Deus clementer pepercit ? Quam pie nos prævenit ? a quantis peccatis atque periculis præservavit ? Quanta dona gloriæ nobis promisit ? Quot insuper homines nunc æternaliter condemnavit qui minus quam nos peccaverunt ? Non beneficiorum tantorum efficiamur immemores, sed cum Psalmista humili grataque mente dicamus : Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? *Ps.* CXV, 12. Agamus quoque quod ipse ait : Benedicam Dominum in omni tempore ; semper laus ejus in ore meo. *Ps.* XXXIII, 2. Pessimum etenim vitium est ingratitudo, illa præcipue qua Deo liberalissimo immensæque dignitatis benefactori sumus ingrati. Si quis tibi manum aut pedem abscideret, quantum diligeres eum qui amputatum tibi restitueret membrum ? Si cæcus, mutus, surdus claudusve esses, quantum diligeres qui naturalem defectum curaret ? Quomodo ergo Deum ferventer non diligis, qui universa bona præfata tibi largitus est, et multo majora spopondit ? Tanta igitur Dei munificentia et beneficentia circa te ad mundi contemptum te incitet, atque ad aggrediendum ea per quæ Deus potissimum honoratur, inducat. Certum est utique, quod quanto quis per naturalia dona magis dispositus est ad virtutes, eo gravius peccat, vitiose, mundane inaniterque vivendo. Tu vero in naturalibus optime es dispositus, et ad universas virtutes : idcirco non parum dolendum existimo, quod te ad vitam virtuosam dare retardas.

ARTICULUS XIII.

Incitatio ad mundi contemptum ex consideratione promissorum Dei.

ID quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis : non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt ; quæ autem non videntur, æterna sunt. II *Cor.* IV, 17, 18. Ex his B. Pauli verbis mox innotescit quod tribulatio electorum in vita præsenti, quantumcumque diuturna, gravis acerbaque fuerit, tamen futuræ retributionis cœlestisque gloriæ respectu, momentanea

fertur et levis. Incomprehensibilis namque A atque perpetua est merces futura. Porro perfectus purissimusque Dei amator est, qui non mercedis intuitu, non propriæ utilitatis affectu, non respectu ad se ipsum reflexo Deum diligit, veneratur et colit, sed pure propter ipsam Dei incomparabilem bonitatem, caritatem et dignitatem agit ad ejus honorem cum omni diligentia omne quod potest. Verum, si hanc perfectionem nondum sumus assecuti, si tantam deificæ dilectionis sinceritatem necdum invenimur adepti; saltem æternæ et B ineffabilis mercedis nobis divinitus repromissæ intuitu agamus viriliter quidquid Deo placentius, quidquid perfectius magisque meritorium esse cognoscimus, contemnendo hunc mundum et omnem ejus decorem, delectationem, pompam, prosperitatem et vanitatem, aggrediendoque insuper viam perfectionis, observantiam consiliorum, vitam religiosam.

Denique, quum Deus æternus sit liberalissima bonitas, ardentissima caritas, munificentissimus remunerator; ergo quo ra- C tionalis creatura plura pro Deo relinquit, se ipsam purius abnegat, se ad dona Dei magis disponit, se ipsam Deo perfectius, integrius ac plenius offert, eo Deus gloriosus et pius se ipsum illi copiosius rependit, gratiosius infundit, familiarius ingerit, sublimiusque eam glorificat, multiplicando in ea dona gratiæ in præsenti et dona gloriæ in futuro. Hinc siquidem Scriptura testatur divina: Si direxerit homo ad Deum (*Job* xxxiv, 14.) cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet. Hinc Deus misericors, sanctus et D verax, contemptoribus hujus mundi non solum spopondit beatificam atque præcipuam glorificationem in patria, sed copiosam quoque et liberalissimam remunerationem in via præsentique vita. Unde Salvator in Evangelio: Omnis (inquit) qui (*Matth.* xix, 29.) reliquerit patrem, vel matrem, aut fratres, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Quid est, Centuplum accipiet? Hoc est, pro bonis exterioribus, carnalibus, temporalibus, quæ reliquit, spiritualia bona, gratiæ dona, Sancti Spiritus munera, temporalibus rebus plus centuplo præstantiora, recipiet in hac vita, post quam æternam possessurus est vitam et gloriam consummatam.

Si ergo, mi frater adamate, spiritualiter atque veraciter cupis ditari, sublimari ac nobilitari, contemne pro Dei amore transitoria et caduca; et quidquid mundani homines, spiritum hujus mundi, non spiritum Christi, habentes, et ob id ad ipsum non pertinentes, magnum aut appetibile opinantur, tu aspernare ut lutum vilissimum, imo ut dæmonum laqueum. Si hoc egeris, Spiritus Sancti templum eris; tota superbenedicta Trinitas animam tuam cum omnibus suis divitiis inhabitabit. Hoc enim Filius Dei promisit, dicendo: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. (*Joann.* xiv, 23.) Felix anima in qua Pater et Filius et Spiritus Sanctus morantur. Adhuc audi quid Christus contemptoribus mundi promisit: Vos (inquit) qui reliquistis omnia et secuti estis me, quum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. (*Matth.* xix, 27, 28; *Luc.* xxii, 30.) Hoc est quod Paulus disserit: Nescitis (inquiens) quia sancti de hoc mundo judicabunt? (*I Cor.* vi, 2.) Ecce quam ineffabilis dignitas! Ecce quomodo honorantur a Deo, qui pro ejus honore omnia deserunt. Idcirco ait Gregorius: Quisquis divini amoris stimulo excitatus, hæc possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit, ut simul judex cum Judice veniat, qui consideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. Noli ergo pro his brevissimo tempore possidendis, tanta bona deifica æternaliter permansura amittere.

Ecce Christus loquitur: Ego sto ad ostium, et pulso. (*Apoc.* iii, 20.) Si igitur januam cordis tui aperueris ei, acquiescendo ejus consiliis, intrabit in te, mentem tuam ingrediens, cœnabitque tecum, et tu cum eo: ita quod

divinis consolationibus te fovebit, spiritualibus deliciis adimplebit, et gustabis quam dulcis est Deus, quam magna est multitudo dulcedinis ejus. Quod sæculi amatores gustare nequeunt : quippe qui nec Spiritum Sanctum recipere digni sunt, prout ait Salvator Apostolis : Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum (scilicet Spiritum Sanctum) dabit vobis, quem mundus non potest accipere. Hinc dicit Bernardus : Præoccupatum sæcularibus desideriis delectatio sancta declinat; nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia temporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt et quæ sunt super terram. Et Augustinus : Si habet (inquit) animus in quo oblectetur extrinsecus, sine spiritualibus deliciis manet intrinsecus. Hoc est revera quod adeo insigni verbo gloriosus ait Hieronymus : Si carni, inquiens, quod libet abscindimus, mox in spiritu quod delectat invenimus. Si exterior evagatio clauditur, interior ad Deum accessus aperitur. Nam quo anima minus extra se spargitur, eo per spiritualem profectum amplius ad superna erigitur. Ut itaque spiritualium supernaturaliumque bonorum dignissimam illam nobilitatem valeas Spiritu Sancto irradiante salubriter contemplari, temporalia et terrena hæc parvi pende, calca, relinque : quia, ut Beda fatetur, qui præsentibus et caducis delectantur, divina atque cœlestia nequeunt contemplari ; qui vero ea tanquam umbram et pulverem duxerit, velocius ad spiritualia poterit elevari.

I Petr. II, 3. Ps. XXX, 20. Joann. XIV, 16, 17.

Et nunc, o dilecte, quoniam divitias, honorem et gloriam diligis, non tibi dicere audeo ut divitias, honorem gloriamque nullatenus optes ; sed ne fallaces divitias, mundanum honorem gloriamque humanam desideres, sed spirituales virtutum divitias cupias, divinum honorem et gloriam quoque cœlestem toto cordis affectu requiras, et vere ditissimus eris præ omnibus mundum amantibus. Ideo dicit Hieronymus : Solæ veræ divitiæ sunt quæ nos virtutibus divites reddunt. Si ergo dives esse cupis, veras virtutum divitias ama; si culmen honoris quæris, ad cœleste regnum festina ; si gloriam dignitatis desideras, in supernam angelorum curiam adscribi labora. Hoc est sane quod dicit Gregorius : Contemne divitias, et locuples eris ; contemne honores, et eris gloriosus ; despice temporalem quietem, et habebis æternam. Facile contemnit omnia propter Deum, qui ad sui ipsius pervenit contemptum. Qui hæc fecerit, dicere poterit cum divino Apostolo : Omnia detrimentum feci, ut Christum lucrifaciam.

Philipp. III, 8.

ARTICULUS XIV.

Provocatio ad mundi contemptum, ex eo quod ipsemet Christus, verus homo et Deus perfectus, in propria persona hoc ipsum consuluit.

Gens absque consilio est et sine prudentia. Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent. Juxta Philosophum, addiscentem oportet credere. Et Isaia testante, si non crediderimus, non intelligemus. Ideo Salomon dicit : Fili mi, audi disciplinam patris tui. Et iterum ait Scriptura : Quum videris sensatum, evigila ad illum ; et item : Non te prætereat narratio seniorum ; et iterum : In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire. Si ergo sapientibus viris est præbendus auditus, si eorum verbis credendum est, et acquiescendum eorum consiliis : nonne incomparabiliter plus credere, consentire et acquiescere congruit soli sapienti Deo, qui est ipsa in se subsistens, idealis, separata, æterna sapientia? Quoniam ergo ipsemet Deus verus, Dei Patris unicus Filius, propter nimiam suam caritatem qua dilexit nos, descendit in mundum, nostram naturam hypostatice seu suppositaliter assumendo, hominibus visibiliter apparendo, cum eis conversando, vescendo, loquendo ; congruentissimum est ut ejus consilia dili-

Deut. XXXII, 28, 29. Is. VII, 9, juxta LXX. Prov. I, 8. Eccli. VI, 36. Ibid. VIII, 11. Ibid. VI, 35. Rom. XVI, 27. Ephes. II, 4.

gentissime audiamus, eisque, si res ipsa permittit, acquiescamus. Porro Christus,
art. xii, xiii. ut constat ex dictis, mundi contemptum multipliciter et affatim consuluit, præmia pollicendo, subsidium promittendo, se ipsum exemplum præbendo. Quod et sancti Apostoli et Evangelistæ clarissime docuerunt. Ejus ergo consilio acquiesce :
Joann. xiv, 6. præsertim quum ipse sit via et veritas, qui optime novit viæ nostræ discrimina, et quid nobis magis expediat; quumque summe nos diligat, pro quorum salute dignatus est mori, certissimum est quod fidelissima ejus sint consilia. Efficere ergo ejus discipulus, ejus saluberrimam in omnibus assequendo doctrinam, ut tanto beatius atque jucundius videas eum in patria, quanto nunc plenius credis et acquiescis ei in via.

Denique, si angelus de cœlo descendens, tibi visibiliter appareret ac diceret, Ecce Dei voluntas seu consilium est ut mundum contemnas et Ordinem intres : nonne mox acquiesceres? Nunc autem non angelus, non legatus, sed ipsemet Deus deorum, Creator angelorum, Dominus universorum advenit, tibi quoque consilium dedit de mundi contemptu perfectionisque statu. Quod namque adolescenti illi diviti qui ab exordio juventutis suæ omnia mandata Decalogi custodivit, consulendo dixit
Matth. xix, 20, 21. Salvator, Unum tibi deest, si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veniens sequere me, et habebis thesaurum in cœlo : hoc idem consulit tibi, qui forte mandata divina ab initio juventutis tuæ non observasti in omnibus.

Forsitan dices : Numquid omnes possunt religionem intrare, aut mundum omnino relinquere? Stulta est ista objectio, conveniens stultis et mundanis et vitiosis hominibus, de quibus Salomon loquitur :
Eccle. i, 15. Stultorum infinitus est numerus. Sancti quoque doctores tali objectioni plenissime responderunt, quoniam aliter judicandum est de eo quod requiritur ad conservationem individui, et de eo quod requiritur

A ad conservationem speciei. Manere autem in sæculo et generare terramque colere, non ad individui sed speciei conservationem exigitur. Ideo non oportet ut unusquisque id faciat, nec excusare se debet quispiam a perfectionis statu aggrediendo, dummodo aliter idoneus fuerit. Porro, si tu religionem intraveris, numquid ob hoc mundus deficiet? Numquid propter te derelinquetur terra, aut transferentur rupes de loco suo? Sapientissimi ergo consiliarii, qui est magni consilii Angelus, acquiesce Is. ix, 6 juxta LXX.
B consiliis, ut te ipsum ab infinitis periculis excutere possis, viamque compendiosiorem, tutiorem, tranquilliorem ac magis meritoriam ambulare, donec in gaudium Domini Dei tui merearis intrare.

ARTICULUS XV.

De mundi contemptu exemplo Christi.

LOCUTUS *est Jesus : Ego sum lux mundi ; qui sequitur me, non ambu-* Joann. viii, 12.
C *lat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quemadmodum Leo Papa scitissime asserit, tota victoria Salvatoris qua et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate confecta. Christus insuper, sicut ait Bernardus, in omnibus id elegit quod carni molestius est, et quod humilitatem magis prætendit. Nam et pauperem matrem elegit, de qua medio hiemis, medio noctis, alieno in loco, vili in stabulo, voluit nasci. Natus quoque, invo- Luc. ii, 7.
lutus est pannis, et in præsepio reclinatus.
D Insuper, quum esset dives et superditissi- II Cor. viii, 9.
mus, ceu verus, summus, omnipotens Deus, propter nos factus est pauper ; et adeo pauper, ut dicat : Volucres cœli nidos ha- Matth. viii, 20.
bent, et vulpes foveas ; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Quantas vero a Judæis passus est persecutiones, Evangelistæ testantur. Jam siquidem de Joann. x, 20.
eo dixerunt : Dæmonium habet et insanit. Matth. xi, 19.
Ecce homo vorax et potator vini, amicus Ibid. ix, 34.
publicanorum. In principe dæmoniorum Joann. ix, 16.
ejicit dæmones. Non est hic homo a Deo.

Joann. IX, 24. Nos scimus quia hic homo peccator est.
Ibid. VIII, 22. Numquid interficiet semetipsum? Jam volebant eum præcipitare, jam lapidare. Tan-
Luc. IV, 29; Joann X, 31. dem turpissima eum morte peremerunt.
Sap. II, 20. Sed quid in omnibus his egit innocens Dei Agnus, Filius Patris æterni? Patientiam habuit, reddidit bona pro malis, verbum
Luc. XXIII, 34. salutis loquebatur ingratis; pro crucifixo-
Is. LIII, 7. ribus exoravit; tanquam ovis ad occisionem ductus est, et tanquam agnus coram
Matth. XXVII, 12-14; Luc. XXIII, 9, 10. tondente obmutuit. Coram Pilato insuper et Herode falsissime accusatus, nihil respondit. Factus est Deo Patri obediens us-
Philipp. II, 8. que ad mortem. Se ipsum dedit pro nobis
Ephes. V, 2. oblationem et hostiam. Vulneratus est pro-
Is. LIII, 5. pter peccata nostra, eatenusque in cruce
Ps. XXI, 18. distentus, diris clavis confixus, ut dinume-
Luc. XXIV, 26. rarentur omnia ejus ossa. Sicque oportuit Christum pati, et intrare in gloriam suam.

Quid ergo nobis incumbit, si vere christiani et de numero salvandorum esse
Galat. V, 24. optamus, nisi ut Christi paupertatem utcumque, ejusque humilitatem, patientiam, caritatem sectemur; proprium corpus per
Rom. XII, 21, 17. opera pœnitentiæ castigemus, carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigamus; arctam viam cum sollicitudine et timore incedere festinemus; non vincamur a malo, sed malum in bono vincamus, nulli malum pro malo reddamus; non in deliciis miserabilem carnem no-
Matth. XI, 9. stram alamus; nulli levitati, vanitati aut jocis locum præstemus? Quod qui egerit, mundum feliciter spernit, se ipsum laudabiliter vincit, discitque a Christo quod mitis est et humilis corde. Præ omnibus quippe oportet ut tota conversatio nostra in vera humilitate fundetur. Propter quod Leo Papa sapientissime loquitur : Tota christianæ sapientiæ disciplina non in sapientia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriæ, sed in vera et voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Jesus ab utero matris usque ad supplicium crucis pro omni fortitudine et elegit et docuit. Ex his constare opinor quam verum sit quod ait Cyprianus : Tota vita hominis christiani, si se- A cundum Evangelium vivat, crux est atque martyrium. Et itidem veraciter dicit Chrysostomus : Christianus nemo recte dicitur, nisi qui Christo moribus conformatur.

Itaque, mi dilecte, si Jesum Christum salvatorem nostrum esse cognoscimus ac Dominum, erubescamus ei non conformari. Verecundemur delicate, molliter atque carnaliter vivere, humanis favore et laude gaudere, propria commoda quærere, vano superbove corde incedere. Vita nostra media est inter vitam angelorum et pecorum. B Si secundum carnem vivimus, bestiis comparamur; si secundum spiritum, angelis sociamur. Quod si spiritualibus vitiis subjacemus, elationi, ambitioni, vanæ gloriæ, vanitati nefariæ, non jam brutis, sed dæmonibus copulamur : præsertim quum spiritualia vitia, loquendo in genere, carnalibus sint vitiis graviora. Vis scire quis vere christianus dicatur? Augustinum audi dicentem : Ille vere christianus est, qui omnibus facit misericordiam, qui nulla movetur injuria, qui alienum dolorem sen- C tit ut proprium, cujus mensam nullus pauper ignorat, qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo et angelis glorietur, qui terrena contemnit, ut possit habere cœlestia, qui miseris succurrit et condolet, alienisque fletibus ad fletum movetur.

Itaque emundemus nos ab omni inqui- II Cor. VII, 1.
namento carnis et spiritus, et Christum regem nostrum per vitam timoratam ac fructuosam viriliter imitemur, omnem iram, indignationem, animositatem, carnalitatem D penitus detestantes, quatenus conversi, ef- Matth. XVIII, 3.
ficiamur ut parvuli.

ARTICULUS XVI.

De his quæ nos ad mundi contemptum inducere debent ex parte nostri, et quod consideratio periculorum nostrorum ad hoc inducit.

VIGILATE itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia Luc. XXI, 36.
quæ futura sunt mala, *et stare ante Fi-*

lium hominis. Jam dictum est de his quæ A ad mundi contemptum inducunt ex parte Dei. Restat nunc loqui de iis quæ ex parte nostri ad hoc ipsum inducere debent. Quum ergo in medio laqueorum positi simus, et hostibus undique circumvallati, atque domestico hoste, videlicet propria *Galat.* v, 17. carne contra spiritum concupiscente, circumdati (imo, secundum Apostolum, *Ephes.* vi, 12. non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus aerias potestates, seu dæmones : non quod non sit nobis aliqua colluctatio adversus carnem et san- B guinem, sed quod major ac principalior colluctatio nostra est contra dæmonum tentamenta, qui sunt infatigabiles, callidissimi et crudelissimi æmuli nostri, animarum nostrarum ruinam et condemnationem avidissime cupientes); hinc constat quod diris atque innumeris circumvallamur periculis. Quid ergo consultius, quid tutius sive salubrius, nisi locum refugii quærere, urbem munitam intrare, locum tranquillum expetere, in quo inveniantur *Cant.* iii, 8. tot adjutores quot cohabitatores, omnes C spiritualibus armis armati, et ad bella contra peccata promptissimi?

Quis vero est locus iste et civitas hæc, nisi congregatio devotorum, quorum est *Act.* iv, 32. in Domino cor unum et anima una, quorum unusquisque verbo, oratione, exemplo alium trahit ad meliora, qui virtutibus pro armis utentes, singulis vitiis singu- *Ps.* cxxxii, 1. las et congruas opponunt virtutes? Ecce enim quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum! quia, ut Salo- *Eccle.* iv, 10. mon loquitur, si unus ceciderit, fulcietur D ab alio. Habent quoque quotidiana et optima medicamina et unguenta (id est remedia) contra dæmonum tentamenta vitiorumque vulnera. Quæ utique remedia sunt : quotidiana confessio ; superioris increpatio, instructio, consolatio ; observantia regularis, sacræ vigiliæ, abstinentiæ, disciplinæ ; orationes continuæ, meditationes devotæ. Denique, sicut unus in sæculo trahit alium ad peccata, ita in congregatione religiosa unus allicit alium ad virtutes. Et sicut sæcularis societas maxime obest, sic ista maxime prodest. Propter quod Salomon dicit : Frater qui adjuvatur *Prov.* xvi[ii], a fratre, quasi civitas firma; et Psalmista : 19. Cum sancto sanctus eris, et cum perverso *Ps.* xvii, 2[6], perverteris. 27. Hoc est quod hortatur Scriptura : Cum viro sancto assiduus esto, *Eccli.* quemcumque cognoveris observantem ti- xxxvii, 1[5], 16. morem Domini, cujus anima est secundum animam tuam. In sæculo homo frequentius cadit, tardius surgit ; gravius in anima vulneratur, difficiliusque sanatur ; deficit magis, proficit minus. Porro in claustro seu congregatione devota omnia ista, ut docet Bernardus et experientia certa demonstrat, opposito modo se habent. Nam labitur rarius, surgit velocius ; levius in anima læditur, faciliusque sanatur ; minus deficit, et amplius crescit.

Considera consideratione profunda qualitatem et quantitatem, multitudinem et magnitudinem periculi tui. Certe, si periculum istud de temporalium esset rerum amissione, de confusione vel afflictione seu infirmitate transitoria, aut etiam de præsentis vitæ amissione, seu morte corporali, quamvis dirissima; tolerabile esset, nec ita sollicitarer pro te. Nunc autem periculum istud est de summi, immensi et incommutabilis boni, Dei altissimi et æternæ felicitatis, irrecuperabili amissione, et item de sempiterna damnationis infernalisque pœnæ adeptione. Si istud periculum non attendis nec vehementer formidas, non habes illuminatos animæ oculos, nec vivam claramque fidem, sed mortuam et obscuram. Nonne periculum istud incomparabiliter magis timendum est omni damno, confusione, cruciatu, languore, adversitate et morte temporali? Itaque, si in die judicii tui particularis ac universalis vis esse securus atque salvandus, noli nunc esse securus, inaniter lætus et intimoratus, sed formidolosus, operosus, sollicitus. Quod si feceris, tunc utique tutus eris et salvus. Denique, quoniam (Salomone attestante) ignoramus an amore Dei digni si- *Eccle.* ix, mus an odio, sed omnia in futurum re- 2.

servantur incerta, debemus semper esse custoditi et anxii coram Deo, ne ejus odium et tam infinitum æternæ calamitatis incurramus periculum.

Præterea, quædam peccata, secundum doctores, utputa vitia carnis, melius vitantur et superantur per hoc quod homo elongat et abstrahit se ab hujuscemodi vitiorum materia. Quomodo ergo hæc vitia eorumque filias superabis non fugiendo eorum materias, sed cum his qui talibus vitiis infeliciter serviunt commanendo, socialiter conversando, vescendo, undique deambulando ? Ut enim Hugo testatur, impossibile est quempiam peccata vitare, nisi peccatorum occasiones devitet. Qui ergo cum his qui spatiosam latamque perditionis ambulant viam quotidie conversatur, eisque in vestitu, cibo, potu, verbis et jocis ac ceteris levitatibus conformatur : quomodo, inquam, graviora illorum vitabit facinora ? quomodo illis tam erronee et late incedentibus, ipse in arcta via et recto permanebit itinere ? Absit ut tantæ te arbitreris perfectionis, ut hoc possis, quum
Eccli. xiii, scriptum sit : Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea ; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. An non simili ratione, qui communicaverit luxurioso, induet luxuriam ? Augustinum audi : Vidi, inquit, cedros Libani, de quorum casu non magis suspicabar quam de ruina Hieronymi et Ambrosii, cecidisse.

Breviter dico : Quanto ista animæ tuæ pericula minus perpendis, quanto in sæculo amplius prosperaris, quanto carnem tuam mox morituram delicatius nutris, quanto voluntatis tuæ libertatem plus sequeris, quanto temporis tibi concessi amissionem minus curas, quanto amplius nunc gloriaris, rides, vagaris ; tanto veraciter miserabilior es, graviusque deflendus. Et quanto propriam cæcitatem, iniquitatem et negligentiam minus deploras, eo plus deplorandus es.

Nunc itaque, amantissime frater, excute te ipsum a tantis periculis ; fuge hostem animæ tuæ, hunc mundum immundum ;

A convertere conversione plenaria et perfecta ad Dominum Deum tuum, relinque pro amore ejus omnia bona mundi, et dabit tibi omnes divitias cœli.

ARTICULUS XVII.

Quod contemnendus est mundus propter difficultatem consequendi salutem in eo.

O*MNIS qui audit verba* Dei *et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædi-* Matth. vii, 26, 27.
B *ficavit domum suam super arenam. Venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam ; et fuit ruina ejus magna.* Sancti Patres comparant mundum istum magno mari turbulento, tempestatibus pleno. Porro, secundum Bernardum, tripliciter tendunt homines per mare hoc, seu mundum istum, scilicet ponte, navi, vado. Ponte transeunt, qui compendiosiorem securioremque semitam elegerunt : quemadmodum religiosi suo superiori humiliter et regulæ suæ statutisque
C sui Ordinis obedientes. Hi namque propriam voluntatem, quæ sola in inferno ardebit, abnegant et relinquunt, malentes regi et subesse, quam regere et præesse. Hac via te cupio proficisci, quæ vere tutissima et nimis est meritoria. Navi insuper transeunt viri virtuosi qui et aliis præesse et exteriora disponere compelluntur : quibus diversæ inquietudines oriuntur. Unde lignum, fœnum, stipulam, hoc est venialia, dicuntur colligere, secundum Thomam. I Cor. iii, 12.
Pro quibus venialibus subditi quotidie per
D frequentissimam cordis sui elevationem ad Deum satisfacere tenentur. Sæculares vero tendunt vado, hoc est per medium fluctuum hujus maris : ideo difficillime et vix evadunt. Unde signum difficultatis salvationis eorum, secundum Hieronymum, est paucitas evadentium, et multitudo pereuntium. Quum enim se ipsos negotiis sæculi superflue implicent, suosque affectus transitoriis alligent, nec ea devitent per quæ processus ad Deum tardatur aut penitus impeditur, sed vanitatum inquietissi-

mæ tumultuationi adhæreant; palam quod A quasi per medium aquarum sine vehiculo gradiantur.

De hoc Hugo in libro suo de Vanitate mundi pulchre et notabiliter ait hoc modo : Considera mundum hunc universum, propter mutabilitatem suam, quasi diluvium quoddam decurrentium aquarum ; et amatores mundi, quasi naufragos quosdam, qui mersi in pelagi hujus profundo, deorsum rapiuntur et feruntur in præceps. Deum quoque, apud quem omnia immutabili æternitate consistunt, contemplare B quasi sursum in summo, mundum vero quasi deorsum in imo. Deinde considera humanum animum velut in medio collocatum, qui conditionis suæ excellentia mutabilitati mundi supereminet, et ad divinæ naturæ immutabilitatem nondum pertingit. Si ergo animus hominis his quæ deorsum transeunt, se per cupiditatem vel amorem immerserit, statim per infinitas distractiones rapitur, et a se ipso quodammodo divisus dissipatur; tanto autem amplius in unum colligitur, quanto magis C ima terrenaque deserens, cogitatione ac desiderio sursum elevatur, donec omnino immutabilis sit, quum ad illam unam, summam atque divinam immutabilitatem pervenerit. Denique, quum animus hominis se per terrenorum amorem deorsum inclinat, in fluctibus sæculi naufragatur, mutabilibusque admixtus, inter labentia defluit, gemino quoque salutis periculo, et per affectum infimorum profunde demergitur, et per occupationem plurimorum late dissipatur. Si vero sursum ab amore D præsentium per desiderium se erexerit æternorum, cogitationesque suas ad se ipsum collegerit, jam quodammodo rerum fluctibus superenatat, et cuncta transitoria tanquam subterlabentia calcat. Sic igitur animus hominis se ipsum quasi in tuto reponat, se supra se ad Deum levando, ad se ipsum quoque intra se redeundo : quatenus per considerationem prædictam supra mundum erectus, pericula mundi adspiciat, et se illa quodammodo evasisse gaudeat. Hoc autem est arcam cordis seu spiritualem navem intrare, cujus adminiculo fluctus hujus sæculi, quibus jactamur, feliciter evadamus. Calca igitur et contemne transitoria et caduca, et ecce de diluvio emersisti. Considera demum et jugiter meditare cœlestia tuæ redemptionis sacramenta, divinæ pietatis beneficia tibi impensa, et arcam cordis ac navem præfatam intrasti. Hæc ibi.

Deinde mundus convenientissime comparatur campo latissimo crudelissimis latronibus pleno, in quo plurimi jugulantur, paucissimi vero evadunt, non sine vulneribus multis. Et quod deterius est, campi hujus ambulatores se mutuo tradunt in manus latronum, dum unus alium ad vitiorum inducit ruinam, per quam diabolicam incidit manum. Si ergo, dilecte mi, non auderes proficisci per campum hominibus latrocinantibus, temporalem mortem inferentibus, abundantem : quomodo audes per mundi abrupta et sæculum istud nequam deambulare, in quo tot a dæmonibus suppeditantur, et sempiterna supplicia illabuntur?

Insuper comparatur hic mundus silvæ incensæ, cujus pene omnes arbores comburuntur. Nunc enim videmus quomodo caritas Dei in hominum animabus refriguit, quomodo amor mundi invaluit, quomodo ignis concupiscentiæ, fervor superbiæ, flamma avaritiæ homines incenderunt, ita quod pene omnes quæ sua sunt *Philipp.* quærunt, non quæ Jesu Christi. De carnis 21. exquisita sustentatione, non de animæ puritate et cordis custodia, sunt solliciti. Potius quærunt præsentis vitæ incommoda quam gehennæ æterna evadere peracerba tormenta. Quomodo ergo non curas hanc silvam sine mora exire, ne comburaris in ea igne pravitatis et culpæ?

Postremo, ad tantum lapsum nunc devenit Ecclesia in vulgo et clericis, quodque deflendum est magis, etiam in religionibus multis, ut ipsa Ecclesia comparetur merito civitati antiquæ majori ex parte collapsæ, devictæ, destructæ, in qua undi-

que hostibus patet ingressus. Non ergo securum est habitare in urbe hujusmodi, sed ad loca confugiendum munita : quemadmodum insecurum esset manere in claustro regularibus observantiis destituto. Si insuper fragilitatem nostram rite pensemus, quam proni simus ad mala et tardi ad bona, quæremus locum saluti animæ aptiorem, occasiones peccandi vitantes.

ARTICULUS XVIII.

Excitatio ad mundi contemptum ex consideratione profectus inde nascentis, et ex desiderio veræ ac divinæ perfectionis.

Ps. XLIV, 11, 12. AUDI, *filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui ; et concupiscet Rex decorem tuum.* Verba hæc quamvis ad litteram exponantur de Ecclesia, quæ est sponsa Christi universalis, vel de Virgine gloriosa, quæ est sponsa Christi singularis ; moraliter tamen exponuntur de qualibet anima devota, quæ est sponsa Christi particularis. Omnis namque anima, secundum Augustinum, aut Christi sponsa est, aut diaboli adultera. Ait ergo sanctus Propheta unicuique animæ fideli : Obliviscere populum tuum et domum patris tui : hoc est, terrena ista pro Deo contemne, cognatos, propinquos, et omnem carnalem affectum relinque, ut tota tua affectio sit ad Deum, spiritualibus donis diteris, omni virtute et gratia adorneris. Quo enim mundana magis perfecte et prompte contempseris, eo cœlestibus bonis copiosius fulcieris. Hinc Gregorius pulchre ait : A creaturis amorem retrahit, qui in Creatorem, omnis pulchritudinis fontem, cordis passibus tendit. Si ergo, o anima christiana, hæc feceris, concupiscet Rex regum, Dominus universorum, Christus, Unigenitus Dei, decorem tuum, id est interiorem tuum ornatum, reformationem internam, sapientiæ tuæ claritatem, caritatis ardorem, omniumque virtutum tuarum fulgo- A rem ; dicetque tibi illud ex Canticis : Quam pulchra es, amica, et quam decora ! Imo te tam pulchram ac splendidam diliget, te cœlesti lumine et fructibus Spiritus Sancti fecundabit, te sibi æternaliter sociabit, ut ad libitum ipso dulcissime atque plenissime perfruaris, in quo totius beatitudinis vera plenitudo consistit. Nimirum deliciæ Dei sunt esse cum anima tali ; eamque quotidie exuberantiori gratia decorabit, piissima visitatione exhilarabit. Cant IV, 1; VII, 6.

Tanti igitur profectus intuitu, tantæ nobilitatis affectu contemnamus ex corde B hunc mundum vanissimum, et omne variabile, indigens et caducum, a Deo altissimo abstractivum : quippe quod nostrum nequit satiare, contentare aut felicitare affectum, Augustino id sic protestante : Ad imaginem Dei creata rationalis anima ceteris omnibus occupari potest, repleri non potest : capacem enim Dei quidquid Deo minus est non replebit. Et rursus : Domine, inquit, fecisti cor nostrum propter te, et inquietum est donec perveniat ad te. C Atqui satis jam dictum est, quod anima nostra quo magis in terrenis distenditur, temporalibus occupatur, mundanis afficitur, eo minus occupatur, colligitur et afficitur circa Deum. Ut ergo indesinenter queat occupari in Deo per contemplationem sinceram, dilectionem ferventem, meditationem profundam, orationem frequentem, laudem et gratiarum actionem præcordialem, avertamus eam ab universis quæ mundi sunt, et divinæ liberalitati eam continuo substernamus et applice- D mus. Sic etenim mirabiliter crescet in gratia Dei. art. X, XI, XIII, XVII.

Hanc veram, deiformem ac nobilem perfectionem, omnibus bonis sæculi hujus incomparabiliter desiderabiliorem ac præstantiorem, sic impense affectemus, amemus et conservemus, ut ejus desiderio et amore mundum et quæ mundi sunt integerrime contemnamus tanquam nihilum et inane. Neque putemus nos aliquid magnum peragere, si pro tam divinis et supernaturalibus bonis terrena et infima

relinquamus. Sed Deo humiliato spiritu gratias decantemus, quod corda nostra docuit, illuminavit, erexit ad cognoscendum et deserendum vanitatem et vilitatem om-
Ps. XCIII, 12. nium mundanorum. Vere siquidem beati sunt, quos tu, Domine, ita docueris, ad mundi contemptum induxeris, ad spiritualis vitæ perfectionem promoveris.

Nonne, mi frater ingeniose, obtenebratam tibi mentem habere videtur, qui his lectis, auditis et cognitis, ad mundi despectum non provocatur, ad deiformem perfectionem prætactam non inflammatur? Noli ergo amore minimorum amittere maxima; noli plus oblectari in creaturis quam Creatore; noli mundo tenacius in-
I *Joann.* II, 17. hærere quam Deo. Ecce mundus transit et concupiscentia, vanitas, gloria ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

ARTICULUS XIX.

Quod quatuor novissimorum intenta consideratio ad mundi contemptum eminenter inducit.

Eccli. VII, 40. MEMORARE *novissima tua, et in æternum non peccabis.* Non jam dumtaxat lapidei, sed et ferrei cordis est, quem ad Dei timorem et mundi contemptum, ad vitæ emendationem, ad mentis custodiam, nec horror diræ mortis, nec divini judicii pavor, nec infernalium tormentorum sempiterna acerbitas neque cœlestis patriæ infinita felicitas incitant et perducunt. Si credis, imo quum scias te moriturum, et horam prorsus ignores, noveris quoque post hanc vitam non esse statum aut tempus merendi: cur ullo momento bene agere prætermittis? cur aliquam horam infructuose pertransis? cur in tali statu esse præsumis in quo mori non audes? Fac ergo, dilecte, quod Salo-
Eccle. IX, 10. mon ait: Quidquid manus tua potest, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo properas. Non impleatur in

A nobis quod denuo loquitur Salomon de negligentibus et iniquis: Sicut capiuntur pi- *Eccle.* IX, 12.
sces hamo, et aves laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, quum eis extemplo supervenerit. Mortis ergo horrorem, divini judicii expavescendum districtissimumque discrimen, ardentis gehennæ metum, ab oculis cordis tui elongari nequaquam permittas. Dicit namque Hieronymus: Nihil sic revocat a peccato ut frequens memoria mortis. Et sicut ait Chrysostomus, fallax est hic mundus, finis dubius, exitus B horribilis, judex terribilis, pœna interminabilis. Denique, ut refert Ambrosius, etiam Plato asseruit omnem sapientium vitam esse meditationem mortis. Præmeditemur ergo quotidie quid sumus futuri. Qui se jugiter pensat moriturum, spernit præsentia, et ad futura festinat. Idcirco autem Deus latere nos vitæ voluit finem, diemque mortis nostræ esse nobis ignotum, ut dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, et tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto magis incertus C est de vocatione.

Noli lacrimarum causam tripudiando peragere, et mortis tuæ negotium ridendo exsequi inconsulte. Quum surgis diluculo, non putes ad vesperum te perventurum; quum ad quiescendum te in lecto posueris, non de auroræ præsumas adventu: sicque facillime ab omni te refrenabis affectu mundano et vitio. Adverte quod cito adveniet hora ut ex hac vita ad ignotam transeas regionem, moxque tum metuendissimo tribunali summi Dei te opor- D tebit adstare. Tunc tempus omissum et neglectum infructuose, recuperare non poteris, nihilque te juvare aut consolari valebit eorum quæ nunc inordinate diligis injusteque agis. Tunc dolebis te tam intimorate vixisse, omisisse tot bona et commisisse tot mala. Nunc ergo pariter pœnitentiam agamus dignam. Sic modo Christum judicem veneremur, ut tunc ab ipso reverenter suscipiamur. Sic jam propter peccata nostra tristemur, ut tunc ab ipso æternaliter consolemur.

Præterea, si divini judicii districtionem A perpendis, omnem sæculi vanitatem protinus despicis, atque ad vitam pœnitentialem occurris. Etenim in hora judicii stabit mundus in igne conflagrationis, qui et reprobos tunc exuret. Christus in aere residebit; universi ordines angelorum adstabunt visibiliterque parebunt, et omnes cives cœlestes. Jacebunt reprobi in terra, quam amaverunt, cum horrendis suis corporibus, obscuris, gravissimis, quæ tunc deformiora horribilioraque erunt quam tunc quando pro media parte in monu- B mentis a vermibus erant corrosa. Aderit universitas dæmonum, et omne genus humanum. Tunc singulorum vita singulis innotescet, ut omnes simul justissimum esse Dei judicium recognoscant. Quid tunc anxietatis, quid pœnæ, quid intolerandæ miseriæ inerit impiis, se in æterna inferni tormenta mox projiciendos videntibus? Statim namque prolata sententia, Ite, maledicti, in ignem æternum, terra os suum aperiens, deglutiet eos, corruentque in profundissimum lacum inferni, in quo æter- C naliter detinebuntur conclusi.

Matth. xxv, 41.

Hujus judicii imaginatio terreat te et me quomodo terruit S. Hieronymum. Quoties, inquit ipse, diem illum considero, toto corpore contremisco. Sive enim comedo, sive bibo, sive aliquid aliud facio, semper videtur tuba illa terribilis sonare in auribus meis : Surgite, mortui, venite ad judicium. Rursus ait idem Doctor sanctissimus : Judicaturo Domino, lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora feriet; potentissimi quondam reges D nudo latere palpitabunt; adducetur cum suis stultus Plato discipulis; tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quum venerit ille Filius pauperculæ quæstuariæ judicaturus fines terræ. Insuper, devoto attestante Anselmo, tunc a dextris erunt peccata nos accusantia, a sinistris infinita dæmonum turba accusare promptissima; subtus horrendum chaos inferni, supra aperti scissique cœli, in aere Judex iratus; foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ubi etiam justus vix salvabitur, heu! miser peccator sic deprehensus quo fugiet? Impossibile erit latere, et intolerabile apparere. Hæc videntes damnandi, turbabuntur timore horribili, ingemiscentes præ angustia spiritus, et dicentes : Erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis; lassati sumus in via iniquitatis.

I Petr. iv, 18.

Sap. v, 2, 3, 6, 7.

Potius, mi dilecte, nunc eligamus cum electis delicias mundi abhorrere, pœnitentiæ opera exercere, Deo cum debita reverentia, timore et puritate deservire, quam tantam calamitatem incurrere.

Præterea, quicumque pœnas inferni diligenti profundaque mente revolvit, omnem sæculi vanitatem et laudem atque peccata procul dubio abhorrebit. Quid enim est, in carcere infernali, in medio ignis fervidissimi, in lacu tam miserabili sine spe liberationis æternaliter claudi, ineffabiliter cruciari, innumerabilibus pœnis affligi? Ut enim Gregorius profitetur, erit in inferno intolerabile frigus, inexstinguibilis ignis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum, odium omnis boni honesti, inconvertibilis aversio a bono summo et inavertibilis ad bona caduca conversio : quoniam licet in inferno sit stimulus pœnitudinis, nulla tamen erit ibi cruciatis correctio voluntatis : a quibus ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus possit ab eis diligi vel desiderari justitia.

Et quid opus est de isto agmen verborum inducere? Tu ipse oculis fidei tibi describe profundissimum lacum omni miseria plenum, omni tempestate, clamore, ululatu, desperatione plenissimum, æstuantissimo igne ferventem, dolorosissimis habitatoribus abundantem. Considera diligenter quid sit in lacu tali æternaliter cruciari, in igne tam æstuosis flagrante incendiis sine fine torqueri, horribilissima dæmonum et omnium damnatorum visione, societate, calamitate afflictari. Lacus

iste infernus, est qui in libro Job appel- Job x, 21, 22. latur terra tenebrosa et operta mortis caligine, terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nam et ultra reliquas interminabiles pœnas inferni, est quoque in eo tota turbulentissima, pœnalissima et inæstimabilis inordinatio. Nonne tibi infelices prorsus et plus quam terque quaterque infelices videntur, qui propter hujus vitæ brevissimas libertates, oblectationes illicitas, vanitates mundanas, transitorias affectiones, divitias, prosperitates, tam inexplicabilem merentur et illabuntur miseriam sine fine perdurantem? Egredere itaque et relinque latam sæcularium viam ad istam infelicitatem ducentem, et arctam viam amplectere, fructuose, timorate et reverenter coram Deo sublimi vivendo.

ARTICULUS XX.

Quod ad contemptum mundi potissimum nos inducere debet gloria Beatorum.

Ps. LXXXIII, 2, 3. QUAM *dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Sicut doctores concorditer docent, caritas Dei vita est animæ. Ideo sine caritate nihil est meritorium, nil Deo acceptum, vel ad æternæ beatitudinis adeptionem proficuum. Omnis itaque actio vitæ nostræ, omnis cogitatio, affectio, locutio, operatio, afflictio, Deo accepta et meritoria esse non valet, nisi ex caritate procedat elicitive, imperative, seu directive. Unde qui ex solo timore servili seu pœnæ formidine plorant, confitentur et pœnitent, nil merentur. Itaque opus bonum fieri debet zelo justitiæ et caritatis affectu, non servili timore. Propter quod dicit Apostolus : Si linguis ho- I Cor. XIII, 1, 3. minum loquar et angelorum, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et Gregorius : Tunc (ait) solum Deo vera obsequia reddimus, quum eum propter amoris fiduciam non timemus, quum nos

A ad opera bona affectus, non metus, dirigit. Quod de timore servili sumendum est, quo pœna principaliter formidatur. De quo ait Joannes : Timor non est in caritate. I Joann. IV, 18. Quamvis itaque, sicut nunc patuit, ad mun- art. præced. di contemptum debeamus induci consideratione mortis et judicii atque pœnarum inferni; tamen omnino magis ac fortius ad hoc ipsum induci debemus consideratione et amore beatitudinis sempiternæ, seu gloriæ electorum : quæ, secundum Thomam, est quodammodo infinitæ digni- B tatis, quum sit immediata fruitio boni immensi, Dei gloriosi et sancti. Porro, quum ista fruitio omnino sit supernaturalis, ad eam pertingere non valemus nisi per supernaturalia media : quæ sunt, gratia gratificans, virtutes theologicæ (scilicet fides, spes, caritas), septemque dona Spiritus Sancti. Et quo media ista perfectiora et exuberantiora in nobis exstiterint, eo cuncta mundana et temporalia vehementius aspernamur, eorumque vanitatem, vilitatem, fallaciam, clarius speculamur, et ad C beatitudinem paradisi cœlestis affectuosius adspiramus, abundantius propinquamus, atque celerius et incessabilius ambulamus, vel potius currimus, imo et omne opus Dei tunc promptius delectabiliusque exsequimur.

Desiderio itaque felicitatis et gloriæ electorum viriliter omne quod Deo placet agamus, mundum promptissime relinquamus, cuncta caduca ut stercora arbitremur : quoniam, Augustino testante, tanta est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas D lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis et sapientiæ increatæ, ut etiam si non liceret in ea amplius quam unius diei hora una manere, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et affluentia temporalium rerum recte et merito spernerentur. In civitate etenim Dei et patria electorum, lex est caritas, rex veritas, pax felicitas, vita æternitas.

Jam nunc accinge te ipsum, dilecte, et subtiliter intuere quanta sit Beatorum felicitas, quanta jucunditas Deum clare et

immediate videre. Nonne quo aliquid pulchrius est, eo delectabilius est ipsum clare videre? Quum ergo Deus excelsus sit essentialiter, totaliter et incircumscriptibiliter pulcher, sanctus, purus ac splendidus, imo pulchritudo veraciter infinita, idealis, separata, æterna, perfecta, simplex et incommixta, omnis creatæ pulchritudinis, decoris, puritatis et claritatis causa fontalis et ratio exemplaris, præ cunctis et singulis in infinitum decora et superpulcherrima; constat profecto quod Deum tam speciosum clare et per speciem intueri, sit deliciosissimum, delectabilissimum, gloriosissimum, omnem delectationem et gloriam ineffabiliter incomparabiliterque excellens.

Præterea, quo aliquid melius, dulcius perfectiusque in se ipso consistit, eo ejus est fruitio jucundior. Quum ergo Dominus Deus noster omnipotens, adorandus et felix, sit in se ipso præstantissima, pura, incircumscriptibilis et incomprehensibilis bonitas, infinita dulcedo, et ens ita perfectum, ut quidquid ad entis seu essendi vel esse plenitudinem, nobilitatem ac eminentiam pertinet, ei cum infinita perfectione et excellentia competat; constat quod ejus immediata fruitio sit prorsus ex omni parte suavissima et superdulcissima. Propter quam quidem adipiscendam, infinita aspernatione spernenda sunt omnia gaudia, honores, laudes et prospera mundi.

Considera ergo ut vales, quale gaudium erit videre æternam Divinitatis essentiam, quemadmodum ipsa æterna sit, a nullo facta, nec creata, neque dependens, sed sibi ex se, in se et per se omnino sufficiens; incircumscriptibilem, admirabilem et incomprehensibilem Deum facie ad faciem lucide intueri, et in ejus fontali sapientia totius universi ordinem et decorem, omnemque veritatem et multa secretissima speculari; frui quoque hoc bono immenso, et id jugiter possidere, atque in ipso quidquid desiderabile est et pulchrum habere; itemque divina sapientia tam exuberanter irradiari, ac divina bonitate tam copiose repleri, ut tota capacitas intellectus et omne desiderium voluntatis penitus satientur et contenta reddantur; gustare insuper divinæ pacis dulcedinem, Creatorisque amore prorsus absorberi, in Deum transformari, ei perfecte assimilari, eumque jugiter in se complecti, neque ab ejus amplexu, amore, adspectu unquam posse avelli; videre insuper visione beatissima et interna summæ Trinitatis emanationem ad intra, quomodo Filius emanet a Patre et Spiritus Sanctus ab utroque, quomodo Personæ hæ adorandæ sint unum in essentia et tres in suppositis, quæ earum mutua complacentia, fruitio, nexus, amor et gloria. Divinæ siquidem et increatæ Personæ amore prorsus immenso se invicem diligunt, cum infinita se invicem jucunditate adspiciunt, cum interminabili dulcedine se mutuo perfruuntur, et ipsæ dumtaxat se plene et comprehensive noscunt seu contemplantur.

Gaudebunt ergo electi supra se de Dei visione; infra se, de cœlestium corporum et aliarum corporalium creaturarum pulchritudine et decore; intra se, de corporis et animæ glorificatione; extra et circa se, de angelorum et hominum prædestinatorum associatione. Ibi revera erit candor lucis æstivalis, vernalis amœnitas, abundantia autumnalis et requies hiemalis. Illic Deus sine fine videbitur, sine fastidio perfruetur, sine fatigatione laudabitur. Ibi Deus erit rationi plenitudo lucis et veritatis; voluntati, multitudo pacis ac suavitatis; memoriæ, continuatio æternitatis atque immobilis stabilitatis. O vita vitalis, dulcis, amabilis, semper memorialis, in qua summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, cui Deus laudatio! Ibi affluentia divitiarum, influentia deliciarum, confluxus bonorum.

Hujus beatitudinis desiderio anima tua, o carissime, inflammetur, pro ea quidquid potest efficaciter operetur, eam frequentius mente pura nunc meditetur. Noli te

ipsum propter ea quæ mundi sunt exponere periculo amittendi hanc gloriam. Postremo, tanta est dignitas gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro, ut quamvis certi essemus nos posse eas in mundo potiri, tamen amore crescendi ac proficiendi in eis, merito omnia pro Deo relinqueremus. Det tibi clementissimus Deus intellectum, ut ista vere sapienter cum gustu intelligas, consiliisque salutis salubriter atque
Rom. xi, 33. celeriter acquiescas. Metuenda et incomprehensibilia nimis sunt judicia Domini Dei nostri. Nempe quod uni gratiam infundit, non alteri, causa occulta esse potest, non injusta, ut asserit Augustinus. Verum ego indignus indesinenter viscera misericordiæ Dei imploro, quatenus in te misericordiam suam undique mirificet.

ARTICULUS XXI.

Quod inquietudo, labor et afflictio mundi amorem concomitantes, ad mundi contemptum merito inducere debent.

Eccle ii, 26. HOMINI *bono dedit Deus sapientiam, et scientiam, et lætitiam ; peccatori autem, afflictionem et curam superfluam.*
art. x et s. Jam de mundi contemptu tractatum est tam ex parte Dei quam nostri. Nunc ergo de eodem incumbit loqui ex parte ipsius mundi, qui (si bene consideretur) continet in se ipso unde contemnatur. Primo autem occurrit ad hoc, quod mundi amatores variis inquietudinis turbis, afflictionibus atque laboribus infestantur : ita ut mundus, in quo consolationem requirunt, plus pœnæ et amaritudinis quam delectationis ingerat eis. Quum enim sint a summo ac simplicissimo bono (in quo solo pax vera verumque gaudium habentur) aversi, in temporalibus et terrenis disperguntur, neque in uno stabiliti, per diversa feruntur. Ex quibus multiplicibus affectionibus seu animæ passionibus afficiuntur : nunc delectatione, nunc mœrore ; nunc amore, nunc odio ; nunc desiderio, nunc fastidio ; nunc timore, nunc detestatione. Non etenim per A rationis judicium seu censuram norunt animæ passiones ad æqualitatem redigere, atque in omni eventu in quadam tranquillitate consistere ; sed ad instar brutorum impetum passionum sequuntur secundum sensualitatis sensitivique appetitus impulsum : unde non diu in eadem dispositione perdurant.

Præterea, secundum Philosophum, homo contemplativus atque theoricus in se ipso materiam bonarum delectationum habet, quum plenus sit theorematibus divi- B norum jucundis, hoc est scientialibus ac sapientialibus rerum notitiis, in quibus spiritualiter oblectatur, nec extra se in sensibilibus delectationem requirit. Indocti autem carnales sive mundani talem delectationem non sciunt, nec intra se sinceræ delectationis materiam habent : ideo forinsecus quærunt lætari in quibus non semper jucunda et prospera, sed frequenter adversa occurrunt et tristia, in quibus sæpenumero affliguntur. Multo magis igitur homo devotus et spiritualis, in quo C gratia ornat, juvat perficitque naturam, intra se continet unde spiritualiter delectetur in Deo etiam in adversis. Mundani vero et vitiosi nunc iram, nunc tristitiam, nunc invidiam, nunc indignationem, nunc timorem, quæ sunt passiones pœnales ac amarissimæ, habent : in quibus non animam tantum, sed et corporalem naturalemque vitam plurimum lædunt. Nunc siquidem inani lætitia resolvuntur, vana spe dilatantur, pravo desiderio accenduntur ; inde gaudent unde tristandum est, inde D tristantur unde gaudere oportuit ; id exspectant quod fugiendum est, id fugiunt quod vere utile est et exspectatione dignum. Itaque sive delectentur, sive tristentur, infelices sunt, et pœnas futuras merentur, et tanto quidem graviores, quanto magis inordinatæ sunt affectiones eorum. Unde de gloriante et delectante non recte, sed inaniter et mundane, Dominus ait : Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. *Apoc.* xviii, 7.

Insuper, Augustino testante, animus inordinatus sibi ipsi est pœna. Quum ergo, ut dictum est, in amatoribus mundi affectiones sint inordinatæ, præposteræ et perversæ, constat quod sibimetipsis sint graves sæpe atque pœnales. Propter quod
Sap. v, 7. fatentur : Ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis ; viam autem Domini ignoravimus. Hinc denuo scriptum
Job xv, 21. est : Sonitus terroris semper in auribus impii ; et quum pax sit, ille insidias suspicatur. Quod si interim forte lætentur, lætitia eorum fit eis in perditionem. Porro B animus ordinatus, animus tranquillus, devotus, sibi ipsi jucundus et dulcis est. Unde, secundum Hieronymum, claustra in quibus caritas regnat, sunt paradisus Dei
Is. LVII, 15; LXVI, 1, 2. in terra. Sed et super quietem et humilem requiescit Spiritus Sanctus. Simili modo,
Eccli. XXXVII, 22. juxta Salomonem, vir eruditus suavis est animæ suæ : eruditus, inquam, eruditione virtutibus decorata. Hinc utique quamvis devotæ, tranquillæ, quietæ ordinatæque menti non esset alia merces reposita quam suavitas illa interna, pacis dulcedo since- C ritasque conscientiæ puræ et consolatio sancta quas quotidie experitur in semetipsa ; dignum et superdignissimum esset studere virtutibus, ordinationi internæ vacare, vanitatibus sæculi renuntiare.

Ad hoc est quod ait Gregorius : Illud est verum et summum gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur ; quod quum acceperis, nemo tollet a te ; cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne decorum fœdum, D omne postremo quod delectare potest, molestum est. Et iterum : Nihil, inquit, in hac vita laboriosius quam terrenis desideriis æstuare, et nihil in ea quietius quam nihil hujus mundi appetere. Verum, ut idem adhuc docet, spirituales deliciæ quum non habentur, in fastidio sunt, scilicet inexpertis. Et ideo forsitan, mi dilecte, ad spiritualis conversationis divinas, sacras sincerissimasque delicias minus alliceris, minus festinas, quoniam eas nondum (ut A reor) expertus es. Sed crede in hoc sancto et magno Gregorio, et spiritualem vitam, mundo relicto, apprehendere jam festina.
Et spero quod cito gustabis quam dulcis est Dominus, quam magna multitudo dulcedinis ejus ; delectaberisque in multitudine pacis Christi, quæ omnem sensum exsuperat : quam mundi amatores gustare non valent, quoniam, ut apud Prophetam habetur, Non est pax impiis, dicit Dominus. I Petr. II, 3. Ps. XXX, 20. Ps. XXXVI, 11; Philipp. IV, 7. Is. XLVIII, 22; LVII, 21.

Porro, si (juxta Aristotelem et Platonem) philosophia, seu consideratio philosophica, admirabiles habet delectationes admixtas, quarum amore etiam Plato perhibuit delectationes carnales atque mundanas esse spernendas (quod utique Plato fecit, quia, ut refert Augustinus in libro de Vera religione, Plato in virginitate permansit) : si itaque hoc ita est, quomodo non multo ampliores delectationes theologica consideratio habet admixtas, illa quæ amatoribus mundi non convenit, sed his potissimum qui pro Dei amore omnia relinquentes, quietam et solitariam vitam ducunt, omnipotentique Deo cum omni cordis custodia jugiter obsequuntur, laudibus ejus incessabiliter vacare optantes, quemadmodum scriptum est, Cantabo Domino in vita Ps. CIII, 33.
mea, psallam Deo meo quamdiu sum ?

Denique, sicut dici solet, quis in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate ? quum dicat Gregorius : Quanto quis honoribus dignitatum plus sublimatur, eo gravioribus ponderibus oneratur. Omne quod hic eminet, plus mœrore afficitur quam honore lætetur, plus casum damnationis minatur quam vitam mereatur beatam. Exiguo Sap. VI, 7.
enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur. Nam et judicium gravissimum in his qui præ- Ibid. 6.
sunt fiet. Idcirco dicit Chrysostomus : Quis prælationem vel curam animarum desiderat, nisi qui non timet judicium Dei ? Magna securitas animæ, nihil concupiscentiæ sæcularis habere. Vilis quoque et misera servitus, sæcularibus negotiis, Deo relicto,

insistere : quanquam nonnullis mundanis personis grave sit non occupari in talibus, quoniam non noverunt se occupare in divinis sanctisque actibus. Anima autem sine occupatione et amore esse non potest : idcirco quo minus circa Deum occupatur atque afficitur, eo plus in terrenis et vanis effunditur. Denique, teste Bernardo, divitiarum amor insatiabilis longe plus desiderio torquet quam usu suo hominem ipsum refrigeret. Labor enim, secundum Valerium, est in acquirendo, timor in possidendo, dolor in amittendo. Sed et aurum illum plus cruciat apud quem largius invenitur.

Ut ergo mente quieta Deo queas servire, tumultuantia mundi negotia, corporales delicias, fallentes divitias fuge, soli Deo adhære, ut ipse sit gaudium tuum et requies, cantesque veraciter cum Psalmista :
Ps. LXI, 8. In Deo salutare meum et gloria mea ; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Temporalibus vero gaudent qui bona divina, cœlestia et æterna desiderare non norunt.

ARTICULUS XXII.

Quod dispendium spiritualis profectus, seu amissio temporis, ex mundi amore proveniens, ad despectum mundi inducere debet.

Marc. XIII, 35, 36, 33. VIGILATE *(nescitis enim quando Dominus veniat : sero, aut media nocte, an galli cantu), ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes. Videte, vigilate et orate.* Quantum Deum vitamque futuram in patria diligimus, tantum ea quæ nos a Divinitatis unione æternæque beatitudinis adeptione impediunt vitare debemus. Quid autem eatenus impedit nos ab his sicut divitiæ atque deliciæ mundi, honores, vanitates prosperitatesque sæculi ? Quibus homo intentus, non solum tempus sibi ad pœnitendum concessum miserabiliter perdit et infructuose expendit, sed insuper multa quotidie vitia inci-

A dit, peccata committit, Dei non meminit, debita quoque omittit, et innumerabilia salutis impedimenta incurrit. Hinc in Evangelio loquitur Christus : Quam difficile, Marc. x, 23. qui divitias habent, in regnum Dei intrabunt ! Divitiæ siquidem jam possessæ difficulter spernuntur, et terrena arctius diliguntur adepta quam constringunt cupita. Hinc certe qui multiplicandis divitiis incumbunt, alterius vitæ gaudia quærere negligunt ; quumque soliditatem perennitatis non pensant, exsilium tanquam pa-B triam amant ac reputant. Denique amator sæculi quanto plus Dei obliviscitur, tanto plus a Deo relinquitur, et ejus anima induratur. Hinc autem contingit quod nulla quæ Dei sunt veraciter diligit, superna non concupiscit ; ac per hoc miserabili modo quanto quotidie pejor efficitur, tanto securior redditur. Quumque unde sit lapsus non adspiciat, nec futura supplicia expavescat, quantum sit lugendus ignorat. Quo enim malis et vanis magis adhæret, eo minus recognoscit bona quæ C perdit, et magnam putat felicitatem mundanam, nunc ad votum florere non formidans, nec prævidens sempiterna supplicia quæ cogetur mox sustinere. Solus ille conspicit nihil esse quod floret iniquis, qui ab amore sæculi abstulit gressum mentis. Quum siquidem æterna retributio cogitatur, præsens gloria quam sit nulla cognoscitur. Qui autem cor in præsentibus fixit, futura impiorum supplicia non perpendit, sed falsis intumescit divitiis, gaudetque, quum flendus sit, D subjectus sceleribus. Nulla verior miseria, quam falsa ac vana lætitia ; et tanto quis amplius forinsecus gaudet, quanto intrinsecus sui ipsius recordationem non habet.

Hæc ex verbis Gregorii sumpta sunt. Ex quibus, carissime, elicis quam periculosum sit, maxime clericis, his terrenis implicare affectum. Sed forte intendis divitiis non inordinate uti aut affici, nec inter sæculares et vagos sæculariter conversari, neque in epulis deliciari, nec hominum

honore, favore aut laudibus delectari. Fateor, si hoc potes, magna valde perfectio est, quæ vix a virtuosis videtur posse continuari. Porro quam rarum atque difficile sit hoc ipsum, attende. Ait namque Gregorius : Pene semper epulas concomitatur voluptas. Dum enim corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Proinde Valerius ait : Dives in superfluitate resolvitur et jactantia effrenatur, currit ad libitum, corruit ad illicitum, fiuntque instrumenta pœnarum, quæ fuerunt oblectamenta culparum. Verum, an corpus tuum delicate et molliter nutrias, et solam necessitatem vel utilitatem, non voluptatem, requiras, tu ipse examines. Sed audi Gregorium : Sicut impossibile est, inquit, ignem inflammari in aqua, sic impossibile est cordis compunctionem vigere in deliciis. Contraria enim sunt hæc, et mutuo sui peremptoria.

Præterea, temporis pretiositatem perpende, et noli illud in vanitate expendere, infructuose transire, vitiose deducere. Sed sanctorum Patrum audi doctrinam docentium : Nemo nostrum parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat. Licet fabulari, dicunt, donec hora pertranseat. O donec prætereat hora quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam gratiam, ad acquirendam gloriam, miseratio Conditoris indulsit ; donec pertranseat tempus in quo divinam propitiare debueras majestatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam cœlestem hereditatem, adspirare ad promissam felicitatem, excitare tuam remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem ! Atqui, secundum Bernardum, nil pretiosius tempore, et nil nunc vilius reputatur ; transeunt dies salutis, et nemo recogitat.

Nunc ergo, mi carissime frater, omni sero seu hora qua te compones quieti, revolve in animo quomodo diem expenderis, quid mali commiseris, quid boni omi-

A seris, quanta bona facere potuisti, sed neglexisti, quomodo Deum inhonorasti, quomodo dæmoni peccando placuisti, quomodo animam tuam læsisti et angelo tuo displicuisti, quantum appropinquasti inferno. Tunc autem de bonis peractis Deo gratias age ; de malis toto doleas corde, emendationem propone, eamque diligenter prosequere. Considera nunc quod peccatores, qui jam tempus in mundi vanitate expendunt, in hora diræ mortis quærent unius diei vel horæ inducias ad

B pœnitendum, quam et tunc mallent potius accipere quam massam auri tam magnam quantus est mundus sensibilis. Recordare quod in die judicii omne tempus tibi impensum requiretur a te qualiter sit expensum usque ad momentum et oculi ictum. Sit ergo in corde cogitatio bona, in ore lectio sacra, in manibus operatio virtuosa, ut quotiescumque inimicus accesserit, inveniat te armatum. Quem enim otiosum invenerit, tentare non cessat. Quod si tam malum est otium, quanto pejus est vitio-

C sum negotium ?

ARTICULUS XXIII.

De contemptu mundi et temporalium ex consideratione vanitatis, mutabilitatis et fugacitatis seu brevitatis eorum præsentisque vitæ.

L*AUS impiorum brevis* est, *et gaudium* Job xx, 5-8.
hypocritæ ad instar puncti. Si ascen-

D *derit usque ad cœlum superbia ejus, et caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Si futuræ felicitatis æternæque vitæ æternitatem, soliditatem, veritatem et incorruptibilitatem rite pensamus, puto quod mundus iste et præsens vita temporalisque gloria nobis ex corde vilescent, nec in rebus mundanis affectum spargemus, qui potius sempiterna gaudia et invariabilia bona nobis in patria

præparata, avidissimo corde quæremus. A Quum enim anima nostra immortalis sit, et propter splendorem intellectus omni materiali natura sublimior, nequaquam in corruptibilibus, materialibus aut transitoriis quiescere debet, sed immortali, invariabili ac simplicissimo Deo pura mente intendere. Non ergo præsentem vitam sed futuram principaliter diligamus ; omnem transitoriam delectationem, temporalem honorem et laudem humanam pro Divinitatis cœlestisque beatitudinis dilectione ex corde contemnamus. In tantum enim Deo B placemus et futuræ beatitudini propinquamus, quantum ab omni laudis et gloriæ temporalis atque mundanæ vanitatis affe- I *Tim.* I, 17. ctu cessamus, ut dicit Gregorius. Soli enim Deo debetur honor et gloria, a quo omne *Baruch* I, 15 ; II, 6 ; *Dan.* IX, 7, 8. bonum procedit ; nobis autem confusio vultus, qui toties Deum offendimus, inhonoramus, negligimus. Non itaque licitum est nobis gloriari in nobismetipsis, aut inanem complacentiam in nobis habere ; I *Cor.* I, 31 : II *Cor.* X, 17. sed, sicut dicit Apostolus, qui gloriatur, I *Joann.* II, 17. in Domino glorietur. Ecce mundus transit C et concupiscentia ejus. Et quæ est vita *Jacob.* IV, 15. nostra in sæculo isto, nisi fumus et vapor ad modicum parens, qui mox exterminan- II *Reg.* XIV, 14. tur ? Omnes sicut aquæ in terram dilabi- *Eccli.* XVII, 31. mur. Terra sumus, cinis et pulvis, putredo *Ibid.* X, 13. et vermis. Quum autem mortuus fuerit homo, hereditabit serpentes et vermes.

Denique quid est vita præsens, nisi continuus atque celerrimus cursus ad mortem ? Incessabiliter enim aliquid vitæ no- I *Par.* XXIX, 15. stræ abscinditur. Ideoque David ait : Dies nostri sicut umbra super terram, et nulla D *Is.* XXXVIII, 12. est mora. Et Ezechias piissimus : Præcisa est (inquit) velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me ; et item bea- *Job* VII, 7. tissimus Job : Memento mei, Domine, quia ventus est vita mea. Imo nihil est duratio vitæ hujus respectu æternitatis, sicut Job *Ibid.* 16. loquitur : Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Hinc dicit Chrysostomus : Centum, si placet, annos demus deliciis ; adde et alios centum ; si libet, adde et decies centum : quæ erit ex his ad æternitatem compensatio ? Nonne omne tempus vitæ hujus quo deliciis frui videmur et indulgere vanitati, quasi noctis unius somnus ad æternitatis comparationem videtur ? De hoc dicit Hieronymus : Si habueris sapientiam Salomonis, pulchritudinem Absalonis, fortitudinem Samsonis, divitias Crœsi, potestatem Octaviani : quid hæc proderunt tibi, quum statim caro dabitur vermibus et anima tua dæmonibus ? Porro, ut asserit Augustinus, Adam si adhuc viveret, et hodie moreretur, quid illi vitæ longitudo profuisset ?

Hæc nunc, amantissime, profunde perpende. Qui enim hæc modo attendere negligunt, certe vel sero et infructuose cum reprobis dicent in die judicii : Erravimus *Sap.* V, 6, 8, 9. a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia ? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis ? Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius præcurrens. Denique tunc revelabunt cœli iniquitatem et vanitatem *Job* XX, 27, 28. amatorum hujus mundi, et terra adversus eos consurget. Tunc manifestum erit peccatum eorum, cum his qui dixerunt Deo : *Ibid.* XXI, 14. Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Tunc pugnabit cum Deo contra *Sap.* V, 21. eos orbis terrarum. Luent omnia quæ fece- *Job* XX, 18. runt, nec tamen consumentur ; juxta multitudinem adinventionum suarum sustinebunt. In diem enim perditionis servatur *Ibid.* XXI, 30. malus, et ad diem furoris ducetur ; et de *Ibid.* 20. furore Omnipotentis bibet. Hæc mentem tuam perterreant, a mundo avertant, Deo conjungant.

Præterea in hoc innotescit vanitas mundi, quod prosperitas et lætitia ejus cum ingenti aviditate exspectatur, et quum venerit, teneri non potest, sed transeunt omnia, et evolant cuncta. Unde versus :

Præterit ista dies ; nescitur origo secundi,
An labor, an requies. Sic transit gloria mundi.

Ideo Augustinus inquirit : Quid vis? utrum amare temporalia, et transire cum eis, an Christum diligere, atque cum eo æternali-

ter vivere? Siquidem, teste Hieronymo, difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut et hic ventrem et ibi mentem impleat, ut a deliciis ad delicias transeat, ut hic et in futuro gloriosus appareat. Mundanarum autem et temporalium rerum contemptibilitas elucescit ex hoc, quod frequenter Deus dat eas abundantius hostibus suis seu reprobis quam electis. Electus vero ex fine considerat nihil esse quod transeunter sæculariterque delectat. Eapropter dicit Hieronymus : Festina consolatio bonorum est consideratus finis malorum. Dum siquidem ex reproborum interitu conspiciunt malum quod evadunt, leve arbitrantur quidquid in vita hac patiantur.

Ecce, carissime, quanta fallacia sæculi, et quanta cæcitas amatoris ejus! Dum enim libenter et jucundissime moratur in mundo, diuque vivere sperat, ac in futurum multa disponit, repente et improvise mori jubetur, et universa quæ vitiose dilexit, in momento relinquere. Unde Christus, Lucæ duodecimo, refert divitem
Luc. XII, 19, 20. sic sibi ipsi locutum : Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos; requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? Veras ergo et spirituales divitias congregemus, quæ nos in hora mortis non deserant, sed coram Deo appareant, nosque virtutibus speciosos constituant. In his divitiis potes quotidie bene proficere, sic ut talis profectus tibi vere salubrior sit quam si omnes mundi divitias possideres. Nullum igitur temporis spatium vane expendas.

Nec solum opto te occupari in bonis,
Hebr. VI, 9. sed in melioribus, ut semper requiras viciniora saluti et Deo vicinior fias, sicque reverenter et vere nobiliter coram divini vultus præsentia converseris. Cogita atque recogita quietem et pacem puri cordis, delectationem animæ Deum contemplantis, securitatem et spem mentis Deum amantis; et scies quod talibus intendere,

A sit deiformiter vivere, quodque cæcus sit qui aliis deditus est. Nonne omne creatum est defectivum, et omne transitorium inquietum? Breve quoque et modicum est atque mutabile quod tempori subjacet. Idcirco mundi amator nil firmum aut stabile habet; sed levis est ipse et inconstans, tanquam in vertigine positus, quum non in solo Deo, sed in omnibus vanis et transitoriis delectationem efflagitat, nunc istud, nunc illud affectans, nunc quod amabat fastidiens, nunc aliud non desi-
B deratum concupiscens. Justus vero et Dei amator, tranquillus, uniformis et stabilis perseverat, tanquam in immobili fundamento, Deo æterno, fundatus. Propter quod Salomon loquitur : Quasi tempestas trans- *Prov.* X, 25.
iens, impius non erit; justus autem quasi fundamentum æternum.

Insuper, amatoribus mundi condolens Augustinus, exclamando alloquitur eos : O amatores mundi! quid laboratis, cur vos ipsos affligitis circa nihil, quum Creatorem omnium possidere possitis? Quid
C amplius quæritis? Quid sufficit homini cui Conditor ipse non sufficit? Si enim omne bonum de facili habere valetis (scilicet Deum), cur nitimini plena miseriis possidere? Majorne esse poterit spes vestra in mundo quam ut amici sitis mundi? Ibi quid non fragile, quid non caducum, quid non mutabile plenumque periculis, per quæ ad majora et sempiterna pericula pervenitur?

De vanitate quoque vitæ mundanæ dicit Hieronymus : O vita non vita, sed mors,
D vita fallax et onusta tristitiis, imbecillis et umbratica! nunc flores, et statim arescis, vita privans cui ines. Vita fragilis, vita momentanea et caduca : quæ quanto plus crescis, tanto magis decrescis; quum plus procedis, plus ad mortem propinquas. O vita plena laqueis! quot in mundo laqueas homines? quot per te jam sustinent infernalia tormenta? O quam beatus qui tuas cognoscit fallacias! quam beatior qui de tuis non curat blanditiis vanis! quam beatissimus qui te bene privatus est!

ARTICULUS XXIV.

Quod contemnendus est mundus, et ea quæ mundi sunt, propter eorum malitiam et continuam læsionem quam suis amatoribus ingerunt.

I *Joann.* v, 19. MUNDUS *totus in maligno positus est.* Nonne malignitate plenus, et maligno subjectus seu dæmoni subditus est mundus? De quo idem ait Evangelista : *Ibid.* II, 16. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Iniqui namque, ut Petrus II *Petr.* II, 19. docet, sunt servi corruptionis et peccati : a quo enim quisque superatus est, hujus et servus est. Qui autem est servus peccati, est utique servus diaboli. Unde de II *Tim.* II, 26. impiis loquitur Paulus : Resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Hinc Christus in Evan- *Joann.* XII, 31. gelio dæmonem nominat principem hujus mundi : non utique machinæ mundialis, sed hominum mundanorum, qui a Deo aversi, in terrenis depressi sunt. De qui- *Jer.* XVII, 13. bus Jeremias ait ad Dominum : Recedentes a te in terra scribentur. Contra quod *Luc.* x, 20. Christus ait electis : Gaudete et exsultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Denique, secundum expositionem venerabilis Bedæ in præinductis verbis Joannis, per ea quæ in mundo sunt et per mundum, intelliguntur homines qui inordinato amore incolunt mundum. Isti non habent nisi concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. His etenim vitiorum vocabulis omnia vitiorum genera comprehendit Joannes. Concupiscentia siquidem carnis est omne quod ad voluptatem et delicias corporis pertinet; concupiscentia oculorum est omnis curiositas, quæ fit in discendis nefariis artibus, in contemplandis spectaculis turpibus, vel superfluis acquirendis temporalibus rebus, vel cognoscendis carpendisque vitiis proximorum ; superbia vitæ, quum se quis jactat in honoribus.

A Mundus itaque plenus est malis. Quid enim faciunt homines sæculares secundum mundum viventes, quam diversis se contendunt implicare peccatis, suasque animas confodere vitiorum vulneribus et concupiscentiarum sagittis, in tantum ut non sentiant ea? Impletum videmus in Ecclesia illud Osee : Non est veritas, non *Osee* IV, 1-2. est misericordia, non est scientia Dei in terra. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, inundaverunt. A *Jer.* VI, 13 minore quoque (inquit alius Propheta) us- B que ad majorem omnes avaritiæ student. Sacerdotes non dixerunt : Ubi est Domi- *Ibid.* II, 8. nus? Et pastores prævaricati sunt. Non latet ad quantam ruinam devenit Ecclesia pene in omni statu, gradu et ordine.

Porro, si Christiani nunc viverent sicut olim, non esset tanta necessitas fugiendi a mundo. Verum sicuti nunc ut plurimum vivitur, summa difficultas est bene vivere seu mortalia peccata declinare in mundo, præcipue his qui manuali opere non occupantur, sed abundant divitiis, et cum sæ- C cularibus conversantur. Fraudes, ambitio, invidia, voluptas et omnia mala super terram diffusa sunt. Cogitat unusquisque quomodo substantiam suam multiplicet, nemo qualiter animam suam salvet. Timent ne paupertatem incurrant, non autem ut ne gehennæ supplicia incidant. Mundus est fornax vitiorum, quam mundani septemplici (septem videlicet prin- *Dan.* III, 19 cipalium vitiorum) igne succendunt, et in ea comburunt se ipsos et suos collegas. Ubi in tantum excæcantur, ut pericula sua, D quamvis audita et nota, non vitent, nec metuant, sed tanquam phrenetici et insani in periculis suis exsultent. Eos quoque quos similibus non cernunt involvi periculis, insensatos reputant et insanos. Hinc Seneca ait : Quoties inter homines fui, minor homo redii. Et Alanus : Ad mala facta malus socius socium trahit ; et sic fit malus et nequam, qui ante bonus fuit.

Mundus hic comparatur deserto per quod filii Israel processerunt ab Ægypto ad terram promissionis. In quo quidem deserto

Num. xxvi, 51. tot incurrerunt obstacula, quod ex sexcentis numeratis millibus duo dumtaxat, *Ibid.* xiv, 30. scilicet Caleb et Josue, perducti sunt ad terram promissionis. Denique, sicut populus Israel non valebat ab Ægypto recedere nisi divino adjutus auxilio, sic nemo a sæculo isto potest averti nisi divinæ misericordiæ tactu et munere adjuvetur. Defectus tamen non erit ex parte Dei, dummodo quod in se est fecerit homo.

O quantum gaudet modo diabolus, omnes in proclivio et sordibus vitiorum conspiciens! Terrenis inhiant homines, terrena sapiunt, Deum et mandata ejus non curant; terribilia Dei judicia audientes, non obstupescunt, sed tanquam fabulas audiunt. Omnia sine causa fiunt nobis; duritia nostra non mitigatur. Sed numquid Deus justitiam suam relinquet, aut peccata inulta deseret, aut verba quæ de futuro judicio ac debitis pœnis prædixit, falsificari permittet?

Præterea, qui terrenarum rerum superatur amore, in Deo nequaquam delectatur. Nullus autem permanet diu absque delectatione. Qui ergo in spiritualibus non lætantur, ad mundana solatia se infundunt, sicque vitiorum multitudine obruuntur. Hinc Augustinus : Beatus est, inquit, Domine, qui amat te. Qui autem te non amat, mundum amat, vitiis servit, nunquam quietus, nunquam securus, sed distractus atque dispersus est per varias mundi curas, vanitates et pompas. Porro quot sæculi voluptates contemnis, tot dæmonum laqueos evadis. Felix anima quæ delectationibus hujusmodi oblectatur, in quibus nulla turpitudine inquinatur, sed veritatis serenitate purgatur; quam ita delectat lex Dei, ut vitet lascivias mundi. Verum quamdiu dulcescit nobis iniquitas, amara est æquitas, et cui dulcis est mundus, non sapit Christus; sed gustato spiritu Dei, desipit omnis caro.

Porro multiplici vitiorum deformitate inficitur, qui mundo huic mente obsequitur; et qui nihil de divina dulcedine sapit, terrenis desideriis sordidari non metuit. Et si hi a peccatis puri esse non queunt, qui pro Dei amore mundum spernentes et religionem intrantes, in cœlestibus conversantur : quibus peccatorum ponderibus prægravantur, qui in medio mundi, sine sollicitudine et timore Dei, mundi vanitatibus insistere non verentur? Quid est eorum vivere, nisi peccare? Sæculi lætitia, est impunita nequitia. Sed quod reprobi delectationem existimant, virtuosi electi pœnam definiunt, pensantes animam inde æternaliter disperire, unde contingit carnem ad tempus suaviter vivere.

Ululate et flete, miserabiles sæculi amatores, qui corpus ante tempus animamque necatis, dum vitiis gulæ atque luxuriæ immoderanter viliterque servitis. Inde enim procedunt infirmitates et mors repentina. Gaudete et jucundamini nunc in hoc brevissimo temporis vestri spatio, ut postmodum cum diabolo æternaliter lugeatis. Epulemini et inebriamini, ut post modicum cum divite qui epulabatur quotidie splendide, æternum inferni incendium sortientes, guttam aquæ frigidæ postuletis, nec tamen recipere valeatis. *Luc.* xvi, 19 et seq. Cur ferro et saxis duriora sunt corda vestra, quum pro his infelicissimis mundi caducis solatiis vanisque deliciis non perpenditis neque timetis imminere vobis illam horrendam Christi sententiam, Ite, maledicti, in ignem æternum? *Matth.* xxv, 41.

Forte dicetis : Clemens est Deus, nec vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; *Ezech.* xxxiii, 11. et quacumque hora peccator ingemuerit, omnium peccatorum ejus non recordabitur amplius, sicut per Ezechielem promisit. *Ibid.* xviii, 21, 22. Si ergo vel in puncto mortis ingemiscat peccator, salvabitur.

Fateor, vera sunt hæc : imo incomparabiliter magnitudo pietatis divinæ mentis nostræ capacitatem excedit, quum sit vere immensa. Quod patet in hoc quod peccantes tam diu suffert, tam longanimiter ut convertantur exspectat, redeuntes tam misericorditer recipit, tam cito indulget conversis, tantam gratiam influit eis ac si nunquam peccassent. Nonne infinitæ pie-

tatis est opus hoc? Sed non minor est A æquitas ejus quam pietas. Et quos diutius ut pœniteant præstolatur et tolerat, non conversos gravius detestatur et punit. — Quod autem Propheta ait de gemitu peccatoris, intelligendum est utique de gemitu ex vera contritione procedente. Vera autem contritio ex vera Dei dilectione procedit, et ex odio culpæ atque affectu justitiæ. Et sicut testatur Hieronymus, necessaria est pœnitentia sive contritio quæ adæquet crimina, aut certe excedat. Cui consonat illud Chrysostomi : Compunctio B est quæ facit animam horrescere purpuram, optare cilicium, amare lacrimas, fugere risum. Quum ergo hæc ita se habeant, qualis esse potest contritio et gemitus ejus qui in articulo mortis confitetur et pœnitet, quoniam amplius vivere se non posse perpendit, imo si diutius victurum se confideret, confessionem differret? Formidandum videtur quod ex timore servili et fide informi ac proprii commodi nudo intuitu contritio et gemitus illa nascantur; nec est vera contritio, sed quædam C attritio. Qui autem salubriter confitetur et pœnitet, oportet ut doleat de peccato in quantum est peccatum, et Dei offensivum seu divinæ sanctitatis ac majestatis inhonorativum. Hinc secundo Machabæorum Antiochus legitur pœnituisse, nec tamen misericordiam invenisse. Simile scribit Apostolus ad Hebræos de Esau : Non invenit (ait) pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam.

II *Mach.* IX, 11-13. *Hebr.* XII, 17.

Nullus ergo vana spe et stulta persuasione fallat se ipsum. Dicit namque Hie- D ronymus : Hoc teneo, hoc verum puto, quod ei non bonus est finis, cui mala semper fuit vita; qui dum sanus et validus fuit, Deum offendere non expavit, sed in mundi vanitatibus vixit. Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, ait Psalmista. Mors vero peccatorum pessima. Hinc quoque testatur Anselmus : Percutitur hac ultione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivus et sanus oblitus est Dei; et Augustinus : Non potest male mori qui bene vixit, et vix bene moritur qui male vixit.

Ps. CXV, 15. *Ps.* XXXIII, 22.

Verumtamen de nullo est desperandum, sed peccator etiam in extremis ad pœnitentiam est hortandus. Interdum namque fortasse contingit, quamvis rarissime, ut qui tempore sanitatis pœnitere neglexit, tunc pœnitendo misericordiam impetret. Nihilo minus stultissimus est omnis vivens et incolumis qui se tanto committit discrimini. Agamus ergo quod tutius est, pœnitendo et vitam corrigendo quotidie dum sani consistimus, cum Propheta devotissime deprecantes : Ne projicias me, Domine, in tempore senectutis; quum deficiet virtus mea, ne derelinquas me. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, ut dicit Apostolus.

Ps. LXX, 9. II *Cor.* VI, 2.

ARTICULUS XXV.

De nobilitate deiformi animæ sanctæ Deum ferventer amantis, et inæstimabili vilitate animæ induratæ seu peccatricis.

QUÆ *est ista quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Quemadmodum ait Joannes, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quoniam quum apparuerit, similes ei (scilicet Deo) erimus, quia videbimus eum sicuti est, hoc est clare et immediate per speciem. Visio autem intellectualis fit per formam seu speciem intelligibilem quæ sit similitudo rei intellectæ; nec potest similitudo illa rem plene repræsentare, nisi fuerit ipsi rei adæquata. Omnis autem forma, similitudo et species creata, a plena repræsentatione divinæ essentiæ occumbit, distat et deficit infinite. Idcirco, secundum Thomam, Deus videtur in patria per hoc quod ipsa divina essentia unitur mentibus Beatorum loco intelligibilis formæ, non per inhæsionem, sed adsistentiam, ita quod divina essentia est *quod* et *quo* in beatifica visione.

Cant. VI, 9. I *Joann.* III, 2. *Sent.* IV, dist. XLIX, q. II, a. 1.

Porro visio ista superdignissima est penitus supernaturalis : quam philosophi omni menti creatæ, etiam substantiis separatis, impossibilem esse putabant. Unde ut eam obtineamus, indigemus multis supernaturalibus donis, mediis atque auxiliis. Et primo datur nobis a Deo benedicto gratia gratum faciens, quæ ipsam intellectualis ac rationalis naturæ essentiam ornat et perficit, atque in esse supernaturali, divino et ad promerendum vitam æternam idoneo statuit. Insuper caritas, qua Deus proximusque amatur, supernaturaliter, pure gratuite nobis a Spiritu Sancto infunditur, sed et fides quoque et spes. Hæc caritas in habente præponderat amori totius universi, ita ut plus diligat Deum quam universa creata. Imo minimus gradus caritatis facit Deum plus toto universo amari : aliter homo non esset in statu salutis, prout Thomas pulchre deducit. Præterea, secundum doctores, quicumque habet caritatem et gratiam jam præfatam, habet etiam septem dona Spiritus Sancti, saltem secundum aliquem gradum, ceterasque virtutes infusas, caritati et gratiæ connexas. Quo autem in caritate et gratia magis profecerit, eo in donis et virtutibus sublimius crescit.

Summ. th. 2a part. q. xx, a. 4.

Denique tanta est dignitas atque excellentia horum supernaturalium bonorum, ut nec comprehendi facile nec explicari possit. Nulla quippe naturalis perfectio, forma, decor aut claritas eis potest æquari. Non tantum neque tam pulchre ornat lux cœlestis substantiam solis et lunæ, quantum gratia decorat essentiam animæ. Nec sol tantum venustat regionem cœlestem, quantum caritas Dei venustat animæ voluntatem. Sed nec septem planetæ tantum ornant orbes cœlestes, quantum septem dona Spiritus Sancti ornant atque clarificant animæ vires. Neque universitas denique siderum tantum decorat ac perficit firmamentum seu sphæram octavam, quantum universitas ceterarum virtutum dignificat, ornat et perficit animam.

Porro, quemadmodum juxta Philoso- A phum beatitudo potius consistit in actu quam habitu, sic apud theologos magis perfectio consistit in actibus virtuosis quam in ipsis habitibus. Nobiliorum quoque habituum nobiliores sunt actus. Quum ergo præhabita gratiæ bona ac dona sint habitus tam præstantes ac summi : nonne nobilissima, deiformis atque prælucida tibi videtur anima christiana quæ horum habituum actibus jugiter occupatur, quæ tam spiritualiter, supernaturaliter ac deiformiter conversatur, Deum tam eminen- B ter colit et veneratur, cujus utique conversatio est in cœlis? Hinc nimirum anima talis est Dei filia, amica et sponsa, secretorum cœlestium conscia, Deo familiaris, conformis in affectu ac intima, heres Dei coheresque Christi. Quæ revelata facie gloriam Dei contemplans, in eamdem transformatur imaginem a claritate in claritatem : quia in fastidium versa sunt ei omnia ista mundana, caduca, carnalia, humana solatia, laudes, honores et pompæ sæculares, et quidquid displicet C Deo ; quidquid vero noverit Deo placere, hoc toto affectu amplectitur.

Philipp. III, 20.

Rom. VIII, 17.

II Cor. III, 18.

Denique, secundum philosophos, motus sortitur dignitatem, nomen et speciem a termino *ad quem ;* actio quoque dignificari solet a dignitate objecti atque materiæ *circa quam*. Quanta ergo est dignitas et gloria ejus cujus motus et actus, vita, intentio, versantur jugiter circa Deum excelsum, et terminantur in ipsum, quem constat dignitatis esse immensæ, universisque aliis in infinitum præeminere?

D Hæc, frater amande, sic brevissime tango, ut te ad veræ atque divinæ nobilitatis (hoc est ad sanctæ ac religiosæ conversationis, ad sacratissimæ perfectionis) amorem inducam, excitem et accendam. Quam ut ardentius appetas, etiam de peccatricis animæ vilitate, perversitate et deformitate modicum dicam. Hæc itaque, quum sit per peccatum mortale a Deo aversa, spiritualiter mortua est, nec agit aliquid gratum Deo aut meritorium vitæ æternæ. Hæc bona transitoria, sensibilia, mundana, vi-

lissima, summo, æterno, perfecto, infinito A et incommutabili bono, Deo vero, omnipotenti ac supergloriosissimo, præfert : in quo quidem Deum maxime inhonorat. In caducis et vanis sibi finem constituit ; nec finaliter in Creatore quiescit, sed ei prorsus ingrata est, ei non curans adhærere, subdi, parere. Dæmonibus assimilatur, vitiis famulatur, Deo odibilis, angelis displicens, se ipsam incessabiliter lædens, deturpans damnandamque faciens. Quo plus in terrenis ac transitoriis atque carnalibus delectatur, eo vilius vivit, eo infelicior B est. Quo plus mundi vanitatibus gaudet, eo se coram Deo contemptibilius habet, quum non sit timorata neque sollicita Deo obedire debitamque reverentiam in omnibus exhibere.

Denique, per actus virtuosos et sanctos divinæ dilectionis affectus, Deo præcipue assimilamur ; per passiones vero, vanitates et vitia, dissimiles ei efficimur. Similitudo autem est causa amoris, quemadmodum dissimilitudo, odii et rancoris. Sed et perfectio creaturæ, præsertim rationalis C et intellectualis, est Creatori proportionaliter assimilari. Quanto igitur virtutibus insigniores efficimur, tanto Deo similiores sumus, cariores, et intus speciosiores. Quanto vero magis peccamus, tanto Domino Deo nostro dissimiliores, odibiliores turpioresque sumus : quod revera ignobilissimum est atque miserrimum.

Magna est ergo, ut vides, inter animam virtuosam et vitiosam differentia atque distantia. Unde etiam secundum Philosophum, homo contemplativus est amatissimus D Deo ; injustus vero et vitiosus, decies millies deterior bruto. Quod utique ex diversitate remunerationis eorum clarissime innotescit. Virtuosam siquidem animam constituit Deus in cœlo empyreo, dans ei se ipsum in præmium, et omnia sua communicans ei per immediatam beatificamque unionem cum ipso. Vitiosam vero a se in æternum repellit, dæmonibus tradit, in inferno constituit, sempiternis pœnis addicit.

Nunc ergo, dilecte, discerne inter hæc duo, et quod melius judicas, elige et observa. Noli te ipsum eatenus vilificare, ut dæmonum et peccati inveniaris mancipium. Fac modicum propter Deum. Et propter hujus brevissimæ ac incertissimæ vitæ divitias, delicias et honores, noli præmemoratam devotæ animæ dignitatem, decorem, deificationem negligere ; sed timorate et custodite coram Altissimo vive, præsertim quum per unum peccatum mortale omnia supernaturalia gratiæ dona perdantur, et anima ad instar diaboli turpis, perversa, inordinata efficiatur.

ARTICULUS XXVI.

De quibusdam mundi vanitatibus evitandis, videlicet, risu, ludis, jocis, choreis, aleis, et verbis inanibus.

V*Æ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.* Luc. vi, 25. Per « væ » solet in sacra Scriptura æterna damnatio designari. Si itaque Christus ridentibus æternam pœnam minatur : quis in hac vita potest esse securus, levis, jocosus, nisi damnandus et reprobus, qui quum sit sine timore Eccli. i, 28. Dei, justificari non potest? Denique, si pensamus quantis vallamur periculis, quantis circumdamur laqueis, quantis dilaniamur omni die peccatis, quam imperfecte et irreverenter Deo servimus ; item quot quotidie mala fiunt in sæculo, quomodo Deus inhonoratur, quam multi quotidie pereunt, quantis periculis, vitiis seu pœnis cognati, amici et benefactores nostri, vivi sive defuncti, expositi sunt : habebimus potius causam plorandi quam ridendi. Hoc consideravit sanctus ille eremita qui quum Fratrem quemdam vidisset ridentem, ingemiscens dicebat : Coram cœlo et terra rationem reddituri sumus in die judicii, et tu rides? Hinc Salomon ait : Melius est ire Eccle. vii, 3. ad domum luctus quam ad domum convivii. Et rursus : Risum reputavi errorem ; Ibid. ii, 2. et gaudio dixi : Quid frustra deciperis? Ve-

rumtamen non quilibet risus est tam magnum peccatum, sed de risu consuetudinario, vel illo qui ex lætitia penitus inordinata procedit, loquitur Christus. Unde et Jacobus ait divitibus : Risus vester convertatur in luctum, et gaudium in mœrorem. (Jacob. IV, 9.)

Proinde, ludere et jocari Chrysostomus reprobat, quamvis interim honestus ludus excusetur, dum ex rationabili causa et pia agitur intentione. Sed ad aleas ludere, tertio Decretalium clericis præcipue inhibetur. (cap. 15.) De choreis quoque dicit Chrysostomus : Ubi saltatio, ibi diabolus. Neque enim ad hoc dedit nobis Deus pedes, ut cum camelis saltemus, sed ut cum angelis chorum faciamus. Insuper, si grata mente revolvis quomodo Filius Dei pro tua salute in cruce brachiis extentis suspensus est, quomodo pro te alba veste et purpura est illusus, imo nudatus atque in cruce nudus levatus, et variis modis derisus est ; spero quod neque in choreis, neque in vestibus curiosis, pretiosis, pomposis, neque in laudibus hominum delectationem habebis, sed omnia vana hæc despicies et vitabis.

Præterea ad oris custodiam admonet Salomon, dicens : Qui custodit os suum et linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. (Prov. XXI, 23.) Et denuo : Vidisti hominem velocem ad loquendum ? stultitia magis speranda est quam illius correctio. (Ibid. XXIX, 20.) Hinc dicit Gregorius : Fuge verba incauta. Verba vana cito polluunt mentem. Hoc procedat ex labiis quod aures non polluat audientis. Vanus sermo, vanæ conscientiæ index est. Qualis sermo ostenditur, talis animus comprobatur. Qui otiosa verba non reprimit, cito ad noxia transit. Hinc Seneca dicit : Qualis vir, talis oratio, id est sermo. Imago etenim cordis est sermo oris. Quod si verba otiosa et vana sic reprobantur, quid de verbis scurrilibus, lubricis, pungitivis, detractoriis, malitiosis et invidis sentiendum videtur ?

Postremo, terreat et a ludis avertat te quod S. Cyrillus episcopus Hierosolymitanus recitat, carissimum suum nepotem sibi post mortem apparuisse atque dixisse quod esset æterna condemnatus morte, eo quod in ludis immoderanter delectabatur nec inde digne pœnituit. Erat autem (ut scribit Cyrillus) juvenis ille tanta pulchritudine, eloquentia et morum decore ornatus, ut ab universis miro amaretur affectu. Hoc imprime tuæ memoriæ, frater carissime, terrificum sane exemplum.

ARTICULUS XXVII.

Contra superfluitatem divitiarum ; et quare superfluitas ista sit in culpa, præsertim in clericis.

AVARO nihil est scelestius. Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam habet venalem. (Eccli. X, 9, 10.) Certum est corporalia ad spiritualia ordinari tanquam ad finem. Aliter autem amatur atque appetitur finis, et aliter media quæ ordinantur ad finem. Finis namque per se ipsum appetibilis est et amandus, quemadmodum sanitas in medicinali facultate ; media vero, in quantum proficiunt seu utilia sunt ad finem, ut per ea finis convenientius adipiscatur aut conservetur. Divitiæ autem ad spiritualem animarum nostrarum profectum finaliter ordinantur. Porro profectus et perfectio animæ in actu virtutum consistit : essentialiter quidem in actu caritatis et sapientiæ, scilicet in contemplatione et dilectione divinorum ; dispositive vero in actibus virtutum moralium. In tantum ergo divitiæ licite habentur, appetuntur, amantur, in quantum necessariæ sunt ad corporeæ hujus vitæ sustentaculum, et utiles ad sobrium usum alimentorum ac vestium, per quem usum aptificatur anima ad actus contemplationis delectationisque divinæ. Si autem plus appetuntur, avaritia vere committitur : quæ est inordinatus appetitus temporalium rerum seu divitiarum ; estque ex suo genere peccatum mortale, et est con-

traria justitiæ, secundum Thomam. Interdum vero propter imperfectionem parvitatemque actus a mortali excusatur.

Quid autem ex his consequens sit, non me oportet inferre, ne forsitan non credatur. Sed audiamus summos sanctissimosque Doctores. Ambrosius et Basilius dicunt : Non minoris est criminis habenti quod suum est tollere, quam quum dare possis et habeas, indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines ; nudorum indumentum, quod includis ; miserorum redemptio et absolutio, pecunia quam in terra abscondis. Tantorum ergo scias te invadere bona, quantis possis præstare et non vis. His consonat illud Hieronymi : Quidquid amplius quam nobis opus est a Deo accepimus, pauperibus erogare debemus. Si quod eis deputatum est, nostris cupiditatibus vel vanitatibus reservamus, quanti pauperes in locis ubi nos sumus paupertate aut nuditate mortui fuerint, noverimus nos de animabus illorum in die judicii rationem daturos. Hinc dicit Ambrosius : Qui divitiarum servus est, custodit eas ut servus ; qui autem servitutis jugum discussit, distribuit eas ut dominus.

Hæc autem omnem Christianum concernunt. Nunc insuper ad clericos descendendum. In primis itaque solenne jam est quod S. Bernardus cuidam scribit canonico : Quidquid, inquiens, præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, furtum est, rapina est, sacrilegium est. Unde denuo ait : Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum sunt facultates Ecclesiarum, et sacrilega crudelitate pauperibus subripitur quidquid sibi ministri et dispensatores, non utique possessores, ultra victum accipiunt et vestitum. Nec enim ordinavit Deus his qui de Evangelio vivunt, de Evangelio quærere divitias vel ornamentum, sed vivere ex eo, ut videlicet sint contenti alimenta corporis, non gulæ irritamenta et libidinis incentiva, et quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.

Hæc tibi, carissime, ardua satis (scio) videntur. Sed addam hoc, quod te forsan terrebit arduissimumque parebit. Ecce gloriosus doctor Ecclesiæ S. Hieronymus dicit : Clericus qui de bonis suis sustentari potest, si acceperit quod pauperum est, sacrilegium profecto committit, atque per abusionem talium judicium sibi manducat et bibit. Si eges et accipis, das potius quam accipis ; si autem non eges et accipis, rapis. Vides, carissime, status tui pericula : de quibus mox plenius dicam ex verbis Bernardi.

Porro, quum clerici et sacerdotes atque prælati novi Testamenti ad specialem cordis obligentur munditiam et ut vulgo sint exemplares, indecentissimum profecto omnisque damnationis plenissimum est eis, vitiis carnis (in quibus est maxima turpitudo), scilicet gulæ sive luxuriæ, deservire. Quod si delicate et molliter vivant, ventrem cibo, oculum somno, mentem inani lætitia impleant, molli in stratu quiescant, inutilibus verbis, jocis et risibus vacent : numquid arctam viam salutis incedunt ? Non utique, quum Salvator dicat : Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; *Luc.* VI, 25, 24.
væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram. Terreat te quod in Miraculis S. Hieronymi legitur, quemadmodum Romæ quidam presbyter cardinalis, Andreas nomine, quum post mortem miraculose ad corpus redisset, perhibuit se æternaliter fuisse damnandum propter superfluitatem suam in cibis et vestimentis, nisi Hieronymus sibi misericordiam impetrasset, ita ut rediret ad corpus et pœniteret.

Postremo, si penses ad quantam sobrietatem et mediocritatem in vestibus atque pecuniis multi etiam philosophorum se ipsos dederunt, miraberis, ut opinor, de gulositate, de curiositate et avaritia Christianorum, non modo vulgi, sed etiam clericorum. De hoc Plato in Phædone, Tullius quoque et Seneca, Plotinus atque Macrobius multa scripserunt.

ARTICULUS XXVIII.

Quod nihil periculosius quam in hoc sæculo temporaliter prosperari, nec a Deo paterne castigari.

Prov. III, 11, 12. *DISCIPLINAM Domini, fili mi, ne abjicias ; et ne deficias quum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio complacet sibi.* Exigit æquitas Dei, ut sicut nullum bonum permanet irremuneratum, sic nullum malum transeat impunitum. Porro electi in mundo hoc sine peccatis saltem
Jacob. III, 2. venialibus non vivunt. In multis enim of-
I Joann. I, 8. fendimus omnes ; et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seduci-
Prov. XXIV, 16. mus. Septies insuper justus cadit in die. Hoc itaque ad clementissimam divinæ providentiæ pertinet dilectionem ac bonitatem, ut hominem in hac vita pro excessibus ejus corrigat, ne in futuro durius puniatur.

Præterea, correptio ista seu castigatio Dei qua hominem prædestinatum in sæculo isto paterne exercet et visitat, non solum proficua est ad delenda peccata commissa, sed etiam a præsentibus retrahit, atque ad vitandum futura disponit, dum occasiones peccandi removet, terret
Is. XXVIII, 19. cautumque efficit. Vexatio quippe, secundum Isaiam, dat intellectum ; et qui virgam expertus est, amplius metuit. Facit quoque hominem sua peccata humiliter recognoscere atque dolere. Propter quod
Jer. XXX, 11. Dominus loquitur : Castigabo te, ne tibi videaris innoxius. Rursusque Jeremias :
Ibid. XXXI, 18. Castigasti me, Domine (inquit), et eruditus sum. Denique castigatio ista disponit ad gratiam ampliorem in via, maximamque (si patienter feratur) mercedem sortitur in patria. Hinc itaque Deus suos electos in vita hac multipliciter corrigit, arguit et emendat, quemadmodum
Apoc. III, 9. asserit : Ego quos amo, arguo et castigo.

His igitur elucescit, quod illi qui nunc
A hoc modo non visitantur a Deo, sed impunite prævaricari sinuntur, et licet multis et magnis gravissimisque subjaceant vitiis, nihilo minus prosperantur, sublimantur, ditantur, laudantur, ad altiora conscendunt et ad libitum vivunt, non sint de sorte et numero electorum, sed reprobo-
rum, præsertim quum scriptum sit : Omnes Judith VIII, 23.
qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Et Psalmista :
Multæ (inquit) tribulationes justorum. Ita- Ps. XXXIII, 20.
que, quod perversi et reprobi non ca-
B stigantur paterna nunc a Deo correctione, est propter eorum demerita, quibus sic iram Dei incurrunt, ut non corripiat eos in vita præsenti, quatenus æterna recipiant in futuro tormenta inferni. Propter quod de reprobis et ingratis ait
Psalmista : Dimisi eos secundum desideria Ps. LXXX, 13.
cordis eorum ; ibunt in adinventionibus suis.

Denique, de hac temporali impiorum prosperitate atque justorum multiplici afflictione sancti Prophetæ, imperfectis con-
C descendentes seu morem gerentes, per modum admirationis loquuntur ad Dominum.
Unde Jeremias : Justus quidem (inquit) tu Jer. XII, 1.
es, Domine, si disputem tecum. Verumtamen justa loquar ad te : Quare via impiorum prosperatur, et bene est omnibus qui
prævaricantur in te ? Et sanctus Job : Qua- Job XXI, 7, 9.
re impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis, et non est virga Dei super illos ? Nempe de hac re solent imperfecti mirari, et quasi a servitio Dei averti, dum se conspiciunt tribulari. Perfecti autem
D taliter non mirantur neque moventur, scientes quod Deus propter causas jam tactas electos affligit, reprobos vero relinquit.

Hæc ideo, carissime, scribo, ut te cautum ac timoratum efficiam : quatenus tanto plus verearis inter reprobos computari, quanto te conspicis amplius prosperari, impunite peccare, adversa non perpeti, corporis commodis gloriari, magisque ad libitum conversari ; quanto insuper te vides magis placere homini-

bus, et laudari, honorari seu acceptari A
Ps. LII, 6. ab eis : quia, ut ait Psalmista, Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent ; confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Nonne horribile verbum est hoc ? Et quidem Apostolus idem quoque testatur,
Galat. I, 10. dicens : Si hominibus adhuc placerem, Christi servus non essem. Et ipse Salvator :
Luc. VI, 26. Væ (inquit) quum benedixerint vobis homines.

Hinc scite profecto Augustinus ait : Periculosior est hic mundus blandus quam molestus ; et magis cavendus est quum B se allicit diligi, quam quum se admonet cogitque contemni. Imo, secundum Gregorium, hos eligit Deus quos despicit mundus. Hinc est etenim quod idem apostolus
I Cor. I, 26-28. Paulus Corinthiis scribit : Videte (inquiens) vocationem vestram, fratres : quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos ; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et quæ infirma sunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et C contemptibilia elegit Deus.

Non ergo delectet te, frater, inter magnos et divites sæculi hujus, inter carnales et intimoratos esse et vivere ; sed melioribus et doctioribus semper te conjunge, ut sapientia virtutibusque proficias, ne simul cum hoc mundo damneris, sed inter Sanctos et electos sors tua consistat. Etenim, si credis Hieronymo, scito quod de mille potentibus et divitibus mundi vix unus invenitur aptus regno Dei. Ora Deum ut sic te corrigat in præsenti, ne D te postmodum condemnet in æternum. Neque enim melior es sancto Jeremia in
Jer X, 24. utero matris sanctificato, qui ait : Corripe me, Domine ; verumtamen in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum
Hebr. XII, 8. redigas me. Nam et Paulus testatur : Si extra disciplinam estis, ergo adulteri et non filii estis. O dilecte, nil tibi puta nocivius, quam inter intimoratos, vanos pravamque societatem consistere ; nil e diverso salubrius, quam inter pios, timoratos atque devotos manere. Noli affectionem sequi, sed rationem.

ARTICULUS XXIX.

Quod non vitat peccata mortalia, qui non curat sollicite vitare venialia ; et de amico fideli ac familiari habendo, qui timoratus sit.

SI non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Eccli. XXVII, 4.
Timor Dei retrahit a peccato. Propter quod Ibid. I, 27.
Salomon loquitur : Qui timet Deum, nihil Eccle. VII, 19.
negligit. Ille ergo in Dei timore se tenet instanter, qui indesinenter sollicitus est ne Deum offendat, aut damnationem incurrat, aut peccet. Porro domus nostra de qua fatur allegata scriptura, cor nostrum est, in quo per cogitationem et affectionem manemus. Hæc cito subvertitur incidendo peccatum mortale, quo omne spirituale ac meritorium esse aufertur, et peccans spiritualiter moritur, si non in timore Dei instanter perseveret. Ex quo quidem innotescit eum non vitare mortalia qui tota diligentia non apponit vitare venialia atque minora. Nam et ipsa venialium effrenata consuetudo, secundum Augustinum, a mortali non excusatur. Venialia namque ad mortale disponunt, caritatis fervorem dirimunt, gratiæ incrementum impediunt. Hinc sancti Patres affirmant, quod qui mo- Eccli. XIX, 1.
dica negligit, paulatim evacuatur ac decidit.

Si ergo, mi frater, vis esse in statu salutis, in statu caritatis et gratiæ, hoc est extra peccatum mortale, et sine causa damnationis æternæ, non solum satagas majora vitare facinora, sed et minora : alioqui mortuus es coram Deo, cujus sententiam quum non audierit ovis, errat omnino. Peccatum vero mortale, est plus adhærere, delectari et affici rebus hujus mundi creatis et caducis quam Deo. Hinc dicit Hieronymus : Mens Christo dedita sic cavere debet minora quomodo majora peccata, sciens de omni verbo otio- Matth. XII, 36.

so rationem reddendam. Unde ait Gregorius : Dum parva non cavemus, in magna prolabimur. Qui itaque quotidie vanitati indulget, ridendo, fabulando, jocando, hinc inde vagando, et talia in consuetudinem deducendo, nec quotidie pœnitendo : quomodo putandus est a mortali immunis? Nemo palpet, fallat, negligat semetipsum.

Denique, sicut illustrissimus pater noster Joannes Cassianus demonstrat, ad vitandum laqueos dæmonum, nodos tentationum, negligentiam et torporem, itemque ad proficiendum in bonis, in omni virtute et gratia, maxime confert habere amicum fidelem, familiarem, timoratum, expertum, eruditum ac justum, cui audeat homo omnia sua secreta fiducialiter pandere, cujus possit consiliis instrui, exhortatione accendi, oratione juvari. Horum enim amicitia in bono honesto fundata, fortis et efficax est coram Deo. Propter quod sancti Patres dixerunt, nulla re sic debilitari ac dejici omnem falsitatem, fraudem, tentationem diaboli, quam ut quis totum cor suum viro virtuoso ac provido manifestet, ne virus dæmonis manendo inclusum inficiat et occidat. Hinc scriptum est : Amicus fidelis, protectio fortis ; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis ; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Item alio quoque loco ait Scriptura : Beatus qui invenit amicum verum. Quum enim sit homo naturaliter animal sociale, secundum Philosophum, naturale est ut ab altero adjuvetur. Quumque homo non sit bonus judex sui ipsius, expedit ut alteri ad hoc idoneo conscientiam suam aperiat.

De Instit. Patr. lib. iv, c. 9. — *Eccli.* vi, 14-16. — *Ibid.* xxv, 12.

Acquiesce ergo huic Cassiani consilio, nec proprio unquam sensui innitaris. Omnemque mundanorum hominum familiaritatem ac societatem singularem vitare coneris, quia revera vehementissime nociva est animæ.

ARTICULUS XXX.

De modo orandi et psallendi, horisque canonicis persolvendis.

S*PIRITUS est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Quamvis omne opus Dei reverenter, devote atque sollicite exsequi debeamus (maledictus enim qui facit opus Dei negligenter), illi tamen actus virtutum qui immediate circa Deum versantur, cum ampliori reverentia et singulari devotione sunt exercendi. Porro oratio, psalmodia, adoratio, Horarum solutio, sunt actus virtutis quæ latria dicitur : quæ, secundum Tullium, est virtus Deo cultum cærimoniamque impendens.

Joann. iv, 24. — *Jer.* xlviii, 10.

Itaque actus hi latriæ cum ingenti diligentia sunt explendi. Ad quod requiritur primo divinorum observantia præceptorum, quoniam scriptum est : Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis ; et iterum : Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Itaque conversatio conformanda est orationi.

Prov. xxviii, 9. — *Ps.* cxviii, 21.

Secundo, cor per attentionem Deo uniendum est. Unde de aversis et inattentis Dominus ait per Isaiam : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Et Sapiens : Ante orationem (inquit) præpara animam tuam, et noli esse sicut homo tentans Deum. Hæc autem attentio præcipue necessaria est et esse debet in principio orationis ac psalmodiæ. Virtus namque principii in sequentibus est relucens, et posteriora a bono principio sortiuntur virtutem. Præterea, quum triplex sit orationis effectus, videlicet mereri, et impetrare, ac dulcis quædam refectio mentis quam orans sentit orando : ad primos duos effectus sufficit præfata attentio in principio ; ad tertium vero requiritur continuata et fortis attentio, secundum Thomam, imo secundum Basilium, super illud, Psallite sapienter, sic dicentem : Quemadmodum gustus corporis singulas buccellas seu partes alimenti

Is. xxix, 13; *Matth.* xv, 8. — *Eccli.* xviii, 23. — Summ. th. 2a 2æ, q. lxxxiii, a. 13. — *Ps.* xlvi, 8.

discernit, gustat et masticat, sic interior A animæ gustus singulorum sanctorum verborum in psalmodia sensum debet advertere et gustare.

Tertio, ut actus prædicti perfecte solvantur, requiritur magna cordis custodia, atque affectuosa recollectio mentis in Deo. Propter quod abbas Agathon asserebat non esse laborem talem uti est Deum orare.

Talis autem oratio, psalmodia persolutioque Horarum efficacissima est ad impetrandum a Deo omne quod desideramus
Joann. IV, 23. salubriter. Hinc Christus ait : Veri ado- B ratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Basilius quoque : Divinum (inquit) auxilium implorandum est non remisse, nec mente huc illucque vagante, quoniam talis non solum non impetrabit, sed Deum potius irritabit. Optimum proinde modum psallendi docet Bernardus, dicens : Moneo vos, dilectissimi, pure semper et strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut reverenter et alacriter Domino adsistatis : non pigri, non somnolenti, non oscitantes ; non parcentes vocibus, non C præcidentes verba dimidia, non integra transilientes ; non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili (ut dignum est) sonitu et affectu Spiritus Sancti voces depromentes. Pure vero, ut nil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Spiritus Sanctus etenim illa hora gratum non recipit quidquid ei obtuleritis, neglecto eo quod debetis. Psalmodia non nimis festinanter promenda est. Porro, secundum Hugonem, pro verbo omisso repetendus D est versus, pro versu psalmus, pro psalmo Nocturnus.

In actibus autem prædictis orandi atque psallendi debemus duo attendere, nostram videlicet miseriam, et Dei misericordiam : quatenus ex consideratione nostræ miseriæ, imperfectionis, fragilitatis atque malitiæ, ad veram humilitatem provocemur ; ex consideratione vero misericordiæ, bonitatis caritatisque Dei, ad dilectionem Dei fervidam inducamur. Sicque actus prædicti ex humilitate et caritate procedant, et omnis vanitas in cantu vitetur, solique Deo placere optemus. Magis quoque delectemur in sensu quam modulatione verborum, magis in devotione quam vocis fractione, ne quid petulantiæ admittamus, quoniam Augustinus sic ait : Quum mihi accidit ut me cantus magis quam res quæ canitur delectat, me pœnaliter peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem. Rursusque ait : Plus Deo placet latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quam cantus luxuriantium clericorum. Quid prodest strepitus labiorum, ubi cor fuerit mutum ? Sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum, sic oratio sine devotione est quasi mugitus boum. Sic demum et Horæ legantur sive cantentur distincte, cum debita attentione, reverentia et affectu, congruo loco et tempore, sine aliorum impertinentiumque verborum admixtione, sine confabulatione et risus dissolutione.

ARTICULUS XXXI.

De vanitate mundi et exemplari inductione ad hoc, secundum Hugonem.

VANITAS vanitatum, dixit Ecclesiastes ; vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritus. Ad intelligendum mundanæ prosperitatis vanitatem, exempla Hugonis inducam. Eccle. I, 2, 14.

Dic ergo mihi, quid vides ? — Video prospere navigantes, quibus arrident tranquillitas maris, serenitas aeris, flatus ventorum ; viros quoque in navi discumbentes, epulantes, et omni musicorum genere jucundantes, in tantum ut aquis melodia resultantibus, pisces undique confluant, et jucundantibus lætitiam augeant. Istud ergo videtur mihi magna ac desideranda felicitas. — Sed noli nimis cito ferre sententiam. Imo dic mihi, quid vides post hæc ? — Video undique nigrescere cœ-

lum, et acri ventorum concursu nubes agitari, A mare turbari, et intumescentibus fluctibus navem cum navigantibus mergi. Heu ! quid laudavi ? heu, brevem lætitiam quanta calamitas est secuta !

Adhuc dic mihi, quid vides ? — Video mercatores pretiosissima mercimonia secum in camelis et curribus deferentes, maxima lucra sperantes, jucunde atque alacriter incedentes. Et videtur magna prosperitas. — Quid vides post hæc ? — Video exercitum armatorum improvise uno impetu super mercatores ruere, eosque B terrere, spoliare, fugare, occidere. Heu, brevem prosperitatem quanta secuta est repente miseria !

Adhuc dic mihi, quid vides ? — Video domum divitis affluentem cunctis divitiis, patremfamilias gaudentem in filiis, familia copiosa, pecoribus multis, horreis plenis ac universis deliciis. Et videtur magna felicitas. — Quid vides in omnibus his ? Nonne dives quanto plura possidet, tanto majorem sollicitudinem habet, et quum solus portet sollicitudinis pondus, aliis ta- C men magis quam sibi prosunt quæ cupide quærit vel avare reservat. Timet enim ne parta deficiant, timet violentiam potentium, suspectam habet fidem familiarium.

Adhuc dic mihi, quid vides ? — Video nuptias celebrari, in quibus magnus ornatus, splendidus apparatus, grandis lætitia. Et videtur magnum bonum : quoniam, ut videtur, sine injuria pudicitiæ per eas genus humanum conservatur, et conjugati vinculo dilectionis consociantur. — Et quare non adspicis mala quæ D sequuntur ? Quam rara conjugatorum concordia ? quanta sollicitudo, quantus labor in prolis educatione, in domus dispensatione ? quot suspicionum ac dissensionum occasiones inter virum et conjugem oriuntur ? quantus timor ne damnorum pericula assurgant, ne hostis invadat ?

Adhuc dic mihi, quid vides ? — Video scholas studentium, in quibus diversi diversis facultatibus sive scientiis sunt intenti. Et videtur istud negotium ceteris esse jucundius, eo quod sapientiæ vacent. — Non satis perpendis. Hi enim stulti sunt viatores, qui sic in rerum creatarum inquisitionibus occupantur, quod Dei et Creatoris sui obliviscuntur, et quæ salutis sunt non operantur. Unde quod ipsi ceteris omnibus infeliciores sint, testatur eorum conversatio, qua nihil neque inanius est neque sterilius. Fine quoque eorum nil infelicius esse potest : quoniam morientes spem salutis non habent, qui viventes et sani per iter salutis incedere neglexerunt. Vani ergo et omni prorsus fruge cassi sunt, qui timore Dei postposito, ea omittunt quæ Deus requirit ab eis, et sine quibus salvari nequeunt, atque in his jugiter occupantur quæ Deus ab eis non exigit, et quæ animarum salutem magis impediunt quam juvant. Nonne bona prosperitatemque viæ præferunt bonis ac beatitudini patriæ, inhærentes præsentibus potius quam futuris ? Ideo sane reprobantur a Deo.

ARTICULUS XXXII.

Ex dictis S. Bernardi de clericis.

QUID *est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa ?* *Jer.* XI, 15. Si ea intentione, ait S. Bernardus, gradus ecclesiasticos quærit clericus, ut sine curis sæculi in sanctimonia cordis et corporis illuminandus accedat ad Dominum, suamque ac proximorum operetur salutem, orationis studio ac verbo prædicationis deditus ; recte procedit. Natura autem modico est contenta. Sed in his multi non sola necessaria quærunt, sed honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari, superbire et huic sæculo conformari. De quibus per Prophetam conqueritur Dominus : Ipsi regnaverunt, et non ex me ; *Osee* VIII, 4. principes exstiterunt, et non cognovi. Universos siquidem in ecclesiasticis ordinibus honorem, divitias, voluptatem et quæ *Philipp.* II, 21. sua sunt quærentes, non Deus aut caritas, sed omnium malorum radix cupiditas I *Tim.* VI, 10. introducit. Quid istud temeritatis, quid in-

saniæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis me- A
moria? Ubi gehennæ metus et terribilis
judicii exspectatio? Horum damnatio ju-
IV *Reg.* IV, 40. sta est. Væ tibi, clerice; mors est in olla,
Osee IV, 8. mors in tuis deliciis, quoniam peccata po-
puli comedis. Sumptus ecclesiasticos gra-
tis te habere reputas? Cantando, ut aiunt,
tibi proveniunt; sed melius erat fodere
aut etiam mendicare. Peccata enim po-
puli comedis (id est oblata a populo pro
expiandis eorum peccatis), ac si propria
peccata tibi minus sufficere viderentur.
Sollicitus esto, tanquam rationem pro eis B
redditurus, dignos pro eis gemitus fun-
Luc. III, 8. dere, dignos agere pœnitentiæ fructus:
alioqui tibi noveris illorum peccata im-
putanda, quæ modo inter delicias comedis,
parvi pendis atque dissimulas, tanquam
Ps. XXXV. 7. nihil attinentia tibi. O judiciorum Dei abys-
Ps. LXV, 5. sus multa! O terribilis Deus in consiliis
Luc. XXIII, 30. super filios hominum! Frustra incipient
miseri dicere montibus: Cadite super nos;
Rom. XIV, 10. et collibus: Operite nos. Venient, venient
ante tribunal Christi; audietur contra eos
populorum gravis querela, accusatio dura, C
quorum vixere stipendiis nec diluere pec-
cata. Quid tibi, o insipiens, deliciæ sa-
piunt, divitiæ oblectant, quibus mercaris
tam grave judicium, tam duræ temetipsum
Matth. V, 26. obligas rationi? Universa enim usque ad
novissimum quadrantem exigentur a te.
Sed esto: surgis ad vigilias, vadis ad Mis-
sas, horis chorum diurnis nocturnisque
frequentas. Benefacis: sic Ecclesiæ præ-
bendam gratis non accipis. Dignum est
I *Cor.* IX, 13. ut qui altari deservit, de altari vivat:
vivat, inquam, non superbiat, non luxu- D
rietur, neque ditetur, nec in vanitate aut
superfluitate bona pauperum dispergat,
nec varia griseaque pellicea a collo et ma-
nibus ornatu purpureo diversificata portet.

Præterea ait S. Bernardus: Quid sibi vult
quod clerici aliud esse, aliud videri vo-
lunt? Nempe habitu milites, quæstu cle-
ricos, actu neutrum exhibent. Nam neque
pugnant ut milites, nec evangelizant ut
clerici. Cujus ordinis sunt? Quum utri-
usque esse cupiunt, utrumque deserunt,
utrumque confundunt. Unusquisque (in- I *Cor.* XV, 23.
quit) in suo ordine resurget. Isti in quo?
An qui sine ordine peccaverunt, sine or-
dine peribunt? Aut si summe sapiens Deus
veraciter creditur a summo usque deor-
sum nihil inordinatum relinquere, vereor
istos non alibi ordinandos quam ubi nul- *Job* X, 22
lus ordo, sed sempiternus horror inhabi-
tat. O miserandam Sponsam (puta Eccle-
siam) talibus creditam paranymphis! qui
non amici Sponsi (videlicet Christi), sed
æmuli sunt; et auratis student, qui sibi
ac aliis tabernacula in cœlo parare de-
buerant. Porro, quum impudentia fronto-
sa sic cor hominis obduraverit, ut non
paveat, non horreat, non contremiscat,
ea jam desperatio est. Quid enim? Homo
horum conscius sibi malorum, quasi ju-
stitiam fecerit, divino se vultui sistere non
veretur. Tanquam domesticus intrat et
exit, Magistrum salutat, genua flectit, oscu-
latur ore sacrilego. Dolose agit, sed in *Ps.* XXXV, 3
conspectu Dei. Odibilis plane Deo fronto-
sa temeritas, et impudentia exsecranda.
Propter quid enim irritavit impius Deum, *Ps.* X, 13 sec. Hebr.
non expavescens eum omnia inquisitu-
rum? Hunc Deus non arguit, non flagellat;
non ulciscitur modo in adinventiones eo- *Ps.* XCVIII, 8.
rum, sed postea in æternum.

Insuper, secundum Bernardum, insolen-
tia clericorum ubique terrarum turbat et
molestat Ecclesiam. Alienis nimirum la-
boribus locupletantur, comedunt fructus
terræ absque pecunia, et prodit quasi ex *Ps.* LXXII, 7
adipe iniquitas eorum. Mens quippe as-
sueta deliciis, nec exculta disciplinis, mul-
tas contrahit sordes. Væ, væ! in domo
Dei invenimus idololatras, qui diligunt
munera, et suo ventri deserviunt, in qui-
bus regnat avaritia, quæ idolorum est ser- *Ephes.* V, 5; *Coloss.* III, 5.
vitus. Et in multis eorum invenitur for-
nicatio, qui puritatis auctori impuro corde
et corpore contaminato servire præsu-
munt, non formidantes judicium Dei. Sic
audent circuire altaria et psalmos fre-
quentare, quorum laus exsecrabilis, et ora- *Prov.* XXVIII, 9
tio fit in peccatum. *Ps.* CVIII, 7

Denique, beatissimo teste Bernardo, a

singulis generibus hominum usurpant clerici quod delectat, vitant vero quod gravat. Habent enim singula quæque hominum genera aliquid laboris, et aliquid voluptatis. Sed advertere est prudentiam clericorum, et mirari quemadmodum novo inter hæc artificio discernentes, et ab invicem ea sequestrantes, id solum quod delectat, eligunt et amplectuntur; quod molestum est, fugiunt et declinant. Cum militibus enim superbiæ fastus, amplam familiam, apparatus equorum et similia complura frequentant; a mulierculis vero ornatos thalamos, balnea, omnemque mollitiem et gloriam vestium rubricatasque murium pelles a collo pendentes mutuantur : caute omnino loricæ pondus et insomnes in castris noctes incertaque discrimina præliorum, muliebrem quoque verecundiam et disciplinam, aut si quid sexus ille laboris habere creditur *, declinantes. (*alias* certur) Sudant agricolæ, putant et fodiunt vinitores ; et clerici, qui inter hæc torpent otio, accedente fructuum tempore, innovari sibi horrea jubent, et promptuaria eorum plena sunt. Utinam non præ illis, utinam vel cum illis delicatissimo cibo et potu vescantur. Negotiatores circumeunt mare et aridam, in labore corporis et periculo vitæ perituras sibi divitias congregantes. Dura sunt hæc : cavent ea prudentes nostri (videlicet clerici) ; dulces interea capiunt somnos, ne dicam stratis lasciviunt suis : et nihilo minus abundare cunctis volunt divitiis. Quid fabros, quid cæmentarios ceterosque hujusmodi operarios numerare necesse est ? Victum sibi multo labore quærunt ; clerici madent deliciis, divitiis affluunt otiosi. Quum resurgere cœperint homines unusquisque in suo ordine, ubi putas generatio ista locabitur ? [Cor. xv,] Si ad milites diverterint, exsufflabunt eos, eo quod minime secum laborem aut pericula toleraverint. Sic agricolæ, sic negotiatores et singuli quique ordines a suis eos finibus arcebunt, utpote qui in labore hominum non fuerunt. [lxxii, 5.] Quid ergo restat, nisi ut quos omnis ordo repellit pariter et A accusat, eum sortiantur locum ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat ? [*Job* x, 22.]

Insuper ait : Curritur passim ad sacros ordines, et angelicis spiritibus reverenda mysteria apprehendunt homines sine reverentia et consideratione. Etiam hi in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia, sedet iniquitas, principatur luxuria, ingrediuntur cum his maculis tabernaculum Dei viventis, judicium gravissimum accepturi. Tales non placant Deum, sed magis irritant. Heu ! quis in B principio nascentis Ecclesiæ putasset aut credidisset statum clericorum ad tantam ruinam venturum ?

Postremo, Bernardus clericos admonens : Parcite, inquit, o fratres, parcite animabus vestris, parcite sanguini qui pro vobis effusus est ; horrendum cavete periculum, ignem qui paratus est declinate. Fugite de medio Babylonis, et salvate animas vestras ; [*Jer.* li, 6.] convolate ad urbes refugii (id est ad claustra), ubi possitis et de præteritis agere pœnitentiam, et in præsenti obti- C nere gratiam, et futuram gloriam fiducialiter præstolari. Non pœnitentiæ austeritas ipsa vos deterreat : quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis [*Rom.* viii, 18.] ad præteritam culpam quæ remittitur, non ad præsentem consolationis gratiam quæ immititur, non ad futuram gloriam quæ promittitur vobis.

Ista, mi frater carissime, breviter commemoranda putavi, ut status tui pericula sapienter consideres, tutioremque viam arripias, et Deo altissimo omni cum dili- D gentia, puritate atque fervore, die ac nocte deservias.

ARTICULUS XXXIII.

De contemptu mundi, secundum philosophos.

QUUM *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex.* [*Rom.* ii, 14.] Ut Christianorum (præsertim clericorum ac religiosorum) vitam carnalem ducentium et cor mundanum ha-

bentium, confusio, vilitas atque perversitas clarius innotescant, modice tangam quantum ipsi etiam philosophi, sola naturali ratione inducti, talem abominati sunt vitam.

Ecce Plato in Phædone inter cetera ait : Non est philosophi studere circa escarum, potuum et venereorum voluptates. Philosophus inhonorat vestimentorum pretio differentium possessiones et alios corporis ornatus prout necessitas admittit. Intentio philosophi est minime circa corpus esse, et maxime distare ab eo, ad animamque converti. Anima philosophi inhonorat corpus, et præcipue fugit ab eo, quærens ipsa secundum se ipsam fieri. Decies enim millena contemplationum impedimenta nobis ex corpore proveniunt propter ipsius necessitatem. Meditatio philosophi est solutio et separatio animæ a corpore. Ridiculum est virum omni vita se præparantem ad mortem, adveniente ea moleste eam ferre. Si quem videas graviter ferre quum debeat mori, nullo modo erat philosophus. Quoties anima a corpore allicitur in hæc mutabilia, ipsa seducitur et turbatur ; quoties vero anima per se ipsam speculatur, illico defertur in sincerum semperque exsistens ac immortale. Quum in eodem fuerint anima et corpus, natura præcipit corpori regi, servire ac subjici, animæ autem regere et dominari. Recte philosophantes ab omnibus quæ secundum corpus sunt concupiscentiis abstinent, nec sunt pecuniarum inordinati amatores. Hæc Plato.

Denique, teste Hieronymo, Socrates contempsit divitias, et Diogenes, omnibus derelictis, elegit habitare in dolio. Tullius quoque et Seneca contra pecuniarum et voluptatum amorem acerrime scribunt.

Si itaque isti naturalis legis inclinatione inducti, propter solam naturalem felicitatem aut scientialem profectum omnia vitia ista sic contempserunt, atque tam arctam vitam aggressi sunt : quanta damnatione digni sunt impii Christiani, qui legis scriptæ ac evangelicæ documentis instructi sunt, ad quos ipse Dei Unigenitus venit atque se ipsum exemplum exhibuit, et nihilo minus delicatam, vanam et dissolutam vitam habere non erubescunt, vitiis carnis fœdantur, mundo inhærent, cœlestium obliviscuntur, Deum toto corde venerari non satagunt?

Noli, carissime, tam ignobilibus conformari hominibus, sed Patrum sanctorum sectare vestigia, ut tuo valeas complacere Creatori, et offerre eidem florem tuæ ætatis, juventutem hanc floridam. Quod Deo acceptissimum et summe meritorium perhibetur, dicente S. Gregorio : In illa ætate, quando flavescunt crines, nitescit eburnea caro, oculorum gemmis rosea facies decoratur, valetudo corpori vires ministrat, juvenilis ætas longioris vitæ spatia promittit ; quando viget ratio et corporis sensus, dum auditus acutior, visus promptior, incessus rectior, vultus jucundior : qui in hac ætate se domant Deoque sociant, præmium Joannis exspectant. Imo, secundum Hugonem, tales offerunt Deo agnum immaculatum. Propter quod loquitur Jeremias : Bonum est viro quum portaverit jugum ab adolescentia sua. Non ergo, carissime, tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, ne subito veniat super te ira ejus. Te totum offer Deo in holocaustum, et ipse impendet tibi se totum. Esto vere magnanimus, et mitte manum tuam ad fortia. Labora sicut bonus miles Christi, et contra hostes animæ tuæ pugna viriliter. Non enim coronatur nisi qui legitime certaverit.

Thren. III, 27. *Eccli.* 5, 8, 9. *Prov.* XXXI, 19. II *Tim.* II, 3. *Ibid.* 5.

Virtutem et gratiam adimplendi hæc omnia conferre tibi dignetur propter bonitatem suam immensam, ad sui ipsius honorem et gloriam, universorum Creator, omnium Dominator, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus.

ARTICULUS XXXIV.

De vita solitaria.

SEDEBIT *solitarius, et tacebit, quia levabit se super se.* Deus noster naturaliter bonus, cujus essentia bonitas, cu-

Thren. III, 28.

jus vita immortalitas, cujus voluntas æquitas perhibetur, quum in se ipso summe quietus, sanctus invariabilisque consistat, puram atque quietam diligit mentem ; illam utique quæ a strepitu vitiorum, ab impetu passionum, a tumultu quoque sæcularium abstinens cogitationum ac negotiorum, corde tranquillo, ordinato et libero intendit supernis, vacans Deo altissimo, superessentiali, immenso et superbenedicto : qui est bonitas idealis, idea æternalis, veritas exemplaris ; ex cujus splendidissimo ac indeficientissimo fonte æterno omnis emanavit pendetque perfectio. Ipse siquidem Dominus Deus noster, Deus magnus et supergloriosus, solus omnipotens, solus adorandus, solus verus perfectusque Deus, est ipsum esse purum plenum, infinitum, fontale, vitale, supersapientiale causalissimumque consistens. Itaque, quum contemplatio amorosa seu dilectio contemplativa hujus entis altissimi, simplicissimi ac beatissimi Dei, sit summa atque finalis humanæ mentis perfectio, illa vivendi religio quæ ad contemplationem hanc compendiosius provehit excellentiusque perducit, videtur esse dignissima, utpote ad Deum aptissima via. Hæc autem est solitariæ Ordo vitæ, qui utique convenientissima continet media contemplationis theoricæ, dilectionis seraphicæ, perfectionis deificæ. Non enim anima vulgo permixta, mundanis rebus immersa, humanis causis intenta, seu per diversa vagans dispersa, poterit Deo sublimi ecstatice couniri, pure infigi, stabiliter copulari.

Quoniam ergo te, quam dilectissime frater, ad vitam solitariam summopere exhortor, congruum reor tibi de hac vita conscribere pauca, quatenus ejus cognita qualitate, dignitate, dulcedine ac decore, ad ejus amplexum magis festines.

In primis itaque contuendum est quis sit finis solitariæ conversationis. Quum enim omnium religionum seu Ordinum sit, per paupertatem spontaneam, castitatem plenariam, obedientiam promptam, tan-
A quam per funiculum triplicem, qui rumpitur difficulter, ad superioris partis animæ (in qua summæ Trinitatis imago expressa est) reformationem perfectam conscendere, puta ad divinorum speculationem præclaram dilectionemque fervidam, atque in utraque fixionem (quantum huic vitæ possibile est) stabilitam ; tamen solitariæ professionis ac vitæ intentio est, ad contemplationem ac dilectionem divinorum tanto deiformiorem, puriorem, splendidiorem, ardentiorem ac indissolubiliorem
B pertingere, quanto præ ceteris cunctis Ordinibus ab hominibus amplius se elongat, peccandi occasiones magis declinat, ab occupatione circa diversa plenius abstinet, districtiora quoque seu asperiora media ad hunc finem assumit.

Eccle. IV, 12.

Porro, quum homo, juxta Philosophum, naturaliter sit animal sociale, politicum, constat quod in solitudine efficaciter degere, sit supernaturale, divinum, præstantissimum, non humanum. Hinc optime ait Philosophus, quod homo solus, est deus
C vel bestia, hoc est divinus vel bestialis. Nempe, si digne ac fructuose vivat in solitudine, est potius supra hominem et deus quidam per participationem quam homo, utpote divinis actionibus jugiter occupatus. Omnis namque natura maxime imitatur, imo quodammodo transformatur in id cujus actiones magis exercet : quemadmodum iracundi canes, et rapaces lupi vocantur. Sicut igitur Deus sanctus, fortis et immortalis, se ipsum æternaliter diligit et incessabiliter speculatur seu inspicit ;
D ita et solitarius omni hora, quantum possibile est, actualiter ferri debet in Deum per contemplationem sinceram dilectionemque stabilem, ceteris quoque actibus latriæ, scilicet laudibus Dei, orationi, compunctioni, lectioni, gratiarum actioni, et morum conversioni, fortiter insistendo.

Denique, sicut in præinducto Jeremiæ eloquio tangitur, ad hujuscemodi vitam tria requiruntur atque concurrunt, videlicet : solitarii sessio, id est ab exterioribus occupationibus mundanisque actibus

I *Thess.* IV, 11. *Is.* XXX, 15. quies. De qua dicit Apostolus : Operam detis ut quieti sitis ; et Isaias : Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. Vel sessio solitarii est humiliatio ejus. De qua *Ps.* CXXXVIII, 2. Propheta : Tu cognovisti (inquit) sessionem meam et resurrectionem meam. Secundum est taciturnitas : in qua designatur refrenatio linguæ ab omni sermone inutili et humano colloquio. Tertium est elevatio ejus supra se ipsum, seu cordis erectio ad divina : ad quam disponunt duo prætacta. Primum horum tangit Jeremias, dicens : « Sedebit solitarius » ; secundum, B quum subdit : « et tacebit » ; tertium, quum adjicit : « quia levabit se super se ». Hæc equidem elevatio est prædicta jam divinorum contemplativa, pura ac fervens dilectio : quæ reformationem passionum expulsionemque vitiorum præexigit; et insuper unctionem a Spiritu Sancto præcipuam, gnavam cordis custodiam atque mentalem stabilitatem requirit ; omnem consolationem mundanam, repausationem carnalem ac animi remissionem excludit. Imo necesse est indesinenter cum C serioso humillimæ mentis affectu viscera divinæ clementiæ pro gratiæ incremento, conservatione ac perfectione pulsare ac implorare.

Præterea, vita ista ex parte subjecti atque objecti dignissima est, quum sit in supremis animæ viribus, intellectu et voluntate, et circa Deum altissimum ac divina versetur. Est quoque dulcissima. Gaudium enim est diffusio animi in conceptu boni. Et quo bonum hoc convenientius præstantiusque fuerit, et potentia ipsa ap- D prehensiva nobilior, ac unio potentiæ cum objecto purior atque intimior, eo erit delectatio major. Quum ergo incomprehensibilis, adorandus et supermirabilis Dominus Deus noster sit omni menti creatæ bene dispositæ convenientissimus, optimus atque dignissimus, intellectus quoque et voluntas animæ rationalis sint nobilissimæ ac divinissimæ vires ipsius, contemplatio etiam et dilectio immediate Deum attingant ; palam est quod in

A contemplativa dilectione Dei sincera ac fervida, magna valde suavissimaque delectatio sita est, præsertim quum (juxta Philosophum) philosophia habeat delectationes admirabiles sibi admixtas. Quid enim dulcius esse poterit in vita præsenti quam Deo omnipotenti, fonti omnis decoris, mente adhærere tranquilla ? Nam et animus ordinatus sibi ipsi dulcissimus est ; et secura mens, quasi juge convivium. *Prov.* XV, 15.

Unde, quamvis vita solitaria incipientibus et imperfectis, ejus dulcedinem, fructum atque profectum nondum expertis, laboriosa et ardua sit, præsertim quum spiritualis consolatio eis a Deo subtrahitur ; proficientibus tamen, præsertimque perfectis, exercitatos sensus habentibus, prorsus dulcissima est et jucunda : quippe qui vitæ hujus dulcedinem ubertim gustarunt, et quantum in ea profecerint non ignorant.

Hinc quoque deificati ac illustrissimi viri, omni sapientia, virtute et gratia decorati, item episcopali fastigio sublimati, amore solitariæ seu claustralis vitæ, episcopatus suos reliquerunt, atque in locis secretis solitariam vitam duxerunt. Inter quos fuerunt S. Gregorius Nazianzenus episcopus, S. Justus Lugdunensis archiepiscopus, S. Narcissus Hierosolymorum antistes, S. Vulfrannus Senonensium pontifex, S. Remaclus et S. Amandus Trajectensis (quod nunc est Leodiensis) sedis episcopi. Sed et Petrus quondam Papa Cœlestinus V, nonne papatus altissimo apice derelicto, eremiticam vitam elegit et duxit?

Quid enim intersit inter vitam solitariam seu claustralem et pontificalem, quamvis sanctam, ipse de se ipso loquens testatur beatus Papa Gregorius, in principio Dialogorum dicendo : Infelix animus meus pulsatus occupationis suæ vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei cuncta transitoria subter erant, quantum omnibus volubilibus eminebat ; quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverat ; quod corpore retentus, ipsa jam carnis claustra contemplatione trans-

cendebat ; quod mortem quoque tanquam A vitæ ingressum præmiumque laboris amabat. At nunc ex occasione curæ pastoralis sæcularium hominum negotia patitur, et post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur.

Sanctus quoque Hieronymus quid in solitudine profecerit ipse testis sibi est, de se ipso humiliter, non jactanter, hæc scribens : Ego, inquit, homunculus, sic abjectus, sic vilis, adhuc vivens in corpore, in deserto angelorum choris sæpe interfui, nihil de corporeis rebus per hebdomadas B sentiens ; et divinæ visionis intuitu, post multorum forte dierum spatia, præscius futurorum, corpori restituebar. Quid ibi manens felicitatis habebam, quid inenarrabilis gaudii, testis est Trinitas ipsa, quam cernebam nescio quo intuitu ; testes sunt et ipsi beati spiritus qui aderant; testis est et conscientia mea.

Ecce, amantissime mi, quid confert Christi devotissimis famulis solitaria vita. Quia, ut nosti, virtus unita fortior est quam dispersa ; et rursus, quo anima cir- C ca plura diffunditur, occupatur, dividitur,
uc. x, 42. eo debilior est ad vacandum uni illi simplicissimo atque altissimo quod solum necessarium est : idcirco ad mentis recollectionem et confortationem in Deo, ad sincerissimam contemplationem omnisque gratiæ incrementum, et ad habendam præcipuam in orando et cetera bona agendo devotionem, confert et prodest solitudo. In qua se homo coram Deo tanto liberius fiducialiusque effundit, quanto se a nullo hominum notari aut conspici novit. Ibi D quoque anima religiosa a Deo consolari et cum eo alloqui meretur, quemadmodum
ee ii, 14. per Osee prophetam testatur : Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Denique ipsemet Christus (cujus omnis actio nostra est instructio), qui sicut frequentia hominum a perfectione impediri non potuit, ita nec solitudine adjuvari, nihilo minus, ut suo nos doceret exemplo, oratu-
Matth. rus recessit a populo, et montem conscen-
, 23. dit, juxta illud : Ascendit in montem solus orare. Imo jam passione instante, non solum a beatissimo Apostolorum collegio, sed a tribus insuper familiarissimis carissimisque discipulis abiit, solusque in secreto oravit. Avulsus est (inquit Evan- Luc. xxii,
gelista) ab eis, quantum jactus est lapidis, 41.
et positis genibus oravit. Propterea in statutis Ordinis nostri habetur, suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, excessus contemplationum, baptismata lacrimarum nulla re magis quam solitudine posse juvari.

Hæc ergo est solitaria vita. In cujus præconium sanctissimi Patres hoc modo prorumpunt :

O vita solitaria seu eremitica, vita angelica atque deifica! Tu vivarium animarum, exedra gemmarum cœlestium, spiritualium curia senatorum. Odor tuus cunctorum aromatum fragrantiam superat. Quidquid de te enuntiatur, dignitati tuæ nullatenus adæquatur : quoniam lingua carnis nequaquam exprimere sufficit quod de te spiritus invisibiliter sentit. Qui te noverunt, te diligunt ; et qui te gustaverunt, præconia tua concinunt. Bonum est viro, quum te Thren. iii,
portaverit ab adolescentia sua. Tu castra 27.
Dei ; tu turris David ædificata cum propu- Gen. xxxii, 2.
gnaculis : mille clypei pendent ex te, om- Cant. iv, 4.
nis armatura fortium. Tu campus divini prælii, spiritualis area belli, angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium.

O cella, mors vitiorum, fomentum virtutum, cœlestis doctrinæ schola, artiumque divinarum disciplina ! Tu paradisus deliciarum, ubi rosæ caritatis igneo rubore flammescunt, et lilia castitatis niveo splendore candescunt, ac violæ humilitatis dum imis contentæ sunt, flatibus non impelluntur. Tu quoque, o cella, es scala Jacob, Gen. xxviii,
quæ homines vehis ad cœlum, angelosque 12.
ad humanum deponis colloquium. Tu conciliabulum Dei et hominum, secretarium in carne degentium et spirituum supernorum, Dei et hominum collocutorium arcanum, dulcissimum. Ecce quam pulchra rerum species, dum Frater constitutus in

cella nocturnas agit vigilias, et quasi pro divinis castris militares custodit excubias! Hinc contemplatur in cœlo cursus astrorum; hinc decurrit per labia ejus ordo psalmorum; mens ipsa divini amoris calore succenditur, stillantque per genas ex oculis lacrimæ dulces, quibus anima deiformiter pulchrificatur. Tunc vita carnalis vilescit, et mollibus jacentium in stratis ac lascivientium delectatio atque pausatio quam spernendæ sint innotescit.

O vita solitaria, vita felix et sancta, vita divina et libera, vita pura atque angelica! Tu splendor animæ, amica sapientiæ, ornamentum Ecclesiæ, plenitudo gratiæ, consummatio perfectionis, custos quietis et pacis. Te lex attollit, prophetia miratur; universique insuper qui perfectionis cacumen sortiti sunt, tua præconia norunt. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ. Tu requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.

Ps. CXXXVI, 6. *Ps.* CXXXI, 14.

Hanc igitur te vitam, care mi frater, opto lætanter arripere, fructuose tenere feliciterque finire.

ARTICULUS XXXV.

De honesta conversatione clericorum.

Ephes. IV, 1.

O*BSECRO vos in Domino ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Quoniam necdum, carissime, decrevisti charismata meliora æmulando statum perfectionis arripere, totique mundo et propriæ voluntati perfecte abrenuntiare, ut interim vivas ut oportet decetque canonicum, quid ad hoc requiratur, tibi breviter pandam.

Itaque in principio tertii Decretalium inter cetera de clericis, seu canonicis (nempe quod ibi de clericis legitur, certum est ad canonicos præcipue pertinere), scriptum est:

Decretal. lib. III, tit. 1, c. 2. Ibid. c. 4.

Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur. — Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit. — Monasteria monialium si quisquam clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumpserit, per episcopum arceatur; et si non destiterit, ab officio ecclesiastico reddatur immunis. — Bona clericorum veniant in commune; in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant ac quiescant. — Ludos et ludibria in ecclesia nequaquam exerceant. — Ut clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde et casto corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, statuimus ut qui deprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius et districtius præcipimus observari, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna coerceat a peccato: videlicet ut ab officio suspendantur, et ecclesiasticis beneficiis spolientur. — A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant. Unde vinum sibi temperent; nec ad bibendum quispiam incitetur, quum ebrietas et mentis inducat exsilium, et libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio et beneficio suspendatur. — Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, joculatoribus et histrionibus non intendant. Tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam et tonsuram habeant convenientem, et se in officiis ecclesiasticis et aliis bonis studiis exerceant diligenter. Clausa deferant desuper vestimen-

Decretal. lib. III, tit. 1, c. 8. Ibid. c. 9. Ibid. c. 12. Ibid. c. 13. Ibid. c. 14. Ibid. c. 15.

ta, nimia brevitate vel longitudine non notanda; pannis rubeis aut viridibus, manicis, sotularibus consuticiis, frenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis aut aliam superfluitatem gerentibus, non utantur; fibulas aut corrigias auro seu argento ornatas non ferant, nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.

Decretal. l.b.III, tit. 2, c. 1. Inhibendum est ut nullus sacerdos feminas de quibus suspicio esse potest, retineat. — Ibid. c. 2. Si presbyter, diaconus aut subdiaconus de quacumque femina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam et tertiam admonitionem inveniatur fabulari aut aliquo modo conversari cum ea, excommunicationi subdatur. — Ibid. c. 9. Cum clericis non permittantur mulierculæ habitare, nisi forte de illis personis exsistant, in quibus naturale fœdus nil permittat criminis suspicari.

Ecce, mi frater, ex his elicere vales qualis aliquando fuit et nunc quoque merito esset conversatio canonicorum, quam honesta, religiosa atque devota. Sed, proh dolor! status ille vehementer nimis prolapsus est.

Forsitan dices, ea quæ dicta sunt ad jus positivum pertinere, et per consequens dispensationi præsertim summi Pontificis subjacere, nec te obligari ad ea. Fateor utique, quod dum rationabilis causa est, dispensationem admittunt: et quamvis forte quantum ad aliqua jam per dispensationem amota sunt, utputa quoad cohabitationem, convescentiam, et bonorum communitatem, non tamen quoad alia multa, videlicet quoad continentiam, sobrietatem, mundanarum vanitatum ac superfluitatum evitationem, in spiritualibus exercitiis diligentem occupationem, atque in ecclesiasticis officiis debitam exercitationem.

Postremo, ut certius tibi patescat quanta exigantur ad hoc quod aliquis per dispensationem excusetur coram Deo ab obligatione et ab impletione legis, juris, præcepti, statuti seu regulæ suo statui convenientis, aliquid tibi de dispensatione conscribam.

Et quidem in primis certissimum est, quod dispensandi potestas consistit in summo Pontifice ceterisque prælatis, non sicut in domino aut principali principe, sed tanquam in ministris et instrumentalibus causis. Minister autem et instrumentalis causa agere debet atque moveri secundum directionem atque voluntatem domini et principalis artificis. Itaque, ut dispensatio valeat, et a culpa coram Deo excuset, oportet ut secundum Dei omnipotentis, summi legislatoris, voluntatem consensumque fiat, puta ex rationabili causa, absque juris injuria et veritatis jactura. Idcirco in secunda secundæ, quæstione octogesima octava, Thomas disseruit, quod a. 12 ad 2um. prælatus pro suo non potest libitu dispensare, nec in manifestis malis ejus dispensatio a culpa excusat. Itaque dispensando non debet potestate sibi collata abuti, sed ea fideliter uti ad aliorum profectum, secundum finalem intentionem summi Legislatoris, a quo est omnis potestas. Ideo *Rom.* XIII, 1. namque dicit Apostolus: Sic nos existimet I *Cor.* IV, 1, 2. homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Et denuo: Secundum potestatem (in- II *Cor.* XIII, 10. quit) quæ data est mihi in ædificationem, et non in destructionem.

Denique, secundum Ostiensem, dispensatio est misericors relaxatio rigoris juris per eum ad quem pertinet canonice facta. Et ut ait Durandus super Sententias, dis- Sent. I, dist. XLVII, q. 4. pensatio importat amotionem obligationis juris in casu, et quantum ad aliquem vel aliquos. Certumque est quod hoc fieri nequeat sine ratione idonea et rationabili causa: quæ, secundum doctores, ponitur duplex, puta, urgens necessitas, et vera evidensque utilitas. Propterea dicit Guillelmus Parisiensis: A multis prudentibus dicitur, quod dispensatio est jus, et non juris diminutio aut derogatio, seu ejus in aliquo læsio. Causa siquidem propter quam dispensatio fit, facit procul dubio ut ju-

stum sit quod indulgetur : alioqui non A dispensatio, sed juris dissipatio esset. Et ex hoc alii trahunt, quod dispensatio aliud non est quam latentis seu virtualis intentionis ipsius legislatoris expressio, ita quod si legislator adesset, ipse stante tali necessitate aut utilitate sic judicaret agendum, imo sic ageret. Unde, secundum hoc, per dispensationem mutatur materiale in lege, non legis formale, videlicet intentio legislatoris, quæ est principale in lege. Prælati ergo est diligenter considerare causam dispensationis, secundum rectæ rationis et B veræ prudentiæ discussionem : alioqui nec ipse esset a culpa immunis, nec alius. Unde S. Bernardus scribit Roberto monacho, qui de licentia Papæ transtulit se de Ordine rigidiori Cisterciensium ad Ordinem Cluniacensium leviorem : Non tibi frustra quis blandiatur de dispensatione apostolica, cujus conscientiam tenet ligatam divina sententia.

Hinc ergo, secundum doctores, in lege aliqua potest et debet fieri dispensatio propter compellentem necessitatem, aut C veram manifestamque utilitatem, quam verisimiliter acceptasset et approbasset legislator, si sibi occurrisset : alioqui dispensator potestate sibi concessa utitur (imo abutitur) in destructionem, non in ædificationem. Is quoque qui dispensationem requirit sine necessitate aut utilitate præfata, vel per falsi suggestionem aut veri suppressionem, fallit se ipsum, nec excusatur a culpa. Hinc libro de Consideratione scribit Bernardus ad Papam Eugenium : Non sum tam rudis, ut ignorem D vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Ubi urget necessitas, excusabilis est dispensatio; ubi utilitas provocat, laudabilis est : utilitas, dico, communis, non propria. Nam ubi nihil est horum, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. His consonant summorum Pontificum scripta Gelasii et Leonis. Ait quippe Gelasius Papa : Ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant sanctorum Patrum decreta. Et S. Leo Papa : Ubi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum instituta.

Ecce ex his potes pensare, frater amande, quando et qualiter dispensatio a culpa excuset, quam rationabiliter sit petenda, quam circumspecte atque prudenter exhibenda. Per quid etenim status Ecclesiæ eatenus corruit et defecit sicut per consuetudinariam, incircumspectam ac levem dispensationem ? Ideo quantum tibi possibile est, esto justi verique tenax. Et quæ nunc scripsi ad canonicos pertinere, quamdiu in hoc statu es, quantum bono prævales, modo diligenter observes, ut per hoc gratiam merearis ampliorem a Domino, per quam meliora æmulando charismata, statum perfectionis viriliter feliciterque arripias, ad honorem, laudem et gloriam Creatoris adorandi, excelsi ac immortalis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus.

ARTICULUS XXXVI.

De vanitate mundi brevitateque vitæ præsentis, ex verbis beatissimi Augustini.

DIES *nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora.* Quemadmodum tertiodecimo de Civitate Dei, capitulo decimo, asserit Augustinus, ex quo quisque in hoc corpore morituro cœperit esse, incessanter in eo agitur ut mors veniat. Hoc enim agit ejus mutabilitas toto tempore vitæ hujus (si tamen vita dicenda est), ut ad mortem perveniatur. Nemo quippe est qui non morti propinquior sit post annum quam ante annum fuit, et cras quam hodie, atque hodie quam heri, et paulo post quam nunc : quoniam quidquid temporis vivitur, de vivendi spatio demitur, et quotidie fit minus minusque quod restat, ut omnino nil aliud sit tempus vitæ hujus quam cursus ad mortem : in quo nemo vel paululum stare vel aliquanto tardius ire permittitur, sed pari motu omnes urgentur, nec diverso impelluntur accessu. Neque enim cui vita brevior fuit, diem

I Par. xxix, 15.

celerius duxit quam ille cujus longior exstitit vita ; sed quum æqualiter et æqualia ambobus raperentur momenta, alter terminum habuit propius, alter remotius. Aliud autem est viæ plus egisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo usque ad mortem productiora temporis spatia agit, non lentius pergit, sed plus itineris conficit. Porro, si ex illo momento quisque incipit mori, hoc est esse in morte, ex quo in illo agi cœperit ipsa mors, id est vitæ detractio (quia, quum detrahendo finita fuerit, post mortem jam erit, non in morte) ; profecto ex quo esse incipit in hoc corpore, in morte est. Quid enim aliud diebus, horis momentisque singulis agitur, donec vita hac consummata, mors quæ agebatur, impleatur, et incipiat jam tempus esse post mortem, quod quum vita detraheretur, erat in morte ? De hac materia præallegato atque sequenti capitulo Augustinus diffusius loquitur.

At vero de infinitis malis et miseriis vitæ præsentis, vicesimo secundo libro de Civitate Dei idem sapientissimus Augustinus vicesimo secundo capitulo prolixe pertractat, dicendo : Quantum ad primam originem pertinet, omnem mortalium progeniem fuisse damnatam testatur præsens hæc vita (si tamen vita dicenda est) tot tantisque malis plena. Quid enim aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exsistit qui omnes filios Adam tenebroso quodam suscipit sinu, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore ac timore non possit ? Hoc etiam indicat amor ipse inordinatus tot rerum vanarum ac noxiarum, ex quo oriuntur mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fraus, furtum, rapina, luxuria atque superbia.

Insuper, in libro de Miseria mundi Augustinus de his plenissime disputat : Attende (inquiens) tibi, ne diaboli laqueis
I Petr. v, 8. implicatus, præda fias venantis, qui rugit et circuit, quærens quem devoret. Vita ista
A fugitiva est et infidelis, ut nec amatoribus suis fidem præstet ; et ab origine mundi in se credentes fefellit, et omnes ei se implicantes decepit : sicque nullum omnino reddidit certum, ut omnibus probetur esse mentita. Ecce mundus qui diligitur, transit ac fugit : et tamen cæca carnalis concupiscentiæ mente fugientem sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem tenere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Nonne vita ista morti similis est, in qua abundant do-
B lores et gemitus, suspiria et tantæ miseriæ ? Alius damno affectus, plangit ; alius orbitate percussus, luget ; alius mortem amicorum deplangit ; alius in paupertate plorat. Tribulatio magna est ex quo nascitur homo. Prima vox ejus indicat infirmitatem : nascitur infans, et statim plorat ; nondum loquitur, et jam propheta est suæ calamitatis. Lacrimæ testes sunt suæ miseriæ, quod in labore futurus sit et timore. Mox incipit esurire et sitire, lassescere. Sunt denique homini duo tortores vitæ,
C non simul torquentes, sed cruciatum alternantes : quorum nomina sunt timor et dolor. Quando tibi bene est, times ; quando tibi male est, doles. Quem sæculi hujus hominem non decipit prosperitas, quem non frangit adversitas ?

Ecce quæ pateris, homo, in miseria ista quam diligis, ubi est falsa voluptas, vera calamitas, nulla securitas gaudii, sed timor torquens, cupiditas avida, tristitia arida. Et quis omnia mala hujus vitæ enumerare possit ? Ut enim prætermittam ea mala
D quæ omnes homines communiter opprimunt, qualia esse putamus secreta pericula malaque specialia singulorum, quorum quique sibi conscii sunt? Si cogitare voluerit quisque quæ a juvenili ætate mala fecerit, quæ sustinuerit, et constituat ante oculos suos præterita tempora, consideretque diligenter quot inanes labores tulerit, quoties pro amore hujus vitæ frustra sudaverit, quoties in laboriosis conatibus fallaces invenerit exitus, et post longos decursus nullam requiem adeptus sit ; co-

gnoscet quid de hac vita sit judicandum. A

Miser homo, quid agis, quo tendis? In hoc mundo in agone contendis, et obluctatur tibi hostis quem non potes videre nec potes latere. Ingerit tibi blandimenta, rapturus cœli gaudia, illaturus inferni cruciamenta. Abscondita est in terra pedica diaboli, et decipula illius super semitam. (*Job* XVIII, 10.) Intuetur inimicus generis humani uniuscujusque mores naturalesque inclinationes, cui vitio sint propinqui; et illa ante faciem ponit ad quæ mentem facilius inclinari cognoscit. Dumque homines lu- B crum auri vident, damnum salutis non vident. Et stulti voluptatibus decepti, dum cernunt quæ carnaliter diligunt, non attendunt quo æternaliter ruunt. Et quia nullus intelligit, in æternum peribunt. (*Ibid.* IV, 20.) Idcirco, si tibi mundus arridet, time fallacem, memor quia extrema (ut Salomon inquit) gaudii luctus occupat. (*Prov.* XIV, 13.) Omnis namque humana jucunditas in fine amaricatur.

Quando gaudetur in sæculo, non gaudetur in Domino; et e diverso. O quam mul- C ti sunt gaudentes in sæculo, et quam pauci in Domino! In sæculo gaudere, est de iniquitate et vanitate, de divitiis et honore terreno, de exteriori ornatu, turpitudine vitiorum et ludis ac verbis scurrilibus gloriari: quod est æternam certe tristitiam promereri. Nemo potest amplecti Christum simul et sæculum. Multi Christiani sunt qui Deum tunc amant, laudant et gratias agunt, dum prospere ipsis succedit; sed dum adversa contingunt, blasphemant. Tales ex commodi causa, non ex amore D serviunt Deo. Quibus quidem Deus dicere poterit: Gratia commodi vestri mandata mea servastis, non quia me pure amastis.

Quid te, o homo, in vanitate extollis? Nonne corpus tuum pulvis et (ut Ecclesiasticus inquit) cinis? (*Eccli.* XVII, 31.) Nonne tu ipse terra, et cito resolvendus in terram? (*Gen.* III, 19.) Respice in sepulcra hominum, et vide quid ex te nisi cinis remanebit et ossa. Quæ quum ita sint, cur per tot errores festinas ad inferos, qui tot vias accepisti ad cœlum per Jesum Christum? Cur amatur quod relinquitur? Cur negligitur quo pervenitur?

Multa his similia in præfato libello Augustinus devotissime edisserit.

Postremo, in quodam scribit sermone: Attende, o misera peccatoris anima, illam horam horribilem qua de corpore es egressura. Aderunt mox ministri maligni, maledicti diaboli, spiritus illi horribiles, sævissimi leones, rugientes ut rapiant prædam, videlicet te miseram animam. (*Ezech.* XXII, 25.) Tunc subito horribilia patebunt loca pœnarum chaosque tenebrarum, horror miseriæ, terror et tremor angustiæ, pavor visionis horrendæ, mansionis tremendæ, ubi locus est flentium, stridorque dentium; ubi morsus est vermium, clamor dolentium, luctus gementium; ubi vox est clamantium peccatorum: Væ, væ, væ nobis filiis Evæ. Quumque hæc, et his similia, imo millesies plus quam dici potest pejora, infelix anima de corpore exitura audierit, viderit, senserit: qualis et quantus timor, terror et tremor erit in ea?

Ea, frater, præcogita, et nunquam a corde tuo recedant hæc omnia, ut æterna evadas supplicia, et gaudia apprehendas sine fine mansura. Amen.

FINIS TRACTATUS DE ARCTA VIA SALUTIS AC MUNDI CONTEMPTU.

SPECULUM AMATORUM MUNDI

SPECULUM
AMATORUM MUNDI[1]

VIDETE quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Ephes. v, 15-17.

Apostolus Paulus conscius consiliorum Dei, sciens quod infinitæ sunt cœlestis patriæ (*Cor.* ii, 9.) deliciæ, quas nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ neque pro multitudine nec pro magnitudine in cor hominis ascenderunt, ad quas frequenter invitamur ex Evangelio et alibi ex Scripturis sanctis; sciensque quod maligni spiritus ad impediendum nos in hac vita et via stricta et arcta (*Matth.* vii, 14.) quæ ducit ad æternam vitam, sunt tanto sollicitiores quanto deliciæ ad quas vocamur exsistunt nobiliores et jucundiores : hortatur ergo nos in verbis præmissis, ut undique cauti et circumspecti, caute prospiciamus iter nostrum, dicens : « Videte quomodo caute ambuletis », ne scilicet a via regia quæ ad cœlestia ducit gaudia deviantes, in manus hostium incidatis. Bene etiam subjungit Paulus : « redimentes tempus, quoniam dies mali sunt ». Si enim debite et bene, ut oportet, flebilem, miserabilem atque damnabilem cursum seu statum mundi præsentis temporis consideremus, tunc dies quam mali sint oculata fide cernimus, scilicet quomodo quasi totus mundus errat, et (secundum Joannem in Canonica sua) (*Joann.* v, 19.) in maligno positus est : proh dolor! quod cum dolore dicendum est, tam in capitibus quam in membris, tam in clero quam in populo, tam in religiosis quam in sæcularibus, tam in senibus quam in juvenibus, tam in masculino quam in feminino genere; et sic, heu! corrupta est via universæ carnis. (*Gen.* vi, 12.) Quod bene tangit B. Bernardus, dicens : Non est nisi amor turpis in hoc sæculo, nec fides secura, quia omnia quæ ejus sunt contaminantur superbia, avaritia, cupiditate et luxuria. Recessit enim lex a sacerdotibus, justitia a principibus, consilium a senioribus, religio a clericis, amor a parentibus, fides a populo, reverentia a subditis, amor castitatis a virginibus, pudicitia a conjugatis. Et quid est quod non venit Antichristus? Jam enim a multis ignoratur Christus, et a potentibus quasi peregrinus habetur. Hæc Bernardus.

Conveniens igitur est ut sanam doctrinam Pauli doctoris gentium præmissam devote attendentes, caute et sapienter figamus gressus nostros in hac lacrimarum valle, et apertis oculis saltem interioris hominis, arctam regiamque viam quæ ducit ad cœlestem patriam, a qua peccando exsulamus, revertentes, perseveranter ambulemus; non retrospicientes, nec declinantes ab ea erremus, et sic in profundum æternæ damnationis incidamus. Ad quod hortatur nos Dominus per Isaiam, dicens : Hæc est via, ambulate in ea, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes. (*Is.* xxx, 21.)

Hujus igitur veræ viæ aliquod directi-

[1] Ex editionibus Coloniæ, Melchioris Novesiani, 1530, 1533, 1540, et Gerardi Campensis, 1587.

vum hic in sequentibus devote ac diligenter attendendum est, per quod Christifideles, omni devio excluso, per viam regiam quæ ad patriam ducit cœlestem dirigantur. Quæ quidem via quum sit stricta, pauci eam inveniunt, et heu! pauciores per eam transeunt. Quod innuit nobis Salvator, dicens : Intrate per angustam portam : quoniam arcta est via quæ ducit ad cœlum, et pauci inveniunt eam; sed porta lata et spatiosa est via quæ ducit ad perditionem inferni (ubi scilicet est perditio naturæ, gratiæ et gloriæ), et multi intrant per eam.

Matth. VII, 13, 14.

Circa quæ verba dicit Glossa : Quamvis caritas sit lata, tamen per angusta et ardua abducit hominem a terra. Ibidem dicit Augustinus : Quæritur, sed non ab omnibus invenitur; nec omnes qui inveniunt per eam ingrediuntur, quia capti sæculo retroeunt. Etiam pauci inveniunt, et pauciores per eam intrare contendunt. Nemo enim intrat sine labore, et sine animi puritate. Satis angustum est, omnia prætermittere, et unum solum diligere, unum quærere, et ad unum quotidie pulsare, prospera non ambire, adversa non timere. Hæc in Glossa ubi supra. Quod, heu! amatores hujus mundi attendunt minime, et sæculo conglutinati, ab eo recedere non valentes, quasi insaniendo errant. Quod bene declarat B. Hieronymus, dicens : Ridere et gaudere in hoc sæculo, non est hominis sensati, sed phrenetici : quia cor mundum non cum hoc sæculo, sed cum Deo lætum est et jucundum, quia brevis, fragilis et caduca est mundana lætitia. Item Bernardus : Non est verior insania quam sæculi lætitia. Itemque Augustinus : Gaudium mundanorum, gaudium est phreneticorum; sæculi lætitia est impunita nequitia. Luxuriari, in spectaculis nugari, ebriositate ingurgitari, turpitudine fœtere, et nihil pati : qui Deum diligit, hæc fugit.

Ratio autem quare multi intrant ad perditionem æternæ damnationis per latam portam et spatiosam viam, hæc est : quia, prout scribitur in Ecclesiaste, perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus. Qui, heu! magis respiciunt vitam præsentem quam terminum sequentem. Quibus loquitur Joannes Chrysostomus, dicens : Non adspicias quod aspera est via, sed attende quo ducit; nec considera quod arcta est, sed ubi desinit.

Eccle. I, 15.

Ex quibus elicitur unum quod valde timendum est : scilicet, quod durante statu mundi moderni temporis, infinitis malis exigentibus (quæ, heu! ubique terrarum in sæculo jam currunt), pauci erunt de numero salvandorum. Quod innuit Salvator ex gravi sententia qua protulit : Multi sunt vocati, pauci vero electi. Non quod ab initio mundi pauci salventur, sed (secundum doctores) quoad multitudinem damnatorum, pauci dicuntur. Quod quidem bene figuratum legimus in filiis Israel : qui in tanta multitudine, scilicet circiter sexcenta millia, ducti sunt ex Ægypto per mare Rubrum in desertum per Moysen; quibus omnibus promissa fuit terra promissionis (per quam significatur regnum cœlorum; per populum vero Israeliticum, populus christianus designatur, qui nunc vere est populus Dei). Historia patet per discursum libri Exodi. Et ecce illa tota multitudo populi Israelitici, quibus (ut profertur) omnibus promissa fuit terra promissionis, eorum peccatis exigentibus, in deserto mortui sunt, præter duos, scilicet Caleb et Josue, qui eam possederunt cum his qui post transitum maris Rubri in deserto quadraginta annis nati fuerunt, sicut legitur in libro Josue. Ergo timendum nimis est ne sicut se habet figura, ita et figuratum.

Matth. XX, 16; XXII, 14.

Exod. XII, 37.

Ibid. XIII, 5.

Num. XIV, 29-31; XXVI, 64, 65.

Josue V, 4-6; XI, 23.

Inter bonos et malos hoc distat, quia mali volunt facere festum ante vigiliam, volentes in hoc sæculo temporaliter gaudere : et ideo in futuro sæculo facient vigiliam pro festo quod hic habuerunt, quia æternaliter flebunt. Quod bene innuit B. Gregorius in homilia, super illo verbo, Ibi erit fletus et stridor dentium, sic inquiens : Quia præsentia hujus vitæ gaudia sequuntur perpetua lamenta, hic, fratres,

Matth. XIII, 50.

vanam lætitiam fugite, si illic flere et lugere formidatis. A Nemo enim potest et hic gaudere cum sæculo, et illic regnare cum Deo. Et rursus Gregorius : Nulli, inquit, sunt qui possint venire de festo ad festum, hoc est de gaudio præsentis vitæ ad gaudia felicitatis æternæ. Quibus loquitur B. Hieronymus, dicens : Difficile nimium est, imo impossibile, ut quis præsentibus fruatur bonis et æternis, ut de deliciis ad delicias transeat, ut hic ventrem, illic mentem repleat, ut in utroque sæculo sit primus, et in utroque appareat gloriosus. B In Vitaspatrum dicit quoque S. Syncletica : Sicut impossibile est uno eodemque tempore herbam esse et semen, ita impossibile est ut sæcularem gloriam habentes et in deliciis ac voluptatibus mundi viventes, cœlestem faciant fructum. Et ergo pro temporali consolatione talibus comminatur Dominus æternum supplicium, dicens :
uc. vi, 24. Væ vobis qui hic habetis consolationem vestram super terram.

Hinc dicit B. Bernardus : Austeritas conversationis S. Joannis Baptistæ peccatoribus C deliciosis durus est nuntius æternæ mortis. Quid enim nos irrationabiles feræ, reptilia terræ, insanimus, quum ille quo
id vii, 28. inter natos mulierum nemo major surrexit, innocentissimum corpus suum sic afflixit, et nos indui pretiosis vestibus festinamus, splendide, laute ac delicate vivere et epulari ? Non sic, impii, non sic itur ad astra, quia dicit S. Augustinus : Bona terrena contempsit Christus, ut contemnenda omnia terrena monstraret ; et mala mundi sustinuit, ut sustinenda mala doceret : ut D neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis timeretur adversitas.

Hinc ausculta B. Bernardum sic dicentem : Agnosce, o homo, quam nobilis est anima tua, et quam gravia fuerunt ejus vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, et ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Noli igitur vilipendere animæ tuæ passionem, cui a tanta majestate tantam vides exhiberi compassionem. Noli attendere quid caro velit, sed quid spiritus poscit. Si vero dicis, Durus est hic sermo, *Joann.* vi, 61.
non possum mundum spernere et propriam carnem odio habere ; dic mihi, ubi sunt amatores hujus mundi qui ante pauca tempora nobiscum erant ? Nihil ex eis remansit nisi cineres et vermes. Attende quid sunt, quid fuerunt. Homines fuerunt sicut tu ; comederunt et biberunt, ac riserunt ; duxerunt in bonis dies suos, et in *Job* xxi, 13.
puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima æternis suppliciis deputatur. Quid profuit illis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ divitiæ, magna familia, et mala concupiscentia ? Ubi risus ? ubi jocus ? ubi jactantia ? ubi arrogantia ? De tanta lætitia, quanta tristitia ! Post tantillam voluptatem, quam gravis miseria ! De illa exsultatione ceciderunt in magnam ruinam et magna tormenta. Quidquid illis accidit, tibi accidere potest : quia homo es, homo de humo, limus de limo ; de ter- *Gen.* iii, 19.
ra es, et de terra vivis, et in terram reverteris, quando venerit dies ultima, quæ subito veniet, et forsitan hodie erit. Certum est quod morieris ; incertum autem quando, aut quomodo, aut ubi. Quoniam mors ubique te exspectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam exspectabis. Omnia sunt verba Bernardi.

Hinc Gregorius : Nihil certius morte, et nihil incertius hora mortis. Ex quo scis te moriturum, tene te semper et in omnibus eventibus humiliter et patienter et prudenter, ut mortuum ; et dic, Hæc non moverent mortuum, nec te movere debent : sive prospera sint, sive adversa. Sit tibi etiam quælibet dies tanquam extrema. In *Eccli.* vii, 40.
omnibus quoque operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. Facile enim, secundum Hieronymum, contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. — Et hæc de memoria mortis sint dicta.

Modo redeundo ad propositum, considerandum est quod boni faciunt hic vigiliam

in luctu pœnitentiæ, et ideo perveniunt ad festum jucunditatis æternæ. Quamvis autem sanctorum virorum vita multam videatur habere asperitatem, tamen leniri debet, considerata tantæ gloriæ immensitate. Ergo pœnitentiam agat qui vult æterno gaudere bono. Ad quod hortatur nos Salvator, dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. De qua pœnitentia dicit quædam scriptura : O felix pœnitentia ! conversio matura, quia secura. Qui autem tarde pœnitentiæ se committit, dubius et incertus erit : quia nescit an vere an ficte pœniteat. Unde Gregorius : Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Vera pœnitentia animam a servitute diaboli liberat, et ipsam sanctificat, Spiritus Sancti donis et virtutibus ornat, sub protectione Dei collocat, in paradiso coronandam repræsentat, et pro ipsa allegat. Quod, heu ! minime advertunt amatores hujus mundi, scilicet superbi, avari, luxuriosi, voluptuosi, inanis gloriæ cupidi, iracundi, amatores propriæ voluntatis, contemptores divinæ voluntatis et bonitatis, eligentes facere festum breve in hoc mundo, et longam vigiliam in æternis cruciatibus in inferno. Sicut enim dicit B. Gregorius, momentaneum est quod delectat, æternum vero quod cruciat.

Matth. IV, 17.

Heu, heu, quam multi sunt apud quos omnia prædicta parum proficiunt ! Loquor de mundi amatoribus. Avertunt faciem suam ne videant in finem. Oculos habent, et non vident ; aures habent, et non audiunt. Diu se vivere arbitrantur, et cito e medio tolluntur. Et quia mortem terribilem dispositam non metuunt, ideo miseri providere damna ipsius contemnunt. Insipientes similiter censendi sunt, qui impie usque ad mortem vixerunt, et quæ sunt digna morte egerunt, nec timent mortem vicinam. Cæci sunt, et mentis insanæ ; insipientibus similes, novissima sua et post mortem ventura non providentes. Unde Augustinus : Multi æternaliter damnantur, et finaliter in peccatis detinentur, qui non

Ps. X, 11, sec. Hebr. *Ps.* CXIII, 5, 6, sec. Hebr.

A ad vocem Domini se corrigunt. Vocem quidem occultæ inspirationis audiunt, sed vitam non corrigunt, dicentes : Cras, cras. Subitoque ostium clauditur, et remanet miser peccator foris ante arcam patriæ cœlestis cum voce corvina, quia pro peccatis gemere noluit tempore quo potuit et debuit voce columbina. Hæc Augustinus.

Unde dixit tristis moribundi cujusdam vox : O cras, cras, quam longam restim mihi fecisti, et in barathrum mortis me procrastinando protraxisti ! Decepisti me, B et deceptus sum. Nonne hæc nunc miseria mea superat omnem miseriam hujus mundi ? Nonne merito super his affligitur cor meum et sauciabitur anima mea ? En omnes dies mei, heu ! sine fructu bonorum operum transierunt, quos sine medio in laudem Dei, animæ meæ salutem procurando, expendere debuissem. Triginta anni ætatis meæ dilapsi et perditi sunt, et miserabiliter perierunt tam negligenter, ut nesciam si unquam diem de omnibus his expendi in voluntatem Dei, et in exerci- C tium cunctarum virtutum, tam laudabiliter et perfecte sicut forte debuissem et potuissem, vel si unquam placitum famulatum Conditori meo exhibui tam gratum et acceptum ut status meus requirebat. Heu me, proh dolor ! hoc est ergo unde vulnerantur omnia interiora mea. O Deus æterne, quam verecunde coram te et omnibus Sanctis tuis ad judicium extremum stabo, quum reddere rationem de commissis et omissis cogar ! Et quid adhuc dicam ? In proximo est tribulatio mea et ut D de hoc mundo recedam. Attendite, quæso, omnes amatores mundi hujus. Ecce in hac hora magis gauderem de brevi oratiuncula, puta Oratione dominica vel Salutatione angelica devote per me dicta, quam super millia auri et argenti. O mi Deus, quanta neglexi bona quæ bene potuissem implevisse ! Quam male mihi accidit quod hæc non prævidi, quando bene prævidere potui ! O quot horas nunquam redituras perdidi, quoniam propter modica facta et negotia exteriora, mihi necessaria neglexi,

negotiis non necessariis me implicavi, et A necessaria dimisi ! Vere nunc cognovi, quod ad magnitudinem præmiorum cœlestium mihi plus contulisset recessus a vanitatibus sæculi, et sollicita custodia cordis mei et sensuum meorum cum animi puritate, quam iis neglectis et animo inordinate affecto, triginta annis quivis alius per precationes suas ad Deum mihi præmia obtinere niteretur. Heu, quanta bona in tanto tempore corpore sano potuissem fecisse, quod nunc optarem pro omnibus deliciis, divitiis et honoribus mundi hu- B jus, et heu, non feci ! Quam immensas divitias spirituales et thesauros cœlestes potuissem congregasse, et neglexi ! O Deus meus, nunc quam minima opera satisfa-
Luc. XVI, 21. ctoria mihi grata et accepta essent cupienti saturari et recreari de micis quæ cadunt de mensis dominorum, et nemo mihi dat ! O vos omnes, miseremini et compatiamini mihi, et quamdiu vires suppetunt et spiritus juvat bonum facientes, congregate
Ibid. 9. in horrea cœlestia cœlestes thesauros, ut quum defeceritis suscipiant vos in æterna C tabernacula, et non relinquamini vacui in tali hora super vos ventura.

Sed, proh dolor ! multi nec istud attendunt, mortem parvi pendentes, sicut omnes mundi et propriæ voluntatis amatores, quibus loquitur Joannes in sua Ca-
I Joann. II, 15-17. nonica : Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in ipso : quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est D ex Deo Patre, sed ex mundo. Et mundus transit et concupiscentia ejus ; qui autem facit voluntatem Dei, vivit in æternum.
Jacob. IV, 4. Hinc Jacobus : Qui amicus est sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. O utinam ipsi amatores mundi attenderent severitatem divinæ justitiæ, quæ in extremo examine districti judicii uniuscujusque merita judicabit et puniet sine misericordia ; quæ non decipietur ab humana astutia, nec flectetur a supplicatione lacrimosa, sed extendetur in corpus et animam ! Districtum enim Dei judicium nil patietur trans- *Job* XXIV, 12.
ire inultum. De quo quidem districto judicio dicit Augustinus : O quam angustæ erunt tunc undique viæ reproborum ! Superius erit Judex iratus, inferius horrendum chaos ; a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia ; interius conscientia urens, exterius mundus ardens. Peccator sic deprehensus quo fugiet ? Latere impossibile, apparere intolerabile. Item B. Joannes Chrysostomus : Nec resistendi virtus erit, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec satisfaciendi tempus; ex angustia omnium rerum nihil erit nisi luctus. Idem : Nec filii pro parentibus intercedent, nec angeli pro hominibus, prout solent, assument verbum. Nam natura judicii non recipit misericordiam : quia si beata virgo Maria et omnes Sancti rogarent tunc pro aliquo qui esset in peccato mortali mortuus, non exaudirentur.

Hoc futurum examen districti judicii omni tempore et hora omnes Christifideles ante mentis oculos ponant, pœnitentiamque agentes, bona opera cumulent, per quæ reddatur eis Deus propitius. Dicit etenim Bernardus : Si Deus non adest tibi per gratiam, adest per vindictam ; sed væ tibi, si ita tibi adest : imo væ tibi, si ita tibi non adest. Illi namque irascitur Deus quem peccantem non flagellat : nam quem flagellando in præsenti non emendat, in futuro æternaliter damnat. Justitia enim Dei aliud judicare non potest nisi quod merentur opera tua. Qui enim plus diligit mundum quam Deum, sæculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam castitatem, sequitur diabolum, et ibit cum eo in ignem æternum. Hæc ille.

O utinam cuncti mortales, et specialiter mundi amatores, attenderent et in animo omni tempore revolverent et rememorarentur eamdem æternitatem et acerbitatem pœnarum infernalium ! Nulli dubium quin et infiniti a peccatis cessarent ; mundum

fallacem, dolosum et deceptorium relin- A quentes, non sic irent post concupiscentias suas. Qui, heu ! amatores præcepta Dei minime advertunt, imo parvi pendentes pro nihilo reputant, quum tamen sine observatione mandatorum Dei nullus salvari possit, sicut attestatur Salvator, dicens :
Matth. XIX, 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.
Exod. XX, 5, 6. Et in Exodo : Ego sum Deus fortis et æmulator, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me (semper peccando, mandata mea non custodientes), et faciens mi- B sericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea. Hinc Psalmista imprecatur talibus maledictionem
Ps. CXVIII, 21. æternam, dicens : Maledicti qui declinant a mandatis tuis.

Auscultent insuper mundi amatores sententiam S. Athanasii in symbolo suo, quomodo oporteat nos omnes de omnibus operibus nostris Deo in die judicii reddere rationem. Ait namque : Venturus est judicare vivos et mortuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent C cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam ; qui vero mala, in ignem æternum. Item Apostolus :
II *Cor.* V, 10. Omnes (ait) nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque prout gessit in corpore suo, sive bonum sive malum, sine omni exspectatione.

Tunc miseris damnatis, qui hic pœnitere neglexerunt, exprobrando dicetur : Ubi sunt nunc isti qui ab initio, a diebus antiquis, huic mundo toto servierunt desiderio, qui D voluptuose viventes, variis se desideriis subdiderunt ? Eia, quid prosunt nunc illis omnia terrena, quæ tanquam umbra velociter transierunt ? Quam brevis delectatio quam longam restim post se trahit æternæ miseriæ ! O stulti et vecordes ! quid dulcia nunc juvant universa quibus tam celeriter perfruiti estis ? Sed quid est ? Nunc econtrario plangere vobis æternaliter convenit, et plangendo exclamare et dicere :

Væ nobis jam nunc et in æternum ; væ quod nati sumus, nec ultra mori valemus ; væ quia male torquemur, nec a tormentis unquam liberabimur. O quis est qui ista recogitet supplicia, et hæc nostra ad cor ponat tormenta ? Hæc enim talia sunt, ut quidquid in mundo horribile excogitari possit, his comparari in crudelitate non valeret. O quam felix incoinquinatus, qui post gaudia hujus mundi non abiit, qui non respexit in vanitates et insanias fal- *Ps.* XXXIX, 5.
sas ! Erravimus a via veritatis, et ju- *Sap.* V, 6, 8, 9.
stitiæ lux non luxit nobis, et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia ? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis ? Transierunt omnia illa quasi umbra. Transiit quod temporale fuit ; sed nunc, proh dolor ! remansit quod in æternum manebit. O æternum, nunquam finem habiturum, perpetuum mortis supplicium ! O finis sine fine, mors gravior omni morte, semper mori, et tamen mori non posse ! O lacrimæ, incessanter profluite ; oculi, plorate, et omnia viscera mea, ululate super infelici hac separatione, quæ est a summo bono, a facie illa gloriosa et jucunda, a consortio illo angelico, necnon felicissimo illo electorum numero, componendo ad illam miseriam, maledictam ac crudelissimam damnatorum turbam sine fine cruciandam.

O cordium multorum intimi gemitus ! O stridor dentium et fremitus spirituum immensus ! O planctus et ululatus multus ! O clamor in æternum mansurus, qui semper durabit et nunquam finem habebit, qui semper renovabitur et nunquam exaudietur !

Verba sunt damnatorum : Oculi nostri miseri nunquam aliud videbunt nisi mortem et miseriam ; aures nihil nisi, Væ, væ, audient, atque tristitiam gemitus, et stridores dentium. O pia corda, istud interminabile et crudele, æternum et intolerabile supplicium damnatorum respicite ; et in hoc tempore gratiæ lugete et flete pœnitentiam agentes, deplangite pec-

cata. Heu! cur nos miseri et omnibus creaturis miserabiliores, hæc futura mala non prævidimus ac prævenimus dum robur adfuit, quum tempus aderat opportunum? Utinam de illo toto tempore inutiliter expenso superesset nobis una horula sanctæ pœnitentiæ in remedium concessa. Sed, heu! sententiante divina justitia, præclusa est nobis hora salutis, negata misericordia, spes omnis ablata. Quid plura? Nos miseri et miserabiles tantum affligimur et dolemus de illo væ æterno, ut qualiscumque terminus excogitatus, dummodo finibilis esset, nobis solatiosus foret, etiam super omnia solatia mundana et gaudia. Unde posito per impossibile, quod esset aliquis lapis molaris adeo magnus, quod undique circumferentiam cœli contingeret, et quod aliqua avicula minimæ quantitatis post centum millia annorum veniens, de lapide prædicto solummodo per rostrum suum avelleret quantum est decima pars milii; et iterum post centum millia annorum sicut prius unam particulam de decem auferret, et sic singulas partes, ita quod in decies centum millibus annis non plus diminueretur quantitas illius lapidis nisi quantum habet in magnitudine granum milii: o quam læti nos miseri, multum grati et consolati essemus, quod post totalem et plenam consumptionem totius lapidis finem haberet furor æternæ damnationis nostræ! Sed, heu! hæc eadem consolatio nobis miseris a divina justitia est negata.

Qui habet aures audiendi, audiat et ad cor ponat hæc horribilia; et vitam emendando hic in tempore gratiæ pœniteat: quia taliter flagellabuntur in æternis cruciatibus, qui hic in tempore gratiæ a flagellis filiorum excipiuntur. Sic enim dicit B. Gregorius: Prosper successus temporalium, indicium æternæ damnationis est certissimum.

Quid igitur faciendum est ut infernum evitemus? Dico: Deus benignissimus, qui (Tim. ii, 4.) (secundum Apostolum) vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem sui no-

A minis venire, duo nobis verba in Evangelio promisit, quorum unum dixit nobis manens in carne, alterum dicturus est in extremo judicio. In quibus verbis nobis proposuit bonum et malum, vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo, o homo, alterum eorum, quia oportet te alterum sequi. Elige ergo unum quod volueris ex his multum diversis. Primum scribitur apud Matthæum: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim vobis regnum cœlorum. (Matth. iv, 17.) Quæ pœnitentia vere B dicta, potest dici vita religiosa virtuose deducta. Secundum dicetur tibi a Christo in districto judicio, in novissimo die, videlicet: Ite, maledicti, in ignem æternum. (Ibid. xxv, 41.) Si enim primum accipias, pœnitentiam agendo, secure evades. Si primum contemnis, absque dubio incides in secundum. De his verbis simul junctis dicit Bernardus: Respondent nobis amatores sæculi, quum eis pœnitentiam persuademus, et dicunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? (Joann. vi, 61.) Durumne vobis C videtur, quum dicitur, Pœnitentiam agite? Erratis. Sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum, auditionem malam, scilicet: Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est vobis, (Matth. xxv, 41.) et diabolo et angelis ejus. Ubi tandem cruciatus intolerabiles æternaliter sustinebitis. Quod Deus avertat, pœnitentiam inspirando.

Et quid si hæc omnia horribilia, et profecto terribilia, servos diaboli, scilicet amatores sæculi, ad conversionem vitæ suæ D et ad pœnitentiam agendam non inducant? Nihil his superest nisi ut attendant immensitatem gaudiorum cœlestium. De quibus dicit Psalmista: Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia; (Ps. lxxxiii, 11.) et iterum: Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit: (Ps. lxxxix, 4.) supple, læte deducta in hac vita. Et Gregorius: Ibi, inquit, pax est sine discordia, voluntas sine mandato, justitia sine injuria. Ibi erit juventus sine senectute, decor sine deformitate, vita sine

morte, lætitia sine perturbatione. Ibi carmina non desunt, præmia non deficiunt. Ibi amictus non dilabitur, regnum non amittitur. Ibi nihil deerit, quia nihil desiderabitur quod non adsit. Augustinus : O quam pulchra et decora civitas! Animæ Christus cibus erit ne esuriat, potus ne sitiat, vita ne illam senectus dissolvat. Nullus intrinsecus morbus, nullus extrinsecus metus ; summa in carne erit sanitas, et in anima tota tranquillitas. Bernardus : Lætantur omnes in Deo, quia desiderabilis adspectu, facie decorus, dulcis ad perfruendum ; per se placet, per se sufficit ad præmium ; nihil extra ipsum requiritur, et in ipso est quidquid desideratur. Item Augustinus : Ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fine amabitur, sine fatigatione laudabitur.

Et ut multa paucis concludam, audi Bernardum sic dicentem : Ibi vera lætitia, plena scientia, imo plenitudo omnium scientiarum, omnis pulchritudo et beatitudo. Ibi pax, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudium, lætitia, dulcedo, vera salus, gloria, requies, amor ; et quidquid bonum ac jucundum excogitari poterit, superabundanter ibi reperitur.

Quidam dæmon interrogatus quam magnum esset in cœlo gaudium, respondit : Numera atomos in solis radio. — Respondit : Non possum. — Sic etiam, ait, gaudia cœli nullus numerare potest.

Quodam tempore dæmon a quodam viro sancto de reditu in cœlum interrogatus, respondit : Si esset columna ferrea et ignea et acutissimis cultris rasoriis armata, a terra usque ad cœlum erecta, usque in diem judicii (etiam si essem carne hominis indutus, in qua pati possem) vellem me trahere ascendendo et descendendo, dummodo possem invenire apud Deum gratiam, et pervenire ad ejus gloriam.

Dæmon aliquando interrogatus quam diu Deum viderit in cœlo, respondit : Paulo amplius vidi quam ad ictum oculi. Sed
A propter hoc ut adhuc denuo tam diu videre possem faciem illam gloriosam, in novissimam diem usque solus omnium damnatorum (tam dæmonum quam hominum) vellem pœnas sustinere.

Unde dicit Augustinus : Si posset fieri quod mali in inferno Deum viderent, mallent in pœnis esse et sic videre Deum, quam esse in cœlo et non videre eum. Tantum enim delectarentur, quod pœnas pro nihilo reputarent. Unde erat quidam obsessus qui interrogatus de gaudiis quæ
B habent Sancti in cœlo, respondit : Si totum cœlum esset pergamenum, et totum mare atramentum, et omnes stellæ magistri, nec manibus nec linguis describere possent gaudium minimum quod Sancti habent in cœlo de vultu Dei. Hinc Augustinus : Tanta, inquit, est jucunditas lucis æternæ, ut etiam si non liceret in ea amplius manere quam unius diei hora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis et affluentia bonorum temporalium, recte meritoque contemne-
C rentur.

Quare ergo non ponunt homines hanc æternam cœlestem lætitiam et gloriam in cordibus suis, ut sic jam hic in ista brevi vita vivant, ut ad eamdem quantocius perveniant? Certe hoc provenit ex cæcitate spirituali. Quæ quidem cæcitas tribus modis nascitur : primo, a pulvere cupiditatis terrenæ ; secundo, ex igne carnalis concupiscentiæ ; tertio, ex tumore superbiæ. Plerumque etiam peccator, vel ex consuetudine peccandi, vel ex obstinatione men-
D tis, vel ex suggestione diaboli, peccatum suum non videt, quia videre non vult, nec peccatum reputat peccatum. Unde Gregorius : Quum in grave peccatum miser labitur, suadet ei diabolus ne pœniteat, ne confiteatur ; peccatum leve et modicum in corde affirmat, misericordiam prædicat, longum spatium vitæ promittit, ut permaneat in peccato suggerit, ut sic eum in contemptum Dei et desperationem sui inducat. Hæc ille.

O, o, o, si talis miserrimus peccator

æternam gloriam cœlestem, incogitabilem, A quam perdet, attenderet, et perpetuas pœnas infernales, intolerabiles, quarum magnitudinem nemo exprimere valet, quas perpetuo sustinebit! pœnitere et confiteri indubie non differret. De cujus pœnæ inferni magnitudine tale legitur exemplum. Quidam erat defunctus; sed vitæ restitutus, ex his quæ viderat in inferno territus, fugit ad eremum, et fecit cellam juxta fluvium : in quo vestitus volvebat se, et inde exiens, sinebat vestimenta sua congelari, et postea balneum intrabat; et B sic egit usque ad mortem. Et quum a multis super hoc argueretur, dixit : Si vidissetis quæ ego vidi, eadem certe vel majora his nunc vere faceretis.

Si ergo illa cœli gaudia æterna possidere cupiunt ipsi sæculi amatores, et æternas infernales evadere pœnas, audiant Do-
Ier. LI, 6. minum eis dicentem : Fugite de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam. Babylon, secundum Hieronymum, interpretatur domus confusionis, et recte significat istum mundum, ubi, heu! jam ubique terrarum confusio regnat, sicut omnes cernimus in inverecundo vestitu et multis aliis. Et ergo fuga de sæculo validius est remedium contra vitia et peccata. Ad quam fugam hortatur nos Dominus in verbo allegato per prophetam Jeremiam. Quod quidem verbum sequitur S. Bernardus, dicens : Fugite de Babylone, scilicet sæculo, ubi castitas periclitatur in deliciis, humilitas in divitiis, veritas in multiloquio, caritas in hoc nequam sæculo.

Quo igitur fugiendum est? Ad vitam religiosam, quæ tutior et salubrior est via, ut verius creditur et experimento quotidiano experitur. Fugiat ergo qui salvari desiderat, ut pœnas intolerabiles et horribiles declinet et evadat, et regnum cœlorum amœnum et jucundum cum Sanctis et electis, eorum meritis et precibus possideat. Quod nobis tribuere dignetur Jesus Christus in sæcula sublimis et benedictus. Amen.

FINIS SPECULI AMATORUM MUNDI.

DE DOCTRINA
ET REGULIS VITÆ CHRISTIANORUM
LIBRI DUO

PROŒMIUM

QUI dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. I Joann. II, 6.

In his verbis discipulus quem diligebat Jesus, compendiose edocuit ad qualem conversationem teneatur quilibet Christianus. Etenim « qui dicit se in Christo manere », id est Domino Jesu Christo tanquam capiti ac Domino inhærere, et in ipso per fidem quiescere, christianumque esse, « debet ambulare », id est, conversari tenetur, atque de via hujus exsilii ad patriam claritatis æternæ tendere obligatur, « sicut » et Christus « ambulavit » : qui, ut Isaias prophetavit, peccatum [*Is.* LIII, 9; I *Petr.* II, 22.] non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui et in Evangelio de se ipso fatetur : Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; itemque : Quæ placita sunt ei, [*Joann.* XIV, 31.] facio semper. [*Ibid.* VIII, 29.] Sic utique unusquisque Christifidelis omne peccatum tenetur vitare, quum peccatum proprie dictum, sit transgressio legis divinæ atque cœlestium inobedientia mandatorum, ut definit Ambrosius. Et de peccato sic sumpto immunem se dixit sanctus Job, loquens : Neque reprehendit me cor meum in omni vita [*Job* XXVII, 6.] mea.

Interdum vero peccatum extensius sumitur pro culpa quacumque, hoc est pro omni inordinatione seu obliquitate deviante a rectitudine legis divinæ rationisque rectæ. Sic quippe peccatum dividitur in peccatum mortale ac veniale. Peccatum namque mortale est mera tortitudo, contrariatio et aversio a divinæ rectitudine legis; veniale autem peccatum est incurvatio et obliquatio quædam a recto tramite legis Dei : quemadmodum in itineratione cernimus corporali quod aliquis, verbi gratia, recto itinere a Ruræmunda pergit Coloniam; alius partim cæcutiens, a recto parumper divertit itinere, non tamen incedit per callem contrarium deducentem ad locum a Colonia plus quam distet Ruræmunda distantem; tertius prorsus cæcus aut viæ ignarus, graditur viam rectæ semitæ omnino oppositam. Denique de peccato taliter sumpto protestatur in prima sua Canonica S. Joannes, dicens : Si dixerimus [I *Joann.* I, 8.] quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Jacobus quoque : In multis [*Jacob.* III, 2.] (inquit) offendimus omnes. Cui etiam ipse beatus Job obnoxium se fatetur, dicendo : Peccavi; et rursus : Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce pec- [*Job* VII, 20.] catis meis; et denuo : Signasti quasi in sacculo delicta mea; et iterum : Vias [*Ibid.* XIV, 16. *Ibid.* 17.] meas in conspectu Dei arguam, et ipse erit salvator meus. [*Ibid.* XIII, 15, 16.]

Præterea, constat Dominum Jesum, omnium salvatorem ac irreprehensibilem judicem, ab omni etiam veniali culpa omnifarie exstitisse immunem, qui adversariis suis secure locutus est : Quis ex vobis arguet me de peccato? Et rursus, suis lo- [*Joann.* VIII, 46.] quens discipulis : Venit (inquit) princeps mundi hujus, et in me non habet quid- [*Ibid.* XIV, 30.]

quam. Hæc demum immunitas ab omni etiam veniali peccato, præelectissimæ et incomparabili Christi virgineæ Matri singulari privilegio scitur esse concessa.

Ceterum, ut asserit Augustinus, si alii omnes Sancti pariter essent, dicere in-
I Joann. I, 8. digerent illud : Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Quod verum est quantum ad hoc quod nullus quantumlibet sanctus, præter Filium Dei et præstantissimam atque mundissimam ejus Matrem, potest in hac fragili carne sine veniali culpa diu subsistere. Potest tamen ad aliquantulum tempus : ut si homo adultæ ætatis baptizetur, ac deinde per modicam horam actualiter sit devotus. Viri quoque heroici ac perfecti, qui pro suis quotidianis culpis quotidie non solum satisfaciunt plene, adjuti multiplici gratiæ ope, verum etiam omni die notabiliter crescunt in caritate : quorum nonnulli leguntur interdum per plures dies in raptu fuisse continuo, quemadmodum quinto libro Vitæ sanctorum Patrum, homo angelicæ conversationis, abbas Bessarion, recitatur per dies quatuordecim in raptu stetisse continuo. Gloriosus quoque Hieronymus, testis fide dignissimus, in sua Regula de se ipso conscripsit : Ego homunculus sic abjectus et vilis, adhuc vivens in corpore, angelorum sæpe choris interfui ; et nihil de corporeis per hebdomadas sentiens, divinæ visionis intuitu, post multorum forte dierum spatia, præscius futurorum, redditus corpori flebam.

Quamvis itaque omnis Christianus teneatur instar Christi ambulare cuncta mortalia fugiendo peccata, non tamen quantum ad immunitatem a venialibus omnibus tenetur (imo nec valet) ipsum sectari. Venialia namque quamvis singula, non tamen omnia queunt diu vitari. Siquidem dum quis uni veniali vitando intentus est, frequenter contingit ipsum ex subreptione aut fomite imperceptibiliter aliud incidere. Verumtamen decet et multipliciter expedit ut unusquisque cum ingenti diligentia veniales quoque vitare studeat culpas, quantum humana permittit fragilitas : alioqui
Eccli. XIX, 1. non diu evadet mortalia. Et, ut ait Scriptura, qui spernit (aut negligit) modica,
Ibid. XXVII, 4. paulatim decidit ; itemque : Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, id est cor tuum, in quo Christus per fidem habitat tecum. Id-
Matth. X, 28; *Luc.* XII, 5. circo oportet implere quod jubet Salvator : Eum timete qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Quem qui veraciter timet, nihil (ut asse-
Eccle. VII. 19. rit Salomon) negligit.

Præterea, ad vitandum peccata oportet in primis agnoscere ad quid unusquisque sit obligatus, hoc est, quid scire, quid facere, quid vitare teneatur. Idcirco, teste Ambrosio, ignorantia gravissimum (id est periculosum) est peccatum. Diversi autem, secundum diversitatem suarum vocationum, professionum, graduum, statuum et officiorum, ad diversa tenentur. Hinc scire oportet non solum in generali ad quæ omnes Christiani communiter adstringuntur, sed item ad quæ singuli quique juxta suas proprietates, conditiones ac differentias obligantur. Nempe unus et idem ad alia obligatur in quantum Christianus ; ad alia, in quantum princeps aut judex ; ad alia, in quantum paterfamilias ; ad alia, in quantum uxoratus ; ad alia, in quantum spirituali patri subjectus atque Ecclesiæ filius.

Est ergo hujus editionis intentio, breviter tangere ad quid omnes teneantur Christifideles communiter, et rursus ad quid diversi specialiter. Ad quod declarandum ac prosequendum, parvitatem meam obnixis precibus instigavit caritas tua,

religiose ac devotissime Pater atque in Christo prædilecte confrater Joannes Brugman : qui, juxta nominis tui interpretationem, recte vocaris Joannes, utpote vas gratiæ Dei; nec minus apte cognominatus es Brugman, hoc est vir pontis, qui indefesse ac sapienter cunctis fidelibus fabricas, id est, exemplis et verbis ferventibus pandis et exhibes, pontem, quem transeundo pertingant ab amaritudinibus et inquietudinibus hujus procellosissimi maris magni, ad suavissimum ac quietissimum portum æternæ salutis. In quo plane angelico opere fervori tuo congratulor : siquidem, divino Dionysio protestante, omnium divinorum divinissimum est, supergloriosissimo Creatori, excelso ac omnipotenti cooperari in reductione animarum ad ipsum. Verumtamen hoc unum unice hortor ac precor, ut fervor te excitans, sancta semper discretione regatur, ne fractum corpus ruat sub onere. Quemadmodum enim exteriores sensus sensibilium excellentiis corrumpuntur, ita et sensus interiores, utputa vires organicæ suis in cellulis in cerebro situatæ, si immoderatius occupentur, lassantur, læduntur, et nisi adsit radius discretionis, corrumpuntur : quo facto, deficit ratio. Similiter passiones, quæ in sensitivo sunt appetitu, quia cum corporali fiunt transmutatione, si rationis gubernaculo non frenentur, vigorem ac lucem intelligentiæ offuscare noscuntur, præsertim passio illa tristitiæ, quæ præ ceteris læsiva perhibetur cordis et corporis : quippe quæ sicut vermis ligno et tinea vestimento, sic nocet cordi. Idcirco vir sapiens hanc longe expellit a se. Nec contristat justum quidquid ei acciderit : qui tamen de malo culpæ tam suæ quam alienæ tristatur tristitia quæ secundum Deum est, et in superiori est appetitu. Et quamvis in appetitum redundet inferiorem, non tamen tam immoderate, ut lædat ac noceat : quin imo consolationem sortitur a Spiritu Sancto spe veniæ, confidentia gratiæ, consideratione quoque judiciorum Altissimi, quæ ab homine nequeunt immutari; quorum ordinationi et exsecutioni subservire fideliter convenit servo fideli, verbi cœlestis præconi, qui quod in se est faciendo, et suum obsequium humiliter ac fervide exhibendo, fructum habet committere Patri spirituum : quoniam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

De Cœlest. hier. c. III. — *Prov.* XXV, 20. — *Eccli.* XXX, 24. — *Prov.* XII, 21. — II *Cor.* VII, 10. — I *Cor.* III, 7.

Postremo, novit erudita tua Paternitas quam gratiose et vere protulerit gloriosus ille Bernardus, electus Spiritus Sancti : Ubi vehemens æmulatio, ibi potissime necessaria est discretio. Quo zelus ferventior, ac vehementior spiritus, caritasque profusior, eo vigilantiori opus est discretione, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet caritatem. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit; ordo modum tribuit et decorem, etiam et perpetuitatem. Est ergo discretio non tam virtus quam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrix affectuum, doctrix morum, consummatio perfectionis. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsa quoque naturalis affectio in perturbationem exterminiumque vertetur naturæ. Hæc nimirum discretio docet ne quid nimis fiat aut minus. Nempe qui minus agit, fructum operis boni abscindit, non circumcidit. De eo autem qui agit nimis, testatur Scriptura : Quia plus fecit quam potuit, ideo periit. Qui igitur in ipso discretionis lumine conversatur, suam ipsius ac aliorum salutem et gratiam operatur. De ipso demum discretionis spiritu scimus, ut dulcissimus ille fatetur Bernardus, quoniam nihil sic illum exstinguit quomodo voluntas propria, subvertens hominum corda, et rationis oculos claudens, docens

Jer. XLVIII, 36.

naturæ non parcere, non acquiescere rationi, non obtemperare seniorum consilio, nec obedire prælato.

Lev. II, 13. Hæc idcirco, o amantissime Pater, dixi, ut in omni sacrificio offeras sal, et *Marc.* IX, 49. quidquid obtuleris, condias sale, de quo Fons sapientiæ jussit : Habete in vobis *Osee* XIV, 3. sal. Quo etiam sale condiendum est sacrificium vitulorum labiorum tuorum. Clamor ille assiduus, fortis ac diuturnus, ultra vires exhibitus, frangit naturam, vires extenuat, cerebrum siccat, interiorumque sensuum organa lædere ac turbare censetur, præsertim in viro jam senio fracto ac tenero. Nil differt, ait D. Hieronymus, an subito vel paulatim te ipsum interimas.

DE DOCTRINA ET REGULIS VITÆ CHRISTIANORUM[1]

LIBER PRIMUS

DE HIS AD QUÆ TENENTUR OMNES CHRISTIANI COMMUNITER.

ARTICULUS PRIMUS.

Ad qualem conversationem teneatur quilibet homo christianus adultæ ætatis composque mentis.

ob xxxvi, ECCE *Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis* est *in legislatoribus.* Deus iste excelsus, omnipotens, cui nullus legislatorum est similis, est unigenitus Dei Filius, virtus et sapientia Patris, qui evangelicam contulit legem : quæ non solum legibus gentium, quæ (ut in Jere-
er. x, 3. mia legitur) vanæ sunt, sed lege quoque Mosaica desuper data et lege naturali divinitus indita valde est perfectior.

Hinc et magnus ille philosophus Avicenna, quamvis de lege fuerit perfidi Mahometi, attamen in Metaphysica sua fatetur, quod Christus, Mariæ filius, longe sapientior atque moralior fuit Mahometo. Et ipse Mahometus in suo frequenter Alcorano testatur, asserens quatuor magnos fuisse Prophetas : quorum primum, non tempore, sed perfectione ac dignitate, Christum fuisse effatur ; secundum, Abra- A ham ; tertium, Moysen ; quartum, scilicet Mahometum. Denique de Christo introducit Deum in Alcorano loquentem : Christum, Mariæ filium, misimus, eique commisimus Evangelium, quod est lumen et confirmatio Testamenti, castigamen et via recta. Etenim Christo divinus spiritus testimonium atque auxilium fuit. Unde et angeli Mariam alloquentes, dixerunt : O Maria, cunctis viris mulieribusque splendidior, mundior ac jucundior, tibi ab universitatis Creatore mittitur summi nuntii B gaudium cum verbo Dei, cui nomen est Christus Jesus, qui est facies omnium gentium in hoc sæculo futuroque, sapiens virque optimus. Ipse Deus filium tuum cum divina virtute venientem edocebit librum legiferum, omnisque magisterii peritiam, et Testamentum ac Evangelium. — Ecce quanta est certitudo ac firmitas fidei christianæ ac evangelicæ legis, quibus ab adversario fidei tale ac tantum testimonium perhibetur.

Præterea, hæc una est præcipuarum cau- C sarum propter quas Sarraceni et Turcæ legem Mahometi tenentes, affirmant se

[1] Ex editionibus Coloniæ, Joannis Birckmanni Junioris, 1559, et Materni Cholini, 1577.

persequi Christianos : quoniam Christiani A legem sibi a tanto legislatore donatam non servant. Et sive ob causam hanc sive ob aliam Christianos impugnent, hoc sine dubio est credendum, quod ista ex causa justo Dei judicio Christianis prævalere sinuntur, in quibus nunc, proh dolor! tot et tanta regnant et inveterata sunt scelera, ut de eis jam dici possit quod de pravissima Synagoga olim protulit Jeremias :
Jer. XLIV, 22. Non poterat vos Dominus ultra sustinere propter malitiam studiorum vestrorum.

Itaque, sicut lex Christi cunctis legibus B consistit perfectior, sic Christiani universis mundi hominibus virtuosiores, perfectiores magisque exemplares esse tenentur, et magis ordinati in omnibus intus et foris, in verbis et factis, in vestimentis, in cibo, potu, somno atque incessu, omnique usu rei creatæ ac possessionis terrenæ. Propterea venerabiles patres Cassianus et Climacus contestantur, illum esse indignum Christianum vocari, cujus conversatio, apparatus, mores, habitus et incessus non cogunt omnem etiam infidelem C rite considerantem fateri, legislatorem illum qui talem instituit legem ac vitam, vere esse divinum, sapientem ac justum. Et hoc (ni fallor) sacratissimus apostolici agminis princeps Petrus insinuat, ipsos fideles ad conversationem vere christia-
I Petr. II, 11, 12. nam hortando : Obsecro (inquiens) vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, conversationem vestram inter gentes bonam habentes, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus ve- D stris vos considerantes, glorificent Deum. Insuper hoc est quod et ipse jubet Salva-
Matth. V, 16. tor : Sic luceat (dicens) lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis
Philipp. II, 14-16. est. Hinc et Paulus ad Philippenses : Omnia (ait) facite sine murmurationibus, ut sitis sine querela, simplices filii Dei, in medio nationis pravæ atque perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.

Ecce ad hujuscemodi vitam virtuosam, sinceram, exemplarem ac simplicem, non fraudulentam, fictam aut duplicem, universi ac singuli obligati sunt Christiani. Nonne omnis subditus præceptis sui legislatoris obedire tenetur? Nonne Augustinienses ad B. Augustini regulam adstringuntur, et Benedictini ad regulam S. Benedicti, Fratres quoque Minores ad regulam magni humilisque Francisci? Nonne ergo et omnes Christifideles ad præcepta et regulas Christi et evangelicæ legis tenentur, utpote ad vitandam omnem superbiæ vanitatem, ad omnem avaritiæ, luxuriæ, odii, iræ, acediæ ac ceterorum cunctorum mortalium vitiorum detestationem ac fugam, atque ad universas virtutes illis oppositas, ad veram scilicet humilitatem, mansuetudinem, castitatem, misericordiam, caritatem, obedientiam? Et certe quamdiu Christiani communiter tam virtuose exemplariterque vixerunt, crevit fides catholica inter persecutorum ac tyrannorum crudelissima et innumerabilia quæ Christianis intulerunt tormenta ; atque ex prædicationibus, sanctitate, virtutibus ac miraculis Christifidelium, innumerabilia millia incredulorum passim convertebantur ad Dominum Salvatorem. Nunc vero propter detestabilem, scandalosam ac deformatissimam vitam suam, Christiani ab hostibus fidei suæ miserabiliter prosternuntur, et ipsi se invicem gravius dilaniant et expugnant : imo et ab invisibilibus suæ salutis atrocissimis inimicis ineffabiliter periculosius conculcantur, spiritualiter perimuntur, atque ad perpetua Acherontis tristissimi supplicia detrahuntur.

ARTICULUS II.

Declaratio ex verbis B. Augustini quam virtuosa et exemplaris debeat esse vita cujuslibet Christiani.

MOYSES *fidelis erat in tota domo* Dei *tanquam famulus, Christus vero tanquam filius in domo sua : quæ domus su-* *Hebr.* III, 5, 6.

mus nos, si fiduciam et gloriam spei usque in finem firmam retineamus. Olim in veteri lege sancti Prophetæ, imperfectionem legis Mosaicæ cognoscentes, cœlitus sunt edocti ac cecinerunt, in adventu regis Messiæ, Filii Dei, legem divinam, spiritualem, perfectam, non terrenam prosperitatem, sed cœlestem beatitudinem promittentem, fuisse per ipsum Dei Unigenitum conferendam. De qua Isaias frequenter prædixit, imo Deus per Isaiam :
Is. LI, 4. Lex (inquiens) a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet ;
id. LV, 4. et rursus de Christo : Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem genti-
id. XLII, 4. bus ; et, Legem ejus insulæ exspectabunt.
er. XXXI, 3. De qua lege Dominus apud Jeremiam apertissime est locutus. Denique totus ille Mosaicæ legis status carnalis fuit, ac typicus, præfigurativus veri, salubris spiritualisque status per Christum exhibiti. Propter quod ad Hebræos dixit Apostolus :
ebr. X, 1. Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, etc. Nec dubium quin omnino condecuit per Unigenitum Dei, verum et incarnatum Deum, dari legem prorsus perfectiorem lege data per famulum, puta per Moysen. Nempe ad hoc Filius Dei venit in mundum, et factus est homo ac conversatus in sæculo isto, ut homines faceret deos, id est divinos, cœlestes, spirituales, angelicos, per contemptum omnium terrenorum, nisi in quantum ista corporalia et terrena necessaria sunt atque utilia ad spiritualia bona, et per fervidum appetitum æternalium cœlestiumque bonorum. Hinc Unigenitus Dei, ut non solum præceptis, promissionibus et comminationibus, sed efficacissimis quoque suis exemplis nos ad ista accenderet, elegit in mundo isto in maxima paupertate, in profundissima humilitate, in omni patientia et mansuetudine, in ardentissima caritate, in plena spiritualitate et exemplaritate ab exordio suæ incarnationis ac nativitatis usque ad crucis supplicium conversari : quatenus omnis Christianus secundum mensuram, gra-

A dum et exigentiam suæ vocationis ipsum in istis virtutibus imitetur. Unde in cœna novissima : Exemplum (ait) dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. *Joann.* XIII, 15.

Præterea, de hac Christi imitatione et christiformi conversatione, ad quam quilibet adstringitur Christianus, diffuse ac pulchre disseruit Augustinus in libro de Vita christiana : Christus, inquiens, unctus interpretatur. In veteri autem Testamento non nisi Prophetas et sacerdotes *Exod.* XXX, 30 ; I *Reg.* X, 1.
B ac reges legimus esse unctos. Imo tam magnum fuit unctionis illius mysterium, ut non nisi paucissimi illud accipere mererentur : et hoc, usque ad Christi adventum, in quo omnes in ipso regenerati unguntur. Cujus unctionis mysterio et exemplo instruimur ac monemur quales esse et qualiter vivere debeamus, ut in quibus tam sancta est unctio, sit non minus sancta conversatio. Ex hac enim unctione nomen commune omnium Christianorum descendit. Quod nomen ille frustra et ad
C graviorem sui damnationem sortitur qui Christum non imitatur. Quid tibi prodest vocari quod non es, et nomen usurpare alienum indigne ? Porro, si te Christianum esse delectat, quæ Christi sunt gere, et merito tibi Christiani nomen assume. An forsan vocari, non esse, desideras ? Hoc fœdum, vile ac miserum valde est, te velle vocari quod non sis. Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur, et vere habet, si ei in omnibus obsequatur. Si quo minus, non jam famu-
D lus Christi est et venerator, sed subsannator et irrisor, quum et ipse in Evangelio dicat : Quid vocatis me, Domine, Domine, *Luc.* VI, 46.
et non facitis quæ dico ? Et rursus : Qui *Joann.* XII, 26.
mihi ministrat, me sequatur, id est, per virtutes mihi assimiletur, et mea sectetur vestigia. Tali igitur falso Christiano duplex condemnationis judicium reservatur : unum pro subsannatione Christi, quem mendaciter et irrationabiliter Dominum nuncupat ; aliud pro qualitate peccati quo Deum offendit.

Si quis vero tam induratus, inverecundus et pertinax est, ut iram Dei futuram non vereatur, saltem humanam consuetudinem erubescat, attendat quam brutalis, insipiens ac stultus etiam a gentibus judicetur, cujus tanta est vanitas et tanta dementia, ut sibi nomen alienum attribuat et acquirat. Quis tam vanus et miser est, ut advocatum se audeat profiteri, quum nesciat litteras? Quis tam insanus et excors, ut profiteatur se militem, quum nesciat arma gestare? Imo quis sutorem, fabrum aut negotiatorem se dicat, quum officiorum illorum opera nesciat? Tu ergo quomodo Christianus vocaris, in quo nullus Christiani actus refulget, imo qui tot et tantis vitiis sordidaris ac fœtes, tot criminibus plenus es, quæ virtutibus Christi ac nominis Christiani omnino contrariantur? Christianus nomen est justitiæ, bonitatis, integritatis, castitatis, prudentiæ, humanitatis, innocentiæ, pietatis, humilitatis, sobrietatis ac mansuetudinis : et tu quomodo tibi hoc nomen defendis et vindicas, cui de tot et tantis virtutibus nec una inhæret? Christianus est ille qui non nomine tantum, sed opere quoque Christum in omnibus imitatur; in cujus pectore locum non habet malitia, sed sola pietas et bonitas; qui nulli nocet, neminem lædit, imo omnibus auxiliatur pro posse; qui Christi exemplo diligit inimicos, et adversantibus benefacit, atque pro persecutoribus suis orat ex corde. Nam quisquis aliquem lædere, scandalizare aut nocere paratus est, Christianum se esse mentitur, quum Christianus bona pro malis reddere obligetur. — Hæc Augustinus. Qui etiam protestatur opera misericordiæ ad Christianos potissime pertinere.

Ex quibus ostenditur quam confusibile atque damnabile sit coram Deo, Christianum vocari, nec tamen christiformiter conversari. Unde narratur sexto libro Vitæ sanctorum Patrum, quod abbas Macarius pergens per eremum, reperit ibi calvariam cujusdam defuncti; quam tangens cum palmea sua virga, interrogavit : Quis

A es tu? Responditque caput : Sacerdos fui gentilium in hoc loco. Cui Macarius : Quomodo habes? Ait : Damnatus sum in æternum. Dixit Macarius : Sunt aliqui in inferno pejus habentes quam tu? Respondit caput : Nos gentiles et infideles aliquid misericordiæ a Deo consequimur, quia nescivimus melius; sed quantum eminet cœlum super terram, tam profunde sub nobis in medio ignis sunt impii Christiani, qui mandata Dei scientes, excusationem non habent. Quo audito, flevit abbas Macarius, B dicens : Væ homini qui mandata Dei transgressus est. Deinde sepelivit caput illud et abiit.

Insuper, volens scire qualiter consuevit populus christianus omni virtute pollere, advertat quod primo libro Vitæ sanctorum Patrum sanctus refert Hieronymus de se ac sociis suis, quando perrexit per diversa deserti loca et oppida sanctos Patres videre : Venimus, inquit, ad civitatem quamdam in regione Thebaide, in qua tanta virtutum vidimus bona, ut nemo sufficiat C enarrare. In qua et circa quam per gyrum ejus, ut a sancto episcopo civitatis audivimus, erant decem millia monachorum atque viginti millia monialium virginum devotissimæ vitæ. Duodecim quoque magnæ ecclesiæ erant ibidem, ad quas publice plebs convenit; et religiosæ illæ personæ cum ceteris sanctis fidelibus Deum die ac nocte indesinenter laudantes, totam civitatem quasi unam fecerunt Ecclesiam. Superiores etiam urbis et ditiores suos statuerunt ministros in singulis por- D tis ad observandum an aliquis pauper aut peregrinus veniret, et eos quos videbant venientes, certatim secum ducere conabantur. Quumque cives et religiosi vidissent nos, occurrerunt nobis quasi angelis Dei. Nec verecundia sinit me scribere quantum nobis exhibuerunt honorem. Nam ita unusquisque illorum nos traxit ad se, quod nostra pallia scindebantur. Vidimus ibi plurimos Patres sanctos variis donis gratiæ Dei ornatos in sapientia, in sermone, in abstinentiis, signis, miraculis

atque virtutibus. O quanta caritas viguit ibi! quanta in omni virtute perfectio! Nam beneficium sibi fieri reputabant in hoc quod peregrinos et pauperes hospitare, reficere ac pie tractare propter Deum gratis valebant. Quid ad hæc dicere possunt, qui nec peregrinos ac pauperes hospitium postulantes, hospitare et pie propter Deum tractare dignantur?

ARTICULUS III.

Diligentior inquisitio qualiter debeat unusquisque Christianus conversari, ex apostolicis documentis.

I Petr. II, 1. DEPONENTES *omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Ea quæ sancti Apostoli in suis scripserunt epistolis quæ canonicæ appellantur, ad universos credentes communiter et pro maxima pertinent parte; aliqua tamen breviter inserunt quæ ad quosdam specialiter pertinent, utpote ad parentes ac filios, ad præsidentes et pastores, ad episcopos atque diaconos, ad dominos et ministros, ut infra tangetur; cetera spectant ad omnes per modum præcepti, aut consilii, vel doctrinæ. Porro jam introducta auctoritas omnes et singulos concernit et obligat Christianos : in qua gloriosissimus apostolici ordinis vertex, omnium gerens curam, tanquam cunctorum prælatus fidelium compendiose describit a quibus vitiis debeat omnis Christianus esse immunis, et quibus virtutibus decoratus. Oportet namque in primis a vitiis expurgari, deinde mox virtutibus expoliri. Quæ duo consequuntur se mutuo, nec purgatur homo a vitiis nisi recipiendo virtutes illis contrarias, de vitiis loquendo mortalibus : quia non potest contingere quod homo adultæ ætatis nec sit vitiosus nec virtuosus, hoc est nec in statu damnationis neque in statu salutis. Ideo dixit Psalmista : Declina a malo, et fac bonum. *Ps.* XXXVI, 27. Hæc etenim sunt quasi duæ integrales partes justitiæ. Conformiter in arte et practica medicinæ oportet in primis noxios humores expellere, deinde sanitatem inducere; atque in republica necesse est repellere hostes, et eos abjicere qui bonum commune et tutam ac pacificam proximorum cohabitationem impediunt, sicque pacem conservare communem.

Itaque jubet summus ille Apostolus ut omnis Christifidelis « omnem » deponat « malitiam », id est excogitatam ac deliberatam pravitatem, seu omnem habitum vitiosum, consuetudinemque perversam, « et omnem dolum » in verbis et in factis. Nempe dolus, fraus et usura directe repugnant et contrariantur tam caritati quam justitiæ, et item veræ prudentiæ. Et quantum ad hoc, sunt peccata mortalia, quamvis interdum propter actus modicitatem sint venialia mala, sicut et ceteri primi ac modici motus et actus superbiæ et aliorum mortalium vitiorum. Hinc enim ait Scriptura : Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. *Ps.* v, 7. Salomon quoque : Vir (inquit) astutus odiosus est. *Prov.* XIV, 17. « Et simulationes. » Simulare enim est hypocritarum; et contra hypocrisim Christus in Evangelio potissime prædicat. Simulatio etiam columbinæ repugnat simplicitati. Merito igitur affirmat Scriptura : Simulatores et callidi provocant iram Dei. *Job* XXXVI, 13. « Et invidias. » Invidia enim est dolor seu mœror de prosperitatibus proximorum. « Et omnes detractiones. » Multæ enim sunt species detractionis, quæ ex suo genere est peccatum valde mortale et infectivum, non solum detrahentem, sed et audientem, si consentiat, perimens. « Sicut modo geniti infantes », id est instar parvulorum et infantium mox natorum, quantum ad innocentiam et christianæ simplicitatis sinceritatem et innocuitatem, ad quam oportet nos esse reductos, si Deo placebimus, quum dicat Salvator : Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. *Matth.* XVIII, 3.

« Rationabiles », id est discreti et rectæ A rationis sequentes judicium. « Sine dolo », sicut jam dictum est. Unde et apud Isaiam *Is.* xxxii, 7. asseritur : Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii. Mala- *Malach.* i, 14. chias quoque ait : Maledictus dolosus. « Lac concupiscite », id est pura ac nitida fidei documenta, et in primis faciliores doctrinas, quibus primo instrui ac refici intellectum necesse est, sicut Corinthiis I *Cor.* iii, 1, 2. scribit Apostolus : Quasi parvulis in Christo lac dedi, non escam, id est solidum cibum. B « Ut in eo crescatis in salutem », id est, per spiritualem hujus lactis seu doctrinæ refectionem proficiatis in gratia et virtute, atque ad meliora pertingatis charismata.

Ecce ista ad quemlibet pertinent Christianum, sed et alia multa præcepta ac documenta quæ in suis duabus scribit epistolis sacratissimus Petrus. Verum, si velim omnia ita exponere, opusculum istud fieret nimis prolixum : imo et contra intentionem agerem præfati devotissimi Patris, cujus intuitu et amore hæc scribo, C qui et notabilia petiit exempla subjungi; quanquam propter bonum commune ac Dei honorem totum hoc principaliter fiat : ad quem itidem finem ille quoque universum suum refert conatum. Deinceps igitur textum Scripturæ breviter tangam, expositione prolixa omissa, ut vitetur prolixitas.

Rursus itaque ad omnem spectat Christifidelem implere quod in sua prima Ca- I *Petr.* iii, 8, 9. nonica idem ait Archiapostolus : *Omnes* estote *unanimes,* id est in bonis concordes, *compatientes, fraternitatis* (id est D proximorum) *amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes : quia in hoc vocati estis,* id est, ideo estis Christiani effecti, ut ita agatis. Vel, « in hoc », id est in tali forma redditionis boni pro malo, estis a Deo gratiose conversi, qui tribuit nobis bona pro malis. Quocirca sciendum, quod nunquam licet reddere malum culpæ pro malo culpæ, ut faciunt impatientes, iracundi, superbi, qui injuriantibus et irascentibus sibi vicissim irascuntur atque injuriantur ; quidam etiam superiores aut correptores, qui dum delinquentes immoderate, infective, aspernanter, turbulenter, impatienter aut cum immoderatione iræ corripiunt, se ipsos sæpe gravius lædunt, dum proximos aut subditos suos intendunt curare. Porro malum pœnæ pro malo culpæ infligere, his licet qui publica funguntur auctoritate, aut ex jure jus corrigendi sortiti sunt. Ceteris non licet ulcisci se ipsos, imo nec suam neque alienam injuriam. Nihilo minus possunt zelo justitiæ ex caritate, ut iniquitas reprimatur, superioribus causam suam committere, et juxta juris tenorem satisfactionem exigere. Attamen melius esset totum propter Deum ex corde dimittere, nisi ex hoc derogaretur justitiæ, et improbi fierent ad injuriandum aliis proniores ; et in tali casu debet veraciter christianus libenter satisfactionem dimittere, quantum in se est, reputando se majoribus injuriis dignum, seu Christi intuitu et amore, et ut suæ passioni aliqualiter conformetur : tamen ob causas prætactas, et ut reus in vita hac reprimatur a peccatis ac debite puniatur ne pereat in æternum, potest meritorie satisfactionem seu delinquentis castigationem requirere.

Insuper ad quemlibet pertinet Christianum quod idem summus Christi vicarius in sua prima digessit epistola : *Estote* I *Petr.* iv, 7-9. *prudentes, et vigilate in orationibus, ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum,* id est, suo fervore, communione ac merito vitia tollit, consumit, et quasi non fuerint delet ; *hospitales invicem sine murmuratione. Sobrii estote, omnem sollicitudinem* *Ibid.* v, 8, 7. *vestram projicientes in* Deum, *quoniam ipsi cura est de vobis :* id est, in Deo præcipue confidatis, immoderatam sollicitudinem devitantes, eo quod Deus omnium providentiam habeat, specialiter rationalium creaturarum. *Animas vestras* *Ibid.* i, 22.

castificantes, id est, a vitiis, præsertim ab incontinentia, expurgantes, *in obedientia caritatis,* id est sponte et ex spirituali dilectione, non coacte obediendo superiorum præceptis, *simplici ex corde,* omni videlicet duplicitate ac simulatione exclusis, *invicem diligite attentius,* quum
ann.xiii, dicat Salvator : In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Hoc ergo implendum est « attentius », id est valde attente seu diligenter : alias namque perit omne quod agimus, nec salvari poteri-
Petr. ii, mus. *Sic est* enim *voluntas Dei,* id est divinæ voluntatis præceptum, *ut benefacientes, obmutescere faciatis,* quantum in vobis est, *imprudentium hominum,* qui proni sunt alios intimorate ac temere judicare, *ignorantiam,* ita ut non habeant occasionem datam aut rationabilem male
d.iv, 10. judicandi de vobis. *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes :* id est, quilibet vestrum dona gratiæ et beneficia desuper sibi collata, proximis suis libenter communicet, loco saltem ac tempore opportuno, prout caritas exigit, ut ad opera misericordiæ tam corporalia quam spiritualia pronus
bid. 13. sit, prout statui suo convenit. *Communicantes Christi passionibus,* id est in adversis et afflictionibus corporis, per quas Christi persecutioni et passioni aliqualiter conformamini, *gaudete* in Domino, patientiam conservando, ac gratias Deo agendo, in quantum adversa sunt animæ tam mul-
. iii, 15. tipliciter expedientia. *Dominum Christum sanctificate,* id est, sanctum esse cognoscite, operibusque monstrate, in sanctitate et justitia ei jugiter serviendo, *in cordibus vestris,* imo et in corporibus quoque,
.vi, 20. quum dicat Apostolus : Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

Ex his accipi potest exhortatio copiosa ad populum, et elici quam indigni sint Christiani vocari quicumque sunt malitiosi, dolosi et fraudulenti, simulatores et callidi, invidi et detractores, gulosi ac lubrici, discordes, crudeles, immisericordes,

A superbi, immites seu vindicativi, impatientes, acediosi et inobedientes.

ARTICULUS IV.

De eadem materia ex Epistolis Pauli apostoli.

E*STOTE imitatores Dei sicut filii carissimi, et ambulate in dilectione,* Ephes. v, 1, 2.
sicut et Christus dilexit nos. Docuit Vas electionis, S. Paulus apostolus, universos credentes, ut in primis corpus spiritui sub-
B dant, sensualitatem rationi, concupiscentias carnales omnesque motus passionum et sensitivi appetitus affectiones refrenando ac moderando per rectæ rationis judicium, secundum divinæ legis tenorem.

Hinc ad Romanos loquitur : *Non regnet* Rom. vi, 12,
peccatum in vestro mortali corpore, ut 13.
obediatis concupiscentiis ejus ; neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis
peccato, sed arma justitiæ Deo. Sicut enim Ibid. 19.
exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem,
C *ita nunc exhibete membra vestra servire*
justitiæ in sanctificationem. Qui autem in Ibid. viii, 8.
carne sunt, id est, carnaliter vivunt, rebus carnalibus ac sensibilibus magis quam divinis ac spiritualibus inhærendo, *Deo placere non possunt,* quamdiu hujusmodi sunt.
Ideo addit : *Debitores sumus non carni,* Ibid. 12, 13.
ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, morte culpæ in præsenti, et morte infernalis miseriæ in futuro ; *si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis,* vita
D gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro. Denique corpora sic gubernare, refrenando ea ab actibus vitiosis, ac virtuosis occupando operibus, est ea Deo offerre in sacrificium salutare. Ad quod hortans Apo-
stolus : *Obsecro* (inquit) *per misericordiam* Ibid. xii, 1.
Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.

De hoc multa scribit ad Galatas : *Spiri-* Galat. v,
tu (inquiens) *ambulate, et desideria carnis* 16.
non perficietis ; atque ad Colossenses :
Mortificate membra vestra quæ sunt su- Coloss. iii, 5.

per terram, id est, membrorum abusum A vitate ; in aliis quoque pluribus locis.

At vero per opera exteriora virtuosa, non solum intelligendi sunt actus qui directe seu immediate a virtutibus eliciuntur, et ex suo genere aut specie boni sunt, ut debita solvere, eleemosynas dare, opera misericordiæ et pœnitentiæ facere, sacrificia immolare, ex devotione peregrinari ; sed etiam opera mechanica et ex se indifferentia, ex caritatis imperio facta, ad debitum, bonum ac laudabilem finem relata. Caritas quippe est virtus dignissima, cujus B est ceteras virtutes ad proprios actus movere et excitare. Nec aliquid est meritorium coram Deo nisi fiat ex caritate. Dum ergo manualia, exteriora et mechanica opera fiunt cum discretione ex imperio caritatis, ad Dei gloriam et honorem, et propter ejus obsequium propriamque salutem, tunc et ipsa sunt virtuosa. Si enim debeat homo servire Deo ac promereri gratiam et salutem, oportet ut vivat ; et ad vivendum necesse est necessaria victui habere : ad quæ habenda necesse est operari, et ma- C nualia exercere, negotiari, mercari, arare.

Insuper, ad virtutes morales, passionum reformatrices, et ad conversationem mutuo pacificam, concordem, quietam, frequenter et copiosissime hortatur Apostolus cunctos fideles, ad Ephesios loquens :
Ephes. IV, 32. *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.* Et rursus, apertius monens ad conversationem nomine christiano condignam, omnique Christifideli necessa-
Ibid. 1-3. riam : *Obsecro* (ait) *vos in Domino, ut di-* D *gne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Hinc quoque ad Co-
Coloss. III, 12, 13. lossenses : *Induite* (inquit) *vos sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes* (id est ignoscentes) *vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.*

Amplius, ad præcavendum et detestandum vitia virtutibus istis contraria, seriose et sæpe hortatur universos fideles. Et quia Romani erant multum carnales, superbi, ambitiosi, ac temere judicantes, ideo in epistola ad Romanos ferventer instigat ad abominandum hæc vitia, utputa temeraria, incauta et usurpata judicia, ac vitia carnis, elationem et gloriam vanam.
Ait equidem : *Inexcusabilis es, o homo* Rom. II, 1, 3.
omnis qui judicas : in quo enim alterum judicas, te ipsum condemnas. Existimas quia tu effugies judicium Dei ? Rursus in
eadem epistola : *Tu* (inquit) *quid judicas* Ibid. XIV, 10, 12, 13.
fratrem tuum ? aut tu quare spernis fratrem tuum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi, et *unusquisque pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus ; sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.* Contra superbiam quoque ex-
hortans : *Noli* (inquit) *altum sapere,* id Ibid. XI, 20.
est te ipsum extollere et magnum putare,
sed time. Nolite esse prudentes apud vos- Ibid. XII, 16.
metipsos, id est in oculis propriis. *Dicen-* Ibid. I, 22.
tes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

Quidam demum Corinthiorum inter se
erant contentiosi. Ideo scripsit eis : *Quum* I Cor. III, 3.
sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambu-
latis ? Unde denuo protestatur : *Si quis* Ibid. XI, 16.
videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Talibus loquitur etiam ad Galatas :
Quod si invicem mordetis et comeditis, vi- Galat. V, 15.
dete ne ab invicem consumamini. Non ef- Ibid. 26.
ficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Et se-
quenti ibi capitulo : *Si quis existimat se* Ibid. VI, 3.
aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit. Hoc est quod ad Philippenses inducit :
Nihil agatis *per contentionem, neque per* Philipp. II, 3, 4.
inanem gloriam ; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, id est non solum ea quæ ad proprium spectant commodum et profectum, *sed quæ aliorum,* id est etiam proximorum profectum et com-

modum pensantes et procurantes pro posse, loco et tempore opportuno. Hinc ait et (Ephes. IV, 29, 31.) alibi : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat ; omnis amaritudo et ira et indignatio et clamor tollatur a vobis.*

Præterea, quum unusquisque teneatur proximorum scandala evitare, imo et ipsos ædificare, idcirco ad mutuam exemplaritatem multoties universos hortatur, dicendo : (Rom. XIV, 13, 19, 15.) *Ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Itaque quæ pacis sunt, sectemur ; et quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Noli illum perdere pro quo Christus mortuus est.* (I Cor. VIII, 12, 13.) *Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter, si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* (Rom. XII, 17.) *Providemus bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Insuper, cunctos Christifideles ad obediendum suis superioribus in his quæ illorum auctoritatem cathedramque concernunt, hortatur, dicendo : (Ibid. XIII, 1.) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et de hoc scribit diffuse ad Romanos, et ad Thessalonicenses, et ad Hebræos. (Ibid. 2-7; I Thess. v, 12, 13; Hebr. XIII, 17.)

Ad resistendum etiam omni tentationi viriliter hortatur cunctos frequenter. Nempe ad resistendum tentationi quæ est ex carne, admonet in verbis præhabitis et aliis, quibus docet concupiscentiis esse renitendum, et carnem in servitutem spiritus redigendam, ac veterem hominem exuendum. (Galat. v, 24; I Cor. IX, 27; Ephes. IV, 22; Coloss. III, 9.) Ad resistendum autem tentationibus mundi hortatur : (Rom. XII, 2.) *Nolite* (inquiens) *conformari huic sæculo.* Potissime vero instigat ad reluctandum tentamentis invisibilium hostium, dicens : (Ephes. VI, 10-12.) *Confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli : quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,* supple, tantum, *sed* principaliter *adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Et de hoc plura conscribit ad Ephesios, et A alibi : *Non* (inquiens) *coronabitur nisi qui legitime certaverit ;* (II Tim. II, 5.) *nolite locum dare diabolo ;* (Ephes. IV, 27.) et multa similia.

Ecce ista ad omnem pertinent Christianum, atque ex verbis istis formanda est fervens et discreta correptio eorum qui contra hæc agunt, eo quod vehementer distent a via salutis, a qua utique tanto plus distant, quanto ab horum adimpletione magis deficiunt.

Postremo, quam timoratum spiritualiterque sollicitum esse oporteat quemlibet B fidelem coram Deo, docet idem Apostolus : *Cum metu* (inquiens), timore *et tremore vestram salutem operamini ;* (Philipp. II, 12.) et rursus : *Serviamus Deo cum metu et reverentia : etenim Deus noster ignis consumens est.* (Hebr. XII, 28, 29.) Itemque : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* (Ibid. X, 31.) Nempe, quum necesse sit quemlibet hominem ratione utentem in æternum salvari aut æternaliter condemnari, quis poterit satis vereri ?

Docet demum Apostolus ut cuncta quæ agimus, ad salubrem ac debitum finem C referamus ac ordinemus, dicendo : *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* (I Cor. X, 31.) Et denuo : *Omne* (ait) *quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.* (Coloss. III, 17.) Ad hunc saluberrimum finem, videlicet Dei honorem et gloriam, propriamque salutem, quæ est æterna, fruitiva ac beatifica visio Dei, debet quilibet Christianus ad minus semel in die, præsertim in diei exordio, totam suam conversationem D actualiter ordinare. Estque valde conveniens ut omni die agat hoc sæpe. Verum cogitationes, locutiones et actiones culpabiles, omissiones quoque bonorum, non sunt ordinabiles ad hunc finem.

ARTICULUS V.

De eadem materia ex Evangelio.

V*ENIT Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum* (Matth. III, 1, 2.)

cœlorum. Hoc idem fuit exordium prædicationis Christi. Apud Marcum enim narratur : *Venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei, et dicens : Quoniam impletum est tempus, et appropinquabit regnum Dei ; pœnitemini, et credite Evangelio*. Denique rationabiliter ita exorsi sunt prædicare tam Christus quam gloriosus ejus præcursor. In multis enim offendimus omnes ; et quotidie frequenter peccamus, præsertim quum et teste Scriptura, justus septies cadat, id est valde sæpe quolibet die, saltem in venialia. Principium ergo bonorum est pœnitentia malorum. Primo itaque ad omnem pertinet Christianum, propriam vitam quotidie examinare, quotidiana peccata deflere, saltem igneis lacrimis cordis, etsi non aqueis lacrimis corporis.

Marc. I, 14, 15. — Jacob. III, 2. — Prov. XXIV, 16.

Insuper docuit octo beatitudines viæ, quæ sunt meritorii actus virtutum : quibus actibus correspondet ac redditur proportionata merces æternaque salus in cœlis. Quæ beatitudines secundum unam expositionem ad omnem spectant fidelem. Itaque quilibet tenetur eas implere atque habere tempore suo : ut quum dicitur : *Beati pauperes spiritu,* id est humiles. Et constat quod ad humilitatem et veram sui ipsius humiliationem unusquisque tenetur.

Matth. V, 3.

Secunda beatitudo tangitur in his verbis : *Beati mites*. Nec dubium quin ad mansuetudinem et iræ per vitium refrenationem quilibet obligetur, præsertim quum dicat Salvator : Discite a me quia mitis sum et humilis corde.

Ibid. 4. — Ibid. XI, 29.

Tertia beatitudo est : *Beati qui lugent,* sua videlicet aut proximorum peccata, et ex dominicæ passionis compassione, ac desiderio regni cœlestis et interni profectus, sive ex aliis rationabilibus causis. Quod totum ad omnem spectat Christifidelem tempore opportuno, quum et teste Gregorio, indignus sit regno cœlorum qui illud quotidie non petit cum lacrimis, et unusquisque teneatur proximum diligere sicut se ipsum, sicque de malo illius dolere tanquam de proprio.

Ibid. V, 5. — Ibid. XXII, 39.

Quarta est : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*. Ad quam omnes tenentur, quum justitia sit præclarissima virtus, quam fervide cupere ac sitire debemus, imo ad minus plus quam temporalia universa.

Matth. V, 6.

Quinta est : *Beati misericordes*. Ad quam universi adstricti sunt, quum (juxta Ambrosium) summa christianæ religionis in pietate et misericordia maxime consistat.

Ibid. 7.

Sexta est : *Beati mundo corde*. Porro ad munditiam cordis, quantum ad immunitatem ab omni labe peccati mortalis, cuncti sunt obligati.

Ibid. 8.

Septima est : *Beati pacifici*. Nec dubium quin omnes teneantur pacem spiritualem et mentis quietem habere in Deo tanquam in summo, finali contentativoque bono, et quantum in ipsis est, pacem atque concordiam habere in bonis cum proximis, turbatos quoque et dissentientes pacïficare pro posse, exigentibus causa, loco et tempore.

Ibid. 9.

Octava : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*. Tenetur autem unusquisque potius persecutionem, damna, opprobria, imo et mortem sufferre, quam justitiam, veritatem et fidem relinquere. Idcirco ad hanc beatitudinem, quæ ceteris difficilior laboriosiorque videtur, Christus consequenter hortatur : *Beati* (inquiens) *estis quum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint,* etc. *Gaudete in illa die, et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*.

Ibid. 10. — Ibid. 11. — Luc. VI, 23; Matth. V, 12.

Consequenter ad vitam exemplarem monet Salvator, dicendo : *Sic luceat lux vestra coram hominibus,* etc. Ad quam exemplaritatem, ut patuit, omnes tenentur. Propter quod asserit Augustinus : Deo debes conscientiæ puritatem, proximo bonum exemplum ac bonæ famæ odorem.

Matth. V, 16. — art. I.

Insuper docet qualiter debeamus orare, jejunare et eleemosynam dare sinceriter ac devote, omni simulatione, vanitate et appetitu laudis humanæ exclusis. Et ad hæc omnes tenentur fideles. Dicit quoque eum esse dignum gehenna qui ex asperna-

Matth. VI, 1-18. — Ibid. V, 22.

tione et tumore superbiæ seu irrationabili causa proximum suum nominat stultum. Quo constat quam arcta sit via salutis, dum pro unius verbi prolatione infligitur æterna damnatio. Unde etiam innotescit quam periculosa ac pessima sit consuetudo multorum, qui passim tamque faciliter alios vocant et judicant stultos, non attendentes quod ipsimet hoc agendo multo stolidiores sint illis.

Matth. , 34. Amplius, docet Salvator non esse jurandum omnino : quod tamen consilium est, quia ex rationabili causa licet interdum jurare. Verum qui passim et sine ratione irreverenterque jurant, peccant mortali- Exod. xx, ter, agendo contra illud præceptum : Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Matth. v, Insuper jubet : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.* Personas equidem oportet diligere, atque orare tempore opportuno ut vere pœniteant ac salventur ; vitia vero sunt odien- Ibid. vi, 19-, 24-34. da. Præterea, avaritiam et immoderatam de temporalibus sollicitudinem reprobat, ut confidamus in Patre cœlesti et in paterna providentia ejus, ut dictum est art. III. supra.

Prohibet item temeraria judicia, et damnationes proximorum injustas et indiscre- Ibid. vii, 1. tas : *Nolite* (inquiens) *judicare.* Conformiter reprobat eos qui acuti sunt ad considerandum et reprehendendum proximorum defectus, proprios autem excessus, quamvis majores, non corrigunt. Ideo docet ut ad correptionem fraternam ordinate procedamus, in primis emendando nos ipsos, ut simus condigni arguere alios. Nempe qui in eisdem aut majoribus culpis est, indignus est corripere alios. Hinc enim Ibid. 3. ait : *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?*

Ibid. 7-11. Deinde copiose hortatur, animat et persuadet ut cum omni fiducia atque instantia Dominum exoremus, quum et pater carnalis filiis suis præstet bona eis utilia quæ petunt ab ipso. Quibus verbis subjungit juris naturalis præceptum, ad quod omnes tenentur : *Omnia* (dicens) *quæcumque vultis ut faciant vobis homines,* ita *et vos facite illis.* Matth. vii, 12. In quo præcepto fundantur præcepta Decalogi secundæ tabulæ, præsertim affirmativa. Aliud vero præceptum juris naturalis negativum, quod tamen ex prædicto elicitur, habetur in Tobia, ubi legitur : Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alii facias. Tob. iv, 16. Quorum utrumque intelligendum est de rationabili velle ac nolle. Et quoniam istud difficile est in omnibus adimplere, subjungit præcipitque Salvator : *Intrate per angustam portam.* Matth. vii, 13. Hæc porta et arcta via, est vita pœnitentialis, conversatio virtuosa, observantia præceptorum in omnibus. Medium autem in omnibus observare, et se ipsum sic frangere, carnem domare, et mentem Deo semper subjectam et unitam tenere, difficile arduumque censetur.

Deinceps ad humilitatem et reformationem internam nos obligans : *Nisi* (inquit) Ibid. xviii, 3. *conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ubi multum seriose prosequitur quam Ibid. 6-10. enorme, periculosum, vitandum atque damnabile sit scandalizare aut aspernari pusillos.

Docet quoque ac præcipit modum fraternæ correptionis, dicendo : *Si peccaverit in te frater tuus,* etc. Ibid. 15-17. Quod præceptum paucissimi veraciter ac debite implent. Ad quod tamen omnes tenentur, secundum quod correptio illa est actus caritatis ; in quantum vero est actus justitiæ, pertinet specialiter ad prælatos ac præsidentes.

Multa demum et his consimilia jussa in Evangelio tradit, videlicet : ut injuriantibus ignoscamus, et offensis a nobis satisfaciamus, veniam postulantes ; Ibid. v, 23-26, 39 ; vi, 14, 15 ; xviii, 21, 22. nec persecutores inordinate sic timeamus, ut timore Ibid. x, 28. eorum a fide, veritate et æquitate ullatenus recedamus, imo pro Deo, fide, justitia mori simus parati ; nec parentes, nec aliquid Deo præferre consentiamus ; Ibid. 37. ipsumque Christum cruciformiter imitemur, Ibid. 38. carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis Galat. v, 24.

Matth. XI, 12. Ibid. XVI, 24. crucifigendo, nobisque ipsis salubrem violentiam inferendo, propriam voluntatem frangendo cum omni sua animositate atque duritia; Ibid. VI, 33. imo quotidie in primis quæramus *regnum Dei*, æternam beatitudinem ardenter (non tamen propter se finaliter) appetendo, atque *justitiam ejus*, id est opera virtuosa et justa, ac spiritualia gratiarum charismata, per quæ ad cœleste pertingitur regnum.

Ex quibus constat quam virtuosam, exemplarem, timoratam caritativamque vitam ducere omnes teneantur Christifideles. Hoc quippe Dominus Jesus Christus Ibid. XXII, 37-39. protestatus est primum ac principalissimum esse mandatum, ut diligant Deum toto corde, tota mente totaque anima et viribus totis, proximos quoque spirituali amore sicut se ipsos. Hoc item necessarium esse edocuit, ut in cunctis quæ agi- Ibid. VI, 22. mus, oculus noster sit simplex, id est intentio recta, sic ut ad finem salubrem per media convenientia ac proportionata tendamus.

Ad ista insuper comprobanda possent ex Epistolis beatorum apostolorum Jacobi ac Joannis plura induci, quorum jam sententia competenter est tacta; quæ et infra suis poterunt locis commemorari.

ARTICULUS VI.

Quam virtuosa ac splendida merito esset militantis Ecclesiæ vita.

I Tim. III, 15. SCIAS *quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Ecclesia Christi in hoc exsilio militans multis rebus in Scripturis comparatur, ac diversa nomina sortitur præclara, et eminentissime commendatur, præsertim in Cant. IV, 4; I, 8, 5; IV, 12. Canticis canticorum, in quibus turri David, equitatui Dei, vineæ, horto, fonti, multisque aliis assimilatur rebus nobili- Ibid. IV, 8, 11; VII, 1; V, 2; VI, 8. bus; insuper sponsa, filia, amica, soror, columba et immaculata ac unica nominatur Sponsi cœlestis, Creatoris, Salvatoris A ac Dei: quæ omnia sunt appellationes præeminenter amorosæ, suavissimæ atque dignissimæ. Ex quibus elucidatur quam amorose, fideliter et constanter unaquæque anima christiana debeat Salvatori suo jugiter adhærere, uniri ac obsequi, ipsa quoque communitas ecclesiasticæ politiæ seu plebis: quoniam sicut sponsa ad suum afficitur sponsum, et sicut filia ad parentem, amica ad amicum, soror ad fratrem, tam amorose, fideliter ac robuste debet unaquæque christiana persona affici Chri- B sto, et ei stabiliter adhærere, nulloque modo contrarium admittere amatorem, nec aliquid offensivum Sponsi committere, neque per omissionem peccare: præsertim quum incomparabiliter major sit ratio, fortior causa multipliciusque incitamentum animæ christianæ amandi ac venerandi Sponsum cœlestem, quam alicui proli amandi carnales parentes, carnalemve sponsum, fratrem sive amicum.

Denique militantem Ecclesiam Christus in Evangelio ubertim appellat regnum cœ- Matth. XII, 24 et seq. C lorum: quo constat quod cœlestem debeat ducere vitam in terris, et instar triumphantis Ecclesiæ esse ordinata in omnibus. Unde Joannes in Apocalypsi fatetur, quod vidit eam descendentem de cœlo. Et Apoc. XXI, 2, 10. mystice quoque de ea exponitur quod dictum est Moysi: Inspice, et fac juxta exemplar quod tibi in monte monstratum Exod. XXV, 40. est. Sic etenim Christus ipsam in terra instituit, prout ei secundum naturam assumptam fuit in altitudine suæ contemplationis monstratum a superbeatissima D Trinitate.

Præterea, soli altissimo Deo latriæ cultus debetur, atque ad hoc rationalis creatura est condita, ut tota sua conversatio sit cultus ac veneratio Creatoris ad sui ipsius salutem ac proximorum auxilium, ut sit devota et honorifica circa Deum, decora atque composita in se, profusa et communicativa ad proximos. Nullus quippe sanæ mentis cogitare aut apprehendere sive audire debet Deum honorabilitatis, excellentiæ ac majestatis penitus infinitæ,

absque ipsius admiratione, amore ac honorificentia singulari, nec absque sui ipsius interna incurvatione, inclinatione, imo et profundissima prostratione coram tam supereminentissimo Deo, ac resilitione tremebunda in propriam parvitatem. Porro Ecclesiam consideremus tanquam congregationem ex hominibus taliter Deum verum colentibus, amantibus atque timentibus adunatam, quorum tota vita sit servitus superdignissimi Creatoris, procuratio quoque propriæ felicitatis, et ædificatio ac subventio proximorum. Quid igitur comparatione hujuscemodi congregationis, residuum generis humani (præsertim rebellium ministrorum adulterantiumque cum dæmonibus animarum) est, quam velut incultissima silva, rudissima lapidicina, rabidissima et belluina barbaries, quorum singula quæque supposita sunt sterilia ligna incircumcisaque saxa, indomita, fœda, pestilentia ac putrida membra?

Denique congregatio ista tam virtuosa et veri nominis ecclesiastica politia, est præclara ac speciosa structura, ædificium artificiosissime atque magnifice compaginatum ex rationalibus lapidibus omni splendore gratiæ decoratis, donorum luminibus expolitis, caritate Dei et proximorum connexis, omni virtutum ac supernorum charismatum munere perornatis. Hæc congregatio est domus ac thronus Dei
Prov. VIII. commorantis in ea, cujus deliciæ sunt esse cum hujusmodi filiis hominum. Est item templum atque ecclesia Conditoris propter cultum et honorificentiam quæ ei indesinenter exhibentur in ea. Imo et ipsa est sacrificium et holocaustum ejusdem, quoniam se ipsam offert ac totaliter mancipat cultui Dei sui. Est etiam Dei civitas omnipotentis per saluberrimam pectoris pacem, qua inter sæculi hujus fluctus in Deo quiescit, et per jucundam societatem quam ad invicem habet, ac per sacramentorum suorum communionem. Est item exercitus Dei contra hostes divini honoris ac suæ salutis jugiter dimicans. Qui hanc civitatem vere ingreditur, necessario habet ejus militiam assumere, id est statuta, leges, ordinationes et mores sanctæ Ecclesiæ fideliter observare. Similiter eos qui hortum, vineam, agrum istum introeunt, necesse est per spiritualem culturam, salutarem obedientiam ac mentis stabilitatem radicari ac fundari in Deo.

Hanc gloriosam Ecclesiam Deus ab ipsius exordio præ cunctis populis exaltavit, et suum amorem præcipuum, favorem eximium ad ipsam monstravit, familiarissime se habendo ad ipsam in supernaturalibus multis effectibus, in præclaris miraculis ac divinorum charismatum infusionibus, exaudiendo preces ipsius, et viros eximiæ sanctitatis multiplici divinorum munerum excellentia perornatos dirigendo ad ipsam, per quos eam mirabiliter sublimavit. Nec aliis nationibus talia suæ caritatis indicia usquam ostendit.

ARTICULUS VII.

De ruina Ecclesiæ, et immani deformatione populi christiani.

QUOMODO conversa es in pravum, vinea aliena? Verterunt ad me tergum, Jer. II, 21, 27.
et non faciem. Vere, ut dici solet, opposita juxta se posita clarius innotescunt. Ideo quanto ex præinductorum consideratione quis perspicacius contemplatur quam virtuosa, irreprehensibilis, exemplaris merito esset plebs christiana, Christi Ecclesia, tanto nunc evidentius constat quam miserabilis, ingens ac deflenda sit ejus ruina, deformatio ac periculosissima vita, ita ut rite dicatur : Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Thren. IV, 1.

Nonne ipso facto aiunt Christiani, magis autem antichristiani, Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum? Is. XXVIII, 15. Nonne tam impudenter, tam intimorate, tam incessanter, imo tam pertinaciter et incorrigibiliter, mandata, documenta, consilia evangelicæ legis transgrediuntur, ac si invicem sibi promisissent confœde-

ratique indissolubiliter essent, Deum suum A
indesinenter offendere, dæmonibus deservire, jugum super se ferre iniquitatis, et universis involvi peccatis, ita ut Chri-
Mich. vi, 3. stus merito eis dicat, Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Denique, in vestibus et ornatu, in incessu, in vanitatibus, ludis, spectaculis et insaniis multis tam scandalose, indecenter ac inanissime habent se, ac si communi irrefragabilique decreto jurassent et conjurassent se mutuo ad omnem libidinem provocare, Deum ad iracundiam concitare, B
dæmonibus complacere, animas suas mille vulneribus, imo omni iniquitate transfodere, atque ad laqueum mortis, ad profunda Acherontis, ad sulfureos infernalis incendii puteos, non solum ire, sed etiam currere. Et in his majores et doctiores populi hujus sunt primi, qui et instar phreneticorum increpationibus indignantur. Impleturque, heu! nimis in populo isto quod olim de Synagoga pravissima per Prophe-
Jer. vi, 13. tas locutus est Dominus : A minore (inquiens) usque ad majorem omnes avaritiæ C
Ibid. v, 8. student, et cuncti faciunt dolum; et, Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.
Is. iii, 16. Elevati sunt, et extento collo ambulave-
Jer. v, 3. runt. Induraverunt facies suas supra pe-
Ibid. iii, 3. tram, et nolunt reverti. Imo frons mulieris meretricis facta est eis : quia de suis sceleribus non erubescunt. Nunquam hi, jux-
Matth. v. 44. ta Christi præceptum, suos diligunt inimicos; sed potius, juxta Jeremiæ eloquium,
Jer. ix, 8. sagitta vulnerans est lingua eorum, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. D

Verum quid post hæc imminet istis?
Ps. x, 8; lxi, 13. *Jer.* xxiii, 19, 20. Nonne justus Dominus, et justitias dilexit, reddetque unicuique sicut promeruit? Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput veniet impiorum; non revertetur furor Domini, usque dum faciat et usque dum
Ibid. xxix, 18; xxiii, 40. compleat cogitationem cordis sui : dabitque impios in vexationem et maledictionem, et in stuporem atque opprobrium sempiternum.

Præterea, tanta est modo deformatio ac ruina Ecclesiæ in omni statu et gradu ac ordine, ut quod olim zelator domus Dei, electus Bernardus, flebiliter dixit, nunc multo flebilius possit dici, imo dicendum sit : Conjurasse videtur contra Christum universitas populi christiani. Egressa est *Dan.* xiii, 5.
iniquitas a senioribus populi et a præsidentibus plebis. Arcem Sion obtinuerunt, occupaverunt munitiones, et totam deinde potestative tradunt incendio civitatem : quorum misera et vitiosa conversatio, plebis est subversio. Serpit nunc, imo currit atque discurrit et undique se diffundit putida tabes, simonia, usura, ambitio, cupiditas ac damnanda carnalitas per omne corpus Ecclesiæ : et quo latius, eo desperatius; eo quoque periculosius, quo interius. Si namque insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras; si violentus inimicus, absconderet se electa Ecclesiæ pars ab eo. Nunc vero quem ejiciet? aut a quo se abscondet? Omnes amici, et omnes inimici; omnes necessarii, et omnes adversarii; omnes domestici, et nulli paci-
fici; omnes proximi, et omnes quæ sua *Philipp.* ii, 21.
sunt quærunt; ministri Christi vocantur, et serviunt Antichristo.

Interea, populus iste christianum se jactans, et Christo indesinenter peccando repugnans, recte assimilatur infidelissimæ turbæ quæ bene armata, provisa ac missa a rege potente ad præliandum contra adversarios ejus, mox illis se sociat, et proprium regem dehonorans, terram ipsius depopulatur, castra ejus ac oppida demolitur, et reliquos ejus servos pro posse avertit ab ipso. Sic plane populus christianus a Rege regum diversis charismatibus, spiritualibus ac temporalibus bonis ditatus, ad pugnandum contra invisibiles hostes, contra aciem vitiorum, contra vanitates mundi, directus ac deputatus, facili congressione succumbit, armaturam Dei, virtutum robur deponit, tentationibus cedit, tentamentis consentit, diabolo subditur, inquinamentis carnis ac spiritus usque ad verticem constupratur, bonos scandali-

zare ac principi tenebrarum incorporari A
Matth. XI, 29. jam non veretur. Numquid hi discunt a Christo quod mitis est et humilis corde, et non potius a Satana phantasiam protervam, amentem furorem et irrationabilem concupiscentiam, atque in cornibus superbiæ extollere semetipsos, et contra se
Prov. XIII, 10. ipsos, quoniam inter superbos semper sunt jurgia?

Postremo, hanc ruinam Ecclesiæ qui-
Henricus Suso. dam devotus sub apta describens metaphora : Apparuit mihi, inquit, in visione peregrinus quidam pauper et exsul, foris B stans, baculum manu gerens, egestate atque miseriis plenus. Juxta quem videbatur civitas quædam magna, olim pulcherrima ac robusta, et jam pro maxima parte collapsa et ruinosa, partim ab hostibus expugnata, partim ex negligentia civium demolita : cujus residua pars ruinam undique minabatur. In hac urbe fuerunt monstra marina in forma humana. Habitatores civitatis peregrino ingressum et opem negabant. — Per hanc civitatem designatur Ecclesia, quondam omni spirituali decore C ac robore sublimata, nunc vero ab invisibilibus ac visibilibus hostibus pro maxima parte dejecta, et contra se ipsam divisa ac prælia gerens : quæ Christo et membris ejus pauperculis servisque ejus prædicantibus virtuosis ingressum et audientiam, communionem et obedientiam negat. Talis exstitit quondam dura, excæcata et obstinata plebs Judæorum, quæ dixit ad
Jer. XLIV, 16, 17. Jeremiam : Sermonem Dei nostri non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro. De D
Is. XXX, 10. talibus quoque locutus est Isaias : Dicunt videntibus, Nolite videre ; et adspicientibus, Nolite adspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. O quam multi modo sunt tales, qui libentius audiunt eos qui juxta ipsorum sermocinantur affectum, quam
Matth. XXII, 16. viros vere religiosos, qui viam Dei in veritate docent, et personam non accipiunt hominis, sed quam vere arctum sit iter salutis, quanta sit perversitas, ingratitudo, carnalitas, obduratio hominum, sincere evangelizant!

ARTICULUS VIII.

Introductio tredecim regularum de iis quæ ad omnem pertinent Christianum.

SINE *fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et* quod *inquirentibus se remunerator sit.* Quemadmodum tactum *Hebr.* XI, 6.
est supra, religiosus et prædilectus in Christo Pater cujus instigatione hæc conscri- in procemio.
buntur, petiit per modum regularum breviter ac succinctim describi in primis ea quæ ad omnem spectant Christifidelem, deinde ea quæ ad singulos quosque in speciali, secundum speciales eorum status, gradus, vocationes et ordines, pertinent. Talis quippe descriptio magis est instructiva, faciliusque commendatur memoriæ. Documenta namque moralia tanto sunt perfectiora quanto ad particularia magis descendunt : quoniam moralia circa particularia et humana gesta versantur.

De iis itaque quæ unumquemque concernunt Christianum, sit prima regula seu propositio ista :

REGULA PRIMA.

Omnis Christianus rationis compos, tempore evangelicæ legis divulgatæ tenetur ad fidem explicitam principaliter credendorum, videlicet articulorum fidei christianæ, nisi invincibili ignorantia excusetur.

Hoc doctores satis concorditer tenent, et S. Thomas in secunda parte secundæ Summæ suæ, quæstione secunda, declarat. art. 5 et s.
Fides etenim, quantum ad explicationem credendorum, secundum incrementa temporum crevit, secundum B. Gregorium. Hinc postquam incarnatus est Filius Dei, et humanum genus per suæ incarnationis et passionis mysteria liberavit, atque hoc publice prædicatum est mundo, tenentur

universi fideles explicite credere Filium Dei esse incarnatum ac passum, et cetera ejus mysteria in articulis fidei comprehensa, ut quod Deus sit unus in natura, ac trinus in personis : tamen de iis debent majores habere fidem magis resolutam quam inferiores ac simplices. Porro tempore legis naturæ et legis scriptæ, non tenebantur fideles, præsertim inferiores, ad tam explicitam fidem : imo suffecit talibus credere duo quæ in præinducta tanguntur auctoritate Apostoli, scilicet, quod unus sit verus Deus, et providentiam ejus, potissime circa remunerationem cujuslibet hominis.

Nec sufficit fides informis, id est caritati et bonis actibus non conjuncta, sed ad fidem formatam universi tenentur fideles. Hinc fides vocatur fundamentum virtutum atque principium vitæ spiritualis, quum scriptum sit : Justus ex fide vivit. [*Rom.* I, 17.] Et Isaias testatur : Qui incredulus est, infideliter agit. [*Is.* XXI, 2.] Apostolus quoque : Quod non est ex fide, peccatum est [*Rom.* XIV, 23.]; et rursus : Per fidem ambulamus. [II *Cor.* V, 7.]

REGULA II.

Omnis Christianus tenetur ad spem formatam, quæ est exspectatio æternæ felicitatis, ex gratia Dei ac meritis sperantis proveniens.

Quemadmodum enim fides est oculus mentis, ostendens quid sit credendum, et quid sperandum a Deo ; sic spes est prima virtus per quam homo exspectat illud quod a Deo sperandum est, et voluntate tendit in illud. Denique, sicut fides sine caritate et meritoriis actibus informis est, ita et spes. Dicitur quoque virtus informis, id est sine forma, decore et ornatu sibi necessario ad hoc quod placeat Deo ac meritoria sit æternæ salutis. Itaque directum ac principale objectum spei, est beatitudo æterna et increata, nondum habita, sed haberi possibilis : quemadmodum objectum fidei est veritas prima, nondum visa. Et sicut fides secundario est de quibusdam rebus et veritatibus creatis per comparationem ad summam increatamque veritatem ; ita et spes secundario respicit quædam creata, in quantum sunt adminiculatoria et necessaria ac conferentia ad beatitudinem obtinendam : sic speramus in merito dominicæ passionis, et in beatissima Virgine. De hac spe ait Apostolus : Spe salvi facti sumus [*Rom.* VII 24.]; et rursus : Speramus in Deum vivum [I *Tim.* I 10.]; et, Debet qui arat, arare in spe fructus percipiendi [I *Cor.* IX, 1]; itemque : Spem habemus tanquam ancoram animæ firmam, etc. [*Hebr.* V 18, 19.]

Præterea, de efficacia spei in promerendo, multa in Scripturis continentur exempla : sicut in libro Machabæorum de Juda et fratribus ejus [I *Mach.* III et seq.], qui sperando in Domino, maximas de infidelibus obtinuerunt victorias, quum et pauci fuissent adversariorum respectu ; similiter in libro Judicum. [*Judic.* I, et seq.] In Jeremia quoque Dominus recitatur dixisse eunucho vehementer formidanti Chaldæos, tamen in Deo speranti : Eruens liberabo te, et erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam. [*Jer.* XXXI 18.] Conformiter in Daniele legitur Susanna, mulier casta et pudorata, de circumventionibus impiissimorum senum et de morte mirabiliter liberata, quoniam erat cor ejus fiduciam habens in Domino. [*Dan.* XIII 35.] Ita et nos in Deo spe formata humiliter ac constanter sperando, meremur hostibus nostræ prævalere salutis.

REGULA III.

Quilibet Christianus tenetur Deum toto corde, tota mente, tota anima totisque viribus ex caritate super omnia diligere, etiam incomparabiliter plus quam se ipsum, principaliter propter ipsum et suam propriam bonitatem, et quoniam prior dilexit nos, deinde propter ejus beneficia ac promissa.

Caritas enim est summa virtus, et ceterarum finis, forma, vita, motrix ac imperatrix virtutum. Et sicut in naturalibus forma movet, ornat perficitque materiam;

sic in intellectualibus atque moralibus caritas ceteras movet, perficit, ornat actuatque virtutes, in tantum quod sine ea nihil est meritorium et Deo acceptum, etiam nec mori pro fide, dicente Apostolo : Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam, nihil sum (quoad esse gratiæ, non naturæ) ; et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, etc. Proximos vero debemus spiritualiter sicut nos ipsos diligere, optando eis gratiam in præsenti et gloriam in futuro. De horum expositione et intelligentia præceptorum, et qualiter præceptum istud divinæ dilectionis tripliciter exponatur ac impleatur, et qualiter jubeamur Deum diligere tota mente seu intellectu, totaque anima et viribus totis (quum tamen ipsum diligere realiter actus sit voluntatis, et in ea dumtaxat subjective consistat), de numero quoque diligendorum ex caritate atque de ordine diligendi, pertranseo, quoniam alibi sæpe ac plene inde tractatum est.

I Cor. xiii, 1-3.

Cf. p. 177 A et s.; t. XI, p. 47 C' et s.; t. II, p. 15 C' et s.; XXX, p. 408 A' et s.; XXXII, p. 119 C et s.; p. 635 A' et s.; XXXVIII, p. 455 B et s.

Hæ tres virtutes appellantur theologicæ ac divinæ, et digniores sunt ceteris, quoniam Deum pro immediato habent objecto, tamen sub distincta ratione formali. Per has anima rationalis, quantum ad vires suas supremas, videlicet intellectum ac voluntatem, immediate conjungitur Deo, et desponsatur eidem, ac se ipsam mactat, offert in captivitatemque redigit in obsequium Christi : per fidem subdendo intellectum suum Creatori, consentiendo iis quæ rationem transcendunt, intuitu Dei et auctoritate Scripturæ ; per spem quoque voluntatem suam Deo subjiciens, tendendo in ea quæ nec sensu, nec imaginatione, nec ratione noscuntur aut capiuntur ; insuper per caritatem voluntatem suam subjiciens Deo, ipsum sinceriter propter se ipsum plus quam se ipsam incomparabiliter diligendo, quum tamen naturale videatur ad proprium commodum magis reflecti.

II Cor. x, 5.

Denique, quum homo propter supernaturalem beatitudinem sit creatus, quæ est clara et beatifica visio Deitatis per spe- A ciem, necessaria ei sunt supernaturalia media ad consequendum hunc finem, videlicet charismata gratiarum, virtutes infusæ, et septem dona. Hinc ei multa supernaturalia ac incomprehensibilia credenda traduntur.

Quumque caritas sit summa et perfectissima virtus, tanto unusquisque, absolute loquendo, est melior et Deo acceptior, majorque erit in patria, quanto exsistit in caritate perfectior, sive sit religiosus, sive sæcularis. Verum valde difficile est in sæ- B culari conjugalique vita ad caritatis perfectionem pertingere, propter multa et magna impedimenta ibi occurrentia. Propter quod Sapientia Dei Patris, Christus Dominus, illa optime sciens impedimenta, sapientissima ac saluberrima in Evangelio dedit consilia evitandi impedimenta hujusmodi, utputa carnaliter propinquos, uxorem, divitias, voluntatemque propriam. Luc. xiv, 26; xviii, 22; ix, 23.

Nihilo minus speciali gratiæ privilegio aliquibus est concessum, etiam in sæculo atque conjugio perfectionem acquirere, C sicut in veteri Testamento Davidi, Ezechiæ Josiæque regibus, et multo pluribus in evangelica lege : inter quos fulsit præclara et præelecta illa Elisabeth de Thuringia, regis Hungariæ filia. Hinc in Vitis sanctorum Patrum legitur Deus dixisse S. Antonio residenti in eremo : Antoni, cur magnum aliquid sentis de te in solitudine sedens ? Ecce nondum pervenisti ad mensuram et sanctitatem coriarii illius in Alexandria commorantis. Quo audito, S. Antonius perrexit ad illum, et cognita D profundissima humilitate atque altissima caritate ipsius, obstupuit. Ideo religiosi non debent se ipsos extollere, nec sæculares contemnere.

Dum autem jubemur Deum toto corde præ cunctis incomparabiliter plus amare, non est hoc intelligendum de majoritate fervoris sensibilis, sed appretiationis : ita quod unusquisque tenetur in tantum Deum diligere, tamque eminentissime appretiari, reputare et magni pendere bonum illud altissimum, ut malit propriam vitam et

cuncta quæ habet, universa quoque creata, A amittere, quam Deum per mortale peccatum offendere, aut ab ipso ac ejus amore avelli. Propterea minima caritas dicitur major ac fortior quam maxima cupiditas seu amor privatus : quia quicumque amat Deum ex caritate, quantumcumque modice diligat ipsum ex ea, tamen plus diligit ipsum appretiative quam quicumque carnalis aut cupidus quæcumque carnalia et terrena, ut tangit Augustinus super illud

Ps. CXVIII, 72. Psalmi : Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti. Hinc quoque ad ve- B ram contritionem requiritur plus dolere de quocumque peccato mortali quantumlibet modico, quam de quocumque damno temporali, incommodo corporali, seu malo pure pœnali : et hoc, loquendo de dolore quantum ad superiorem vim appetitivam, non quoad sensibilem afflictionem. Unde timendum videtur quod pauci veram hanc contritionem habeant. Nam contritio dici-

Cf. t XXIV, p. 464 C'. tur maximus dolor qui est in natura, prout super quartum Sententiarum exponitur.

REGULA IV.

Unusquisque Christianus tenetur ad præcepta Decalogi et ad præcepta Ecclesiæ ac superiorum suorum, quantum eorum auctoritas, cathedra aut præsidentia se circa ipsum extendit.

Luc. x, 16. De illis quippe ait Salvator : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Hinc Moyses in Exodo murmu-

Exod XVI, 8. rantibus contra se ait : Non contra nos (supple, tantum) est murmur vestrum, sed D contra Dominum. Quidquid enim irreverentiæ, rebellionis, inobedientiæ sive injuriæ irrogatur Dei vicariis, Deus sibi irrogari arbitratur. Hinc ad Hebræos scribit

Hebr. XIII, 17. Apostolus : Obedite præpositis vestris, et

Rom. XIII, 1. subjacete illis ; et alibi : Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, etc.,

art. IV. ut supra. Denique, quam enorme sit superioribus esse rebellem, constat ex terri-

Num. XVI, 1-33. bili illo exemplo quod in Numeris recitatur : quemadmodum Core, Dathan et Abiron et Hon absorpti fuerunt a terra propter eorum adversus Moysen et Aaron rebellionem. Econtrario, quoniam Josue

Josue VII, 35. Deo ac Moysi obedientissimus fuit, ad ejus instantiam vel potius jussionem, sol et

Ibid. x, 14. luna steterunt in cœlo immobiles viginti quatuor horis, obediente Deo voci hominis. Nempe perfecte obedientium votis ac precibus tam celeriter annuit Deus, ut eis quasi obedire mox videatur.

Præterea constat quod quidquid committitur aut omittitur contra conscientiam rectamve rationem, ædificet ad gehennam.

Scire quoque oportet, quod in veteri Testamento triplicia erant præcepta, videlicet cærimonialia, judicialia atque moralia. Cærimonialia erant quædam determinationes præceptorum moralium primæ tabulæ, quantum ad ritum colendi Deum in sacrificiis cærimoniisque diversis : quæ quia figurativa erant, cessant (imo et mortifera exstant) in evangelica lege, Evangelio divulgato, veritate jam per Christum C impleta. Judicialia quoque sub Evangelio cessant, quoniam erant determinationes præceptorum moralium secundæ tabulæ, quantum ad modum servandi justitiam inter proximos, prout magis conveniebat Judæis. Sed quia ex se non erant figurativa directe, non sunt ita mortifera ut cærimonialia : imo, si a principe christiano aliquid illorum rationabiliter institueretur, posset a subditis ejus licite observari. De triplicibus istis veteris Testamenti præceptis loquuntur Alexander de Hales super tertium librum Sententiarum, S. Thomas in prima parte secundæ Summæ, et q. XCIX et s. Guillelmus Parisiensis in libro de Fide et legibus.

REGULA V.

Omnis Christianus tenetur ad virtutes morales, per quas passiones appetitus sensitivi refrenantur et moderantur, ne circa sensibilia et exteriora quis moveatur aut afficiatur contra caritatem aut æqui-

art. iv. *tatem :* quia, ut dictum est, sensualitatem rationi obedire ac subdi oportet. *Ad prudentiam quoque tenetur omnis Christifidelis :* quia prudentia disponit de mediis pertingendi ad finem virtutum moralium, et modum ordinemque agendi ac reformandi passiones præfigit.

art. iii, iv. De iis supra ex Epistolis Apostolorum multæ sunt auctoritates inductæ : videlicet, qualiter admonemur atque jubemur a carnalibus concupiscentiis, ira, impatientia, indignatione, amaritudine abstiñere, cum mansuetudine quoque, patientia, ignoscentia mutuo conversari. De
Matth. x, 16. prudentia vero præcepit Christus : Estote prudentes sicut serpentes, etc. De hac prudentia David rex specialiter commenda-
I *Reg.* xviii, 14. tur, quod in omnibus prudenter agebat. Prudentiæ etenim actus est discretio.

REGULA VI.

Quilibet Christianus ad octo beatitudines obligatur, quæ sunt meritorii actus virtutum : quibus actibus correspondet ac redditur proportionata merces æternaque salus in cœlis.

Vide supra, in quinto articulo, ubi hasce beatitudines dilucide explanatas reperies.

REGULA VII.

Unusquisque Christianus tenetur ad septem dona Spiritus Sancti, et ad omnes virtutes, beatitudines et fructus qui caritati inseparabiliter sunt annexi.

Porro septem dona, secundum doctores
dist. xxxvi. super tertium librum Sententiarum, inseparabiliter conjuncta sunt caritati secundum aliquem gradum : nam sicut tres sunt gradus caritatis, ita donorum. Sunt autem dona habitus supernaturales infusi, per quos fit anima prompte mobilis ac dirigibilis a Spiritu Sancto in ordine ad finem supernaturalem ; et dantur in expeditionem adjutoriumque virtutum, præsertim theologicarum, prout super Job pri-

A mo sanctus scribit Gregorius. De quibus donis multa possent pulcherrima atque subtilia introduci, sed brevitas cui hic studeo, cogit jam inde supersedere. De quibus et speciale collegi opusculum. *Cf.* t. XXXV, p. 159 et s.

REGULA VIII.

Omnis Christianus tenetur septem sacramenta Ecclesiæ credere, venerari et digne suscipere, juxta sui exigentiam status.

B Qui enim aliquod sacramentorum ministrat aut suscipit cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter. Idcirco ante cujuslibet sacramenti susceptionem debet homo conscientiam suam examinare, purgare, et (si opus est) confiteri.

REGULA IX.

Quilibet Christianus obligatur in actibus suis rectam habere intentionem, eosque ad finem debitum ordinare (prout
C supra, in fine quinti articuli, tactum est ; ad quod etiam quarto articulo ex Epistolis Pauli apostoli allegatæ sunt auctoritates) : *et hoc, tempore opportuno, vel actu, aut habitu.*

Unde in Matthæo ait Salvator : Lucerna *Matth.* vi, 22, 23.
corporis tui est oculus tuus. Si fuerit oculus tuus simplex (id est recta mentis tuæ intentio), totum corpus tuum lucidum erit (id est, tota actuum tuorum congeries erit laudabilis : intentio namque, ut sanctus fatetur Ambrosius, speciem actui imprimit) ;
D si autem oculus tuus nequam fuerit (id est intentio perversa), totum corpus tuum tenebrosum erit, id est, tota operatio tua vitiosa consistet, quamvis ex genere suo sit bona, sicut jejunium, oratio et eleemosynarum largitio.

REGULA X.

Unusquisque Christianus tenetur loco et tempore opportuno ad opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia, se-

cundum facultatem, dispositionem et exigentiam status seu vocationis suæ personæ.

Luc. vi, 36. Hinc in Evangelio ait Salvator : Estote misericordes sicut et Pater vester cœ-
Ibid. 30. lestis misericors est ; et rursus : Omni
Matth. vi, 15; xviii, 35. petenti te tribue ; itemque : Si non dimiseritis unusquisque fratri suo, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.

Circa hæc recitanda sunt exempla operum misericordiæ ex Scripturis : quemad-
Gen. xviii, 1-8. modum Abraham patriarcha sedit quotidie seu frequenter in ostio tabernaculi sui, ad observandum an videret aliquem peregrinum aut pauperem, quatenus illos ad suam perduceret domum ; quorum et pedes consuevit lavare, et eis ministrare ad mensam : quo merito datum est ei angelos sanctos tres in humana forma videre, accedere, hospitare et bene tractare. Quam pietatem nepos ipsius, justus Lot,
Ibid xix, 1-3. assecutus, duos meruit angelos in peregrinorum specie hospitare. Unde ad Hebræos
Hebr. xiii, 2. docet Apostolus : Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis.

Denique per hanc misericordiam et copiosa opera ejus sanctus Job præcipue pla-
Job xxxi, 18. cuit Deo. Qui de se ipso testatur : Ab
Ibid xxix, 15, 16. infantia crevit mecum miseratio. Oculus fui cæco, et pes claudo ; pater eram pau-
Ibid. xxx, 25. perum. Flebam super eo qui afflictus erat,
Ibid. xxxi, 32, 20. et compatiebatur anima mea pauperi. Foris non mansit peregrinus : ostium meum viatori patuit, et de velleribus ovi-
Ibid. 17. um mearum calefactus est. Non comedi buccellam meam solus, sed comedit ex ea pupillus. Ecce quam misericordissimus fuit beatissimus ille patriarcha et propheta Job.

Insuper de his misericordiæ actibus sublimiter quoque commendatur virtuosus ille Tobias, qui (ut in libro ejus descri-
Tob. i, 20, 19, 15. bitur) esurientes alebat, nudos vestiebat, mœstos consolabatur, suosque proximos salubriter hortabatur. Qui et filium suum
Ibid. iv, 7-9. informans : Noli (inquit) avertere faciem

A tuam ab ullo paupere : ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors : si multum tibi fuerit, multum tribue ; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.

Circa hoc commemoranda ac prædicanda sunt cum grandi fervore verba sanctorum patrum Basilii Ambrosiique, dicentium : Non minoris criminis est habenti auferre quod suum est, quam quum possis et habeas, indigentibus denegare. Esu-
B rientium panis est quem tu detines ; nudorum indumentum est quod includis aut super perticam pendis ; discalceati calceus est qui tibi superfluit ; miserorum redemptio, pecunia quam abscondis. Quocirca tantorum te scias bona invadere, quantis possis et non vis communicare. Numquid injustus est Deus, qui hominibus temporalia inæqualiter dedit ? Cur tu abundas, et ille indiget, nisi ut tu bonæ et piæ erogationis merita consequaris, et ille patientiæ braviis decoretur ? — Quid ad hæc
C coram Deo sunt responsuri, qui tot paria habent vestimentorum, tot genera ferculorum, et tamen vix siccum petentibus tribuunt panem, quum tamen sacratissimus dicat Baptista Joannes, Qui habet duas tu- Luc. iii, 11.
nicas (id est unam superfluam), det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat ? Imo et ipsemet Christus ait : Quod Ibid. xi, 41.
superest (id est, vobis superfluit), date eleemosynam.

Postremo, in primo libro de Vitis sanctorum Patrum sanctus refert Hieronymus
D de S. Apollonio plurimorum monachorum abbate, quia dum tempore magnæ caristiæ cuncta quæ in suo monasterio erant residua suisque monachis necessaria, erogasset pauperibus, sequenti die omnia reperit miraculose multiplicata in suo cœnobio. De pluribus quoque Sanctis leguntur similia.

Præterea, inter hæc misericordiæ opera fraterna quoque continetur correptio, de qua supra, articulo quinto, dictum est plenius.

REGULA XI.

Omnis Christianus tenetur suis proximis consistere exemplaris in verbis et factis, ac ceteris.

Contra quod enormiter peccant jam viri et feminæ, juvenes ac puellæ, se curiose, ornate, pompatice vestientes ac decorantes, non attendentes nec formidantes quod sancti doctores Hieronymus atque Chrysostomus contestantur : Vir aut mulier se ornans ornateve vestiens, sicque vultus hominum in se provocans, etiam si nullum inde malum in alio sequatur, tamen sic faciens, æternum supplicium patietur, quia venenum præbuit, si fuisset qui biberet. Denique omnis homo vestire se debet secundum condecentiam et exigentiam suæ vocationis et religionis seu status. Quum ergo lex seu religio christiana sit lex totius humilitatis, maturitatis, probitatis, sapientiæ et exemplaritatis, constat quod omnes Christiani ad exemplarem, humilem, condecentem ac maturum obligentur vestitum. Unde et secundo Regum habetur, quod filiæ David regis talaribus vestibus utebantur. (II *Reg.* XIII, 18.)

Enormissime vero peccant stolidissimæ atque vanissimæ feminæ suas facies adulterinis adhibitionibus excolentes. Unde loquitur Augustinus : Quanta amentia est effigiem mutare naturæ, et quærere fucatam picturam in facie, seu exquisito rubore perfundere vultum ! Tolerabiliora pene sunt adulterii crimina, quia in illis adulteratur natura, in istis violatur pudicitia : quum tamen adulterium inter crimina quæ fiunt in proximum, sit post homicidium unum gravissimorum. O qualiter in inferno deturpabuntur et æternaliter confundentur ac punientur fatuellæ hujusmodi ! De hac materia scripsi diffuse in opusculo de Vita nobilium. (*Cf.* t. XXXVII, p. 536 D' et s.)

A *et ipsum tenetur [timere] præ cunctis filiali aut saltem initiali timore, et non solum servili formidine, quæ meritoria non est.*

Timor namque filialis ex amore directe procedit ; similiter timor initialis, quantum ad hoc quod ex affectu boni recedit a malo. Hinc viles et prorsus indigni Deo sunt, qui hominem plus verentur quam Deum ; qui coram divinæ sanctitatis præsentia et conspectu audent cogitare, appetere, loqui et operari quæ coram homini- B bus, præsertim honestis ac præsidentibus, non auderent. Hinc ait Salvator : Eum timete qui habet potestatem corpus et animam perdere in gehennam. (*Matth.* X, 28.) Apostolus quoque : Cum metu (inquit), timore et tremore vestram salutem operamini. (*Philipp.* II, 12.) Timor iste utilissimus saluberrimusque consistit : quia, ut Salomon loquitur, qui timet Deum, nihil negligit. (*Eccle* VII, 19.) Et item : Fons (ait) vitæ timor Domini, ut declinet a ruina mortis. (*Prov.* XIV, 27.) Hinc sanctus Job de se ipso fatetur : Semper quasi tumentes super me fluctus timui C Deum ; (*Job* XXXI, 23.) et rursus : Iræ Dei nemo potest resistere, et cogitationem ejus nemo potest avertere : idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. (*Ibid.* IX, 13; XXIII, 13, 15.)

Hinc, sicut in quinto libro Vitæ sanctorum Patrum refertur, abbas Elias locutus est : Ego tres res timeo : unam, quando egressura est anima mea de corpore ; secundam, quando præsentanda est Deo ; tertiam, quando de ea proferetur sententia. Sic timuit Deum sanctus senior ille qui videns Fratrem quemdam ridentem, D ingemuit, dicens : Coram cœlo et terra rationem Deo sumus reddituri, et tu rides ? Hieronymus quoque : Sive, inquit, comedo, sive bibo, seu aliquid aliud ago, semper videtur mihi tuba illa terribilis sonare in auribus meis : Surgite, mortui, et venite ad judicium.

REGULA XII.

Quemadmodum quilibet Christianus adstringitur Deum toto corde diligere, ita

REGULA XIII.

Omnis Christianus tenetur Deum excelsum ac omnipotentem cum attentione

et reverentia ac affectu adorare, laudare, et gratias ei referre gratusque esse.

In his etenim actibus debemus propriam defectuositatem, vilitatem, ingratitudinem, indigentiam, culpabilitatem attendere, divinæ quoque majestatis, pietatis, justitiæ, liberalitatis et caritatis super nos immensitatem considerare ac admirari, sicque cum omni reverentia et pavore, cum omni attentione, humilitate, instantia ac fervore adorare, invocare, laudare, venerari Altissimum, ejusque beneficia sollicite ponderare ac reminisci, et quod tam diu misericordissime sustinuit nos, et ubertim misertus est nostri, quum multi æternaliter sint damnati qui multo minus quam nos peccaverunt. Unde ei totis viribus regratiari debemus, ejusque bonitatem, misericordiam, munificentiam totis viribus collaudare, amare ac honorare, et vitam emendare in omnibus.

Luc. XVIII, 1. Hinc in Evangelio ait Salvator : Oportet semper orare et non deficere ; et iterum :
Joann. IV, 24. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet. Tobias quoque : Omni (inquit) tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat. Atque Apostolus : Orationi (ait) instate, vigilantes in ea in gratiarum actione ; et grati estote. Hoc egit agendumque docuit Isaias propheta, dicens : Miserationum Domini recordabor, laudem Domini annuntiabo super omnibus bonis quæ reddidit nobis.

Tob. IV, 20. *Coloss.* IV, 2 ; III, 15. *Is.* LXIII, 7.

Denique hoc totum sollicite adimplevit vir vitæ sanctissimæ, Germanus episcopus, qui ab exordio suæ conversionis, a suspiriis, lacrimis et tunsionibus pectoris non cessavit, tam arduissimam agens vitam, quod quasi incredibile videbatur hominem taliter vivere posse : nec enim unquam animum suum a suæ rigore custodiæ relaxavit. Hoc etiam modo sanctissimi patres Antonius, Macarius, Arsenius ac alii plures Deum exoraverunt : qui frequenter per totum tempus noctis in suis manserunt orationibus incessanter stantes, et præ vehementia sui fervoris multoties ab omni exteriori sensu alienati, rapiebantur in Deum.

DE DOCTRINA ET REGULIS VITÆ CHRISTIANORUM

LIBER SECUNDUS

DE HIS QUÆ AD SINGULOS PRIVATIM SPECTANT CHRISTIANOS.

PRÆFATIUNCULA.

De ceteris ad quæ omnes Christiani tenentur, possent adhuc plures regulæ assignari; quæ tamen ad præinductas possunt reduci et includuntur in eis : ideo istæ sufficiant. Consequenter itaque breviter est tangendum ad quæ singuli specialiter adstringantur; et incipiendum a clero, cujus caput est dominus Papa. Sed ut brevior sit hic liber, primo dicendum ad quæ specialiter obligentur episcopi : ex quibus facile erit pensare ad quæ teneantur archiepiscopi et Pontifex summus, imo et universi prælati, archidiaconi et curati.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis quæ ad episcopos specialiter pertinent.

1 Tim. III, 2-4.

Oportet episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hospitalem, doctorem ; non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum. Quemadmodum sanctus asserit Augustinus, duæ epistolæ Pauli apostoli ad Timotheum episcopum Ephesiorum, et una ad archiepiscopum Cretensium Titum, specialiter atque clarissime docent ea quæ ad vitam, statum et officium pertinent præsulum : qualiter debeant se habere circa se et circa subjectos, et qualiter diversos diversimode habeant informare. Hinc tres illæ epistolæ, secundum Augustinum, frequenter ac diligenter ab episcopis sunt legendæ, considerandæ efficaciterque implendæ.

Itaque quibus virtutibus oporteat episcopos specialiter decorari, a quibus item vitiis potissime debeant abstinere, docens Vas electionis : « Oportet », inquit, « episcopum », videlicet tam promovendum in præsulem, quam eum qui jam in episcopali est constitutus officio, « irreprehensibilem esse », utpote ab omni notabili mortalique vitio alienum, « sobrium, prudentem, pudicum, ornatum » eminentia morum, « hospitalem, doctorem ; non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum ». De iis possent in particulari multæ regulæ assignari de per-

tinentibus in speciali ad præsules : de quibus brevitati studens pertranseo, præsertim quoniam in opusculo de Vita et regimine curatorum omnia ista diffuse exposui. Breviter etiam exposui ea in tractatu de Regimine episcoporum, et item in libello de Officio archidiaconi. Verum hoc breviter est addendum, quod præfatæ virtutes pro maxima parte etiam ad unumquemque spectant Christifidelem : utpote esse ac vivere sine omni mortali peccato, « sobrium, prudentem » seu discretum, « pudicum, ornatum », id est morigeratum, « hospitalem ; non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum », sed pacificum, pium et liberalem, et « suæ domui bene præpositum », id est suis domesticis exemplarem et bene eos regentem ac discrete corripientem.

Cf. t. XXXVII, p. 230 B' et s., 14 B et s., 125 B' et s

Porro, quo status ac dignitas episcopalis est altior, et quo apostolicum ac divinum illud episcopale officium exstat præstantius atque sublimius, eo in cunctis prætactis virtutibus oportet episcopos esse perfectiores, et magis heroicos ac divinos, et in omni sapientia magis exuberantes ac splendidos : quatenus de plenitudine et redundantia suæ internæ perfectionis et opulentiæ spiritualis queant sibi commissis caritative liberaliterque communicare, influere, providere, ipsos indesinenter purgando, illuminando, perficiendo. Hoc quippe est justa et infallibilis regula, quod omnis præsidentia christiana, tam spiritualis quam civilis, potissime tamen spiritualis, quanto est major ac altior, latior atque præstantior, tanto requirit eminentiorem perfectionem gratiæ ac virtutum, sapientiæ ac prudentiæ splendorem præclariorem, inflexibiliorem justitiæ zelum, et constantiorem in omni bono stabilitatem. Hinc doctores concorditer asserunt, quod status episcopalis est status perfectionis jam acquisitæ, quemadmodum status religiosorum est status perfectionis acquirendæ : ita quod sicut religiosi ex suæ vocationis professione adstringuntur

A quotidie crescere et perfectioni obtinendæ studere, sic præsules ex sua vocatione et professione obligantur in omni virtute esse jam consummati. Ideo, sicut officium illud est prorsus dignissimum, ita revera et periculosissimum est ; et sicut ineffabiliter meritorium est illud virtuose et debite adimplere, sic indicibiliter exstat damnabile in illo se negligenter, carnaliter et scandalizative habere.

Itaque episcopos oportet in termino excellentiæ esse maxime irreprehensibiles, B sobriissimos, castissimos, spiritualissimos, morigeratissimos, prudentissimos, misericordissimos, exemplarissimos, summe pacificos, optime gubernantes, atque fraternæ correptionis præceptum sine personarum acceptione strenuissime adimplentes, conformiter cetera quæ ad eorum spectant officia, sublimiter observantes, ut quod ait in epistola prima ad Timotheum Apostolus, in illis impleatur : Esto (inquiens) exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in caritate ; attende lectioni, exhortationi et doctrinæ ; noli negligere gratiam Dei in te ; profectus tuus manifestus sit omnibus. Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.

I *Tim.* IV, 12-15. *Ibid.* V, 20.

Hæc et multa iis consimilia in epistolis illis contenta, ad omnem pertinent præsulem. Qui nequaquam terrena et temporalia debet spiritualibus ac divinis præferre, sed nunc unum, nunc aliud expedire : siquidem tam ad contemplativæ quam ad activæ vitæ opera, imo ad utriusque perfectionem tenetur. Exteriora vero et D sæcularia debet, quantum fieri potest, aptis officiatis committere, seque in spiritualibus principaliter occupare ; viros litteratos ac timoratos, adjutores idoneos, consiliarios providos, officiatos probos et condignos sibi assumere ; ad divinæ pietatis immensitatem indesinenter confugere ; considerationi communis boni cum vigilantia maxima omni hora intendere, et cum suis quotidie consilium tenere de reformatione lapsorum, de recuperatione perditorum, et de omni prosperitate sa-

lubri in statu spirituali ac sæculari; se ipsum quotidie examinare et coram Deo discutere; divini rigorem judicii sapienter ac profunde pensare, sicque ad exsequendum omne debitum suum, infatigabili caritate, sollicitudine, fidelitate jugiter laborare.

Postremo, de ceteris ad episcopos ex jure divino aut positivo pertinentibus, in Decreto et Decretalibus atque in Summis doctorum plurima continentur. Summe autem provideant, satagant et procurent ut archidiaconi sua officia debite exsequantur; religiosos etiam studeant reformare, et ipsos canonicos; et pro divino subsidio in horum expeditione, ferventissime, lacrimose ac jugiter orent. Sanctorum episcoporum virtutes sectentur et intueantur exempla. Tales olim fuerunt sancti episcopi. Unde et de S. Hugone Gratianopolitano narratur episcopo, quod dum electus esset in præsulem, et invenisset plebem prorsus incultam, rudem et induratam, clerum quoque totius ecclesiasticæ disciplinæ ignarum, in tantum quod sacerdotes in facie Ecclesiæ publice duxissent uxores, videns vir ille adhuc juvenis, utpote viginti septem annorum, se non posse humanis proficere viribus, toto corde confugit ad Deum, invocans eum pro conversione populi sibi commissi, in cilicio, jejuniis, abstinentiis, lacrimis, disciplinis et prostratione in terram assidua. Sicque Deus videns sancti juvenis caritatem, humilitatem, sollicitudinem, contulit ei gratiam magnam : ita quod cito ac insperate sanctus episcopus ille plebem suam ac totam diœcesim in spiritualibus ac sæcularibus reformavit.

Sit ergo episcopus in primis circa se ipsum sollicitus, custoditus ac timoratus, ut prætactis ornetur et abundet virtutibus. Secundo, circa suos domesticos : quos ita corripiat, hortetur, gubernet, ut sint virtuosi exemplaresque aliis. Etenim domus episcopi quasi in speculam atque in signum est posita, ita quod quidquid in ea fit, omnes sibi licitum arbitrantur, et quid-

A quid inique agitur coram prælato, hoc ei est turpius, ac gravius damnabiliusque in ipsum redundat. Propter quod dixit Apostolus : Si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Tertio, circa suos officiatos, ut sint justi, prudentes, idonei. Quarto, circa collegia, et in primis circa canonicos suæ cathedralis ecclesiæ, ut caste, devote et exemplariter conversentur. Quinto, circa claustrales utriusque sexus, potissime circa quatuor Ordines qui B sunt communes præsidentium adjutores, ut vere regulariter conversentur. Sexto, circa reliquum clerum, præcipue circa curatos, ut sacerdotaliter et pastoraliter vivant : quos per archidiaconos faciat debite visitari, castigari, regi ac custodiri. Septimo, circa plebem communem et ejus rectores, ne militares opprimant inferiores ac pauperes, sed circa subjectos pie, juste, prudenter et ædificative se habeant. De his multæ possent regulæ introduci; sed breviter tetigisse sufficiat modo quæ C dudum in aliis opusculis descripta sunt copiose.

(I *Tim.* v, 8.)

Postremo, quemadmodum Pontifex summus est non solum immediatus, supremus ac generalis totius universalis Ecclesiæ et universorum Christianorum præsul et pastor, verum etiam immediatus uniuscujusque Christiani prælatus; ita episcopus non tantum est communis omnium suæ diœcesis pastor ac præsidens, imo etiam cujuslibet eorumdem. Propter quod universorum ac singulorum curam gerere obligatur; et D quod per se ipsum nequit peragere, debet per suos ministros, auxiliarios atque vicarios adimplere. Alioqui, nisi (quantum in se est) adduxerit fratrem et proximum suum etiam minimum secum ad veram salutem, non videbit faciem Christi judicis summi in jubilo; et quem nunc delectat esse judicem ac principem hominum, non delectabit in die judicii videre judicem Deum : imo, ut illuminatus testatur Gregorius, unusquisque prælatus toties ad apostasiæ culpam delabitur, quoties præ-

(*Gen.* XLIII, 5.) (*Job* XXXIII, 26.)

esse hominibus delectatur. In talem præsulem ac pastorem redundant peccata universorum ac singulorum ejus regimini commissorum. — Si autem prædictis objiciatur, quod secundum ea unius et ejusdem Ecclesiæ particularis atque personæ plures essent immediati prælati, sponsi ac capita ; respondendum, quod hoc non est inconveniens in diverso genere prælationis.

ARTICULUS II.

De pertinentibus ad officium summi Pontificis.

Jer. I, 10, 18. *ECCE constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes. Ego quippe dedi te in columnam ferream et in murum æreum super omnem terram, regibus et principibus et sacerdotibus, et omni populo terræ.* Verba hæc ad litteram Jeremiæ dicta a Domino, allegorice exponuntur recte de Christo, tropologice vero
art. præced. de summo Pontifice, quem (juxta prætacta) oportet in omni gratia, virtute, perfectione ac dono Spiritus Sancti tanto esse sublimiorem, ferventiorem magisque stabilitum, imo et semper amplius timoratum, custoditum, sollicitum, quanto præ ceteris universis major et clarior est prælatica dignitate, ecclesiastica auctoritate, atque latissima jurisdictione : quatenus totius Ecclesiæ bonum valeat procurare, promovere, conservare, perficere, et de suæ plenitudinis exuberantia universis communicare.

Ad ipsum spectat in primis ut se ipsum coram Deo quotidie in suo secreto recolligat, et cum diligentia summa examinet ac scrutetur qualiter in omnibus coram Altissimo conversetur, ad quid ex suo pontificio obligetur, qualiter impleat ea ; deinde consideret quid sibi restet agendum, qualiter stet in Ecclesia tota sibi commissa : sicque suum defleat imperfectum, divinum totis præcordiis imploret auxilium, atque
A pro communi dominici ovilis profectu oret indesinenter.

Consequenter, sicut præcedenti est tactum articulo de pertinentibus ad unumquemque episcopum, proportionaliter dicendum est de spectantibus ad summum Pontificem : ut in primis sui officii debitum in suis exsequatur domesticis, et majoribus illis prælatis ; et sicut de Saul legitur primo Regum, quod quemcumque I Reg. XIV, 52.
vidit in populo suo virum fortem et aptum ad prælium, illum sibi in adjutorium asso-
B ciavit ac sumpsit, sic Dominus apostolicus totius Ecclesiæ sapientiores, virtuosiores ac magis idoneos ad se vocet, sibi associet, et eis prout fuerint digni committat officia ; horum in cunctis utatur consilio, fulciatur auxilio, et consulat, conferat ac pertractet quotidie cum eisdem de pertinentibus ad totius Ecclesiæ reformationem, tuitionem, profectum, custodiam et salutem, quemadmodum primo Machabæorum de Romanis adhuc gentilibus recitatur : Curiam sibi fecerunt, et consulebant I Mach. VIII, 15, 16.
C quotidie viri trecenti viginti, consilium semper agentes de multitudine pro communi bono, ut quæ digna sunt gerant ; et non est invidia neque zelus inter eos.

Insuper, specialiter valde spectat ad Præsulem summum inquirere qualiter episcopi conversentur, et quos perceperit esse carnales, negligentes, inexemplares, acriter increpet, fervide exhortetur, et omni modo sibi possibili, per scripta, per legatos seu aliis modis reformare conetur ; et nisi se emendaverint, de sua eos statione
D expellat, et de ministerio quo sunt indigni, deponat, quemadmodum quidam sancti Pontifices summi egisse leguntur. Præterea summam adhibeat curam ut idonei, non alii, ad ecclesiasticas promoveantur dignitates, præsertim ad præsulatum et archidiaconatum, prohibeatque episcopis pueros ob generis claritatem et carnis propinquitatem ad tam divina promovere officia. Præterea circa parochianos suos Romanos sit vehementer sollicitus, si forte et ipsi Ezech. II, 5, 7.
audiant et quiescant : quia non est im- Luc. I, 37.

possibile apud cœlestem medicum omne verbum.

Postremo, ut hæc omnia expeditius impleantur, et infidelibus efficacius resistat, libenter suis temporibus synodum celebret generalem, cunctis infirmis et spiritualiter mortuis instar piissimi patris ac medici condoleat intime, totoque posse succurrat per se et per suos celerrime. Immensitatem quoque advertat sui periculi, nisi officii sui satisfecerit debito; et pacem atque concordiam inter principes pro posse procuret; et timeat ne sibi dicatur a Christo quod tertio Regum quibusdam impiis regibus Israel desuper legitur
*IIReg.*xvi, 2, 3. dictum : Quoniam exaltavi te de pulvere, et constitui te regem super populum meum Israel, tu autem nequiter et indigne egisti, et peccare fecisti populum meum; idcirco demetam posteriora tua, et peribis.

ARTICULUS III.

De iis quæ ad archidiaconorum spectant officium.

Ezech I, 18. TOTUM *corpus* eorum *plenum* erat *oculis*. Quemadmodum sancti patres Augustinus et Ambrosius, expositores quoque concorditer protestantur, ea quæ Apostolus scribit ad Timotheum de virtutibus ad
art. I. episcopos pertinentibus, sicut jam patuit, ad presbyteros etiam pertinent, et exponuntur de ipsis, secundum intentionem Apostoli, qui illo in loco inter episcopum et presbyterum non distinguit : cujus est signum, quod descripto quales debeant esse episcopi, de diaconibus mox subjungit. Quum igitur juxta Patrum decreta archidiaconus præsit presbyteris, habeatque visitare ipsos curatos, constat quod major ad ipsum spectet virtutum perfectio quam ad curatos presbyteros, et quod verba illa Apostoli in sublimiori gradu perfectionis archidiaconos magis quam curatos respiciant.

*Tit.*23, c. 1. Porro, ut primo Decretalium continetur, archidiaconus post episcopum sciat se episcopi esse vicarium in omnibus, et omnem curam in clero (id est clericorum), tam in urbe positorum quam eorum qui per parochias commorantur, ad se pertinere : utpote perscrutari qualiter conversentur et sacerdotalis ac pastoralis officii adimpleant actus populum instruendo, et an factis, verbis ac moribus exemplariter se habeant. Statutis quoque temporibus debent per se ipsos, si poterunt, alias per vicarios vita, ætate, scientia dignos, visitare suas parochias, inquirenda inquirere, corrigenda corrigere, et sine personarum acceptione salutem animarum quærere, exterminia vitiorum, Dei honorem, plebis ædificationem, non commoda sua propriosve honores.

Quæ quum ita se habeant, quam infinite vitiosissima et damnabilissima est ista abusio, quod in fæcibus temporum horum a presbyteris incontinenter viventibus non quæruntur nisi pecuniariæ pœnæ, et taxa certa soluta, in suis permittuntur sedere (imo jacere) sceleribus, incontinentiis et scandalosissimis vitiis, in maximam omnipotentis Dei injuriam, atque in simplicium ac laicorum gravissimum scandalum ! O quale judicium imminet præsidentibus talibus ! Qualem poterunt Judici metuendo de sibi commissis et de suo officio reddere rationem? Timeant ergo archidiaconi et eorum vicarii rigorosissimum ac metuendissimum Dei judicium, infernale quoque superintolerandum supplicium; et sua debite exsequantur officia, lubricosque presbyteros ac ceteros juxta juris tenorem puniant et emendent.

Nempe, ut in epistola legitur S. Clementis Papæ, archidiaconi sunt oculi præsulis. Sint igitur undique oculati, circumspecti, discreti, et causas quas ignorant, diligen- *Job* xxix, 16. tissime investigent justeque judicent, omni cupiditate, odio et inordinato amore atque timore exclusis : quatenus, sicut in Ezechiele de quatuor animalibus oculatis describitur, pedes ipsorum sint recti, hoc *Ezech.* I, 7. est affectus processusque justi, et pennæ *Ibid.* 11. eorum desuper sint extentæ, id est inten-

tiones et considerationes ad Deum erectæ; et quidquid alios docent, ipsi in primis eminenter adimpleant, ac instar scintillarum sint fervidi, ac ferventia proferant verba.

Heu, heu, heu, ad quid, ad qualem statum, ad quantam ruinam devenit Ecclesia, in qua pene nihil horum servatur, et pueri totius spiritualis ac virtuosæ exercitationis prorsus ignari, ad tanta promoventur officia, atque in structura Ecclesiæ pro columnis firmissimis basibusque robustis eriguntur ac statuuntur pulveres et festucæ levissimæ, gramina et stramina, quæ omni vento tentationis, omni turbine vitiorum, omni impetu passionum dejiciuntur! O qualiter periclitantur qui talibus columnis ac basibus innituntur!

De iis plura conscriberem, et de pertinentibus ad archidiaconos quasdam ponerem regulas, de quibus in libello de Vita et regimine archidiaconorum dictum est plenius; sed rationabilibus ex causis pertranseo : hic tantumdem sufficiat tetigisse. *Cf.* t. XXXVII, p. 117 A et s.

ARTICULUS IV.

De pertinentibus ad inferiores prælatos, specialiter ad curatos.

II *Tim.* II, 15. SOLLICITE *cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.* Longum esset de singulis ecclesiasticorum statuum gradibus prosequi : ut de patriarchis, cardinalibus, primatibus, metropolitanis, archiepiscopis, archipresbyteris, præpositis, decanis, abbatibus, prioribus. Nec hujus opusculi id requirit intentio : quia et is cujus instantia hæc scribuntur, illa dumtaxat petiit tangi quæ sibi in sermocinationibus suis amplius poterunt deservire. Porro hoc in generali reor tangendum, quod in universis gradibus, statibus atque ordinibus quanto quis altioris est dignitatis jurisdictionisque latioris, eo ad ampliorem virtutum perfectionem adstringi- A tur. Et in quantum Christianus est, tenetur ad talem conversationem sicut in primo est declaratum tractatu; in quantum vero diaconus, ad virtuosiorem; in quantum sacerdos, ad vitam adhuc tanto eminentioris virtuositatis, quanto sacerdotium diaconatu est dignius; in quantum sacerdos curatus, adhuc ad conversationem multo plus virtuosam et exemplarem, ratione pastoralis officii, quod non parvæ est dignitatis. At vero in quantum decanus ruralis, aut archipresbyter, aut collegiatus decaB nus, ad vitam tenetur adhuc multo plus virtuosam, irreprehensibilem et sinceram; atque in quantum archidiaconus, obligatur ad virtuositatem adhuc exuberantiorem; sicque ascendendo gradatim. Denique de religiosis et eorum prælatis est evidens quod juxta qualitatem, arduitatem et eminentiam variam regulæ et suæ professionis atque monasticæ prælationis, ad multa magis aut minus sublimia ac perfecta specialiter obligantur : quod prosequi valde esset prolixum.

C In quibus omnibus, juxta tacta, quo gradus, status, prælatio, ordo seu dignitas exstat major et altior, eo ruina gravior, culpa major, negligentia vituperabilior, carnalitas damnabilior est censenda : quia quo major dignitas, eo virtuositas major exigitur, et vehementior ac multiplicior est obligatio ad sincere vivendum juxta exigentiam uniuscujusque vocationis.

Insuper, in omnibus istis unusquisque istorum tenetur per caritatem incipere a se ipso, primoque facere, deinde docere, D quum dicat Salvator: Quid proficit homo, si universum mundum lucretur et perdat se ipsum? *Luc.* IX, 25 Secundo tenetur suos domesticos debite gubernare; tertio, officiatos suos atque vicarios, ut ad sua officia sint condigni, et efficaciter impleant ea; quarto, plebem communem.

Nunc autem de sacerdotibus curatis aliquid specialiter arbitror memorandum. Hi itaque ad cunctas tenentur virtutes vel circa se ipsos, aut circa subditos suos, aut circa suos superiores, ad quas præsules

obligantur vel circa se, vel circa superiorem, aut circa subjectos. Etenim sicut se habet antistes ad universam sibi commissam diœcesim, sic unusquisque curatus seu capellanus ipsius habet se ad creditam sibi parochiam.

Talis ergo in primis conetur ac satagat conversari ut oportet et condecet Christianum, vitando cum omni diligentia omne mortale peccatum, eaque omnia adimplen- art. VIII. do quæ in tredecim regulis in primo libello inductis tanguntur.

Secundo conetur et satagat conversari ut spectat ad sacerdotem, se ipsum quotidie disponendo ad celebrandum devote et digne, ne reus sit corporis et sanguinis Christi. In ipsa quoque celebratione sit recollectus, attentus ac fervens, timorate et cum reverentia summa se habens. Sed et facta celebratione, de tantis beneficiis Deo sit gratus, jugiter memor, et custoditus in cunctis; nec linguam suam polluat verbis illicitis, vanis, otiosis, scurrilibus (ne dicam mendosis, detractoriis et lascivis), cum qua protulit sacratissima Missæ et canonis verba; pensetque quod etiam laici eo saltem die quo communicant, devotius solito se habent. Attendat dignitatem tanti sacrificii, et majestatem ac sanctitatem Patris æterni, cui id offert, causas quoque permaximas pro quibus hoc immolat; et vereatur, tremat ac erubescat coram Deo altissimo in tanto sacrificio se habere indigne, indevote, irreverenter, et absque debita puritate.

Tertio nitatur ac satagat vivere ut tenetur in quantum curam sortitus est anima- art. I. rum, ut (juxta introducta apostolica documenta) sit non solum juxta communem cursum et modum, sed etiam specialiter ac eminenter, prout sacerdotium et pastorale requirunt officium, irreprehensibilis, exemplaris, sobrius, prudens, morigeratus, pudicus, hospitalis, doctor et informator gregis sibi commissi; non litigiosus, non cupidus, sed suæ domui bene præpositus; non superbus, non iracundus, non turpis lucri avidus, sed benignus, justus,

A continens, et recte tractans verbum veritatis, Scripturarum eloquia bene declarans ac prædicans, ita ut in primis impleat ea. Ecce ad omnia ista tenetur sacerdos in quantum curatus, secundum gradum eminentiæ ordinis sacerdotalis atque officii pastoralis.

Quarto studeat suos domesticos idonee regere, totamque suam parochiam, quibus potissime festis diebus atque dominicis sermocinetur, Evangeliumque exponat, et de credendis ac agendis instruat in eccle- B sia congregatos, et de quatuor novissimis, de modo quoque resistendi victoriose tentationibus cunctis, et qualiter venerari debeant sacramenta, et de modo confitendi, et quam salubre sit multoties confiteri.

Quinto studeat ubique, in mensa, in communi colloquio et alibi semper exemplariter se habere, delinquentes quoque moderate corripere, et ædificatoria verba proferre. Tabernas, comessationes et potationes superfluas totaliter detestetur, nisi in itinere necesse sit ei introire ta- C bernam. Omnem mulierem suspectam et secundum jura prohibitam, a sua omnino removeat domo.

Sexto curet sibi libros obtinere utiles; vacanteque sibi tempore assidue oret, legat, studeat, scribat, meditetur; atque quotidie se ipsum recolligat, perscrutetur, expurget; et qualiter se habeant sibi commissi attendat, ac contra peccata in quibus magis culpabiles sunt, specialius prædicet cum fervore.

Septimo summe sollicitus sit circa gra- D viter infirmantes et agonizantes, quos personaliter, si sic magis expediat, visitet, instruat, consoletur, ad patientiam exhortetur, et contra tentationes quæ in extremis plus sæviunt, præmoneat ac muniat eos; et si fieri potest, morientibus adsit, et sacra verba ipsis loquatur : alioqui disponat ut adsint illis devotæ personæ usque ad exspirationem, quia in hora illa maximum et extremum exstat periculum. Porro de tentationibus quæ tunc acrius solent agonizantes invadere, et de modo resisten-

di eisdem, et qualiter tunc infirmantibus sit adsistendum, diffuse scripsi in tractatu de Particulari judicio quod fit in obitu singulorum.

Octavo doceat omnes in ecclesia publice qualiter universi, et singulariter etiam operarii atque mechanici ac terræ culto-
Matth. VI, 33. res, debeant omni die primo quærere regnum Dei et justitiam ejus, rectam quoque intentionem habere, et omnes suos labores ad debitum finem, hoc est ad Dei honorem et gloriam propriamque salutem, referre, et Missam, si eis vacet, quotidie libenter ac devote audire, et sub laboribus suis mentem suam ad Deum interdum erigere orando ac salubria meditando, et ut de sero antequam eant dormitum conscientias suas examinent, quid boni omiserint, quid mali commiserint pensent, et de omni sua doleant culpa, veniam deprecentur, aptoque tempore confiteri proponant. Itaque de iis et de ceteris omnibus ad omnem Christianum spectantibus, quæ supra in primo libello sunt tacta, instruat ipsos frequenter, seriose ac fervide ; de iis quoque quæ ad quosdam specialiter pertinent, quæ infra tangentur.

Postremo, constat ex dictis quam deflenda et maxima sit deformatio ac ruina curatorum : quorum, heu! nonnulli sunt publici concubinarii, qui et spirituales filias suas vitiosissime ac prorsus sacrilege non metuunt inquinare.

Tantum de curatis sit tactum : de quo-
Cf. t. XXXVII, p. 219 et s. rum vita et regimine librum edidi specialem.

ARTICULUS V.

Quam virtuosa, casta, spiritualis et exemplaris esse debeat conversatio canonicorum, diaconorum similiter et subdiaconorum.

I *Tim.* III, 8-10. DIACONOS *similiter oportet esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pu-*

A *ra. Et hi probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.* Ecce ex apostolicis verbis iis comprobatur quod diaconi ratione sui diaconalis officii ad multa specialiter obligentur, suumque officium teneantur ex caritate et gratia exercere, ita quod peccent mortaliter quotiescumque aliquem actum sacri ordinis sui exsequuntur cum conscientia mortalis peccati, seu exsistendo in mortali peccato : imo, si ordinem illum accipiant exsistentes mortaliter rei, peccant mortaliter. Idem
B de subdiaconis est tenendum. In generalibus quoque conciliis est statutum ut utrique in sua ordinatione promittant castitatem. Et dato quod nunc non emittant hoc votum explicite, attamen promittendo sacrorum observantiam canonum, implicite satis promittunt ; et quamvis hoc nequaquam promitterent, nihilo minus ex divinis evangelicisque præceptis ad castitatem tenentur. Rursus, eo ipso quo in sacris sunt constituti ordinibus, incontinentia eorumdem adhuc graviorem induit speciem,
C et plus quam simplex fornicatio judicatur: quoniam sacrilegium est, id est abusus rei sacræ, quum divino sint cultui consecrati ac deputati.

Præterea, ad quantam virtuositatem ac puritatem cuncti in sacris constituti ordinibus teneantur, elucescit ex testimonio divini ac sapientissimi Dionysii, asserentis : Non est audendum aliis fieri ducem, *De Eccl. hier.* c. III.
nisi quis secundum omnem virtutem deiformissimus exstet, id est Deo præcipue similis et in virtutibus multum abundans.
D Ex qua auctoritate doctores super quartum Sententiarum concludunt : Quum homo in *dist.* XXIV.
quolibet ordine sacro constituatur dux aliis in rebus divinis, in cujuslibet sacri ordinis susceptione et administratione peccat mortaliter qui in mortali culpa suscipit aut exercet ordinem illum. Sicque sanctitas vitæ exigitur ad cujuslibet sacri ordinis susceptionem et exsecutionem, de necessitate præcepti, non sacramenti. Nam et in Deuteronomio Dominus jussit : Juste *Deut.* XVI, 20.
quod justum est exsequeris. Imo qui indi-

gne recipit sive exsequitur ordinem sacrum, est præsumptuosus et quasi blasphemus, prout in epistola ad Demophilum Dionysius sanctus fatetur. (Epist. VIII.)

Hinc in principio tertii Decretalium dicitur : Ut clericorum mores et actus in melius reformentur, continenter et caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes : quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde et casto corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, statuimus ut qui incontinentiæ vitio deprehensi fuerint laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundum canonicas sanctiones (videlicet ut ab officiis suspendantur, et ecclesiasticis beneficiis spolientur) : quas efficacius et districtius præcipimus observari, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna coerceat a peccato. — Nullus sacerdos feminas de quibus suspicio esse potest, secum retineat. — Si presbyter, diaconus aut subdiaconus de quacumque femina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam et tertiam admonitionem inveniatur fabulari aut aliquo modo conversari cum ea, excommunicationi subdatur. — Cum clericis non permittantur mulierculæ habitare, nisi forte de illis personis exsistant in quibus naturale fœdus nihil permittat sævi criminis suspicari. — A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant : ideo temperent sibi vinum et se vino, nec ad haustus bibant æquales. — Officia et commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, joculatoribus et histrionibus non intendant ; nec tabernas visitent, nisi in itinere constituti. Ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam et tonsuram habeant convenientem ; seque in ecclesiasticis officiis ac aliis studiis bonis exerceant diligenter. Clausa desuper deferant vestimenta, nimia brevitate aut longitudine non notanda ; pannis rubeis aut viridibus non utantur. — Si quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit. — Monasteria monialium si aliquis clericorum sine causa manifesta et rationabili visitare præsumpserit, per episcopum arceatur, et nisi destiterit, ab ecclesiastico officio reddatur immunis.

(Marginalia: tit. 1, c. 13. — tit. 2, c. 1. — ibid. c. 2. — ibid. c. 9. — tit. 1, c. 14. — ibid. c. 15. — tit. 1, c. 4. — ibid. c. 8.)

Hæc et quædam iis consimilia in loco præallegato contenta sunt : imo et in Decreto ex dictis S. Isidori multa hujusmodi conscribuntur. Ex quibus ostenditur quam virtuosa, sancta et ædificatoria olim exstiterit et nunc quoque merito esset canonicorum vita. De qua etiam materia specialem compegi tractatulum. Verum nunc status ille pene ad extremam et maximam devenit ruinam. (p. I, dist. 23, c. 3; 25, c. 1. — *Cf.* t. XXXVII, p. 165 et s.)

Postremo, in præinductis observantiis atque virtutibus, præsertim in omni prorsus evitatione ac eradicatione gulæ et luxuriæ, feminarum quoque prohibitarum cohabitatione vitanda, et in divini frequentatione Officii, in omni exemplaritate, in effugienda omni superfluitate curiositateque vestimentorum et ornamentorum, in sobrietate, in paterna ac fraterna correptione, in zelo divini honoris atque fraternæ salutis, tenetur decanus, utpote canonicorum prælatus, sic canonicis præeminere, sicut præeminet eis præsidentia, auctoritate et ecclesiastica dignitate, et sicut pastorem suo gregi oportet præesse. Quo constat quam criminosum ac damnabilissimum esset, si ipse exsisteret lubricus aut gulosus, pompaticus, inexemplaris, intimorateque vivens. Non permittat in choro, præsertim sub divino Officio, fabulationes misceri, levia fieri, dissolutiones committi, nec post divinum Officium sinat in ecclesia sua scurrilia vel lasciva verba proferri. Provideatque pro posse ut divinum Officium reverenter solvatur, psalmodia distincte pronuntietur, matutinale officium non nimis tarde incipiatur, Missæ quoque ordinate ac debite fiant, et congruæ cærimoniæ observentur, atque ad Gloria Patri, etc., et ad reverentiam trinariam supergloriosissimæ Trinitatis notabiliter inclinetur, imo etiam ad

pronuntiationem horum nominum, Jesus A et Maria, fiat devota capitis inclinatio aliquanta, quum et quidam laici legantur post mortem suam in purgatorio dire puniti, eo quod audiendo hæc nomina, non inclinaverunt capita sua.

Postremo, in capitulo, in tractando consilio, in conviviis et cunctis operibus atque colloquiis exhibeat se decanus in verbis ædificativum, contentionesque reprimentem, et verba illicita compescentem, et præceptum fraternæ correptionis strenue adimplentem. In divino item Officio, quan- B tum sibi exstat possibile, sit primus ac ultimus; nec impertinentia sibi sæcularia negotia assumat expedienda : sicque commune bonum sui collegii in spiritualibus ac temporalibus procuret et servet fideliter et ferventer, nec propria commoda quærens, nec de suo in se gaudens honore; sitque indesinenter formidolosus, sollicitus, custoditus, et in primis suæ domui bene præpositus, tanquam pro omnibus commissis rationem Altissimo redditurus.

ARTICULUS VI.

De iis quæ statum, vocationem et professionem religiosorum concernunt.

Jacob. I. 27. RELIGIO *munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Quam mirabiliter sancta, fervida et sincera fuerit conversatio primitivæ Ecclesiæ sub Apostolorum regimine, confestim misso desu-
Act. IV, 32. per Spiritu Sancto, quando credentibus D omnia erant communia, multitudinisque credentium erat cor unum et anima una,
Ibid. II, 42. erant quoque perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis atque assidua oratione, in Actibus recitatur Apostolorum. Porro, dum fidelibus undique multiplicatis, vita illa communis ab universitate credentium non posset servari, cœperunt nonnulli, viventibus adhuc gloriosis et sanctis Apostolis, vitam illam communem inter se seorsum resumere, renovare, et cum multis additionibus juxta evangelica Christi consilia continuare, viventes in omnimoda castitate, paupertate, obedientia, cum dira ac ardua corporis afflictione in multis et magnis vigiliis, jejuniis, abstinentiis et disciplinis; orationibus quoque, psalmodiis, meditationibus, lectionibus, contemplationibus die ac nocte ultra vires vacabant humanas : quemadmodum etiam Philo disertissimus Judæorum, et B. Hieronymus in libro de Viris refert illustribus.

Porro taliter conversantes, ab ipsis Apostolis et apostolicis viris nominati sunt monachi, quasi custodes unius, et uni summo bono jugiter intenti. Ab aliis vero dicti sunt famuli Dei, propter assiduum et eminenter devotum purumque famulatum quem die ac nocte Deo alacriter exhibuerunt, prout in libro de Ecclesiastica hier- cap. VI.
archia divinus Dionysius protestatur, ubi et de institutione, ritu et consecratione monachorum, atque de rationibus eorumdem, devotissime tractat. Demum, ut re- C fert ibidem, monachorum non est alios purgare, illuminare, perficere; sed inter eos quorum est purgari, illuminari ac perfici, sunt supremi.

Ex monachis illis prodiit omne genus monachorum et religiosorum, de quorum conversatione postmodum aliqui sancti Patres varias regulas conscripserunt, diversasque religiones ac Ordines instituisse noscuntur : ut beatissimus pater Antonius, sanctus quoque Pacomius, qui privilegio singulari, regulam de cœlo allatam ac cœlitus scriptam et divinitus datam, de manu recepit angeli sancti; sanctus item Basilius, sed et sacratissimi viri Hieronymus, Augustinus, Benedictus, ac alii quidam. Præterea instituti sunt Ordines quatuor sancti, quibus concessum est privilegio speciali, prædicare et pastoribus cooperari, confessiones audire, alios purgare, illuminare, perficere. Fuerunt etiam sacratissimi eremitæ et præclarissimi anachoretæ, vitam prorsus angelis proximam, segregatam solitariamque ducentes.

Denique, omnibus religiosis et monachis in cœnobiis vitam ducentibus commune est tria substantialia vota emittere, per quæ ad tres virtutes præcipue se adstringunt professione seu promissione solenni, puta ad obedientiam, castitatem et paupertatem : inter quæ vota, obedientiæ votum est principale, deinde votum castimoniæ, et tertio votum paupertatis. Itaque ad hæc tria omnes principaliter obligantur in quantum religiosi seu monachi. Deinde in quantum religiosi et monachi tenentur ad observantias alias regulares, secundum quod illæ magis aut minus districte præcipiuntur in regulis aut statutis : in quibus etiam aliqua continentur non per modum præcepti, sed documenti sive consilii. Porro in quantum sunt sacerdotes aut diaconi, obligantur jure divino ad præfatas virtutes, quæ juxta præallegata ex verbis Apostoli, ad sacerdotes atque diaconos specialiter spectant. At vero solennis illa professio vehementissime obligat, et multo plus quam simplex præceptum aut Ecclesiæ mandatum. (art. I.)

Hinc innotescit, quod sicut vita religiosorum vere regulariter conversantium, est optima et maxime meritoria ; sic vita vel potius mors religiosorum et monachorum ita vocari indignissimorum, sua vota non observantium nec regulariter conversantium, pessima est et extreme damnabilis. Tales quippe quotidie incidunt enormissima scelera, sua solennia vota violando assidue. Nempe, ut ait Philosophus, unitas motus seu actionis attenditur ex unitate temporis, unitate mobilis et unitate termini *ad quem*. Ideo quotiescumque aliqua re utuntur ut propria, votum violant paupertatis ; et quotiescumque agunt aut concupiscunt contra castitatem, in opus aut in delectationem consentientes, toties votum castitatis transgrediuntur ; similiter quoties mente, verbo aut opere contra veram obedientiam veniunt, contra obedientiæ votum agunt. Ecce qui semel in mundo perjurant, aut promissionem, quamvis terrore seu violentia extortam, non implent, (A) infames et sine honore redduntur : quales ergo sunt coram Deo infelicissimi atque vilissimi isti, qui solennia sua vota omnipotenti Deo sponte oblata toties prævaricantur ?

Postremo, in his specialissime, imo enormissime rei sunt religiosi Ordinum mendicantium regulariter non viventes, proprietarii, lubrici, inobedientes : qui eo ipso quo aliis prædicare præsumunt, et ea quæ docent, non implent, valde peccant mortaliter ; et maxime illi qui publice irregulariter (B) conversantur et malæ sunt vitæ : qui eo ipso quo tam indigni sunt publice evangelizare et hierarchizare, et ea quæ verbis docent et asserunt, operibus negant ac destruunt, prorsus mortaliter valdeque damnabiliter peccant ; imo et intentionem ac veritatem sacræ Scripturæ, quantum in ipsis est, cassant, evacuant et conculcant, quum plus sit opere affirmare quam verbo tantum, sicut S. Thomas super quartum Sententiarum declarat atque fatetur. (dist. XIX.)

(C) Quæ autem hic dicta sunt de religiosis et monachis, de monialibus quoque proportionaliter sunt sumenda.

De prælatis etiam religiosorum est manifestum quod in omni virtute, perfectione et observantia regulari tenentur eminenter fulgere, et sibi commissis exemplares consistere. Quales sunt ergo illi prælati, imo Pilati, et ipso Pilato inexcusabiliores, qui reformationi suæ ac suorum conventuum renituntur ? in quos certum est universa subditorum facinora redundare. (D) Hinc innotescit quam vere disseruit Augustinus : Sicut non vidi meliores his qui in cœnobiis profecerunt, ita non vidi pejores his qui inibi defecerunt. Imo quo aliqui altioris sunt ordinis, eo in graviora (justo Dei judicio permittente) crimina delabuntur, dum ea quæ ordinis sui sunt, adimplere non enituntur.

Hæc de concernentibus specialiter clerum ecclesiasticasque personas tetigisse hoc loco sufficiat. Consequenter de per-

tinentibus specialiter ad sæculares ac laicos dissseretur.

ARTICULUS VII.

De concernentibus conjugatos, et qualiter vir se habere debeat erga suam uxorem.

Hebr. XIII, 4. HONORABILE *connubium et torus immaculatus.* Conjugium contracturi in primis tenentur ipsum Matrimonii sacramentum cum reverentia et devotione suscipere ac subire, exemplo junioris To- B
Tob. VIII, 5. biæ, qui dixit conjugi suæ : Filii Sanctorum sumus, ita conjungi non debemus sicut gentes, quæ Deum ignorant. Sacramenta namque evangelicæ legis sunt gratiæ contentiva et collativa, ac contra morbum peccati sunt instituta. Quumque matrimonium sit legis evangelicæ sacramentum, continet gratiam per quam conjugati actus ad copulam conjugalem et ad suum statum spectantes, exsequi valent decenter et sine peccato : quæ etiam gratia est fomitis et carnalis concupiscentiæ C debilitativa ac repressiva, atque a fornicationis et adulterii crimine præservativa. Hinc novi Testamenti sacramenta recte vocantur medicinalia vasa.

REGULA PRIMA.

Ne itaque connubium inituri obicem ponant infusioni susceptionique gratiæ hujus, debent ante matrimonii contractionem et antequam consecrentur ac benedicantur, conscientias suas discutere D *ac purgare et confiteri, sicque cum Dei timore contrahere, non desiderio voluptatis, sed potius amore prolis procreandæ atque ad Dei obsequium educandæ, in qua christiana fides ac religio augeantur ; et item, ne in illicitas ruant carnales commixtiones,* quoniam matrimonium non solum est institutum in officium naturæ, ad quod etiam ante primorum parentum transgressionem exstitit institutum, sed item in remedium culpæ, post A illius peccati commissionem et naturæ infectionem.

Hinc bonus et obediens junior ille dixit Tobias : Domine, Deus patrum nostrorum, Tob. VIII, 7, 9.
tu scis quoniam non luxuriæ causa accipio sororem (id est conjugem) meam, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. Unde et Raphael angelus loquens Tobiæ : Audi Ibid. VI, 16, 17, 22.
(inquit) me, et ostendam tibi quibus prævalere potest dæmonium. In eos quidem qui conjugium ita suscipiunt, ut suæ libidini vacent sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet super eos dæmonium potestatem. Tu autem accipies conjugem cum timore Dei, amore filiorum magis quam libidinis ductus, ut benedictionem in filiis consequaris.

Itaque conjugati conscientias suas examinent, et si fuerint recordati se absque confessione prævia contraxisse, nec tam sincera convenisse intentione, de suis pœniteant culpis, omissa recuperent, ac recta deinceps intentione in suo perseverent conjugio.

REGULA II.

Maritus suæ uxori, secundum Scripturas, tenetur octo impendere.

Primo quippe tenetur eam *magno et speciali amore diligere,* et tanto plus, quanto est magis unum cum ea, et rursus quo inter ipsos est major communio, major associatio, et quo magis sibi invicem cooperantur, ac magis in uno affectu conveniunt. Porro inter maritum et conjugem suam est unitas atque identitas tanta, ut dicat Scriptura : Erunt duo in carne una. Gen. II, 24.
De quibus Christus testatur : Itaque jam Matth. XIX, 6.
non sunt duo, sed una caro. Maxima quoque est inter ipsos communicatio, quum corpus unius sit in potestate alterius, et econtra. Estque eis una domus, una mensa, unus lectus, una possessio, eadem proles, et cooperatio atque subventio mutua in labore, provisione ac necessariorum procuratione. Hinc dixit Apostolus : Viri, Ephes. V, 25.

diligite uxores vestras, sicut et Christus A dilexit Ecclesiam.

Secundo vir tenetur conjugi suæ *informationem in moribus, ac in dubiis cognoscendis, directionemque in agendis.* Ephes. v, 23. Vir enim, secundum Apostolum, caput est mulieris, quemadmodum Christus Ecclesiæ. I Cor. xiv, 35. Propter quod denuo loquitur : Si mulieres aliquid discere volunt, domi viros suos interrogent. Viri namque mulieribus communiter prudentiores consistunt ; et si nescierint quæ interrogantur ab eis, honestius possunt ea inquirere a prælatis et B viris doctis, quam feminæ, quarum sermo instar ignis exardescit.

Tertio maritus suæ tenetur uxori *increpationem modestam, caritativam et piam dum peccat :* exemplo sancti Job, qui erranti et insipienter loquenti suæ dixit uxori : Job ii, 10. Quasi una de stultis mulieribus locuta es : si enim bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Quo contra peccavit Adam, qui conjugem suam Dei mandatum transgressam non solum Gen. iii, 6. non increpavit, verum etiam consensit ei C in malo.

Quarto, *exemplarem, pacificam et reverentialem coexsistentiam.* Unde sacratissimus I Petr. iii, 7. princeps Apostolorum : Viri (inquit), estote cohabitantes uxoribus secundum scientiam (id est discretionem), quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem tanquam coheredibus gratiæ. Vitare ergo debet maritus ne uxorem scandalizet aut injuste contristet, ne et ipsa ex tentatione ad pejora labatur, et alteri magis afficiatur. Idcirco et Paulus ait apo- D Coloss. iii, 19. stolus : Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad eas.

Quinto, *gubernationem.* Unde legitur Esther i, 22. Esther primo, viros esse principes ac majores in domibus suis. Hieronymus quoque in Regula sua fatetur, quod nec civitas, nec congregatio, nec domus diu queat subsistere, nisi sit unus qui regat.

Sexto, *cohabitationem,* nisi rationabilis impediat causa. Ideo in exordio generis Gen. ii, 24. humani protulit Adam : Relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ.

Septimo, *sustentationem :* quoniam in necessariis vitæ obligatur maritus pro viribus providere uxori.

Octavo, *fidem conjugalem, carnalisque debiti redditionem,* ne ad aliam accedat, sed dumtaxat ad suam, præsertim illa petente.

REGULA III.

Vir conjugem suam diligere debet dilectione multiplici, et econtra.

Primo enim et principaliter ex divino præcepto tenentur mutuo se amare *spirituali dilectione :* ita quod unus alteri optet dona gratiæ in præsenti, donaque gloriæ in futuro ; sicque orent pro invicem, et verbis atque exemplis ædificent se, et cooperentur sibi ad beatitudinem obtinendam, dicendo : Quid proderit nobis in hujus brevissimæ vitæ curriculo pariter delectari, si paulo post æternaliter damnaremur, et simul in infernali incendio jaceremus ? Nunc ergo taliter convivamus, ut tandem in æterna consociemur felicitate.

Secundo debent se invicem diligere *naturali amore,* quum sint ejusdem naturæ et identitatis præcipuæ, naturale quoque sit viro et feminæ ad invicem affici, adspectuque mutuo amore accendi. Propter quod ait Philosophus, quod materia appetit formam sicut mulier virum : quanquam hoc et aliter queat exponi.

Tertio debent se amare *sociali et familiari dilectione,* quum maximam communicationem in convictu et ceteris habeant ad invicem. Attamen non est cautum ut maritus sua secreta revelet uxori, quia communiter feminæ male queunt celare. At vero amor carnalis, ut communiter fertur, fœdus ac turpis illicitusque consistit. Verumtamen conjugati dicuntur se posse aliquo modo invicem carnali amore diligere, in quantum voluptas actui conjugali admixta, aliquo modo eis est licita,

et ex ea magis ad invicem afficiuntur. Idem namque judicium est de operatione et de delectatione ei annexa. Ideo sicut copula illa carnalis potest licita esse et ex virtute procedere, ita et delectatio ei conjuncta : quæ consistere potest majoris amicitiæ quoddam fomentum, sicque amicitia illa quodammodo est carnalis.

ARTICULUS VIII.

De iis ad quæ uxor specialiter obligatur erga maritum, etiam coram Deo, secundum Scripturas.

Prov. xxxi, 11. *Confidit in ea cor viri sui.*

REGULA PRIMA.

UXOR *in primis tenetur suo marito ex divino præcepto veram perpetuamque fidelitatem,* non solum quantum ad corporis sui custodiam, ita ut nullatenus alteri misceatur, sed in omni quoque necessitate et casu, infirmitate, verbo et opere, ut nec noceat viro, nec dolum inferat ei, nec permittat ei, si quiverit impedire, nocumenta inferri.

Sic Michol fidelis exstitit sancto David, I Reg. xix, 12. dimittendo eum per fenestram, ne a Saule Ibid. xxv, 44. occideretur. Quæ etiam a patre suo Saule ablata David, et alteri tradita, mansit ab illo incognita, infirmam se simulans, prout primo Regum partim describitur et Josephus addit ibidem.

REGULA II.

Uxor suum maritum debet specialiter diligere dilectione multiplici, potissime spirituali, ut articulo dictum est præcedenti.

Hinc in libro fertur Tobiæ, quod paren- Tob. x, 13. tes Saræ hortabantur eam diligere maritum. Unde de S. Paula beatus scribit Hieronymus, quod maritum suum tam sincere ac præcordialissime diligebat, quod illo defuncto quasi tota defluxit in lacrimis. Verumtamen valde cavendum est conjugatis ne mutuus amor eorum sit nimis carnalis : quia ex hoc multa inciderent vitia, nec solum impedirentur a caritate spirituali ad invicem, imo etiam a spirituali dilectione proximorum, nec ullum spiritualem saporem haberent in Deo aut in rebus servitiisque divinis.

REGULA III.

Uxor suum maritum debet timere, non solum servili, sed et casto ac amicitiali timore, qui oritur ex amore.

Uxor namque ex caritate debet esse sollicita ne virum suum scandalizet, turbet, offendat, nec ei displiceat, ne fiat ei adulterinæ commixtionis aut vitiosæ appetitionis occasio, salva semper justitia, ne amore aut timore mariti peccet in Deum. Hinc ait Apostolus : Uxor timeat virum. Hinc de Ephes. v, 33. sancta recitatur Elisabeth, landgravia Thuringiæ, quod honestissimo ac illustrissimo viro suo absente, in veste humili et abjecta vacavit Deo, redeunteque viro, moderanter et condecenter ornavit se ad complacendum marito in Domino.

Mulier igitur timeat virum suum non solum servili timore : sic quippe et adultera maritum suum veretur ne ab ipso in scelere deprehendatur et verberibus afficiatur ; absente quoque marito, timet quod cito redibit. Casta vero bonaque conjux formidat ne contoralem suum offendat, et ne relinquatur ab illo ; dumque absens exstiterit vir, timet quod diu tardabit.

REGULA IV.

Uxor suo marito tenetur subjectionem in obsequiis, obedientiam in præceptis, reverentiamque in verbis.

Nempe, ut dictum est, vir caput est mu- art. præced. lieris, et principalior ea in regimine do- Ephes. v, 23. mus. Idcirco in iis ad quæ se extendit auctoritas viri in eam, debet sic subjici viro. Unde in exordio mundi Dominus di-

Gen. III, 16. xit ad Evam : Sub viri potestate eris, et A ipse dominabitur tui. Et in libro Esther Esther I, 20. habetur : Cunctæ uxores, tam majorum quam minorum, deferant maritis suis honorem. Beatissimus etiam princeps apostolici ordinis in prima sua Canonica I Petr. III, 6. allegat ex Genesi, quod Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Hinc in Eccli. XXV, 30. Ecclesiastico dicitur : Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. Ideo ait I Tim. II, 12, 11. Paulus : Mulierem non permitto dominari in virum, sed subjectam esse. Et princeps I Petr. III, 1. Apostolorum : Mulieres (inquit) subditæ B sint viris suis.

Verumtamen dominium viri super uxorem non est purum, sed mixtum, ut etiam fatetur Philosophus : quoniam in multis maritus et uxor judicantur ad paria, et uxor mariti est socia potius quam ancilla. Propter quod prima femina illa non de Gen. II, 22. pede sed costa viri est facta. Idcirco maritus ad conjugem suam habere se debet in verbis et factis humiliter et benigne, non aspernanter ac dure.

REGULA V.

Uxor suo marito tenetur cohabitationis consortium.

I Cor. VII, 10. Ait namque Apostolus : Præcipio uxorem a viro non discedere. Sic et bona ac erudita illa uxor S. Boetii virum suum doctissimum in exsilium sequebatur, nec voluit eum in adversis relinquere.

REGULA VI.

Uxor viro suo tenetur operationis auxilium.

Etenim maritus et uxor in multis mutuo egent auxilio, et aliqua convenientius fiunt per virum, quædam per conjugem. Propter quod homo vocatur animal sociale, politicum ac domesticale. Atque, ut legitur in Genesi, Dominus in mundi exor- Gen. II, 18. dio est locutus : Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.

REGULA VII.

Uxor viro suo tenetur carnalis debiti solutionem.

Ait enim Apostolus : Mulier potestatem I Cor. VII, 4. corporis sui non habet, sed vir. Verumtamen certis temporibus, utputa temporibus pœnitentiæ deputatis, et tempore infirmitatis, ac menstrui fluxus, diebus quoque præcipuæ devotionis et multum solennibus ac sacræ communionis, et quando vicina est partui, debet se, quantum convenienter decenterque potest, ad hoc difficilem reddere : imo ex tempore quo imprægnata est uxor, deceret ambos a copula abstinere, si fragilitas ipsorum permitteret, ut sanctus ait Ambrosius ; quod etiam ad prolis decorem non parum conferret.

REGULA VIII.

Quemadmodum uxor virum suum tenetur spiritualiter quoque diligere, ita C tenetur eidem spirituales actus caritatis impendere.

Ideo, quamvis de jure et cursu communi maritus principalior sit uxore, et rationabilior atque prudentior ea, frequenter tamen contingit quod uxor partim ex naturalibus donis, partim ex donis gratuitis, devotior sit prudentiorque marito. Tali ergo matronæ congruit virum suum tempore apto ad meliora hortari, et pro culpis corripere (præsertim quum ad caritativam correptionem omnes teneantur D Christifideles), et orare pro ipso, ipsum quoque patienter sufferre, ut valeat eum lucrari. Propter quod summus ait Apostolus : Si qui viri non credunt verbo, per I Petr. III, 1. mulierum bonam conversationem salvi fiant. Vas quoque electionis : Unde (inquit) I Cor. VII, 16. scis, mulier, si virum salvum facies ? Sic devotissima illa S. Cæcilia sponsum suum adhuc ferocem amorose ac dulciter alloquens, eumdem ex leone convertit in agnum. Hinc etiam, ut primo Regum describitur, Abigail, mulier valde prudens, I Reg. XXV, 36, 37.

virum suum adhuc ebrium vespere non increpavit, sed mane, vino jam digesto.

ARTICULUS IX.

De iis quæ parentes tenentur filiis suis ac filiabus.

Prov. XIII, 24. QUI *diligit filium suum, instanter erudit* illum.

REGULA PRIMA.

Parentes soboli suæ primo tenentur corporalem educationem, donec personaliter valeat necessaria sibi lucrari, si pauper sit.

Hoc enim et natura, imo Deus auctor naturæ eis impressit, et ex naturali procedit amore. Quemadmodum enim proles a parentibus habet esse, ita et conservationem ac complementum ipsius esse recipit ab eisdem.

REGULA II.

Parentes soboli suæ tenentur præservationem atque custodiam ab exteriori læsione ac nocumento pro viribus, ne in ignem, aquam foveamve labatur, aut a feris lædatur.

Et hoc de jure est naturali, ex ingenita affectione et cura ad propriam prolem. Quod et in brutis multis videmus, qualiter pro suorum defensione pullorum usque ad mortem pugnent. Idcirco in hominibus hoc negligere, legibus punitur civilibus.

REGULA III.

Parentes soboli suæ tenentur temporalem provisionem competentem, secundum suæ facultatis et status possibilitatem.

II Cor. XII, 14. Ait namque Apostolus : Non filii parentibus debent thesaurizare, sed parentes filiis. Hinc peccant enormiter qui hereditatem patrum suorum aut cetera bona sua injuste consumunt, vendunt, dispergunt : quæ filiis suis ac filiabus relinquere et in alios pios usus expendere obligantur, nec gulæ et carnalitati ac vanitati inde servire.

REGULA IV.

Parentes sobolem suam tenentur a peccatis pro posse reprimere, in moribus bonis instruere, pro excessu corripere ac debite castigare.

Nempe dum minores sunt, coercendi sunt virgis et ictibus ; dum autem postmodum, quum in majori ætate sunt, hoc fieri convenienter non valet, corripiendi et castigandi sunt durioribus verbis, aut gravioribus pœnis, verumtamen cum discretione, ne nimis exasperentur, quum dicat Apostolus : Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant ; sed educate illos in disciplina et correptione Domini. Hinc in Proverbiis Salomon loquitur : Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplinæ fugabit eam. Idcirco, ut denuo Salomon fassus est, qui parcit virgæ, odit filium suum. Deinde quam salubris et fructuosa sit soboli ista correctio, Salomon pandit, dicendo : Noli subtrahere a puero disciplinam ; tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. Unde constat insipientia carnalitasque parentum qui filios suos nolunt in scholis a magistris debite castigari.

Coloss. III, 21; Ephes. VI, 4. — Prov. XXII, 15. — Ibid. XIII, 24. — Ibid. XXIII, 13, 14.

Præterea, sicut nonnulli prælati in se competenter boni et pii, multisque actibus commendabilibus decorati, pereunt in æternum, eo quod plebem sibi commissam non satis idonee instruunt et castigant ; sic multi parentes æternam damnationem merentur ac incidunt, eo quod circa sobolis suæ informationem, refrenationem, correptionem et correctionem sunt molles ac negligentes. Cujus evidens exemplum legitur primo Regum de Heli, I Reg. II, 29 et seq.

qui reprobatus fuit a Domino, graviterque punitus, non solum in se, sed item in sua posteritate, quoniam filios suos non tam acriter increpavit et castigavit sicut ipsorum merebantur facinora. Hinc demum damnabiliter peccant parentes qui filios suos jam nubiles norunt lubrice vivere, dissimulant tamen ; et quamvis proponant eos matrimonio dare, differunt tamen diu propter temporalia commoda, quæ magis quærunt quam Dei honorem et animarum salutem : quod veræ caritati atque justitiæ exstat contrarium. Sunt etiam quædam matres nimis molles et compassivæ, quæ ferre non valent quod a patribus pueri debite castigentur.

Advertant ergo parentes quod divina ait
Eccli. xxx, 1. Scriptura : Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo
Ibid. 11, 12. suo. Non des filio potestatem in juventute sua, sed curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est.
Ibid. xvi, 4. Melius est enim mori sine filiis quam relinquere filios impios. Heu, quam stulti sunt multi parentes, sobolem suam carnaliter, non spiritualiter diligentes, qui eam a vanitatibus, scurrilitatibus, jocis et ludis superfluis non compescunt ! In quos certum est omnia sobolis vitia redundare.

REGULA V.

Parentes obligantur filios suos ac filias informare per se aut per alios in iis ad quæ scienda omnes Christiani tenentur.

Idcirco, si eis adsit facultas, faciant illos frequentare scholas ad minus quousque discant Orationem dominicam, Salutationem angelicam et Symbolum fidei, maternum quoque idioma legere et scribere, ac tantum de sermone Latino, ut ad Missam valeant ministrare. Melius vero esset quod frequentarent scholas quousque in sermone Latino congrui fierent, religionique apti.

Verum in isto multi parentes, præser-

A tim in villis, sunt penitus negligentes, qui quamvis competenter sint divites, filios tamen suos ac filias modo præfato non instruunt, nec faciunt frequentare scholas, nec moribus informari, neque compesci : imo in ætate qua apti sunt ad talia, faciunt eos oves et pecora custodire, arare, et consimilia ruralia agere. Advertant ergo quod Ecclesiasticus protestatur : Qui docet filium suum, laudabitur *Eccli.* xxx, 2. 5.
in illo, et in obitu suo non contristabitur de illo ; et illud Salomonis : Filius *Prov.* x, 1.
B sapiens lætificat patrem suum, filius stultus mœstitia est matris suæ ; itemque illud Ecclesiastici : Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur : melior est *Eccli.* xvi, 1, 3.
enim unus timens Deum quam mille filii impii.

Postremo, caveant parentes ne filios suos ac filias curiose, superflue, pompatice vestiant. Specialiter quoque informandæ et coercendæ sunt filiæ ac puellæ, ne fiant aut sint inverecundæ, aut dissolutæ, vel garrulæ, nec saltatrices aut procatri-
C ces ; nec permittantur otiosæ consistere, sed semper aliquid utile operentur. Insuper ubique, præsertim in ecclesia, custoditæ sint visu, nec oculos suos in facies juvenum defigant ; in plateis etiam, imo ubique sint morigeratæ, taciturnæ, devotæ, exemplares et custoditæ. Hinc hortatur Ambrosius : Discite, o virgines, non circumcursitare alienas ædes, non moram facere in plateis, nec aliquos in publico miscere sermones. Verecundari virginum est, et ad omnem virorum occursum al-
D loquiumque vereri. In Ecclesiastico quoque docetur : Filiæ tibi sunt ? serva corpus *Ibid.* vii, 26.
illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. In filia non avertente se a *Ibid.* xxvi, 13.
vanis firma custodiam, ne occasione inventa abutatur se.

Itaque quanto anima corpore præstantior est, tanto parentes diligentiores sint circa filios suos et filias, ut ab infantia informentur potius bonis moribus, scientia atque virtutibus, quam ut opibus ditentur terrenis.

ARTICULUS X.

Quomodo Christifideles habere se debeant circa servos et ancillas, et circa operarios ac mercenarios suos.

Eccli. IV, 35. NOLI *esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.* Lex Christi, lex est totius caritatis, pietatis ac humilitatis. Ideo Christiani circa suos ministros et ancillas, circa operarios et mercenarios suos habere se debent caritative, pie, humiliter, non B proterve, aspernanter, elate. Imo debent illos sibi ipsis in corde suo præferre, tanquam beatiores et magis electos a Deo, utpote qui in sudore vultus sui vescantur pane suo, et de suis sustentantur laboribus : quos beatificat et collaudat Scriptura, dicendo : Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. (Ps. CXXVII, 2.) Porro de divitibus otio, jocis, ludis, loquacitati vacantibus, scriptum est : In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur : ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate et impietate sua ; prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. (Ps. LXXII, 5-7.) Ecce quam periculosum est divitem otiosumque esse.

REGULA PRIMA.

Servi et ancillæ, operarii ac mercenarii non sunt a dominis suis gravandi immoderatis laboribus.

Per hoc quippe Ægyptii Deum Israel D gravissime offenderunt, quod filios Israel immoderatis oneribus inhumaniter afflixerunt, ut patet in Exodo. (Exod. III, 7 et seq.) Unde et filiis Israel Deus præcepit per Moysen, ne et ipsi taliter facerent ministrantibus ac laborantibus sibi. (Deut. XXIII, 15, 16.) Hinc scripsit Apostolus : Et vos, domini, eadem facite illis (id est, servientibus vobis agatis quemadmodum vobis ipsis rationabiliter fieri optaretis si servi essetis ac pauperes), scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis. (Ephes. VI, 9.) Quasi dicat : A Reputate vos esse illorum conservos, quia communem Dominum in cœlo habetis, et formidate divini rigorem judicii, quoniam et illorum et vester judex in cœlo est, qui sic vobis restituet, sicut circa alios meruistis, prout in Evangelio contestatur : In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. (Matth. VII, 2.)

Hoc totum eminenter consideravit et implevit S. Martinus, qui servo suo ministravit frequenter. Hoc quoque sapientissimus Salomon bene attendit, qui (ut tertio Regum narratur) mittebat operarios suos in Libanum per singulos menses vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis. (III Reg. V, 14.)

REGULA II.

Servis et ancillis ac operariis exhibenda est moderata et proportionata refectio, hoc est, prout labor requirit.

Superflua vero et delicata refectio eis non convenit, quum in Proverbiis dicat C Scriptura : Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea eum sentiet contumacem. (Prov. XXIX, 21.) Et in Ecclesiastico legitur : Cibaria et virga et onus asino, panis et disciplina et opus servo. (Eccli. XXXIII, 25.) In Proverbiorum quoque legitur libro : Sufficiat tibi lac caprarum, etc. (Prov. XXVII, 27.)

REGULA III.

Servis et ancillis, operariis ac mercenariis statim solvenda est merces justa.

Hinc in Levitico Dominus præcepit : Non morabitur opus mercenarii apud te usque mane. (Lev. XIX, 13.) Hinc Tobias filio suo jussit : Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, et merces mercenarii apud te omnino non maneat. (Tob. IV, 15.) Imo hujus oppositum tam grave est facinus, ut in Ecclesiastico asseratur : Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. (Eccli. XXXIV, 27.) Ideo ministrantibus et laborantibus debitam mercedem non præstare, est unum de quatuor peccatis clamantibus

ante Deum. Propter quod dicit Jacobus A
Jacob. v, 4. apostolus : Ecce merces operariorum quæ fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.

REGULA IV.

Paterfamilias debet quasi episcopale officium exercere circa suos domesticos ac ministros.

Hoc asserit Augustinus; et ad hoc inducere debet patremfamilias caritas Dei et proximorum. Universos igitur illos caritative informet, hortetur, corripiat, consoletur, et sicut Deus ab ipso requirit, cunctis se præbeat exemplarem. Talis fuit Cornelius ille centurio, de quo recitatur quod
Act. x, 2. fuit vir religiosus (id est multum devotus) ac timens Deum, cum omni familia sua. Cujus utique familia tota non fuisset tam virtuosa, nisi ipse præfato modo eam rexisset, corripiendo, hortando ac instruendo. Insuper talis exstitit judex ille de quo in primo Vitæ sanctorum Patrum libro sanctus scribit Hieronymus, quod quum abbas Paphnutius, vir vitæ angelicæ, Deum rogasset intente ut ei dignaretur ostendere cui similis esset, adstitit ei angelus Domini, dicens : Similis es primario (id est judici) vici illius. Quo audito, perrexit ad eum Paphnutius et interrogavit quæ esset conversatio ejus. Quo de se humilia respondente, institit Paphnutius, quousque secreta sua aperuit; sicque inter cetera fatebatur : Triginta annis cum uxore mea continenter penitus vixi; peregrinos et pauperes semper suscepi, nec eos sine viatico abire permisi; famulos meos sic rexi, quod nemo eos reprehendere quivit; in judicando nec filii mei personam contra æquitatem suscepi; semper studui in vita mea ut injuste neminem contristarem; discordantes semper studui concordare.

Paterfamilias seu dominus domus non debet se ad suos habere ministros familiariter nimis, nec eis sua manifestare secreta, nisi de illorum fidelitate et sincera ad se dilectione sit certus. Christus namque suis ait discipulis : Servus nescit quid faciat dominus ejus, id est, secreta ejus ignorat. Communiter quoque fertur : Nimia familiaritas parit contemptum. Verumtamen servus fidelis tanquam filius est amandus, et ei secreta domini sui possunt a domino suo insinuari, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Servus fidelis sit tibi dilectus quasi anima tua.

Joann. xv, 15. — Eccli. xxxiii, 31.

B

ARTICULUS XI.

Qualiter servientes ac operarii habere se debeant ad dominos suos.

SERVI, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Regulam servorum et ancillarum compendiosissime ac prudentissime descripsit Apostolus ad Ephesios. Quod enim scribit de servis, de ancillis quoque proportionaliter est sumendum. Itaque ait : Servi, obedite dominis carnalibus cum timore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non sicut hominibus; scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.

I Petr. ii, 18. — C — Ephes. vi, 5-8.

Ex iis saluberrimis verbis regulæ eliciuntur, quibus ostenditur quæ ad servos atque ancillas specialiter spectent. Quarum prima sit ista :

D

REGULA PRIMA.

Servi et ancillæ servire debent dominis suis ac dominabus in timore, non tamen omnino servili.

Debent etenim ipsis servire non solum timore quod expellentur aut mercede privabuntur si male, pigre et negligenter servierint, sed potius ex timore ne superiores suos scandalizent, et ne illi sic scandali-

zati graviter peccent, maledicant, aut nomen Christi blasphement. Quod potissime fuit necesse in exordio Ecclesiæ primitivæ, quando servi et ancillæ fideles passim cohabitabant et ministrabant gentilibus perfidisque dominis. Idcirco adjecit Apostolus : Ne nomen Domini blasphemetur. (I *Tim.* VI, 1.) Improbitas namque servorum redundat in dominum. Propter quod Deus per Jeremiam et Ezechielem frequenter improperavit filiis Israel : Commaculastis nomen meum sanctum in gentibus, et nomen meum per vos pollutum est inter gentes. (*Jer.* XXXIV, 16; *Ezech.* XXXVI, 20-23.)

REGULA II.

Servi et ancillæ servire debent superioribus suis in columbina simplicitate, absque simulatione ac duplicitate, utpote in cordis sinceritate et recta intentione.

Nam et Jacobus ait apostolus : Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. (*Jacob.* I, 8.) In Ecclesiastico quoque asseritur : Væ duplici corde et labiis scelestis. (*Eccli.* II, 14.) Sic Mardochæus servivit regi Assuero, insinuans ei insidias eunuchorum ipsum regem jugulare optantium, ut in libro scriptum est Esther. (*Esther* II, 21, 22.) Sic etiam Abisai servivit regi David : quem quum unus fortiorum Philistinorum nisus fuisset occidere, ipse Abisai mox præsidium regi David impendit, Philistæum illum occidens. (II *Reg.* XXI, 16, 17.)

REGULA III.

Servi et ancillæ servire debent superioribus suis sicut Christo, non tamen ex latria, neque ex hyperdulia, sed fideli duliæ servitute, ut sit similitudo aliquanta atque in genere, non perfecta et in specie, hoc est similitudo proportionis, ut in utroque obsequii genere sit sincera intentio et observatio æquitatis.

Sic Jacob servivit perfido Laban, ad quem ipse Jacob bona conscientia dixit : Arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi ; ego omne damnum reddebam : quidquid furto perierat, a me exigebas. Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sic per viginti annos servivi tibi. (*Gen.* XXXI, 38-41.)

REGULA IV.

Servi et ancillæ debent majoribus suis servire fideliter, non tantum in illorum præsentia, sed æque diligenter in præsentia atque absentia, eo quod Deus omnipotens, judex summus, ubique et semper universa intueatur.

Sic servivit domino suo gentili monachus ille captivus de quo sanctus scribit Hieronymus. Qui monachus captus a Sarracenis, et domini sui oves diligentissime pascens, multum per hoc placuit domino suo. Tandem tædio captivitatis et desiderio christiani cultus accensus, fugam iniit cum femina quadam sibi ab illo Sarraceno tradita : a qua tamen perfecte continuit. Porro post aliquot dies dominus suus cum famulo uno insecutus est monachum. Qui timore domini sui intravit speluncam in qua leæna erat, secessitque in aliam partem speluncæ. Dominus vero misit servum suum ut monachum feminamque extraheret. Ingredientem igitur servum erumpens leæna apprehendit per collum et interfecit. Dominus vero de tardatione satellitis sui indignans, et duos uni resistere arbitrans, speluncam ingrediens, protinus a leæna est suffocatus. Quibus visis egressus monachus, pervenit cum femina ad Christianorum confinia.

REGULA V.

Servi et ancillæ servire debent non tantum nec principaliter propter lucrum seu commodum temporale, sed caritative, potissime intuitu et amore salutis æternæ.

Servientes namque, obsequium et mercedem terrenam ordinare debent ad Dei honorem propriamque salutem, sic ut necessaria vitæ suis laboribus acquirendo, subsistant obsequi Deo : et ita suam paupertatem ac servitutem debent æquanimi-

ter ferre, imo et Deo inde regratiari, atque ex prompto et devoto animo ministrare.

Ita egit abbas Olympius, de quo legitur quarto volumine Vitæ sanctorum Patrum, quod ex servis fuit, omnique anno descendit ab eremo in Alexandriam, portans pretium dominis suis, qui occurrebant ei, et salutabant eum. Senex autem fudit aquam in pelvim, ut lavaret pedes illorum. Qui dixerunt : Noli, Pater, ne graves nos. Respondit : Ego sum servus vester, et gratias ago quod permisistis me libere Deo servire ; et nisi permiseritis me pedes vestros B lavare, et pretium allatum sumpseritis a me, manebo hic et serviam vobis. Illi vero in reverentia ipsum habentes, dederunt ei potestatem faciendi quod vellet, ac revertentem honorifice deducebant.

ARTICULUS XII.

Quid filii ac filiæ specialiter teneantur suis parentibus.

Luc. II, 51. DESCENDIT Jesus *cum* Maria et Joseph, *et erat subditus illis.* Ecce Unigenitus Patris æterni factus filius Virginis, obtemperavit suæ dulcissimæ Matri, imo et patri putativo atque nutricio : quanto magis ceteri filii ac filiæ suis debent parere parentibus, universique subditi superioribus suis ?

REGULA PRIMA.

Proles ergo primo tenetur suos parentes diligere speciali, imo præcipua dile- D *ctione post Deum, ut se ipsam, non solum naturali, sed etiam (imo principaliter) spirituali amore :* primo, propter Deum et ejus bonitatem, hoc ipsum jubentem ; secundo, quoniam parentes primo et valde præcipue diligunt sobolem suam, imo communiter plus quam proles diligunt parentes ; tertio, propter magna illa beneficia quæ parentes suis exhibuerunt filiis ac filiabus, ut statim dicetur.

Sic Joseph patrem suum, sanctum Ja- A cob, dilexit in tantum, quod post plurimos annos venienti ad se occurrens, cecidit super collum ejus, et inter amplexus flevit : *Gen.* XLVI, 29. imo super defunctum corruit, flens atque *Ibid.* L, 1. deosculans ipsum, ut fertur in Genesi.

REGULA II.

Proles tenetur suis obedire parentibus, dicente Apostolo : Filii, obedite parentibus *Coloss.* III, 20. per omnia. Quod intelligendum est de omnibus ad quæ se extendit auctoritas parentum ad sobolem : ut sunt pertinentia ad regimen domus dispensationemque rei familiaris, atque ad suscipiendum æquanimiter exhortationem, correptionem et castigationem ab ipsis.

Sic Esther regina, monarchæ sociata conjugio, adhuc obedivit patri suo ad- *Esther* II, 7 et seq.; IV, 5 et seq. optanti et avunculo Mardochæo, quemadmodum agere consuevit ante suam promotionem. — Verumtamen proles jure divino libertatem habet intrandi religionem, etiam invitis parentibus : nisi forsan ex C paupertate et imbecillitate multum indigeant prolis auxilio atque præsentia. Nam et Christus in cruce suam carissimam Ma- *Joann.* XIX, 27. trem commendavit suo dilecto discipulo Joanni.

REGULA III.

Proles tenetur parentibus suis esse grata pro viribus.

Tanta quippe beneficia proles a suis est sortita parentibus, quod non potest æqualia eis rependere, juxta verbum illud commune : Deo, parentibus et magistris non potest reddi æquivalens. Habet equidem proles a parentibus esse ac informationem et educationem. Ideo verbis et factis tenetur ipsis grata esse pro viribus, et quidquid rependerit illis, recognoscere quod non rependit nec reddere potest ipsis æquivalens, id est retributionem condignam.

De hoc recitatur exemplum terribile de filio quodam ingrato, cui parentes adhuc

vivi tradiderunt omnia bona, ut nobiliorem acquireret sponsam : qua sumpta, parentes suos paulatim fame et siti permisit affligi. Quumque vice quadam pater ejus jam senex ingrederetur filii domum, in qua auca assabatur ad ignem, filius patris adventum percipiens, veru cum auca portavit in cameram. Deinde reversus ut aucam referret, vidit in veru monstrum turpissimum tanquam bufonem, quod protinus faciem ejus invasit inseparabiliterque inhæsit. Sicque per diversa territoria ductus in exemplum ita agentium, tandem ad orationes devotorum, Deo miserante, est liberatus.

REGULA IV.

Proles tenetur suis parentibus interiorem et exteriorem honorem, in signum ac reverentiam majoritatis et auctoritatis ipsorum super se.

Tob IV, 3, 4. Hinc Tobias filio suo jussit : Honorem semper habebis matri tuæ : memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit in utero suo propter te. Unde in Eccle- Eccli. VII, 29. siastico legitur : Gemitus matris tuæ ne obliviscaris.

REGULA V.

Proles tenetur suis parentibus tempore indigentiæ necessariam sustentationem ac servitutem pro posse, in recompensam educationis et administrationis sibi ab illis exhibitæ.

Ibid. III, 8, 9, 13-15. Hinc in Ecclesiastico dicitur : Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his qui se genuerunt, in opere et sermone et omni patientia. Gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii, pater sine honore. Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius ; et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in tua virtute. Ibid. 18. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem ! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. Hinc ad Ephesios ait Apo-
A stolus : Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut sis longævus super terram. Ephes. VI, 2, 3. Nempe, quum proles a parentibus suis habeat esse et vitam, honorando taliter parentes suos, meretur vitæ suæ conservationem et prolongationem, imo et prosperitatem majorem : et hoc secundum legem communem, quanquam interdum aliter accidat secundum ordinem divinæ providentiæ, ex causis occultis. Denique tam enorme est horum oppositum agere, quod Deus
B per Moysen jussit filium contumacem parentibusque rebellem, comessationibus potationibusque vacantem, lapidari. Deut. XXI, 18-21. Et rursus : Qui maledixerit (ait) patri suo aut matri, morte moriatur. Exod. XXI, 17.

Juxta hanc formam ministravit patri suo S. Hugo Lincolniensis episcopus. Quum etenim pater suus, venerabilis miles ac senex, se ipsum cum filio suo Hugone adhuc puerulo tradidisset canonicorum collegio, post aliquot annos pater collegii commisit Hugoni patris proprii curam.
C Quod Hugo libentissime ac diligentissime adimplevit, ac inter ipsa obsequia pater ille filio suo multoties benedixit : quæ servitutes patri exhibitæ et benedictiones a patre receptæ, super mel et favum suaves erant Hugoni, et sanctificaverunt eum copiose. Refert quoque Augustinus exemplum terribile, quod in Cappadocia fuit vidua filios habens septem, a quibus mater dire offensa, maledixit eisdem : qui protinus metuendo, corporis capitisque tremore percussi sunt, et tantam suam confusio-
D nem in suo oppido non ferentes, hinc inde dispersi sunt. Tandem unus illorum in ecclesiam S. Augustini devenit, et ibi curatus est.

REGULA VI.

Proles debet clandestina matrimonia atque incauta vitare, et seniorum ac parentum seu aliorum prudentium uti consilio.

Matrimonium namque est insolubile vinculum, circa quod inexperti et juvenes cito ac sæpe falluntur. Et quam magnum

Dei donum est, habere conjugem bonam seu maritum laudabilem, tam miserrimum est, perversum, discordem, inconvenientem habere contoralem. Unde in Ecclesiastico fertur : Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum vitæ illius duplex. Gratia super gratiam mulier sancta, pudorata et tacita. Postremo, matrimonia clandestina sunt ab Ecclesia sub excommunicationis pœna prohibita.

Eccli. xxvi, 1. Ibid. 19, 18.

ARTICULUS XIII.

De iis quæ parochiani specialiter debent suis pastoribus.

I Tim. v, 17. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo.* Non est hoc ita intelligendum, quasi presbyteri et prælati vitiose viventes nec bene regentes, non sint a subditis honorandi, et ecclesiasticorum redditruum persolutione fovendi ; sed quod hæc virtuosis præsidentibus duplici ratione debentur, videlicet tam propter ecclesiasticam auctoritatem quam propter idoneam officii sui exsecutionem. Denique, quum parochiani sint spirituales filii sui pastoris, ea quæ articulo præcedenti inducta sunt de filiis et filiabus respectu suorum parentum, applicari hic queunt utriusque sexus parochianis. De quibus est regula prima :

REGULA PRIMA.

Parochiani tenentur suum pastorem et ejus vicarium specialiter spirituali amore diligere, tanquam patrem spiritualem eos prædiligentem, et a quo beneficia multa spiritualia et supernaturalia sunt sortiti charismata, utputa : ecclesiastica sacramenta, salubria documenta, increpationes justas et caritativas, correctionesque medicinales paternas, dona quoque gratiæ, saltem dispositive ; et si non omnia ista, tamen aliqua horum.

Hinc ad Thessalonicenses ait Apostolus : A Rogamus vos, fratres, ut noveritis eos qui præsunt vobis in Domino et monent vos, ut habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum ; pacem habete cum eis. Sic dilexerunt S. Franciscum fratres ac filii ejus. Qui sanctus vir, dum quadam vice esset ob gravem infirmitatem urendus, omnes fugerunt, præ nimia caritate non valentes sancti ac pii patris sui videre dolorem. Ipse vero admirabilis vir dixit ad ignem : Frater ignis, esto mihi in hora hac curialis. Et ita in illa adustione parB vam aut nullam sensit ignis afflictionem.

I Thess. v, 12, 13.

REGULA II.

Parochiani tenentur suis pastoribus obedire in iis quæ concernunt jurisdictionem et prælationem pastoris seu ejus vicarii super eos.

Major enim videtur auctoritas spiritualis patris seu prælati super subditos, quam patris carnalis super sobolem suam. Habent autem pastor et ejus vicarius aucto- C ritatem et præsidentiam super suos parochianos in iis quæ sacramenta respiciunt, et directionem vitæ ipsorum secundum exigentiam vocationis eorum : ideo correptionibus et correctionibus ejus acquiescere adstringuntur, et verbum Dei ab eis libenter audire. De hac obedientia Paulus apostolus in suis Epistolis frequenter suos commendat discipulos. Unde ad Romanos : Vestra (inquit) fides annuntiatur in universo mundo ; et rursus : Vestra obedientia divulgata est in omnem locum. Unde D legitur in vita S. Benedicti, quemadmodum S. Maurus, ejus discipulus, obediendo patri suo nomine ac gratia Benedicto, cucurrit super aquas, et puerum nomine Placidum submersum extraxit, atque in terram detulit secum.

Rom. i, 8. Ibid. xvi, 19.

REGULA III.

Parochiani tenentur suis pastoribus et eorum vicariis reverentiam cordialem et exteriorem, etiam si pravæ sint conver-

sationis, in quantum vicarii Dei, spiritualesque patres, quum (juxta B. Petri
I *Petr.* II, 18. præceptum) etiam dyscolis dominis sit parendum, in iis quæ jurisdictionis eorum limites non transcendunt.

De hoc in epistola eminenter Galatas
Galat. IV, 14, 15. laudat S. Paulus : Sicut angelum (inquiens) excepistis me, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. Circa hoc potest referri historia ex libris Moysis, quemadmodum filii Israel frequenter terribiliterque plagati fuerunt a Deo propter inobedientiam irreverentiamque eorum in Moysen et Aaron : pro-
Num. XVI, 49. pter quod una dierum combusta fuerunt quatuordecim millia et septingenti eorum-
Ibid. 1-33. dem ; specialiter quoque qualiter Dathan et Abiron, Core et Hon fuerunt cum tabernaculis suis a terra absorpti ob suam contra Moysen rebellionem ac schisma ;
Ibid. 35. ducenti vero et quinquaginta viri ob eamdem causam fuerunt igne occisi : prout in Numeris legitur.

REGULA IV.

Parochiani tenentur suis curatis decimas, primitias, oblationes, secundum juris tenorem persolvere fideliter et opportune.

Seminantibus namque spiritualia exhibenda sunt stipendia temporalia, susten-
I *Cor.* IX, 11. tacula vitæ, dicente Apostolo : Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus? quasi dicat : Non est magnum, imo permodicum est, quum spiritualia sint temporalibus incomparabi-
Luc. X, 7. liter digniora. Hinc dixit Salvator : Dignus est operarius mercede sua. Insuper ratio dictat justum hoc esse, ut ii qui pro communi bono plebis catholicæ vacant divinis, et populo spiritualia administrant, necessaria victui sortiantur a subditis : quod etiam a gentilibus suo modo observabatur.
Gen. XLVII, 22. Unde in Genesi recitatur, quod sacerdotibus Ægyptiorum ex publicis horreis necessaria præbebantur, et ideo tempore famis non cogebantur suam vendere terram.

Præterea, fideles libenter ac devote oblationes ac decimas debent persolvere, quia ex hoc quatuor præmia consequuntur. Primum est abundantia temporalis, ita quod agri benedicuntur a Domino. Et hoc ex Aggæo et Malachia prophetis aperte mon- *Agg.* II, 20; *Malach.* III, 10-12.
stratur. Secundum est sanitas corporalis ac prolongatio vitæ. Qui enim Deum in suis ministris sic alit, meretur hanc prosperitatem ab ipso. Tertium est infusio gratiæ multiplicatioque virtutum et meritorum in via. Quartum est, copiosa salus in patria. Horum quoque promerentur opposita qui oblationes et decimas non persolvunt viliorave offerunt. Hinc in exordio mundi Deus respexit ad Abel et ad mune- *Gen.* IV, 4.
ra ejus, quia de melioribus obtulit gregis sui ; ipsum vero Cain ac munera ejus de- *Ibid.* 5, 3.
spexit, quia de fructibus terræ, imo (ut Josephus ac Hebræi, et quidam catholici dicunt expositores) de corrosis et vilioribus terræ nascentibus obtulit. Porro in libro Tobiæ legitur ipse Tobias primiti- *Tob.* I, 6.
va sua ac decimas fideliter obtulisse.

REGULA V.

Parochiani tenentur suo pastori esse fideles et grati, tanquam patri spirituali et benefactori præcipuo, sicut jam satis ostensum est.

Sic habitatores Jabes Galaad grati fue- I *Reg.* XXXI, 11-13.
runt Saul regi, cujus amore et gratitudine etiam corpus ejus et corpora filiorum ejus occisa abstulerunt cum grandi periculo et labore de muro Bethsan, ubi a Philistæis fuerant suspensa, sepelieruntque ea in nemore Jabes, sicut in fine primi Regum describitur. Ingratitudo autem est grave peccatum, atque justitiæ directe contrarium.

ARTICULUS XIV.

Qualiter sæculares, vulgares ac laici habere se debeant ad suos dominos temporales ac judices.

SUBJECTI *estote omni humanæ crea- I *Petr.* II, 13, 14.
turæ propter Deum : sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo*

missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. In veteri Testamento in populo Dei non erat nisi pontifex unus et rex unus, quia lex illa Mosaica uni tantum Judæorum populo data est. Porro lex evangelica toti mundo est prædicata et tradita. Idcirco in populo christiano, tam in spirituali quam in sæculari statu, diversi sunt gradus prælationum et dignitatum ac jurisdictionum : quia in statu spirituali sunt sacerdotes, parochi, decani rurales, archipresbyteri, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi, primates, patriarchæ et Papa. Porro in statu sæculari sunt in singulis pagis et villis communiter scabini et scultetus ; in urbibus quoque sunt consules vel magistri civium, senatores vel consiliarii, jurati, officiatique alii. Deinde diversi sunt gradus sæcularium dominorum ac judicum : quorum aliqui præsunt villis, in quibus constituunt scultetum et scabinos. Sæcularium demum dominorum quidam sunt domicelli seu milites, quidam barones, aliqui comites, aliqui duces, quidam reges, et unus supremus, qui Imperator vocatur. Multumque expediret quod unus esset totius populi christiani monarcha et Imperator. Et sicut spiritualium prælatorum diversæ sunt actiones magis ac minus eminentes, juxta diversos gradus suarum prælationum, sic sæcularium dominorum ac judicum, quorum quo major et altior est potestas, eo eminentiores sortiti sunt actiones ac pluribus præsunt.

Itaque, sicut quilibet Christianus tenetur spiritualibus suis obedire prælatis in iis in quibus eorum jurisdictio se super ipsos extendit, ita et sæcularibus superioribus suis. Attamen in utroque jure potest appellatio fieri. Spectat ergo ad quemlibet Christifidelem unicuique superiori impendere honorem, obtemperationem, obedientiam, secundum mensuram et gradum superioritatis eorum, nec ipsis irrationabiliter contradicere aut reniti, imo ipsos tanquam summi Dominatoris ac Judicis vicarios atque communes juris ministros diligere, honorare, audire. Porro quid specialiter spectet ad dominos sæculares, infra aliqualiter est tangendum.

Habent autem diversæ urbes diversa privilegia, plebiscita, statuta, jura, consuetudines, observantias, ritus, quæ sibi volunt a suis principibus observari, contra quæ etiam arbitrantur sibi non posse aliquid ab eis juberi : cujus rei occasione interdum graves oriuntur dissensiones. De qua re difficile est ferre judicium. Nunc vero tetigisse sufficiat, quod sæculari potestati sit obediendum in suo foro, in iis ad quæ se ipsa extendit, sicut et potestati spirituali. Consequenter ergo tangendum est ad quæ singuli quique sæculares principes, præsidentes, officiati ac judices obligentur.

ARTICULUS XV.

De virtutibus et actibus ad quos specialiter obligantur civitatum rectores.

SECUNDUM *judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis est rector civitatis, tales et inhabitantes in ea.* (Eccli. x, 2.) Finis necessitatem imponit iis quæ ordinantur in ipsum. Ideo secundum exigentiam finis disponenda sunt media. Porro finis juris atque regiminis spiritualis, est beatitudo æterna : a qua directe impedit peccatum mortale ; veniale quoque peccatum aliqualiter inde incurvat ac indisponit. Idcirco in jure divino ac spirituali regimine prohibetur omne peccatum mortale, et dissuadetur veniale ; et utrique, maxime autem mortali, pœna debetur. Finis vero juris ac regiminis sæcularis, est pacifica hominum inter ipsos conversatio : quæ tamen in Christianis ordinatur ad præfatum spiritualis juris ac regiminis finem.

Pacifica autem conversatio hominum mutua non impeditur notabiliter per quæcumque peccata : imo, si universa et singula peccata mortalia prohiberentur ac punirentur in jure civili, sequeretur sæpe

et oriretur major turbatio : quoniam major pars hominum ob nimiam suam ad vitia pronitatem, imperfectionem ac defectuositatem, non est capax tantæ refrenationis ac disciplinæ. Hinc in regimine isto civili aliqua vitia permittuntur, et non nisi graviora, notabiliter impeditiva convictus pacifici, puniuntur : ut sunt præcipue homicidium, latrocinium, vulneratio, mutilatio, et enormis seu diffamativa injuriatio in verbis et factis, rapina, et præsertim spoliatio viatorum, traditio, incendia, furtum. In aliquibus etiam urbibus adulteria, ludus talarius, et consimilia quædam vetantur, secundum quod ex hominum abusu et consuetudine prava occurrit ratio major vel minor prohibendi ista aut illa.

Illæ ergo virtutes potissime spectant ad civitatum rectores quæ magis necessariæ sunt ad inducendum, procurandum et conservandum pacificam conversationem hominum mutuo. De quibus sit hæc regula prima :

REGULA PRIMA.

Rectores civitatum tenentur specialiter ad veram prudentiam, tam ethicam quam œconomicam atque politicam.

Prudentia namque est recta ratio agibilium, id est virtus moralis et intellectiva, regitiva actionum rerum humanarum. Non autem est dignus nec aptus regere totam communitatem, qui nescit regere propriam domum propriamque personam, quum et
1 *Tim.* III, 5. Apostolus dicat : Si quis nescit domui suæ præesse, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Requiritur ergo ad rectorem cujuslibet civitatis prudentia ethica, per quam propriam bene gubernet personam ; deinde prudentia œconomica, per quam convenienter suam regat familiam, puta domesticos, uxorem, sobolem et ministros. Tertio exigitur prudentia politica, per quam politiam gubernet, providendo, procurando ac disponendo ea quæ magis expediunt ad convenientem, prosperam, bonam pacificamque conversationem civium ad invicem. Ideo Plato beatam dixit rempublicam cujus principes et rectores sapientiæ atque prudentiæ vacant. Hinc quoque in Deuteronomio Moyses legitur dixisse
Judæis : Date ex vobis viros sapientes et *Deut.* I, 13.
gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes.

REGULA II.

Rectores civitatum decet omni virtute esse ornatos.

Virtutes namque aptæ inter se atque connexæ dicuntur ; atque, ut probat Philosophus, prudentia non inest nisi virtuosis hominibus. Denique eos qui alios tenentur dirigere ad virtutes et ad convictum pacificum, oportet eminenter consistere virtuosos, pacificos, et a passionum turbulentiis reformatos. Alioqui eis esset di-
cendum : Medice, cura te ipsum ; et rur- *Luc.* IV, 23.
sus : Qui alium doces, te ipsum non doces? *Rom* II, 21.
Et sicut in Ecclesiastico scriptum est, *Eccli.* XIV,
qui sibi ipsi nequam est, cui bonus erit? 5.

REGULA III.

Justitia ad rectores urbium præcipue pertinet.

Justitia namque est virtus inclinans ad reddendum unicuique quod ei debetur : ad quod agendum in tota communitate laborare præcipue debent civitatum rectores, ita ut unicuique quod suum est conservetur, ablata restituantur, injuriatis et læsis satisfiat, et inordinata per culpam, ordinentur per pœnarum inflictionem. Hinc
sanctus Job fassus est : Justitia indutus *Job* XXIX, 14
sum. Unde et in Exodo fertur Jethro dixisse
ad Moysen : Provide de omni plebe viros *Exod.* XVIII
potentes et timentes Deum, in quibus sit 21, 22.
veritas, et qui oderint avaritiam ; et constitue eos ut judicent populum. Denique, ut etiam Aristoteles loquitur, judex debet esse quasi viva lex et animata justitia, ut nunquam contraveniat æquitati ac ve-

ritati : ad ipsum enim confugiunt subditi tanquam ad regulam quamdam justitiæ.

REGULA IV.

Rectores et judices oportet esse caritativos, et amore boni repletos.

Ad ipsos etenim spectat quærere utilitatem, prosperitatem et pacem communem, non sua commoda propriosque honores, quum sint ministri reipublicæ. Imo, ut asserit Plato, omne quod agunt, ad communem pacem et prosperitatem debent jugiter ordinare, propriorum commodorum obliti. Talem se fuisse testatus est Samuel, dicens ad filios Israel : Conversatus vobiscum ab adolescentia mea usque nunc, ecce præsto sum ; loquimini de me coram Domino et coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et restituam vobis.

1 *Reg.* XII, 2, 3.

REGULA V.

Ad rectores et judices pertinet totum reipublicæ corpus curare atque tueri, ut Plato Tulliusque fatentur.

Spectat namque ad eos providere pro posse paci et utilitati universorum et singulorum membrorum communitatis. Nam si unam reipublicæ partem tueantur et aliam negligant, dissensio oritur. Sint ergo ab amore privato et odio, a cupiditate et personarum acceptione penitus alieni. Tales enim olim fuisse Romanorum rectores ac judices, recitat Cato : Nolite, inquiens, putare majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si enim sic esset, multo pulchriorem eam nos haberemus : armorum quippe et equorum major nobis est copia. Alia fuerunt quæ viros illos magnos fecerunt, quæ nobis sunt nulla : domi industria, foris justum imperium ; animus in consulendo liber, nec delicto neque libidini obnoxius.

A Pro iis nos habemus avaritiam atque luxuriam ; publice egestatem, privatim divitias. Opulentiam commendamus, sequimurque inertiam, et omnia virtutis præmia (scilicet dignitates et officia, quæ virtuosis prudentibusque debentur) ambitio possidet.

REGULA VI.

Ad rectores politiæ pertinet providere, quantum eis possibile est, ne oriatur
B *annonæ caritas in communitate quam regunt.*

Caritas enim ejusmodi gravat egenos, imo et mediocres, si grandis sit ac diuturna. Oritur autem ea caritas interdum ex naturalibus causis ; interdum ex divinæ inflictione justitiæ, in pœnam excessuum populi, et tunc æquanimiter est toleranda, atque placandus est Deus vera contritione, satisfactione, orationibus, et aliis operibus pietatis. Interdum vero generatur caritas ista ex cupiditate divitum
C multa congregantium ac reponentium, ex quibus sustentari plurimi possent ; item ex voracitate gulosorum ac lubricorum multa prave consumentium ; ex bellis quoque, et ex multitudine otiosorum, et impeditione mercatorum venalia deferentium de loco ad locum.

Itaque civitatum rectores tenentur communitati pro posse succurrere, et victus caritati obviare, pretium rationabile rebus venalibus imponendo, avaros ac divites ad vendendum superflua eis cogendo, men-
D surarum ac ponderum fraudes debite puniendo, mercatores quoque seu alios viros fideles ad regiones amplius abundantes mittendo, ut necessaria inde adducant ; itemque prohibendo ne qui res suas necessarias communitati vendant abductoribus de ipsa communitate, et ne qui sua transmittant, ut alibi magis care vendantur. Gravissime igitur peccant rectores qui non solum ista non faciunt, sed opposita horum, et procurant, augent continuantque annonæ caritatem (qui crudelissimi

ac vitiosissimi sunt censendi), imo et omnes qui frumenta sua tenent absconsa, ut inducant caritatem vendantque carius. Contra quos in Proverbiis Salomonis le-
Prov.xi,26. gitur : Qui abscondunt frumenta, maledicentur in populis ; benedictio autem super caput vendentium.

REGULA VII.

Ad rectores urbium spectat, rebus venalibus præfigere rationabile pretium, fraudesque ponderum ac mensurarum vetare atque punire, nec talia in voluntate relinquere venditorum.

Væ igitur eis qui ista non implent, et maxime qui munera sumunt ut unumquemque vendere sinant prout carius valet. In quibus completur quod Salomon
Ibid.xii,10. protestatur : Viscera impiorum crudelia. Advertant ergo quod in Levitico Domi-
Lev.xix,35. nus jussit : Nolite iniquum aliquid facere in judicio, in regula, in pondere, in mensura.

ARTICULUS XVI.

De iis quæ specialiter pertinent ad judices.

Eccli. vii, 6. NOLI *quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Virtus, ut ait Augustinus, est bona qualitas mentis, qua nullus male utitur. Ideo omnis actus qui elicitive ex virtute procedit, est bonus atque laudabilis. Et si ex caritate imperative nascatur, est meritorius vitæ æternæ. Etenim sine caritate nihil est ita meritorium et Deo acceptum. De-
art. præced. nique dictum est quod finis juris civilis ac regiminis sæcularis sit ordinandus ad divini juris ac spiritualis regiminis finem, qui est vita æterna.

Itaque ad hoc quod principes, rectores ac judices Deo acceptabiliter ac meritorie præsint, regant ac judicent, primo exigitur ut *in caritate, id est in spirituali Dei et proximorum amore, consistant.* Ad quod ad minus exigitur ut non solum immunes sint ab omni amore carnali et privato prædominante ac odio, sed ab omni quoque mortali peccato. Si autem quæratur quid sit ex caritate præesse, regere, judicare; dicendum quod hoc nil aliud est nisi ut servus Dei intuitu et affectu complacendi Altissimo et honorandi eum in omnibus, in se ipso ac subditis, ad gloriam ejus et ad prosperitatem ac pacem communitatis, imo finaliter ad obtinendum salutem æternam sibi ac subditis, exerceat hos actus. Taliter ergo suam dirigat atque rectificet intentionem et actionem omnis præsidens et rector et judex : alioqui in exercitiis et laboribus sui officii non solum nil gratiæ ac gloriæ promerebitur, imo etiam damnationem sibi æternam mercabitur : et hoc ex dictis in præcedenti libro evidenter jam patuit. art. v.

Secundo exigitur ut *judex seu rector publica auctoritate fungatur, jurisdictionemque habeat super eum quem judicat :* ut sit legitimus, non usurpatus legis minister, nec alienam in messem præsumat suam mittere falcem. Per hoc Pilatus conabatur evadere judicationem de Christo, ad Herodem mittens eumdem, de cujus pote- Luc. xxiii, 7.
state seu territorio exstitit Christus. Unde primo narratur Machabæorum, quemadmodum Romani scripserunt sibi subjectis ut Judæos pestilentes ad ipsos confugien- I Mach. xv, 21.
tes transmitterent Simoni principi sacerdotum, quatenus secundum legem Dei sui puniret illos.

Tertio requiritur ut *judex secundum juris tenorem, ordinem et processum ferat judicium,* hoc est secundum allegata et probata, et modum legitimum, seu juxta consuetudinem rectam et approbatam. Hinc, sicut in Actibus legitur, judex dixit pro Pauli defensione Judæis : Non est con- Act. xxv, 16.
suetudo Romanis aliquem damnare hominem, priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi se accipiat ad abluenda crimina quæ ei objiciuntur. Hinc idem gloriosus apostolus Ibid. xxiii, 2, 3.
Paulus principi Judæorum ipsum injuste

percuti præcipienti, ex inspiratione divina A ac zelo justitiæ respondit : Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens secundum legem me judicas, et contra legem me percuti jubes ?

Quarto requiritur ut *judex sit constans,* ita ut sedens pro tribunali, non cedat multitudini male motæ, nec importuno clamori. Propter quod Deus per Moysen jus-
Exod. XXIII, 2. sit : Non sequaris turbam ad faciendum malum, nec in judicio acquiesces sententiæ plurimorum, ut a vero devies. Contra
Matth. XXVII, 18-26. hoc egit Pilatus, qui Christi innocentiam B sciens, evadendique viam habens, cessit clamoribus Judæorum. Quocontra sanctus
Job XXVII, 5, 6. Job fassus est : Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea ; justificationem quam cœpi tenere, non deseram.

Quinto exigitur ut *nequaquam acceptor sit personarum,* sed causas consideret, non personas ; nec unum palpet, portet, excuset audiatve præ alio. Ait quippe Ambrosius : Maximum crimen in præsidentibus est quod attendunt personas, non causas. Unde et in Deuteronomio Moyses C constitutis a se et sub se præcepit judi-
Deut. I, 17. cibus : Ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam. In hoc igitur judex homo conformet se judici Deo, de quo princeps testatur Apo-
Act. X, 34. stolorum : In veritate comperi quoniam non est personarum acceptor Deus. Est demum acceptio personarum directe contraria distributivæ justitiæ, qua unicuique tribuitur secundum dignitatem, dispositionem ac merita sua : idcirco ex suo genere est mortale peccatum. Talem se vo- D
I Reg. XIV, 39. luit Saul rex exhibere, dicendo : Si per Jonathan filium meum factum est malum hoc, absque retractatione morietur.

Sexto oportet ut *judex nequaquam sit levis ad credendum, præsertim accusantibus alios :* imo veritatem inquirat, testes (si videtur) examinet, et omnem suam diligentiam faciat ad cognoscendum quod verum est, prout sanctus Job, plurimo-
Job XXIX, 16. rum judex ac testis, de se ipso fatetur : Causam (inquiens) quam ignorabam, diligentissime investigabam. Maxime quoque observandum est hoc in accusatione enormium scelerum, nisi evidentia facti aut publica diffamia locum suppleat accusatoris. Hinc in Genesi Judex altissimus per modum non credentis, et veritatem per se ipsum scrutari volentis, loquitur Abrahæ de Sodomitis : Clamor Sodomo- *Gen.* XVIII, 20, 21.
rum multiplicatus est ; descendam et videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non. Hæc credendi facilitas in principibus et judicibus cunctisque præsidentibus est vehementer periculosa, et plurimum etiam innocentium ac pauperum oppressiva, sicut et de hoc multa scribit S. Bernardus ad Eugenium Papam. Quod et Assuerus rex expertus, ait : Quidam aures principum sim- *Esther* XVI, 6.
plices et ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. Sic iniquus Siba *II Reg.* XVI, 1-4.
decepit David regem cito et incaute credentem, accusans bonum illum Miphiboseth. Hinc in Ecclesiastico habetur : Qui *Eccli.* XIX, 4.
credit cito, levis est corde, et minorabitur. Salomon quoque in Proverbiis : In- *Prov.* XIV, 15.
nocens (inquit) credit omni verbo ; astutus considerat gressus suos.

Septimo est necesse ut *judex tam justus ac timoratus consistat, ut nulla passione, hoc est, nec timore, nec cupiditate, nec amore, nec odio, declinet a vero et recto judicio, imo potius velit omne perpeti damnum ac mori, quam æquitati et veritati contrariari.* Ideo Moyses dixit : Non accipies munera, quæ excæcant etiam *Exod.* XXIII, 8.
prudentes, et subvertunt verba justorum. Hinc in Ecclesiastico legitur : Xenia et *Eccli.* XX, 31.
dona excæcant oculos judicum, et quasi frenum * in ore, avertunt * correptiones eorum. (* mutus; * avertit) Refert sanctus pater Bernardus libro de Consideratione de quodam legato, quod in suo itinere accepit a quodam equum, quo eguit. Paulo post collator equi pro causa sua accessit legatum tanto fidentius quanto recentius dederat ei equum. Cui legatus : Nesciebam, inquit, te causam habere ; ecce in stabulo stat equus tuus, recipe illum. Denique Cam-

byses rex Persarum unum ex suis judicibus fecit vivum excoriari, quoniam quemdam ex odio judex ille damnaverat. Cujus etiam judicis cutem fecit superponi judiciariæ sedi in qua filius illius excoriati sedebat ad judicandum, ut mortem patris sui rememorando, injustum vitaret judicium.

Octavo necesse est ut *in judicando non sit nimium compassivus.* Nempe per Moysen Dominus ait : Pauperis non misereberis in judicio. (*Exod.* XXIII, 3.) Verumtamen judices exhibere se debent pios pauperibus judicando, quantum valent sine alterius partis præjudicio et absque derogatione justitiæ. Idcirco in Ecclesiastico scriptum est : In judicando esto pupillis quasi pater. (*Eccli.* IV, 10.) Unde sanctus Job protestatur : Quum sederem quasi rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator. (*Job* XXIX, 25.) Vehementer ergo damnabiles sunt, qui miserabilibus personis, videlicet orphanis, pupillis, viduis, pauperibus, tristibus et afflictis, præbent se duros aut asperiores quam magnis, divitibus atque potentibus. Ideo Salomon loquitur : Non facias violentiam pauperi, neque conteras egenum in porta, (*Prov.* XXII, 22.) id est in loco judicii : quia in portis olim judices residebant, ut ab omnibus facilius haberentur.

Postremo, sunt alia quædam quæ ad judicem spectant et exiguntur ad hoc quod dignus sit judicare, videlicet bonitas vitæ : quia indignus est alios judicare, qui in eisdem aut majoribus est peccatis de quibus judicat alios ; et rursus, quoniam nemo est prudens nisi virtuosus : prudentia autem ad judicem præcipue pertinet, sicut justitia, ut ostensum est supra. Item, judicis est non admittere preces in præjudicium alterius partis aut æquitatis.

ARTICULUS XVII.

De pertinentibus specialiter ad principes.

ECCE *in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt ; princeps* (*Is.* XXXII, 1, 8.) quoque *ea quæ digna sunt principe cogitabit, et ipse super duces stabit.* In populo christiano multiplex ordo est in potestate, jure atque regimine sæculari, civili, politico. Est quippe potestas suprema in statu et ordine isto imperialis, præsertim monarchica, deinde regalis, ducatus, comitatus, item magnatum, baronum, militum militariumque virorum. His omnibus hoc exstat commune, quod quanto altioris sunt potestatis ac præsidentiæ latioris, tanto ad ampliorem virtutum tenentur perfectionem, quatenus ad suorum exsecutionem officiorum idonei sint et condigni. Quum enim homo se ipsum salubriter regere nequeat sine prudentia ac virtute : quomodo totam communitatem poterit efficaciter gubernare sine grandi prudentia et virtuositate præclara ?

De his ergo sint hæ regulæ :

REGULA PRIMA.

Non solum principem in spiritualibus, utputa summum Pontificem et unumquemque episcopum, sed etiam principem in temporalibus atque civilibus, oportet esse virum heroicum, divinum, perfectum, si sua officia digne implebit.

Ad superiorem namque in utroque regimine pertinet omnes sibi subjectos dirigere, virtuosos efficere, a vitiis removere, caritative ac pie corripere ; non vinci a malo, sed in bono vincere malum : (*Rom.* XII, 21.) quod totum implere, magnæ exsistit prudentiæ et virtuositatis præcipuæ. Itaque, sicut sol cuncta cœlestia atque terrestria corpora sui luminis exuberanti claritate perfundit, illustrat ac ornat ; sic princeps splendore suæ prudentiæ et suarum vigore virtutum universos sibi subjectos debet illuminare ac gubernare, a peccatis retrahere, ad vitam virtuosam, quietam pacificamque inducere.

Hoc strenue impleverunt electi reges in veteri Testamento Ezechias, Josias, et alii quidam : qui totius regni sui populum ab idololatria purgaverunt, atque ad debitum veri Dei cultum reduxerunt, prout quarto Regum et secundo Paralipomenon recita- (IV *Reg.* XVIII, 4 ; XXIII, 3 et seq. ; II *Par.* XIV, 2 et seq.)

tur. Tales quoque fuerunt fideles illi ju- A
dices Israeliticæ plebis, quos Apostolus
in epistola ad Hebræos connumerat inter
Hebr. XI, 32. 33. sanctos : Deficiet (inquiens) me tempus
enarrantem de Gedeon, Barac, Samson,
Jephthe, David et Samuel, qui per fidem
vicerunt regna, etc. Qui populum Dei in
cultu Deitatis conservaverunt, prout in li-
Judic. IV et seq. bro Judicum enarratur. Insuper etiam re-
ges quidam gentiles tales suo modo fu-
erunt. Etenim de virtutibus principum
Romanorum et aliorum magna et mira
leguntur. Unde et in libro Esther Assuerus B
rex scripsisse legitur in hunc modum :
Esther XIII, 1, 2. Rex maximus Artaxerxes subditis suis sa-
lutem. Quum pluribus gentibus impera-
rem, et universum orbem meæ ditioni
subjugassem, nequaquam volui magnitu-
dine abuti potentiæ, sed clementia et le-
nitate gubernare subjectos, ut absque ullo
terrore vitam silentio transigentes, op-
tata cunctis mortalibus pace fruerentur.

Præterea, pro hac causa a subditis esse
orandum docet Apostolus, ad Timotheum
I *Tim.* II, 1, 2. dicens : Obsecro primo omnium fieri ob- C
secrationes, orationes, postulationes, gra-
tiarum actiones pro omnibus hominibus,
pro regibus et omnibus qui in sublimi-
tate sunt constituti, ut quietam et tran-
quillam vitam agamus in omni pietate.

REGULA II.

Princeps tenetur in fide, spe et caritate esse ita perfectus, ut tempore opportuno paratus sit, ex caritate Dei Patris atque Ecclesiæ suæ matris, pro de- D
fensione fidei christianæ juxta vires et opes suas usque ad sanguinem decertare, imo et mortem pati pro fide.

Si enim, ut in prima sua scribit Cano-
I *Joann.* III, 16. nica S. Joannes, debemus pro fratribus
animas ponere, quanto magis pro Christo
et fide? Denique ex jure divino et humano principes ad hoc præcipue obligantur, potissime Imperator, deinde reges, principesque majores, ac ceteri juxta suæ ordinem potestatis.

Tales olim fuerunt christianissimi Imperatores, reges, duces et comites, barones ac milites, Theodosius, Carolus Magnus palatinique ejus, Otho, Henricus, Godefridus Bolonius, et alii multi. Heu, quales modo sunt principes nostri, qui et contra se invicem crudeliter debacchantur, suosque adjuvant inimicos ad dilaniandum, conculcandum et opprimendum propriam matrem sanctam Ecclesiam, sicque adversarios crucis Christi lætificant! Porro de præclarissimis victoriosisque præliis principum præfatorum contra perfidos Sarracenos ac ceteros infideles, in Speculo historiali et Chronicis plurima continentur : ubi et inter cetera legitur quemadmodum Carolo Magno rege orante, sol stetit in cœlo immobilis tribus horis, quousque rex ipse pervenit ad Sarracenos, a quibus electissimi palatini sui Rolandus et Oliverus fuerant interfecti, interfecitque Carolus cunctos perfidos quos invenit.

REGULA III.

Ad principem quædam virtutes morales spectant. Primo enim valde spectat ad eum justitia, quum ad hoc constitutus sit rex sedeatque in throno regali, ut inter subditos suos faciat justitiam observari, et unicuique quod suum est reddi, adjudicari ac fieri.

Hinc Salomon loquitur : Rex qui in ve- *Prov.* XXIX, 14.
ritate judicat pauperes, thronus ejus in
æternum firmabitur. Et in libro Sapientiæ
scriptum est : Diligite justitiam, qui ju- *Sap.* I, 1.
dicatis terram. Job quoque : Justitia (in- *Job* XXIX, 14.
quit) indutus sum, et vestivi me quasi
diademate judicio. Hinc de David rege as-
seritur : Faciebat omni populo suo judi- II *Reg.* VIII, 15.
cium et justitiam. Ad hoc quippe instituta
est dominatio sæcularis, ut communitas pacificam ducat vitam. Quod esse non valet, nisi subditi a mutua infestatione compescantur, et unicuique quod suum est restituatur aut conservetur : quod totum est opus justitiæ. Propter quod disseruit

Is. XXXII, 17. Isaias : Erit opus justitiæ pax. Hinc princeps debet in se ipso esse tam justus, ut nullius appetat bona, nulli injurietur, et sine personarum acceptione cunctis justum exhibeat semper judicium. Talis fuit
Num. XVI, 15. Moyses, qui loquebatur ad Dominum : Tu scis quod ne asellum quidem unquam ab eis acceperim, nec afflixerim quemquam eorum.

REGULA IV.

Ad prudentiam princeps valde adstrin-
art. præced. *gitur,* prout supra est declaratum de judice.

Nam et judicare etiam de ipsis judicibus ad principem pertinet. Imo tanto ei præ ceteris virtutes magis exsistunt necessariæ, quanto plura habet considerare, expedire et agere. Hinc eo major prudentia copiosiorque discretio, quæ prudentiæ actus est, spectat ad ipsum : præsertim quum prudentia seu discretio omnium sit virtutum directrix, auriga et moderatrix.

Sap. VI, 23, 26. Hinc scriptum est : Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis; multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum, et rex sapiens populi stabilimentum
Eccli. X, 1. est. Unde in Ecclesiastico legitur : Principatus sensati stabilis erit. Rursus quoque
Ibid. 1, 3. ait Scriptura : Judex sapiens judicabit populum suum; rex autem insipiens popu-
II *Par.* I, 10-12. lum suum perdet. Hinc Salomon placuit Deo in hoc quod sapientiam atque prudentiam petiit sibi conferri a Deo. Theodosius quoque de nocte sedit ad lampadem studens, et personaliter oleum sibi infudit. Sic et Justinus imperator, Carolus Magnus, et alii christianissimi principes quidam studiosi valde fuerunt, et præcipue Ptolemæus, gentilis rex Ægypti, qui omnium gentium libros in sua voluit libraria habere, et plus quam septuaginta millia in ea habebat voluminum. Væ ergo principibus christianis qui studio litterarum relicto, pigritiæ et vitiis vacant carnis.

REGULA V.

Clementia multum ad principem attinet, quemadmodum Salomon ait : Roboratur clementia thronus regis. *Prov.* XX, 28.

Unde, Deo sic ordinante, rex apum caret aculeo. Tullius quoque in laudibus Julii Cæsaris : Nulla, inquit, de virtutibus tuis plurimis, nec gratior nec admirabilior misericordia est. Quum enim tanta sit humana fragilitas pronitasque peccandi, oportet rigori justitiæ miscere clementiam, atque attendere an quis ex ignorantia vel infirmitate aut ex proposito peccet, et iterum an ex se ipso, an aliunde inductus peccaverit.

Sic Romani adhuc gentiles, clementia sua ac prudentia magis quam viribus orbem sibi subjugaverunt. Unde, quum Julius imperator post plurima prælia prævaluisset, et caput Pompeii a rege potente abscisum sibique missum vidisset, lacrimas fudit, reminiscens probitatem fortitudinemque Pompeii. Sed et David rex non- II *Reg.* XIX, 18-23.
ne prostrato coram se Semei læsæ majestatis reo mox ignovit, prout secundo Regum describitur?

REGULA VI.

Fortitudo, magnanimitas et liberalitas omnino condecent principem.

Fortitudo quippe est virtus moralis ac cardinalis passionem timoris refrenans, et inter formidinem atque audaciam medium servans : et ita ad congrediendum ac præliandum aptum efficit hominem. Quum ergo in rebus bellicis oporteat principem esse virilem, alacrem et exemplarem, spectat ad eum excellentia hujus virtutis.

Magnanimitas quoque est virtus moralis per quam homo se habet vere nobiliter, parva et vilia parvi pendens, et ea quæ vere magno honore sunt digna exercens, videlicet opera sublimiter virtuosa, laudabilia ac prædigna : quod totum certum est ad principem præcipue pertinere.

Porro liberalitas, prout nunc sumitur,

magnificentiam in se claudit, et est virtus munifica per quam quis sua secundum rationem communicat : quod ad principem attinet eminenter, qui liberalitate sua se facit amabilem, cupiditate vero odibilem.

Insuper multa consimilia excellenter ac specialiter reges, principes, judices et universos qui præsunt, concernunt ac ornant : ut mansuetudo, patientia, moderantia alimentorum ac venereorum, imo et humilitas, quæ tanto plus necessaria eis est, quanto majori indigent gratia Dei. Ira autem et impatientia ac voluptas rationem potissime obtenebrant et absorbent : ideo eis valde vitandæ sunt.

Insuper tempus fructuose expendere obligantur, se occupando assidue in iis quæ bonum concernunt commune. Idcirco in jocis, ludis, risibus, confabulationibus, choreis, venationibus, spectaculis tempus expendere prohibentur : tamen pro recreatione honesta ludis moderatis suo tempore possunt vacare. Torneamenta demum et hastiludia in jure prohibentur districte. Verumtamen, quum in rebus bellicis maxima exstent pericula, et exercitatio atque peritia in eisdem maxime prosint in bellis, prorsus conveniens est ut princeps et ejus ministri in talibus exercitati sint et periti, juxta modos quos in libro de Re militari scribit Vegetius. Attamen per hoc non oportet torneamenta sic exercere sicut jam communiter fiunt, nec illum modum docet Vegetius.

Præterea obligatur princeps universis et singulis, præcipue suis domesticis, consistere exemplaris, delinquentes corripere, uxorem suam, proles atque familiam a pompis et curiositatibus excessuque multiplici in vestitu et ornamentis reprimere, juramenta quoque quæ fiunt per membra intestinaque Christi, penitus prohibere sub pœnis in Jure taxatis : nam et leges civiles sub certis pœnis prohibent ea. Similiter ludi talarii et adulteria sunt ab urbibus boni regiminis exstirpanda. Verumtamen hoc etiam potissime ad principes pertinet, ut circa suos officiatos sint summe solliciti, inquirendo qualiter in suis se gerant officiis, an juste et prudenter exerceant ea, et tales sint ac taliter conversentur, ut supra, articulo præcedenti, scriptum est, ad judices pertinente. Item provideant ut officiati ac judices moras superfluas et frustratorias vitent dilationes in suis judiciis, ne causam habentes, protractione sententiæ, expensis, damnis laboribusque graventur : alioqui judices tenentur illis ad recompensam. Quod si princeps perceperit aliquos officiatos se injuste habere, egenos opprimere, justitiam violare, magnis involvi criminibus, eos deponat, nisi admoniti se emendent. Nec ad officia promoveat promoverive sinat nisi viros idoneos, justos, prudentes.

Præterea fervens sit circa honorificentiam et augmentum cultus divini. Et quamvis non habeat auctoritatem et jurisdictionem super spirituales personas et clerum, tamen, ut Deo magis sit gratus, et ut bonum reipublicæ amplius prosperetur, condecens est ut princeps omnem ad hoc diligentiam et conatum adhibeat, quod ecclesiasticæ personæ in territorio suo, videlicet monachi et moniales religiosique alii, atque presbyteri, canonici quoque, quantum possibile est reformentur, et ad hoc peragendum dispensationem acquirere.

Postremo, quo princeps sublimioris est dignitatis, ac pro pluribus redditurus est rationem, et majora ac plura desuper beneficia est sortitus, eo plus indiget indesinenter timoratus, custoditus atque sollicitus esse coram Judice summo omnia intuente, ipsum judicaturo. Idcirco prudenter ac profunde advertat omnique die sæpius penset illud Sapientiæ : Audite, reges, et intelligite ; discite, judices finium terræ ; præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum : quoniam data est vobis potestas a Domino, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes vestras scrutabitur. Quoniam quum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum volunta- *Sap.* VI, 2-7, 9.

tem Dei ambulastis, horrende et cito apparebit vobis : quoniam judicium durissimum in iis qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia ; potentes autem potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatus.

De his et consimilibus quæ ad reges, principes ac judices pertinent, et istam concernunt materiam, hic superficialiter transeo : de quibus in opusculis de Regimine principum, et de Regimine politiæ, plenius scripsi. In quibus et diffuse tractatum est qualiter princeps debeat secum semper habere viros eruditos, justos, expertos ac Deum timentes, et eorum uti consiliis ; itinera quoque totius territorii sui tenere secura : alioqui tenetur spoliatis atque injuriam passis restitutionem recompensamque facere.

Cf. t. XXXVII, p. 377 B et s.; XXXVIII, p. 12 D' et s.

ARTICULUS XVIII.

De moribus nobilium.

Prov. XXXI, 23.

NOBILIS in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ. De diversis moribus hominum diversorum in libris Politicorum tractat Philosophus. Denique, quamvis idem homo sit nobilis et dives ac potens, alios tamen habet mores in quantum nobilis, alios in quantum dives, et alios in quantum potens. Item, idem homo alios habet mores in adolescentia, alios in juventute, alios in senecta. Sicque mores in hominibus diversificantur dupliciter, utpote ab ætate et a fortuna ; cujus bona sunt nobilitas generis, opulentia et potentia : non quod hæ providentiæ non subsint divinæ, sed quod substernuntur mutabilitati assiduæ instar fortunæ, et ob causam subtiliorem alibi introductam, quæ nequit intelligi nisi sciatur quid fortuna, quid casus sit.

Cf. t. V, p. 67 B et s.; XXVI, p. 169 C' et s., 563 D' et s.

Præterea, prædicatori verbi cœlestis expedit scire diversos diversorum hominum mores, ut sciat qualiter quoslibet ac diversos diversimode debeat informare, quatenus bonos mores ad quos apti sunt, student in se excolere, perficere, stabilire, malos vero mores eradicare conentur.

A

Itaque de moribus nobilium personarum sit hæc regula prima :

REGULA PRIMA.

Nobiles communiter ex ingenita dispositione exsistunt magnanimi.

Ut enim ait Philosophus, nobilitas est virtus generis. Hinc etenim homines nobiles appellantur, quoniam ex honorabili genere prodierunt. Genus quoque honorabile nuncupatur, si ex antiquis diebus præsides et insignes sunt exorti ab eo.

B

Porro ad dignitates atque officia solent divites promoveri : idcirco nobilitas dicitur opulentia antiquata. Unde conspicimus, quod dum nobiles personæ incipiunt depauperari, incipiunt et ignobilitari. Verumtamen nobilitas ista specialiter atque præcipue esse videtur ingenita quædam probitas et magnanimitas cordis. Dispositionem etenim corporis dispositio animæ sequi solet.

C

Verumtamen magnanimitas ista ingenita, quamvis sit dispositio ad virtutem, et ipsa magnanimitas præclara sit virtus, similitudinem tamen habet in actibus suis cum animositate ; et nisi nobiles in humilitate se exerceant diligenter, mox ad superbiam multiplicem delabuntur. Denique, nisi sint vere sapientes et desuper illustrati, suam carnalem nobilitatem nimis appretiantur, et ob eam se erigunt ac præferunt illis qui in charismatibus gratiæ et spiritualibus donis, aut etiam in naturalibus, multo digniores sunt ipsis.

D

Imo comparatione sapientiæ ac virtutum, nobilitas carnis modici est momenti. Admonendi ergo sunt nobiles ut ista pensantes, humilient semetipsos, et pauperes ac devotos præferant sibi in cordibus suis, veramque magnanimitatem ac probitatem jugiter amplectantur, vitiorumque sordes et vitam degenerem ac brutalem abhorreant, atque in præclaris operibus sublimiterque virtuosis exerceant se strenue, sicut filia regis sancto fertur dixisse Georgio : O bone ju-

venis, ut video, magnanimus es tu et cordis magnifici.

REGULA II.

Personæ nobiles communiter exstant magnificæ, hoc est ex naturali dispositione ad sumptus magnos et ad opera eminentia inclinatæ.

Imo in iis suos frequenter conantur parentes excedere, sicut et illis nobiliores censentur : quoniam proles ex utroque parente nobilitatem sortitur, et quo ista nobilitas per plures successiones diffunditur, eo fit major.

Verum ex magnificentia ista nobilium multoties multa mala sequuntur, dum propriis bonis dilapidatis, aut partim deficientibus, vel minus sufficientibus reputatis, aliorum bona invadunt, aut dum inferiores ad expensas inducunt superfluas. Admonendi sunt ergo ut discretione regantur temperantiamque observent, et non nisi exigentibus rationabilibus causis excellentias quærant prætactas loco et tempore opportuno, imo omnem magnanimitatem et magnificentiam suam juxta evangelicæ legis præcepta gubernent ac
Matth. VII, 14. moderentur : pensantes quod arcta sit via vitæ et angusta porta salutis ; et quod ait
Luc. XXI, 34. Salvator : Videte ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate, aut curis hujus
Ibid. VI, 25. sæculi ; itemque : Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; atque quod ait Aposto-
Galat. V, 24. lus : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

Denique, quidam potentissimi reges et Imperatores gentiles leguntur valde sobrii exstitisse, sicut de Octaviano narratur imperatore quod modicissimi cibi fuit et vulgaris, panem, pisciculos, caseum bubalinum ac virides ficus cupiens et manducans.

REGULA III.

Nobiles communiter sunt industrii, dociles et capaces.

Etenim ab infantia diligentius instruuntur, et inter nobiles expertos et morigeratos conversantur : sicque verentur et erubescunt se imprudenter habere, et actus suos considerant, ac circumspecti esse assuescunt. Hinc principes vigilantissime curent ut proles eorum ab idoneis instruantur magistris, nec ab adulatoribus atque lusoribus seducantur.

REGULA IV.

Nobiles communiter sunt affabiles, sociales, politici.

Et hoc sequitur ex prædictis : quoniam ab infantia inter curiales nutriuntur, et instruuntur qualiter se debeant aliis applicare, et in medio hominum conversari, seque amabiles ac venerabiles aliis exhibere. Attamen immoderatam familiaritatem ad inferiores, quæ parit contemptum, vitare debent.

Insuper ex præhabitis innotescit, quod *nobiles communiter sunt ceteris audaciores, in armis agiliores.* Imo, ut ait Albertus in libro de Laudibus beatissimæ Virginis, frequenter contingit quod filius regis aut principis, quamvis phlegmaticæ complexionis, sit magis audax et probus quam filius rustici, quamvis sanguineus.

Verumtamen mores ii, quamvis ad virtutes disponant, faciliter tamen et frequenter in vitia magna degenerant, ita quod nobiles tam se ipsos quam suos subditos et adjutores in grandia præcipitant mala, pericula, bella ac damna.

Hinc quoque tres ponuntur vituperabiles nobilium mores. Primo, quod sunt nimis ambitiosi, et quanto plus honorantur, tanto ad majores anhelant honores : quemadmodum qui ditari et voluptuari incipiunt, ad divitias atque delicias magis quam ante adspirant. Informandi sunt ergo ut divini rigorem judicii advertentes, suas dignitates atque officia non reputent nisi servitutes ac onera, et quanto ob suam eminentiam amplius honorantur, tanto æternaliter graviorem sustinebunt confusionem et pœnam, nisi secundum mensu-

ram suæ dignitatis sint justæ ac virtuosæ A conversationis. Denique revera omnes dignitates, prælationes et præsidentiæ populi christiani sunt servitutes ac onera : quia ad commodum et profectum subditorum finaliter ordinantur, et ad multa obligant eos qui præsunt. — Secundo nobiles communiter aspernantur suos progenitores : quia, ut tactum est, reputant se illis nobiliores. Sed istud est valde perversum : quoniam quantumlibet fuerint nobiliores, tamen jure naturali et divino ac humano tenentur honorare parentes, et B ipsis debitam reverentiam deferre. — Postremo, quum sint communiter ambitiosi, faciliter irascuntur, indignantur : imo et parvam injuriam reputant gravem, et sæpe pro parvis causis movent litem et pugnam, sicque suos subjectos diversis exponunt periculis.

Itaque qui carne sunt nobiles, studeant mente nobiles esse, vitam bestialem, carnalem, Deo rebellem semper vitando, et divinis obediendo præceptis : quia nil vilius, nil ignobilius quam vitiis ac diabolo C deservire, nec Deo debitam reverentiam exhibere. Propter quod ipse primo Regum
I *Reg.* II, 30. testatur : Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum ; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Hinc, sicut nobiles volunt sibi a suis subditis reverenter serviri prompteque obediri, ita et ipsi Deo omnipotenti, incomparabiter honorando, humili mente ac prompto animo obsequantur et in cunctis obediant.

ARTICULUS XIX.

De moribus divitum.

Matth. XIX, 24. F*ACILIUS est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Hoc Dominus et Salvator de divitibus suis divitiis abutentibus, est locutus. Et quoniam divitiis communiter abutuntur, Philosophus dicit omnes divitum mores esse vituperabiles præter unum. Ait namque in Politicis :

REGULA PRIMA.

Divites communiter sunt superbi.

Quum enim omnia mensurentur numismate, habendo divitias, reputant se quasi omnia habere; et quoniam vident se reputari, ambitiosi redduntur appetendo promotiones. Advertant ergo quod in Ecclesiastico scriptum est : Avaro nihil est *Eccli.* X, 9, 10.
scelestius ; nihil est iniquius quam amare pecunias : hic enim et animam suam habet venalem. Et quod asserit Filius Dei : Quam difficile, qui pecunias habent, in- *Luc.* XVIII, 24.
trabunt in regnum cœlorum ! Cur ergo inde te extollis quod æterna Sapientia ita contemnit et tantorum origo est vitiorum ?

REGULA II.

Divites solent esse contumeliosi.

Quum enim superbi sint, contemptum et injuriam perpeti nolunt : imo parvam injuriam æstimant grandem ; sicque verbis et factis inferunt ultionem, nisi forsan timore damni temporalis omittant. Hinc scriptum est in Proverbiis : Ubi fuerit su- *Prov.* XI, 2.
perbia, ibi erit et contumelia ; ubi autem humilitas, ibi et sapientia. Et denuo Salomon fatetur : Inter superbos semper sunt *Ibid.* XIII, 10.
jurgia. Hi ergo sunt instruendi ut considerando quam frequenter atque enormiter Deum offenderint, omni se reputent confusione parvipensioneque dignos, intuendo quoque quæ et quanta pro ipsis pertulerit Unigenitus Patris æterni, discant ejus vestigia sequi, et in adversis ac perse- D cutionibus magis quam in divitiis glorientur.

REGULA III.

Divites solent esse intemperantes, molles, lascivi, eo quod delicate alantur, et per gulam incurrunt luxuriam : imo suæ cupiditatis et elationis demeritis ad venerea delabuntur.

Propter quod ait Dominus : Væ vobis di- *Luc.* VI, 24.
vitibus qui habetis consolationem vestram.

Instruendi sunt igitur quemadmodum omnis Christifidelis ad vitam pœnitentialem, carnis castigationem, concupiscentiarum refrenationem tenetur, et quod dives epulo in inferno guttam aquæ frigidæ nequeat impetrare.

Luc. XVI, 4-26.

REGULA IV.

Divites communiter sunt præsumptuosi, et de suis se jactant divitiis, et proni sunt spernere pauperes.

Idcirco, ut scriptum est in libro Sapientiæ, in fine dicturi sunt : Quid nobis profuit superbia ? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis ? Hinc Apostolus scripsit ad Timotheum : Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo ; bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare.

Sap. V, 8. — *I Tim.* VI, 7, 18.

REGULA V.

Divites communiter arbitrantur se dignos officiis dignitatis.

Dictum est enim, quod numismate, secundum opinionem vulgi, omnia mensurantur. Idcirco habendo divitias, cunctis terrenis honoribus reputant se condignos, non pensantes quod prudentia et virtutes faciant hominem officiis dignum et aptum.

Ponit autem Aristoteles unum dumtaxat laudabilem divitum morem, videlicet quod bene se videntur in divinis habere : quod tamen communiter ex amore procedit privato et ad se reflexo, potius quam ex caritate Dei sincera. Credunt enim divitias sibi ex providentia divina concessas : quas et amittere metuunt, si Deum non colant. Porro, quod ex caritate sincera Deum non colant altissimum, sed ob propria commoda, constat ex hoc quod peccata non vitant mortalia : ideo per temporalia remunerantur, nec æternam beatitudinem promerentur.

Nobiles demum, quanquam et ipsi sint divites, hos divitum fugiant mores. Imo, quum in hac vita prosperari, ditari et exaltari, sit summe periculosum, et reprobis magis quam electis conveniat, mirum quod quis ex sua opulentia et prosperitate terrena extollitur et lætatur, nisi sit penitus excæcatus. Ideo dixit Psalmista : Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. *Ps.* LXI, 11.

ARTICULUS XX.

De moribus potentium.

Deus potentes non abjicit, quum et ipse sit potens. Per potentes hic designantur qui in principatu sunt constituti atque suo dominio multos habent subjectos. Horum potentium mores in tribus præcipue divitum mores excedunt, sicut declarant sequentia.

Job XXXVI, 5.

REGULA PRIMA.

Potentes communiter sunt magis studiosi et melius occupati quam divites in officiis non constituti.

Potentes etenim ratione præsidentiæ suæ occupantur quotidie circa causas et negotia subditorum, et circa concernentia utilitatem communem reipublicæ, et sciunt gesta sua considerari ac divulgari a multis, atque ex negligentiis suis gravia et intolerabilia mala oriri. Ideo verecundantur ac verentur torpori ac otiositati vacare, practicisque iniquis intendere : quod divites nulla functione publica præditi non ita devitant, sed loquacitati, ludis, jocis, otiositati frequenter intenti sunt.

REGULA II.

Potentes magis temperati ac sobrii sunt quam divites non officiati.

Nam ratione et occasione officiorum suorum variis curis, inquisitionibus et expeditionibus judicialibus occupati, non ita inveniunt tempus immorandi conviviis, intemperantiis, otiisque diversis, quemad-

modum divites otiosi. Imo potentes illi a plurimis exspectantur, evocantur, acceduntur, interrogantur ac molestantur : in tantum quod quidam potentes ac principes, imo et prælati, talibus attædiati, reliquerint sæculum, et religiosam assumpserint vitam. Quidam vero tempus suum quotidianum prudentissime distinxerunt, certis horis vacantes divino Officio, certisque horis determinationi et pertractationi causarum, aliis horis propriarum dispositionibus rerum necessitatibusque naturæ in refectione et somno : quemadmodum in Speculo historiali fertur de quodam Angliæ rege qui diem divisit in tres partes, vacans quotidie octo horis cultui Dei, et octo horis negotiis regni, octoque horis necessitudinibus corporis.

REGULA III.

Potentes et officiati solent esse minus contumeliosi et injuriosi quam divites.

Quum enim sui obligatione officii teneantur ceteros ab aliorum læsione compescere, contumeliosos, iracundos reprimere, ac punire injuriatores, valde turpe est eis talia perpetrare, verecundanturque inde ; vel si impetu passionum vincuntur, et iræ dejiciuntur furore, graves et magnas inferunt læsiones, injurias, damna : idcirco, secundum Philosophum, aut non injuriantur aliis, aut multum injuriantur. Divites vero non ita retrahuntur pudore, sed modo injuriantur utroque.

Verumtamen quidam sunt potentes ac judices cupidi, crudeles, tyrannici ; de quibus per Isaiam loquitur Dominus : *Is.* x, 1,2. Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitias scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium. Unde rursus per Isaiam talibus loquitur Deus : *Ibid.* III, 15. Cur atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? De quibus et in Michæa legitur : *Mich.* III, 3. Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt ; et in Amos propheta : *Amos* VI, 13. Convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium.

De quorum justa ac intolerabili damnatione per Jeremiam protestatur sermo divinus : Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, et tempestas erumpens super caput impiorum veniet ; non revertetur furor Domini usque dum faciat. *Jer.* XXIII, 19, 20. De quibus denuo per Jeremiam Dominus loquitur : Dabo eos in opprobrium sempiternum, et in ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur ; *Ibid.* 40. et in vexationem et maledictionem, et in stuporem et sibilum. *Ibid.* XXIX, 18. Ecce tale tamque durissimum fiet judicium eis qui præsunt injuste. *Sap.* VI, 6. Et quos delectat esse judices hominum, non delectabit paulo post videre judicem Christum. Imo, ut sanctus ait Gregorius, unusquisque præsidens toties ad apostasiæ crimen delabitur, quoties præesse hominibus cupit aut delectatur.

ARTICULUS XXI.

De moribus juvenum.

JUVENES *hortare ut sobrii sint.* *Tit.* II, 6. Sumuntur hic juvenes prout adolescentes quoque juvenes nuncupantur, secundum quod in Ecclesiaste habetur : Lætare, juvenis, in adolescentia tua. *Eccle.* XI, 9.

Porro profundus et sagax ille indagator ac perscrutator naturæ Aristoteles sex ponit laudabiles juvenum mores.

REGULA PRIMA.

Juvenes enim solent esse liberales.

Nondum enim perpendunt futura, nec inopiam magnam aut diuturnam perpessi sunt. Divitias quoque quas habent, faciliter et sine suo labore, utpote a suis parentibus, sunt adepti. Hinc largiter eis utuntur, et interdum prodigaliter eas consumunt. In quibus illud Proverbiorum adimpletur : Substantia festinata minuetur ; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. *Prov.* XIII, 11.

Instruendi ergo sunt adolescentes ac juvenes ne liberalitatem suam in prodigalitatem convertant, ne immoderatos fa-

ciant sumptus, ne luxuriose vivendo suam consumant substantiam, et ne quid suis parentibus subtrahant, quum Salomon fassus sit : Qui aliquid subtrahit a patre suo (Prov. xxviii, 24.) aut a matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. Præterea, grande est crimen, progenitorum labores, sudores patrimoniumve prave consumere : præsertim quum et S. Ambrosius libro ([III Reg. xxi, 2-14.]) de Officiis asserat Naboth martyrem esse, quoniam lapidatus est eo quod hereditatem parentum suorum noluerit vendere regi, nec commutare.

REGULA II.

Juvenes bonæ communiter sunt spei, satisque animosi.

Pauca quippe experti sunt, et raro difficultatem, periculum aut repulsam sunt passi. Sanguis quoque fervet in eis et calor cordis : sicque confidunt adipisci cupita et prævalere. Informandi sunt igitur ne periculis ingerant se incaute, et ne præsumptuosi efficiantur, sed ratione se regant et virtute, et aliorum eventibus instruantur. Etenim felix, quem faciunt aliena pericula cautum. Et Salomon loquitur (Prov. xix, 25.) : Pestilente flagellato, stultus sapientior erit. Et præsertim in bellis necessaria est cautela.

REGULA III.

Juvenes solent esse magnanimes atque magnifici.

Et hoc sequitur ex prædictis. Quum enim sint liberales et bonæ spei, magna agere nituntur, et majora quam alii, quoniam laudis et famæ sunt cupidi. Verum docendi sunt ut suis limitibus sint contenti, vanitatem abjiciant, atque a Deo honorari atque glorificari cupiant ac conentur.

REGULA IV.

Juvenes communiter non sunt faciliter suspiciosi, aut moris maligni.

A Nondum enim aliorum fraudes, proprietates atque nequitias sunt experti ; sed quales sunt ipsi, tales esse alios opinantur, nec de aliis judicant nisi secundum ea quæ in se ipsis conspiciunt. Attamen in hac re debent circumspecti consistere, ne fallantur, sed potius discant et sciant varias hominum esse proprietates.

REGULA V.

Juvenes solent esse compassivi.

B Nam, ut tactum est, non faciliter malum de proximis suspicantur : ideo æstimant eos innocenter quodammodo pati. Quod item contingere valet ex teneritudine cordis ipsorum ac naturæ mollitie.

REGULA VI.

Juvenes naturaliter sunt verecundi.

Verecundia namque quidam (ut ait Aristoteles) est metus dedecoris et infamiæ. Quumque honoris et laudis sint avidi, metuunt C vituperari, et valde verentur confundi : atque per hoc a multis retrahuntur excessibus ; estque verecundia passio in eis laudabilis.

Insuper ponit Philosophus sex mores juvenum et adolescentium vituperabiles.

REGULA PRIMA.

Juvenes namque communiter passiones suas sequuntur, animositatem cordis D *et concupiscentiam carnis.*

Sunt enim ratione minus vigentes, inexperti, et sanguine calidi. Sunt igitur instruendi ut discant et assuescant se frangere, castitati et probitati operam dare, sua quoque præmeditari novissima, passionemque Christi, pensantes quod princeps hortatur apostolici chori : Obsecro (I Petr. ii, 11.) vos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam ; et quod in Ecclesiastico legitur : Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua aver- (Eccli. xviii, 30, 31.)

tere; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. Inde nimirum in Proverbiis multa sunt scripta. Etenim Proverbiorum septimo Salomon ait : Video vecordem juvenem, et ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas ; statim sequitur eam quasi bos ductus ad victimam, ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus, et nescit quia de periculo suæ animæ agitur.
Prov. VII, 7, 10, 22, 23.

REGULA II.

Juvenes solent esse animo inconstantes ac cito vertibiles.

Anima quippe corporis sui dispositionem multoties sequitur : in corporibus autem juvenum est abundantia motuum et humorum, et alteratio frequens ac ingens. Sunt quoque intellectu minus vigorosi, et passionibus agitantur. Ideo in libro Proverbiorum dicitur : Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro : viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio maris, et viam viri in adolescentia sua. Sunt igitur exhortandi ad salubrem cordis constantiam, quæ per sapientiam et virtutes acquiritur. Estque inconstantia illa vitium inhonestum ac puerile. Propter quod in Ecclesiastico fertur : Homo sanctus in sapientia manet ut sol, stultus vero ut luna mutatur ; et denuo : Non te ventiles in omnem ventum ; esto firmus in via Dei et in veritate sensus tui, et prosequatur te verbum pacis et justitiæ.
Ibid. XXX, 18, 19. — *Eccli.* XXVII, 12. — *Ibid.* V, 11, 12.

REGULA III.

Juvenes faciliter credere solent.

Nam, ut patuit, nequitias, fraudes variasque hominum proprietates nondum experti sunt. Quemadmodum etiam in se non sunt malitiosi, ita nec alios tales exsistere suspicantur. Talis autem credulitas periculosa est, et inexperientiæ ac imprudentiæ A signum, sicut supra, sextodecimo articulo hujus secundi libelli, ostensum est. Ideo ait S. Joannes : Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint.
I *Joann.* IV, 1.

REGULA IV.

Juvenes solent esse proni ad inferendum aliis contumeliam atque injuriam, et male audaces sunt.

Adhuc enim passionibus subduntur com- B muniter, et volunt eminentes videri, idque reputant ad suum pertinere præconium quod non cedunt nec deferunt, sed prævalent aliis et audacter invadunt. Informandi sunt ergo quam vitiosa sint ista, et quam honestum sit inter alios pacifice, patienter ac mititer conversari. Hinc in Ecclesiastico legitur : Non stes contra faciem contumeliosi ; cum iracundo non facias rixam ; cum audace non eas in via. Et alibi : Honor est homini qui separat se a contentionibus.
Eccli. VIII, 14, 19, 18. — *Prov.* XX, 3.

C

REGULA V.

Juvenes frequenter solent mentiri, et mendacia sua tueri, imo et pertinaciter affirmare.

Sunt enim, ut patuit, laudis et excellentiæ cupidi : ideo volunt videri multa scire, et in mendacio metuunt deprehendi. Sunt ergo docendi quod ista non solum Dei sunt graviter offensiva, sed coram hominibus quoque valde inhonesta D et confusibilia, nec valent diu durare, ac inde diffamantur, ita ut vix in iis quæ veraciter proferunt credatur eis.

REGULA VI.

Juvenes in affectionibus, verbis atque operibus sunt nimis ferventes, nec modum observant.

Hoc ex rationis debilitate, passionum vehementia, juventutis vigore sanguinisque fervore in eis contingit. Idcirco sunt

A informandi quod omne immoderatum est vitiosum, et quod (juxta Salomonem) qui festinus est pedibus, offendit, quodque omnia decenter ac ordinate sunt peragenda, sicut docet et dictat discretio, et hoc probitatis atque prudentiæ exstat indicium. Atque, ut divinus Dionysius asserit, optimum hominis est esse secundum rationem.

Prov. XIX, 2. I Cor. XIV, 40. De Divin. nom. c. IV.

ARTICULUS XXII.

De moribus senum.

Lev. XIX, 32.

CORAM cano capite consurge, et honora personam senis. Opposita juxta se posita limpidius innotescunt. Mores autem senum ac juvenum contrarii sunt pro maxima parte. Idcirco ex dictis de moribus juvenum, faciliter elucescunt dicenda de moribus senum.

Quorum sex vituperabiles mores ponit Philosophus.

REGULA PRIMA.

Nam senes solent esse multum increduli hominum verbis.

Frequenter enim experti sunt fraudes, falsitates, fallacias versutiasque humanas, et quod frequenter sit aliter quam narretur : hinc metuunt falli.

REGULA II.

Senes frequenter sunt suspiciosi, et quæ vident seu audiunt, solent interpretari in pejus.

D

Siquidem diu vivendo, aliis nocuerunt, et plura operati sunt mala, hominumque calliditates cognoscunt : ideo suspicantur mala de aliis, et fieri sibi verentur quod aliis se fecisse noverunt. Verum circa hæc sunt hortandi ut medium observare conentur, et veræ sapientiæ lucem sequantur, et meliora confidant de aliis; attamen sine temeraria assertione : nam et abundans cautela non nocet.

REGULA III.

Senes esse pusillanimes ac timidi solent.

In ipsis enim deficiunt vires, et naturalis tepuit calor, et cernunt sibi modicum vitæ ac temporis superesse. Sunt ergo monendi ut confidant in Domino, atque magnanimes sint in eo, et caritatis accendantur ardore, imo et vitæ æternæ confidentia glorientur, atque ad illam sese præparent tanto ferventius quanto se vi-
B dent hinc exituros celerius. Talis utique fuit venerabilis ille Mathathias, qui in extremis suis filios suos hortabatur et animabat tam sapienter, magnanimiter et ardenter, ut primo Machabæorum describitur.

I Mach. II, 49 et seq.

REGULA IV.

Senes solent esse illiberales et avari.

Nempe naturaliter jam frigescunt, et semper timent deficere ac egere. Quocon-
C tra sunt instruendi ut quo propinquiores sunt fini, eo proniores sint ad opera pietatis, et rationabili ac competenti provisione contenti.

REGULA V.

Senes sunt malæ atque difficilis spei.

Et hoc patet ex dictis. Quoniam quidem vires eis deficiunt, formidolosi exsistunt, magisque vivunt memoria præteritorum quam spe futurorum. Unde et quando conveniunt, amplius delectantur recitando præterita quæ gesserunt, aut gesta cognoscunt, quam de futuris loquendo.

REGULA VI.

Senes solent esse inverecundi : quia ob suas indigentias plus curant de bono utili quam honesto.

Verum contra ista sunt admonendi ut in spe futurorum cœlestium glorientur,

et inde libenter loquantur; honestatem A quoque virtutum jugiter curent, atque in iis exhibeant junioribus exempla assidua probitatis.

Assignantur præterea quatuor mores senum laudabiles.

REGULA PRIMA.

Senes namque solent esse compassivi.

In se ipsis enim experiuntur plures imbecillitates, indigentias et ærumnas, propter quas sibi cupiunt condoleri : idcirco et aliis compati proni sunt. B

REGULA II.

Senes communiter habent concupiscentias remissas ac temperatas.

Calor etenim naturæ tepet in eis, atque frigescunt; nec sensus vigent in eis, ut secundo Regum dixit Berzellai octogenarius : Numquid vigent sensus mei ad discernendum? (II Reg. XIX, 35.)

REGULA III.

Senes dubia non multum affirmant, nec pertinaciter asserunt.

Nempe diu vivendo experti sunt incertitudinem eventuum humanorum, et quam multa putentur vera et certa, quæ falsa sunt sive ambigua; seque in talibus sæpe esse deceptos reminiscuntur : idcirco adhuc se falli verentur.

REGULA IV.

Senes non valde intense agunt, sed moderate.

Quemadmodum enim temperatæ sunt in eis concupiscentiæ, ita et actiones, sanguine jam refrigescente in ipsis.

At vero qui in statu sunt medio inter juventutem et senectutem, qui et communiter juvenes nuncupantur, prout juvenes ab adolescentibus distinguuntur, habent de moribus senum ac juniorum quidquid in illis laudabile est.

ARTICULUS XXIII.

De moribus mulierum.

FALLAX gratia, et vana est pulchritudo; mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. (Prov. XXXI, 30.)

Mores mulierum laudabiles hi sunt :

REGULA PRIMA.

Mulieres ex natura solent communiter esse verecundæ ac timidæ : per quod a multis retrahuntur excessibus.

Ex naturali quidem dispositione imperfectiores sunt viris, et honoris ac bonæ famæ sunt cupidæ : idcirco inhonorationem ac diffamationem verentur. Verecundia autem est timor dehonestationis. Informandæ sunt ergo ut Deum salubriter formidare addiscant, et de vitiorum turpitudine ac inhonestate in præsentia vultus divini semper verecundentur. C

REGULA II.

Mulieres communiter sunt compassivæ, misericordes, atque ex compassione ad fletum proclives.

Habent namque communiter cor molle ac tenerum. Hinc dura et aspera ferre non valent, et si alios videant talia pati, mox condolent.

D

REGULA III.

Mulieres in suis inclinationibus et affectionibus sunt intensæ ac vehementes, et quales sunt, tales sunt valde.

Quod in bonis quodammodo bonum est; in malis autem malum est nimis. Mulieres quippe in ratione sunt debiles : idcirco non bene sciunt se refrenare nec vincere. Unde quæ misericordes sunt, sunt valde misericordes; et quæ crudeles sunt, sunt

valde crudeles. Et quamvis in principio, A antequam fuerint notæ, sint aliqualiter verecundæ; tamen quum fuerint notæ atque fiduciam sumpserint, ita se habent et agunt, quod etiam viri taliter se habere ac agere abhorrerent. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris. Omnis plaga, tristitia cordis; et omnis malitia, nequitia mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.

Eccli. XXV, 22, 23. — *Ibid.* 17. — *Ibid.* 23.

Informandæ sunt ergo puellæ ac mulieres ut defectum naturæ ac rationis studeant emendare atque supplere per dona B gratiæ, et auxilio divinæ illuminationis, et per quotidiana incrementa virtutum.

Porro vituperabiles mulierum mores sunt isti :

REGULA PRIMA.

Mulieres communiter sunt passionum suarum imitatrices. C

Et hoc ex rationis contingit debilitate. Docendæ sunt ergo ut per virtutes morales appetitum suum sensitivum subjiciant rationi, et carnem in obsequium spiritus redigere non desistant, nec aliquid appetant, agant aut proferant, nisi secundum rectæ judicium rationis.

REGULA II.

Mulieres solent esse verbosæ et garrulæ.

Quod ex sapientiæ contingit defectu, D quum Salomon dicat : Stultus verba multiplicat. Et rursus : Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est quam illius correctio. Hinc in Ecclesiastico scriptum est : Gratia super gratiam, mulier pudorata, sancta et tacita.

Eccle. X, 14. — *Prov.* XXIX, 20. — *Eccli.* XXVI, 19, 18.

REGULA III.

Mulieres solent esse contentiosæ.

Passiones quidem suas faciliter reprimere nequeunt. Quum enim sint cupidæ honoris ac laudis, aspernationem et vituperationem non ferunt tranquille. Imo ex hoc irascuntur et litigant, quemadmodum legitur in Tobia de puella increpata a devotissima Sara, quæ puella respondit indignans : Jam ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum. Numquid et me interficere vis, sicut interfecisti septem viros?

Tob. III, 9, 10.

REGULA IV.

Mulieres solent esse curiosæ, et circa cultum atque ornatum suum multum intentæ.

Nam, ut patuit, avidæ sunt honoris laudisque propriæ, et defectum naturæ conantur per additamenta artis supplere. Sed instruendæ sunt quam periculosum sit istud, ut patuit supra de vestientibus et ornantibus se pompose. Estque contra apostolica documenta, quum beatissimus princeps dicat Apostolorum : Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Vas quoque electionis, prima ad Timotheum : Volo (inquit) mulieres esse in habitu ornato (id est decenti), cum verecundia et sobrietate, ornantes se non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa. Studeant ergo Deo in puritate cordis placere, et suis maritis in Deo.

art. VIII, reg. 11. — I *Petr.* III, 3. — I *Tim.* II, 8, 9.

REGULA V.

Mulieres solent esse inquietæ, mobiles atque instabiles.

Et hoc ex complexionis mollitie et rationis defectu progreditur : nam et phantasiis et imaginationibus faciliter involvuntur. Verumtamen ista non sunt universaliter vera : imo feminæ quædam sunt valde prudentes, constantes, et suis viris prudentiores, sive ex naturalibus, sive ex gratiæ donis : sicut de Judith, Abigail, Esther narrat Scriptura.

Postremo, nunc introducta de diversis diversorum hominum moribus non sunt ita accipienda quasi in omnibus aut necessario ita sit, sed quod juxta communem naturæ cursum sic soleat esse. Imo ad hoc niti jugiter unusquisque debet, ut juxta divinæ legis præcepta ac documenta refrenet, reformet et regat se ipsum, et contra ea vitia fortius reluctetur ad quæ proniorem se sentit ex dispositione innata sive contracta, sicut hortatur Apo-
Ephes. IV, 23 ; Rom. XII, 2. stolus ubi ait : Reformamini spiritu mentis vestræ.

ARTICULUS XXIV.

De iis quæ specialiter spectant ad milites.

II Reg. X, 12. *ESTO vir fortis, et pugnemus pro populo nostro et pro civitate Dei nostri.* Quamvis ad quemlibet spectet civem pro defensione boni communis pugnare, hostibus communitatis, præsertim impugnatoribus fidei christianæ, resistere, principi quoque loco et tempore opportuno C adsistere ; rationabiliter tamen instituti sunt quidam quibus ista ex debito sui officii præcipue specialiterque conveniant. Et hi, milites appellantur : qui ad subjuncta sunt obligati.

REGULA PRIMA.

Ad milites primo ac maxime pertinet hostibus et impugnatoribus fidei atque Ecclesiæ fideliter reluctari.

Nempe, quum omnis gens adversariis D suæ legis ferro resistat et igne, quanto magis ad Christianos id pertinet, præsertim ad milites ? Denique, in omni lege, regno ac gente milites fuisse leguntur. Nec solum de militibus Israeliticæ plebis, potissime tempore David, sed etiam Romanorum ac aliorum gentilium, magna ac strenua gesta leguntur. De militibus demum populi christiani, maxime Caroli Magni regis, præclarissima sunt descripta : qui miro fidei ardore contra infide- A les promptissime pugnaverunt, imo et inter se pie contendebant, ut unusquisque eorum permitteretur prior congredi adversus æmulos fidei, prout de hoc in Speculo historiali pulcherrima veraciter describuntur. Conformiter de inclyto illo Juda Machabæo et strenuissimis fratribus atque militibus ejus, in libris Machabæorum magnifica recitantur, quæ satis sunt nota.

B

REGULA II.

Ad milites pertinet pro defensione reipublicæ fideliter præliari.

Nempe ad principem terræ pertinet toti territorio suo, villis et urbibus pacem acquirere, conservare, et adversantibus paci subditorum suorum efficaciter repugnare : quod totum per milites et eorum auxiliarios ac emissarios implet. Rursus, ut docet Philosophus, in urbibus sunt supremi, mediocres et infimi, et inter supremos sunt milites, reipublicæ defensores.

REGULA III.

Ad milites pertinet principi suo fideliter in omni rationabili causa ac justa necessitate adsistere.

Ad hoc enim specialiter deputantur. Cujus exemplum est in natura : quoniam regi apum quælibet apis propinquius quo potest associat se, et cum illo egreditur atque regreditur. Talis fuit Abisai, qui II Reg. XXI, 16, 17. occidit Philistæum ense novo accinctum, qui nitebatur David regem occidere, prout fertur secundo Regum.

REGULA IV.

Ad milites spectat miserabilibus personis, pupillis, viduis, orphanis, advenis, pauperibus, oppressis, desolatis, specialiter subvenire, et instar patris consolationem ac relevamen impendere, quantum permittit justitia.

Quamvis enim hæc omnia ad unumquemque pertineant Christianum, quum sint opera misericordiæ, specialius tamen ad milites, tanquam ad viros potentes, ad hoc institutos ac magis vacantes, ut cum sancto Job dicere queant : Oculus fui cæco et pes claudo, atque mœrentium consolator. Talis fuit optimus ille Godefridus de Bolonia, qui ante promotionem suam in regem Jerusalem, Terræque sanctæ adhuc miles exsistens, omni personæ miserabili ad se accedenti piissimam exhibuit opem.

Job XXIX, 15, 25.

REGULA V.

Ad milites attinet regulam ipsis a beatissimo Joanne Baptista positam adimplere.

Legitur quippe apud Lucam quemadmodum milites accesserunt ad Joannem, dicentes : Quid faciemus et nos? Quibus respondit : *Neminem concutiatis, neque calumniam* alicui *faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.* « Neminem », inquit, « concutiatis », id est, sub colore et potestate officii vestri nullum injuste gravetis, lædatis, nec opprimatis minus potentes, quum ex officio obligemini alios a tantis crudelitatibus refrenare. « Neque calumniam » alicui « faciatis », id est, nullum trahatis injuste in causam, nec accusetis mendose, nec fraudem alicui ingeratis ad extorquendum pecuniam. « Contenti » quoque « estote stipendiis vestris », ita ut nec prædas injustas committere nec aliena præsumatis invadere.

Luc. III, 14.

REGULA VI.

Milites ad vitam valde virtuosam et exemplarem tenentur.

Eorum namque officium magnæ est excellentiæ, ut patet ex divinis prædignisque actibus ad quos (sicut jam tactum est) adstringuntur. Certumque est quod quanto major est dignitas atque auctoritas militaris officii, tanto ad eminentiorem virtutum excellentiam teneantur. Tales fuerunt pa-A latini ac milites Caroli regis, Rolandus, Oliverus, ac alii : qui fuerunt ita devoti, quod omni die dominica communicare solebant, et paulo ante confiteri, sicut in Speculo historiali describitur.

REGULA VII.

Ad milites spectat in rebus bellicis exercitiisque militaribus esse exercitatos, peritos et promptos, aliosque dirigere in eisdem.

B Quum enim in bellis maxima instent pericula, et plus valeat experientia, peritia, industria, prudentia, quam fortitudo; constat quod bellatores, potissime milites, principemque militiæ, imo et principem ipsum, oportet in talibus valde esse expertos, exercitatos, peritos, sicut de hoc in libro de Re militari plenius scribit Vegetius : alioqui negligent ac perdent semetipsos et auxiliarios suos.

C

REGULA VIII.

Ad milites quædam virtutes specialiter spectant ac eminenter, prout hoc facile est pensare ex actibus jam prætactis qui ad ipsos ex officio pertinent.

Itaque præfulgere debent in fide catholica, in fidelitate quoque erga principem suum, in amore Dei ac boni communis, in caritate et misericordia circa miserabiles personas prætactas, in prudentia circa negotia bellica, in fortitudine timorem excludente atque audaciam refrenante in ar-D duissimis causis, puta in præliis, in justitia et liberalitate ac vera magnanimitate.

Postremo, constat ex iis quanta sit modo deformatio status ac vitæ militaris, et militum militiarumque virorum, in quibus pro præfatis virtutibus, libido, cupido, curiositas, pompa, superfluitas et multiplex regnat ambitio, prout de hac materia in tractatulo de Vita militarium completius scripsi, ubi et ex Revelationibus S. Brigittæ recitavi exemplum notabile de gloriosa remuneratione militis virtuosi, et de

Cf. t. XXXVII, p. 576 D et s.

terribili condemnatione militis vitiosi : quod propter prolixitatem vitandam omitto, quamvis satis aptum hic locum haberet.

ARTICULUS XXV.

De pertinentibus ad mercatores ceterosque venditores et emptores.

Ps. LXI, 10. *VANI filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum.*

REGULA PRIMA.

Secundum leges humanas licitum est vendendo atque emendo decipere, dummodo illud non fiat ultra mediam justi pretii quantitatem ; sed secundum legem divinam non licet hoc.

Lex namque humana alium respicit finem quam lex divina, utpote pacificam hominum conversationem ad invicem ; et præstatur plebi communi, cujus maxima C pars est plurimum imperfecta, cui omne injustum prohiberi non valet : imo ad vitandum mala pejora, permittuntur ei quædam mala minora, ut meretricium ac usura ; non quod approbet ea, sed quia non punit, nec prohibet. Porro, si ultra medietatem pretii justi fiat deceptio notabiliter, impeditur hominum cohabitatio pacifica : ideo lex humana ad restitutionem compellit.

Lex autem divina omnem injustitiam prohibet. Nam et ipse Præceptor altissi- D mus potens ac promptus est dare virtutem et opem seu gratiam adimplendi omne quod jubet : quod facere nequit homo. Hinc si in contractibus non servetur æqualitas justitiæ, tenetur in foro conscientiæ ad restitutionem seu recompensam ei qui damnum est passus, is qui plus habet aut minus exposuit, dummodo exstet notabile damnum : quod addo, quoniam justum pretium rerum non est semper certum aut punctualiter determinatum, sed A in probabili hominum existimatione consistit, ita quod parvus recessus a medio non videtur æqualitatem auferre justitiæ. Verum in hoc tam emptor quam venditor suas discutiant intentiones ac conscientias.

REGULA II.

Fraude uti ad hoc quod aliquid vendatur plus pretio justo, illicitum est et injustum ; et faciens hoc, ad restitutionem B *adstringitur.*

Hoc enim cedit in damnum et deceptionem proximi, et est contra legem naturalem, quæ prohibet alteri facere quod quis non vult fieri sibi. Tob. IV, 16. Hinc ait et Tullius libro de Officiis : Tollendum est ex rerum contractibus omne mendacium. Istudque verum est loquendo de justo rei pretio secundum se. Verumtamen, si quis multum indigeat re alterius, et damnum alter incurrat carendo re sua, potest vendendo rem suam plus capere quam valet secundum se, non tamen plus quam valet sibi : et ita non nisi damnum suum quod incurrit vendendo debet recuperare plus accipiendo. Si autem non incurrit damnum rem suam vendendo, et emptor multum indiget ea, non debet venditor supervendere eam. Item carius vendere et vilius emere rem quam valet, secundum se injustum illicitumque consistit, attenta tamen qualitate loci ac temporis, consideratis quoque labore et periculo venditoris aut emptoris transferentis venalia de loco ad locum : plus equidem valet res uno loco unoque tempore quam alio loco ac tempore.

REGULA III.

Venditio fit injusta propter defectum rei venditæ, præsertim si venditor sciat rei suæ defectum : quem si nescierit, non peccat eam vendendo tanquam non sit ita defectuosa. Attamen postquam cognoverit, tenetur emptori facere sui damni recompensam : ut si vendatur aurichalcum pro

auro, aut animal ægrum pro sano, aut minori mensura utendo.

Præterea, si venditor putet rem suam viliorem esse quam est, et emptor id sciat, videlicet quantum sit valens, tenetur hoc venditori insinuare : alioqui emendo deciperet venditorem, et ei restituere teneretur.

REGULA IV.

Venditor tenetur emptori manifestare vitium seu defectum rei suæ venalis.

Alias namque daret emptori occasionem damni, nihil diminuendo de pretio propter vitium rei ; vel occasionem periculi, si propter vitium rei usus ejus sit impeditus aut noxius : ut si vendat domum ad casum dispositam pro domo robusta, aut equum tardum pro celeri.

Porro, si defectus rei sit manifestus, ut si equus exsistat monoculus, seu usus rei quamvis non sit utilis venditori, possit tamen aliis utilis esse, et venditor subtrahat de pretio quantum congruit; tunc non tenetur manifestare defectum rei vendendæ : quoniam emptor propter defectum talem forsan plus quam justum est de pretio conaretur subtrahere. Ideo venditor juste potest suæ indemnitati consulere, vitium illud silendo. Istud doctores communiter dicunt. Nihilo minus consultius salubriusque mihi videtur, etiam in hoc casu vitium hujusmodi pandere : imo necessarium hoc videtur, si emptor ex simplicitate aut inexperientia seu inadvertentia defectum rei non penset, et si venditor hoc ipsum perpendat.

REGULA V.

Negotiatio quæ ordinatur ad lucra, juste vituperatur : quia propinqua est casui, et cupiditati deservit, nec finem includit honestum.

Verumtamen, quoniam lucrum in sua ratione non includit illicitum aliquid, ideo potest ordinari ad finem laudabilem, ut
A ad suam et aliorum sustentationem, sive ad eleemosynarum largitionem. Hinc negotiatio non est simpliciter vitiosa : imo sic licita esse valet, dummodo moderatum lucrum quæratur, nec res carius quam valet vendatur, ipsumque lucrum expetatur non tanquam finis, sed ut stipendium laboris et sustentaculum victus.

REGULA VI.

Negotiatores, nisi sint multum timora-
B *ti ac justi, in suis negotiationibus varia et gravia incidunt vitia : fraudes, mendacia, calliditates, perjuria, intentiones perversas, conatus damnabiles.*

Propter quod in Ecclesiastico scriptum est : Negotians difficile exuitur a peccato*. Eccli. xxvi. 28. *negligentia.
Generaliter quoque, vendentes victualia et alia quæque humano usui apta, atque artifices, nisi sint Deum timentes ac justi, in suis mercantiis, commutationibus et artificiis graves ac multas incidunt culpas, recedendo a medio pretii justi. Qui in ur-
C bibus suis emunt a pauperioribus pannos et consimilia, quæ alibi vendere volunt : emunt, inquam, ea tam viliter sicut possunt, et alibi vendunt tam care ut queunt. Conformiter qui in venditione panum, bladorum, carnium, piscium, non servant justitiæ medium, et quærunt decipere proximum. Denique in hoc etiam quidam villani et simplices prorsus intimorati et imperiti, in rebus parvis ac vilibus frequenter peccant enormiter, ova, caseum, butyrum, lac, olera, fructus vendendo sine
D respectu Dei tam care ut queunt, et cum admixtione falsitatis et pravæ intentionis : imo, si possent, multo plus conarentur lucrari in talibus talique modo, et habent animas suas venales pro modico nummo. Ibid. x, 10.

Ideo de omnibus iis et universis præhabitis, prædicatores verbi cœlestis et pastores seu illorum vicarii populum publice ac privatim prudenter, frequenter, ardenter erudiant, ut universi et singuli discant Deum toto corde, in omnibus et super omnia, summe incomparabiliterque timere,

diligere, venerari et quærere, et se ipsos A dumtaxat in Deo sinceriter ament. Imo in hoc consistit tota sacræ Scripturæ doctrina moralis, ut Deum propter se pure toto corde amemus, et nos ipsos in Deo : ita ut omne quod impedit nos a Deo, a gratia, profectu et salute, penitus fugiamus ; et quidquid confert et expedit nobis ad inhærendum Deo, plenarie amplectamur, hoc est, correptionem, correctiones, aspernationes, injurias, persecutiones, infirmitates, adversitates, castigationesque corporis, abnegationem propriæ voluntatis, subje- B ctionem, abjectionem, paupertatem, patientiam, humilitatem, mansuetudinem, sobrietatem, obedientiam, misericordiam, justitiam, discretionem et caritatem. In iis sicut in cunctis divitiis gloriemur, horum opposita detestemur ; Omnipotentis gloriam et honorem, universorum salutem ferventissime affectemus, intendamus et procuremus totis viribus incessanter. Ad laudem et gloriam incircumscriptibilis et supergloriosissimi Creatoris, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS DUORUM LIBRORUM DE DOCTRINA ET REGULIS VITÆ CHRISTIANORUM.

DE EXEMPLIS
ET DOCUMENTIS AUTHENTICIS

PROŒMIUM

SAPIENTIAM Sanctorum *narrant populi, et laudem eorum nuntiat Ecclesia.* Eccli. XLIV, 15.

Quemadmodum omnipotens sapientissimusque Creator in exordio mundi ornavit cœlum sideribus magnitudine, claritate, virtute, influentia differentibus; sic militantem decoravit Ecclesiam Sanctis gratiarum, virtutum, donorum multiplici varietate distinctis, luce sapientiæ, signorum efficacia diversimode expolitis. Inter quos beatissimi eremitæ et anachoretæ locum sortiuntur sublimem, qui angelicam vitam duxerunt in terris, et contemplatores fuerunt præcipui, caritatis ardore mirabiliter inflammati; qui mundum et carnem cum universis suis vanitatibus voluptatibusque excellenter vicerunt, atque arctissimam conversationem gesserunt in sæculo isto; qui veritati fidei christianæ verbis et factis, signis, prodigiis et miraculis testimonium præbuerunt certissimum. Eorum ergo « sapientiam » salutarem merito « narrant populi » christiani, « et laudem » ipsorum « Ecclesia » militans « nuntiat » : primo, ad Dei gloriam ac honorem, qui in suis Sanctis laudatur; secundo, quoniam ipsi suis virtutibus meruerunt ita laudari, et nostris præconiis dignissimi sunt effecti; tertio, ut ipsorum intercessione ac meritis mereamur juvari; quarto, ut ipsorum virtutes et signa narrantes aut audientes, ædificemur et provocemur sequi ipsorum vestigia; quinto, ut comparatione ipsorum humiliemus et despiciamus nos ipsos, imo, si boni quid agimus, si qua adversa æquanimiter patimur, respectu vitæ ac patientiæ illorum pro nihilo arbitremur, excepto quod fonti totius boni, Deo sublimi, pro donis suis humiliter regratiemur.

Denique, quia tam multipliciter fructuosum, dignum et utile est, Sanctorum vitam, virtutes, miracula recitare, promulgare, laudare; propono in isto opusculo notabilia quædam exempla religiosis præsertim salubria, ex libris Cassiani ac Climaci colligere ac referre de vita et gestis Patrum nostrorum eremicolarum, quæ in Vitaspatrum non continentur. Plerosque etenim exempla provocant magis quam verba aut documenta, et eos magis delectant. Propter quod asserit Leo Papa : Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad persuadendum; validiora tamen sunt exempla quam verba, et majus est opere docere quam voce. Sanctus quoque Bernardus : Nullum, inquit, melius consilium arbitror, quam si exemplo tuo studeas fratrem tuum docere quæ oporteat et quæ non oporteat fieri, provocans eum ad meliora non verbo neque lingua, sed opere et veritate. Sed et beatus testatur Gregorius : Electorum mentes consideratis invicem alternis virtutibus inflammantur.

Præterea, collectio ista (ut reor) non erit superflua : quoniam libros Cassiani ac Climaci multi raro aut nunquam legunt, sive ex sua tarditate, sive ex sua simplicitate, quoniam libri illi sunt aliqualiter armati atque difficilis stili, et modus ipse loquendi frequenter obscurus est. Idcirco in isto opusculo uti intendo plano ac facillimo stilo.

DE EXEMPLIS

ET

DOCUMENTIS AUTHENTICIS[1]

ARTICULUS PRIMUS.

De Joanne Cassiano.

UT ea quæ in isto opusculo ex libris Cassiani colligenda sunt, clarius intelligantur, aliquid in primis de ipso Cassiano dicendum est.

Itaque vir iste illustris, nomine Joannes, cognomine Cassianus, ut ipsemet refert, in adolescentia sua cum abbate suo nomine Germano, ex monasterio suo in Syria de licentia superiorum suorum perrexit ad remotissima loca, ut sanctos Patres in orientalibus partibus commorantes videret, et eorum virtutes conspiceret. Perrexit itaque in Ægyptum atque Thebaidem, in Palæstinam ac Mesopotamiam, ad diversa eremi ac solitudinum loca, cum præfato abbate Germano; et quæ vidit apud beatissimos Patres ac Fratres tam in monasteriis quam in locis desertis solitarie habitantes, et quæ ex eorum audivit ac didicit relatione, fideli postea narratione conscripsit.

Denique de hoc abbate Cassiano multa in Speculo historiali sunt scripta : ubi inter cetera de eo habetur : Fuit vir devotus, prudens et eloquens. De quo etiam in libro suo de Viris illustribus scribit A Gennadius episcopus : Cassianus natione Scytha (id est in Scythia natus), Constantinopoli a Joanne magno episcopo (id est a Joanne Chrysostomo, Constantinopolitano archiepiscopo, vita, sapientia et eloquentia glorioso) diaconus ordinatus, postmodum apud Massiliam presbyter, construxit ibi monasteria duo. Composuit autem libros, experientia magistrante (seu eum docente), librato (id est ponderato ac venusto) sermone, sensu verba inveniens, et actione linguam movens; et scripsit de B rebus omnium monachorum professioni necessariis. Præterea carus fuit Leoni archidiacono, postmodum summo Pontifici : ob cujus rogatum scripsit adversus Nestorium hæresiarcham de Incarnatione Domini septem libros, in quibus scribendi et vivendi finem accepit apud Massiliam, Theodosio et Valentiniano regnantibus.

De hoc Cassiano Climacus ait in libro suo : « summus noster philosophus », quia Scal. parad. grad. IV.
videlicet omnium religiosorum præcipuus fuit doctor, et merito inter magnos an- C numeratus est Patres. Cujus libros beatissimus pater Benedictus a monachis sui Ordinis certis horis legi instituit, ut patet in Regula sua.

Itaque nunc recitationem incipiam ex libro Cassiani qui Instituta Patrum vocatur.

[1] Ex editione Coloniensi Joannis Soteris, 1532.

ARTICULUS II.

Quod ab Ægypti et Thebaidis monachis duodecim psalmi in vespertinis ac matutinis Officiis dicebantur ex angelica traditione.

lib. II, c. 5 et s. QUUM in principio fidei christianæ pauci ac probatissimi monachi essent, viventes juxta institutionem et normam quam a S. Marco evangelista acceperant, non solum servaverunt ea quæ in Actibus Apostolorum primitiva Ecclesia sub sacratissimis Apostolis legitur observasse, Act. IV, 32. juxta illud, Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, etc.; verum etiam multa alia altiora ac ardua adjecerunt. Recedentes namque a communi populo in secretiora suburbiorum loca, duxerunt vitam tanto rigore abstinentiæ præditam, ut etiam infideles admirarentur. Nam tanto fervore lectioni Scripturarum, assiduitati orationum, excessibus contemplationum atque operibus manuum insistebant, ut vix secundo aut tertio die cogitarent de C cibo; nec ante solis occasum sumpserunt cibum et potum.

Porro tempore procedente, multiplicato numero Fratrum in suo fervore manentium, seniores inter se convenerunt, ordinaturi quis numerus psalmorum esset servandus in divinis Officiis. Quumque unusquisque pro suo fervore diceret quod sibi rationabile ac facile videbatur, immemor alienæ infirmitatis, in tantum quod quidam quinquaginta psalmos, alii sexaginta, alii plures esse dicendos affirmabant; tandem repente apparuit unus stans inter eos, qui quum duodecim psalmos cum adjectione orationum et Alleluia cantasset, ab universorum adspectu subito disparens, inquisitioni finem imposuit. Tunc venerabiles Patres angelum illum fuisse intelligentes, decreverunt duodenarium numerum psalmorum tam in vespertinis quam in nocturnis Officiis observandum.

Denique Patribus ac Fratribus in ecclesiam convenientibus, et uno cantante sive A legente, tantum ab omnibus servabatur silentium, ut tanta multitudine congregata, præter unum illum nullus crederetur adesse. Non ibi sputum emittebatur, non exscreatio perstrepebat nec tussis, nec oscitatio somnolenta se admiscebat, per quæ alii poterant impediri; sed nec gemitus ibi audiebantur neque suspiria, nisi forte quæ per mentis excessum improvise et subito eruperint, mente ineffabiliter inflammata nec suum in se ardorem continere valente. Ex quo probatur quam re- B prehensibiles sint qui uno cantante aut legente exspuunt, et strepitus faciunt, ingemiscunt, aut consimile aliquid faciunt absque necessitate seu rationabili causa, ex sola consuetudine, levitate, aut certe intentione non recta.

ARTICULUS III.

De tribus lenticulæ granis per festinantiam elapsis, et a dispensatore inventis.

QUUM in monasterio quodam Frater hebdomadarius minister grana lenticulæ cum aqua purgaret, tria de manu festinantis in terram prolapsa sunt: quæ œconomus, id est dispensator seu procurator, colligens, recitavit abbati quod contigit. Abbas Fratrem illum quasi sacri profusorem peculii, id est neglectorem ac perditorem substantiæ ad communem usum pertinentis, reum adjudicavit, atque ab oratione suspendit. Frater vero humi- D liter veniam petens, non aliter quam per publicam pœnitentiam consecutus est veniam. Ex quo patet cum quanta diligentia res claustri conservare ac dispensare oporteat. Veri namque religiosi non se ipsos tantum, sed omnia quoque ad monasterium pertinentia, Deo consecrata et cum omni reverentia esse tractanda credunt. Ideo negligentiæ arguuntur, qui res eorum usui concessas non satis custodiunt, qui per negligentiam utensilia frangunt, potum effundunt, sine licentia aliquid lib. IV, c. 2 et s.

dant, seu quovis modo damnum inferunt domui suæ. Itaque cum gratiarum actione, moderamine et timore utamur rebus nobis concessis.

ARTICULUS IV.

De caritativo fervore quorumdam Fratrum in communi obsequio.

QUUM in cœnobio quodam ligna deessent, ita ut pro conventu esca præparari non posset, jussit abbas ut crudo cibo Fratres interim vescerentur : quod et cunctis complacuit. Porro Fratres hebdomadarii mercede communis obsequii se privari dolentes, ad latissimam eremum transeuntes, spinulas et minutissima ligna in aridissimis locis congregaverunt cum grandi labore, atque ex his ignem construentes, consuetam Fratribus refectionem exhibuerunt. Quorum docemur exemplo, ut juxta doctrinam Apostoli, per caritatem serviamus invicem. (*Galat.* v, 13.) Sed longe ab hac caritate et pietate distant religiosi qui ad laborandum pro communi domus utilitate, ad scribendum pro usu generali conventus, sunt tardi, imo et ad obediendum involuntarii, sed ad faciendum, laborandum, scribendum pro proprio usu aut commodo, et ad satisfaciendum desiderio propriæ voluntatis, sunt ferventes, proni ac agiles, non pensantes illud Apostoli : Caritas non quærit quæ sua sunt; (*I Cor.* xiii, 5.) et quod sanctus ait Bernardus : Ingratum est Spiritui Sancto quidquid ei obtuleris, neglecto eo ad quod teneris.

ARTICULUS V.

De sancta et indiscreta obedientia abbatis Joannis, cujus merito consecutus est gratiam prophetiæ.

ABBAS Joannes, de quo S. Hieronymus in exordio primi libri Vitaspatrum conscripsit, ab adolescentia sua usque ad virilem ætatem seniori et spirituali patri tam obediens obsequiosusque fuit, ut et ipse senior miraretur. Et volens probare an tanta discipuli sui obedientia ex recta intentione et vera humilitate procederet, multa ei quasi irrationabilia aut quasi impossibilia sæpe injunxit. Nam quadam vice lignum aridum fixit in terram, Joanni præcipiens ut illud quotidie aqua bis irrigaret, donec ramos produceret. At ille spiritualis patris præceptum discutere non præsumens, nec rei imperatæ impossibilitatem adspiciens, promptissime obedivit, totoque anno aquam per duo fere milliaria afferens, lignum illud indesinenter, ut senior jussit, rigavit quotidie, ita quod nec diei solennitas, neque infirmitas corporis, nec hiemis frigus eum ab inchoato opere retardavit. Videns igitur senex imperturbatam atque mitissimam sedulitatem obedientiæ sui discipuli, labori ejus compatiens, lignum evulsit, et Joannem ab irrigatione cessare præcepit.

Præterea, quum tempore quodam ad senem hunc Fratres aliqui ædificationis gratia advenissent, et discipuli humilitatem obedientiamque stuperent, vocavit senex discipulum, jubens ei ut vas olei quod eorum atque advenientium usibus solum remansit, per fenestram deorsum projiceret. Quod ille confestim implevit, non attendens præcepti ineptitudinem, diuturnam eorum necessitatem, imbecillitatem corporis, indigentiam victus.

Insuper, aliis Fratribus visitantibus senem præfatum, atque Joannis discipuli ejus humilitate atque obedientia informari optantibus, senex præcepit Joanni : Lapidem illum advolve ad nos festinanter. Qui propter reverentiam senis accedens, toto conatu implere præceptum tentavit, in tantum quod non solum proprium corpus ac vestimentum, sed lapidem quoque perfudit sudore : lapis namque adeo fuit magnus, quod a magna hominum turba poterat vix moveri.

Denique, merito hujus indiscretæ, sanctæ ac simplicis obedientiæ ad tantam perductus est gratiæ ac virtutum perfectio-

nem, quod et spiritu prophetiæ impletus A est, et summis mundi principibus notus et honorabilis est effectus, in tantum quod religiosissimus imperator Theodosius pugnam inire contra tyrannos robustissimos non audebat, nisi prius abbatis Joannis confortaretur responsis : quibus tanquam divinis confidens oraculis, triumphum in desperatis bellis miraculose obtinuit.

Heu ! quid ad ista dicemus, qui nec piis et rationabilibus atque facilibus superiorum nostrorum obedimus præceptis, nisi forte cum murmuratione ac tædio? Imo B præcepta, exhortationes et facta Patrum nostrorum sæpe ex levi occasione judicare, discutere, reprobare, aspernari præsumimus : quod totum periculosum temerariumque consistit. Idcirco autem sic agimus, quoniam non in profunda humilitate, salubri mortificatione, columbina simplicitate conversationem nostram fundamus ; sed sapientes sumus in oculis nostris, audaces, nobis ipsis placentes, non vere abnegantes nos ipsos, sed voluntatem nostram, quam per votum solenne C Deo obtulimus, vitiose resumentes. Emendemus ergo nos plene, prout nostra requirunt vocatio atque professio.

ARTICULUS VI.

De admirabili patientia et obedientia abbatis Mutii.

DESIDERANS in exordio conversionis suæ abbas Mutius claustrum intrare, tam patientissimam atque immobilem D in petendo demonstravit instantiam, quod contra omnem cœnobiorum consuetudinem cum parvulo filio suo octo circiter annorum susceptus est. Et statim ipse Mutius et filius ejus diversis præpositis seu magistris commissi sunt, habitatione quoque cellæ divisi, ne pater ex assiduo filii sui intuitu sensuali affectione afficeretur ad eum, et divitiarum quas reliquit, recordaretur. Atque ut patris patientia et spiritualis affectio plenius probarentur, de industria neglectus est puer, vilissimisque vestimentis indutus, ac multis afflictus verberibus, et patre suo vidente, frequenter absque suo demerito alapis cæsus, ita quod vultus pueri quasi continue lacrimis madidus fuit : quæ omnia pater ejus patientissime tulit ; nec eum jam reputavit filium, quem obtulit Christo.

Insuper, monasterii abbas volens plenius experiri an omnia illa pater pueri vera tranquillitate sufferret, dum quadam vice puerum cerneret flentem, simulans se contra illum esse iratum, præcepit Mutio, dicens : Jacta eum in flumen. Qui verbum illud quasi a Deo sibi imperatum existimans, apprehendit puerum et propriis ulnis portavit cum festinatione ad fluvium, eumque projecisset in aquam, nisi Fratres ab abbate occulte missi hoc impedivissent, dicentes : Abbas jussit ne mergas puerulum. Præterea, obedientia ista Mutii ex devotissima fide procedens in tantum complacuit Deo, quod paulo post revelavit abbati, Mutium in hoc facto opus egisse Abrahæ patriarchæ, et ei comparem esse effectum. Abbas quoque post modicum tempus migrans ad Dominum, præfatum Mutium Fratribus in abbatem præfecit.

Ecce quomodo, teste Apostolo, stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi; nec capere valet animalis homo ea quæ Dei sunt. Deus enim omnipotens institutor naturæ ac ordinis rerum, supernaturaliter et occulte operatur in suis electis.

I Cor. I, 20
Ibid. II, 14

ARTICULUS VII.

De magna humilitate cujusdam nobilissimi Fratris.

ADOLESCENS quidam secundum carnis propaginem valde illustris, utpote filius comitis ditissimi, et liberalibus artibus præclare instructus, mundi pompis vanitatibusque renuntians, claustrum ingressus est. Cujus humilitatem et fervorem abbas experiri volens, præcepit ei

ut decem sportas portaret de claustro ad civitatem, et eas in ea circumferret, quousque omnes publice vendidisset sigillatim, hoc est singulas seorsum ac diversis : quod totum juvenis ille devote ac obedientissime adimplevit, omni humana verecundia supplantata. Hoc ergo exemplo discamus nos ipsos viriliter vincere, et omnem animositatem abjicere.

ARTICULUS VIII.

De vita, humilitate et patientia abbatis Pinuphii.

MAGNI cujusdam cœnobii in Ægypto pater et sacerdos fuit abbas Pinuphius, omnibus propter vitæ suæ sanctitatem, senectutem ac sacerdotium venerandus. Sed ipse de exhibitis sibi honoribus dolens, et subesse obedireque malens quam præsidere, ex proprio monasterio usque ad extremas Thebaidis partes clam fugit, sæcularem habitum induit, ne agnosceretur, et cœnobium Tabennensiotarum, videlicet monachorum Ordinis S. Pacomii, intrare tentavit: quoniam major rigor viguit ibi; et propter multitudinem Fratrum speravit se ibidem posse diutius occultari. Quumque ante fores monasterii diu valde, ut ibi moris est, recipi postulans permansisset, universorum Fratrum genibus se provolvens, improperantibus ei Fratribus quod jam decrepitus, senex et inutilis mundo, fæces vitæ suæ vellet Deo offerre, quum florem juventutis suæ in mundi vanitatibus expendisset, et modo ad claustrum veniret magis ex paupertatis necessitate quam caritatis fervore; tandem cum ingenti difficultate admissus est, et ei tanquam inutili custodia et cultura est horti commissa sub Fratre juniori. Cui venerabilis senex per omnia promptissime obedivit, atque injunctum officium lætanter ac studiose implevit; et ultra hoc, viliora quæque officia quæ aliis erant horrenda, sponte fecit quotidie. Nocturnis quoque A temporibus surgens, occulte multa vilissima fecit obsequia tam secrete quod nemo aliorum hoc deprehendit.

Quumque per triennium ibi taliter moraretur, Fratres ac filii sui eum undique inquirebant. Tandem quidam ex Ægypto ad cœnobium in quo usque ad finem vitæ suæ occultari optabat adveniens, eo viso, diutissime dubitavit an ipse esset. Nam quamvis antea optime noverat eum, nunc tamen vix potuit eum cognoscere præ vestis suæ vilitate atque obsequii ab- B jectione : sacco enim indutus, stercora propriis humeris portabat ad hortum. Porro ille propius accedens, voce ejus audita cognovit eum; et cadens ante pedes ipsius, nomen ejus omnibus manifestavit. Quibus visis et auditis, Fratres vehementissime mirabantur, præsertim quia jamdudum nomen ejus ac famam cognoverant. Mox ergo ab eo veniam humiliter petierunt. Ipse vero tristissimus est effectus, quoniam desiderato humilitatis obsequio se vidit privari; et cum grandi C mœrore ac luctu ad suum cœnobium est reversus. Diligentissime quoque custodiebatur a Fratribus, ne rursus occulte discederet. Nihilo minus post modicum tempus clam abiit, et ad remotiora loca perrexit, ubi nec nomen ejus nec fama alicui innotuerunt; et pervenit ad monasterium in quo tunc morabatur Cassianus, quod longe non erat a loco in quo Christum peperit Virgo. Ubi quum aliquantulo tempore latuisset, a quibusdam Fratribus Ægyptiis qui illuc causa devotionis et oratio- D nis venerunt, est cognitus, et cum magna precum instantia reduxerunt eum ad monasterium suum.

Quum autem post multos dies idem abbas Pinuphius novicium quemdam reciperet in præsentia Cassiani, inter cetera instructionis exhortationisque verba dixit novicio : Abrenuntiatio est crucis imago et mortificationis indicium. Scias ergo ex hodierno die te huic mundo et actibus atque concupiscentiis ejus esse defunctum. Considera ergo conditiones crucis, sub cu-

jus onere ac mysterio te deinceps vivere A et manere oportet, ut cum Apostolo dicere possis : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. (Galat. II, 20.) Ea igitur habitudine, hac figura qua Christus fuit pro nobis affixus patibulo, oportet monachos vivere in præsenti : quatenus timore Domini corpora sua configant, (Ps. CXVIII, 120.) et propria voluntate omnino relicta, omnis eorum affectio adhæreat Crucifixo, ne juxta propria desideria moveantur aut aliquid agant, sed solum secundum legem et evangelica consilia Christi, prout amor et timor Christi B requirunt. Denique, sicut crucifixus quis non sollicitatur de crastino, nec inflatur superbia neque accenditur ira ; sic monachi terrenam cupiditatem sollicitudinemque abjiciant, nec aliqua elatione, ira, impatientia aut simili passione seu vitio moveantur, quatenus illud Apostoli eis conveniat : Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. (Galat. V, 24.)

ARTICULUS IX.

De abstinentia senum quorumdam.

QUUM in monasterio quodam Ægypti abbas Cassianus comederet, hortatus est eum senior ut plus cibi acciperet. Qui respondit : Non possum. Dixitque senior : Ego hodie diversis advenientibus Fratribus sexies posui mensam et manducavi cum eis, et adhuc esurio ; tu vero in prima hac comestione te tantum replesti, ut D plus comedere nequeas.

Præterea, alius Pater in solitudine habitans, cibum solus accipere nunquam volebat : quod si per dies quinque aut plures nullus venisset ad eum, refectionem distulit, donec sabbato aut die dominica ad ecclesiam transiens, aliquem invenisset peregrinorum, quem secum adducens escam sumpsit cum illo, non tam suæ necessitatis causa, quam humanitatis gratia, et Fratris intuitu ac amore.

ARTICULUS X.

De profectu abbatum Phesii et Joannis.

ABBAS Joannes, pater magni cœnobii, abbatem Phesium in vastissima eremo commorantem visitans, interrogavit eumdem tanquam antiquissimum consortem, quid per quadraginta annos solus in eremo habitans profecisset. Respondit : Nunquam vidit me sol comedentem, id est, infra tot annos non comedi ante solis occasum. Cui dixit abbas Joannes : Nec me sol vidit iratum.

Porro idem abbas Joannes quum esset moriturus, filiis suis ipsum cum mœrore circumstantibus, atque rogantibus ut eis aliquod memoriale verbum tanquam hereditarium quoddam legatum proferret atque relinqueret, per quod ad perfectionem compendiosius possent ascendere, dixit cum gemitu : Propriæ voluntati nunquam acquievi, nec alium docui quod ego prius non feci.

C Horum ergo sanctorum Patrum exemplis sobrietatem mansuetudinemque discamus. Nec promptuli simus ad fabulandum, nec præsumptuosi ad instruendum ; sed ad frangendum in omnibus proprias voluntates fortes simus et alacres. Hinc namque Jacobus ait apostolus : Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. (Jacob. I, 19.)

ARTICULUS XI.

De gratia et doctrina abbatis Machetis.

SENI Macheti propter diuturnas suas orationes Deus hanc contulit gratiam, quod inter spirituales collationes quotquot diebus ac noctibus protrahebantur, nunquam dormivit. Si vero aliquis sermo sæcularis aut detractorius proferebatur, protinus obdormiebat, ita quod neque usque ad pollutionem aurium ejus venenum obloquii poterat pervenire.

Denique idem senex docuit temerarium

judicium esse omnino vitandum, dicens : Manifeste repertum est eisdem causis ac vitiis monachum obligari seu subjacere in quibus de aliis judicare præsumpserit. Oportet enim unumquemque se ipsum tantummodo judicare et circumspecte in omnibus custodire, secundum illud Apostoli :
Rom. XIV, 4, 10. Tu quis es, qui judicas fratrem tuum ? suo domino stat aut cadit.

Præterea idem senex volens ostendere a diabolo somnolentiam esse in divinis attædiationemque in spiritualibus collationibus, dum quadam vice Fratribus collationem spiritualem proponens, videret eos gravi somno demergi, otiosam mox fabulam introduxit. Ad cujus recitationem quum videret eos evigilare et aures erectas habere, ingemiscens ait : Hucusque de spiritualibus et cœlestibus rebus vobis loquebar, et omnes gravi somno fuistis oppressi ; quumque inutilem fabulam narrare cœpi, evigilastis et delectabiliter advertistis. Ex hoc ergo perpendite quod diabolus omni bono operi invidens et mala fovens, illius somnolentiæ ac tædii fuit actor, et hujus evigilationis ac advertentiæ procurator.

Ecce quanta est corruptio atque miseria nostra ! Nam si spiritualis collatio modicum protrahatur, statim attædiamur ; sed per integram horam aut amplius de vanis et frivolis fabulari non piget : imo quo de talibus diutius loquimur, eo ad tale colloquium fortius inflammamur, et avelli vix possumus. Revera magna et miseranda calamitas. Sed emendemus hoc vitium, pen-
Joann. VIII, 47. Luc. XI, 28. santes quod ait Salvator : Qui ex Deo est, verba Dei audit ; itemque : Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.

ARTICULUS XII.

De Fratre qui epistolas sibi missas incendit, ne eas legendo distractionem mentis incurreret.

FRATER quidam circa cordis sui puritatem servandam intentus, et circa divinorum contemplationem valde sollicitus, dum quindecim annos in monachali conversatione complesset, multas accepit epistolas sibi a suis parentibus ceterisque amicis directas. Qui diu deliberans an eas legere vellet, tandem dixit : Quantarum cogitationum causa mihi erit harum lectio litterarum, quæ me vel ad inanem lætitiam aut ad inordinatam inducent tristitiam ! Quanta cordis distractio, quanta renovatio memoriæ sæcularium rerum jam oblitarum orientur in mente mea, si istas epistolas legero ! Quam tarde ac difficulter pristina animæ tranquillitas recuperabitur ! Hæc atque similia Frater ille mente revolvens, universas epistolas illas simul projecit in ignem, dicens : Ite, cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me ad ea quæ reliqui revocare conemini.

Hoc exemplo condemnatur curiositas, levitas, incustodia et carnalis affectio nostra, qui tam libenter nova percipimus, imo et diligenter inquirimus : et si mittantur nobis epistolæ a sæcularibus personis, præsertim a propinquis, exhilarantur mox corda nostra ; sed et ea quæ audivimus aut legimus, memoriæ nostræ imprimimus ac aliis recitamus, ac tempore divinorum cogitamus et recogitamus, et sic læditur anima nostra. Ubi est quod ait Scriptura : Omni custodia custodi cor Prov. IV, 23.
tuum ? Quod quamvis ad omnes pertineat Christianos, maxime tamen ad religiosos. Figamus ergo et stabiliamus in Deo cor nostrum, quoniam unum est necessarium. Luc. X, 42.

ARTICULUS XIII.

De sanctitate, sapientia et doctrina abbatis Theodori.

INTER sanctos Patres fuit et abbas Theodorus, tam in vita activa quam contemplativa eximius ac præclarus, in Scripturarum quoque intellectu valde profundus. Qui ad tam sublimem scientiam non studendo, sed internæ puritati insistendo pervenit. Quumque obscurissimæ quæstionis absolutionem desideraret, septem die-

bus ac noctibus in oratione infatigabiliter A mansit, quousque Deo revelante veritatem agnoverat quæstionis. Denique Fratribus tantam in eo scientiam Scripturarum mirantibus, dixit : Monachus vera Scripturarum scientia illuminari desiderans, non circa diversa commenta, sed circa cordis sui expurgationem, profectum custodiamque intentus sit : quoniam passionibus reformatis vitiisque exstinctis, interiores oculi Scripturarum veritatem atque mysteria, jam depulso cordis velamine, contemplabuntur. Divina etenim gratia et radius B veritatis internæ sanctam et puram animam replent, illuminant, et sine commentis eam intelligere faciunt veritatem. Hinc inter expositores sunt tot et tanti exorti errores, quoniam multi eorum circa interiorum suorum purgationem diligentiam non habentes, atque ad intelligendum Scripturas secundum propriam inquisitionem ac immunditiam accedentes, in varios prolapsi sunt errores, et tam fidei quam sibi invicem scripserunt contraria.

C Insuper, idem abbas Theodorus ad cellam Joannis Cassiani intempesta nocte veniens, paterna sollicitudine volens scrutari quid Cassianus adhuc novus anachoreta perageret, eumque vespertino Officio consummato inveniens se reclinasse ad quiescendum, ingemiscens ex intimo pectore, dixit : Quot, o Joannes, hac hora cum Deo loquuntur, et eum intra sua præcordia complectuntur, et tu lumine tanto privaris, sopore resolutus obtuso ?

Ecce ex his redarguuntur religiosi ne- D gligentes et curiosi, qui interna exercitatione relicta, in inordinato ac infructuoso studio tempus suum pro magna parte consumunt, nunc medicinalia, nunc jura, nunc philosophica quædam studentes, aut etiam scripta theologica difficilia legentes ac relegentes, ex quibus non inflammatur affectus, neque nutritur devotio, sed potius impeditur, et mens circa interiorem sui custodiam negligens redditur ac pigrescit, et tandem exteriora desiderat. Illos ergo libros studeat monachus ex quorum lectione magis discit defectus suos cognoscere, sollicite conversari, ampliusque juvatur ad conversandum condigne juxta exigentiam suæ vocationis, hoc est juxta tenorem ac debitum suæ professionis.

ARTICULUS XIV.

De qualitate eremi anachoretarum, et de virtutibus abbatis Arthebii.*

* *alias* Archebii

ANACHORETÆ primo in cœnobiis diutissime commorati omnique patientia ac discretione edocti, humilitate quoque ac paupertate ornati, intrant ac penetrant interiora ac secretiora loca deserti, durissima prælia contra dæmones habituri. Horum multi habitaverunt in Ægypto, in loco sito inter fluvium Nilum et mare : qui locus solis monachis habitabilis fuit, quia nec salsitas soli nec arenarum abundantia permisit eum alicui esse aptum culturæ. In hoc loco anachoretis tanta fuit penuria aquæ, quod nullus sobriissimorum cum tanta diligentia ac tenuitate accipit et dispensat pretiosissimum vinum, cum quanta diligentia et mensura illi anachoretæ sumpserunt et administraverunt aquam. Nam et de fluvio illo eam per longissimum iter attulerunt, quod montibus arenosis distinctum, laboris difficultate duplicatur.

Denique, inter anachoretas ibi morantes fuit vir probatissimus, abbas Arthebius, qui Cassianum et abbatem Germanum ad suam cellam deduxit ; et cognito eorum desiderio, quod scilicet ibi habitare optarent, confinxit se de loco illo velle discedere, et cellam suam cum omnibus necessariis eis obtulit ac reliquit, et habitaverunt in ea. Arthebius vero ad tempus recedens, providit sibi impendia, et reversus, aliam sibi cellam cum grandi labore construxit : quam paulo post simili caritatis circumventione aliis Fratribus ibi habitare cupientibus, cum omni supellectili ac utensilibus tradidit ; atque ad opus caritatis exercendum infatigabilis perseverans, ter-

tiam sibi cellam exstruxit. Hic sanctus vir nobili ortus prosapia, in pueritia sua claustrum ingressus est, et ibi per quinquaginta annos in tanta vixit abstractione, quod locum nativitatis suæ nunquam interim vidit, nec vultum alicujus feminæ, imo nec propriæ matris. Præterea, pater ejus carnalis morte præventus obiit, debens quibusdam solidos centum. Quumque mater ejus a creditoribus vexaretur, ipse intra monasterium permanens, solitum opus petiit sibi triplicari, atque per totum annum diebus noctibusque laborans, lucro operis sui creditoribus satisfecit, et matrem suam ab inquietudine liberavit : et tamen de monasticæ vitæ rigore nil minuit. Sicque matrem in prosperitate constitutam, pro Christi despexit amore ; in tribulatione positam, ex vera adjuvit et consolatus est pietate.

Postremo, ex præinductis docemur nos ipsos despicere atque in infinitum humiliare, quum Patres nostri sanctissimi in tam vastis ac horridis habitaverint locis, et aquam in penuria tam magna potaverint ; nos autem habitacula tam curiosa et alimenta tam copiosa habemus. Ex factis quoque sancti hujus Arthebii admonemur esse caritativi et obsequiosi ac liberales in Fratres, et proximos carnaliterque propinquos spiritualiter adamare.

ARTICULUS XV.

De fraterna caritate cujusdam senis.

QUUM Frater nomine Simeon ex Italia veniens, sederet in eremo otiosus, senex quidam dixit ad eum : Cur resides otiosus ? Qui ait, se nihil facere posse eorum quæ ibi fiebant a Fratribus, sed scire se scribere scripturam Latinam. Tunc senex ille, ut Fratrem ab otiositate et periculis inde venientibus liberaret, et ei de necessariis victui provideret, simulavit Latinum sibi codicem esse accommodum pro usu fratris sui carnalis, et Simeoni præfato attulit membranas et alia necessaria ad scribendum. Noverat namque senex ille A Fratrem in cella diu manere non posse absque labore et occupatione, atque ex otio varias cordis sequi distractiones, ac tandem acediam, et cellæ horrorem ac loci instabilitatem.

ARTICULUS XVI.

De obedientia et continentia duorum adolescentium.

QUIDAM fidelis ficus portavit Joanni dispensatori ecclesiæ quæ erat in Scy- B thi : quas ille statim per duos Fratres adolescentulos misit seni infirmo in interioribus solitudinis commoranti. Quumque Fratres illi essent in via, repente densa nebula sic aerem obscuravit, quod iter perdiderunt ; atque per totam diem ac noctem discurrentes per eremum, cellam senis infirmantis non potuerunt invenire : nam decem et octo millibus ejus cella distabat ab ecclesia. Tandem adolescentuli præ lassitudine et labore, præ fame et siti deficientes, genibus in oratione fixis, spi- C ritum Domino reddiderunt. Qui per vestigia sua diu quæsiti, inventi sunt exspirasse, et ficus intactas servasse. Nam potius elegerunt animam quam fidem depositi in sæculo perdere, et vitam corporalem magis amittere quam spiritualis patris mandatum infringere.

Discamus ergo et nos in omnibus fideliter obedire, atque (ut beatissimus pater Macarius docuit) discretionem in cunctis servare ; et ita jugiter conversemur, quasi die quolibet morituri, et quasi adhuc cen- D tum annis victuri, ut nulla ira, nulla commotio, nulla malitia perseveret in corde, nec per indiscretum fervorem quisquam se destruat.

ARTICULUS XVII.

Quantæ mansuetudinis monachum esse oporteat, et de falsa quorumdam mititate.

MONACHUS ad perfectionem tendens, ab omni iræ furorisque vitio alienus exsistat ; et si aliquem Fratrem delinquen- lib. VIII, c. 5 et s.

tem velit corrigere, ita hoc faciat sicque A alium curare conetur, ut non se ipsum lædat nec propriam mentem excæcet iræ aut impatientiæ morbo. Oportet etenim eum qui alterius vitium vult curare, spiri-
Luc. iv, 23. tualiter sanum esse, ne ei dicatur : Medice, cura te ipsum.

Quid ergo dicemus de his qui iram per dies plurimos portant in corde, et rancorem contra eos quibus irati erant, tenent in animo, et verbis se non irasci testantur, sed reipsa et opere indignari atque irasci probantur, quia nec solita affabili- B tate illis loquuntur, nec congruenter eos appellant? Atque ob hoc se non delinquere nec irasci existimant, quia forinsecus vindictam non faciunt. Quam quia manifeste exercere nequeunt aut non audent, venenum iracundiæ in proprium damnum vertunt, eam in proprio corde coquendo, tractando ac resolvendo, atque silenter eam in se ipsis consumendo : quia non vera mansuetudine eam expellunt, sed processu dierum eam digerentes, protractione temporis mitigant eam utcumque C seu aliquo modo.

Hi igitur fallunt se ipsos, et periculose sibimet blandiuntur, quum finis vindictæ sit, ut ira instigante quis faciat id quod potest : quod isti facere demonstrantur, quoniam motus suos non affectu mansuetudinis sed impossibilitate cohibent ultionis, quia nil amplius inferre his quibus irati sunt possunt, nisi ut eos solita affabilitate non alloquantur. Denique non solum in effectu operis moderanda est ira, sed ab arcanis pectoris funditus eruenda, ne D ejus caligine obscurati, impediamur a susceptione salubris consilii ac salutaris scientiæ, nec templum Spiritus Sancti esse possimus. Cohibitus namque in corde furor, quamvis adstantes homines non offendat, tamen æque splendidissimum lumen Spiritus Sancti excludit ac si esset prolatus in medium; nec ad momentum vult Christus iram in corde manere, qui
Matth. v, 23, 24. nec spiritualia orationum nostrarum sacrificia permittit nos sibi offerre, si alium aliquid contra nos habere cognoscimus.

Præterea, quidam sunt qui tamdiu patientes et humiles sibi videntur, quamdiu sunt soli nec alicujus consortio admisceantur; sed quam passionabiles sint apparebit, si alicujus commotionis occurrat occasio : tunc namque erumpunt vitia quæ latebant, et tanquam equi indomiti otio longiori nutriti, acrius in damnum miserorum emergunt. Ideo proficere cupienti non sufficit contra homines non irasci. Interdum quippe etiam contra res inanimatas et mutas provocamur, maledicimus ac impia verba proferimus, aut (quod pudor est dicere) ictum porrigimus ex furore; sicque interiora nostra excæcantur et perturbantur, et graviter læditur anima nostra. Passiones ergo sunt radicitus exstirpandæ, nec circa rem aliquam exercendæ.

ARTICULUS XVIII.

De perversitate cujusdam Fratris acediosi.

MULTA vitia parit in religioso acedia : lib. x, c. 2 et s.
quia et somnolentum reddit eum, et cum tædio in cella manentem, atque ex aliorum visitatione consolationes quærentem, et quidquid ad ventris spectat repletionem assidue cogitantem. Insuper facit eum ferventioribus invidere atque detrahere. Unde dum cuidam Fratri in congregatione injunctum esset certam quantitatem operis quotidie facere et eam dispensatori præsentare, videretque Frater ille in cœnobio suo alium Fratrem eo ferventiorem plus eo facientem quotidie, nec Fratrem illum ab operis sui instantia posset retrahere, ne illius exemplo confunderetur aut plus operari præciperetur, occultis persuasionibus induxit eum ad transmigrandum ab illa congregatione ad alium locum, asserens se perrecturum cum ipso; persuasitque Fratri illi præcedere, et illo in loco se exspectare, certum ei locum præfigens. Quumque Frater ille præcessisset, nec præ verecundia ad pristinam con-

gregationem auderet reverti, impius ille persuasor mansit in claustro. Quo exemplo ostenditur quanta vitia producant in monacho otiositas atque acedia.

ARTICULUS XIX.

De operositate monachorum Ægypti, et de facto quodam abbatis Pauli, et de doctrina abbatis Moysis.

SANCTI Patres nequaquam patiebantur in Ægypto monachos, maxime juvenes, esse otiosos. Et monachi illi non solum non acceperunt necessaria vitæ ab aliis, sed de propriis quoque laboribus non tantum refecerunt peregrinos advenientesque Fratres, sed etiam Fratribus in Libya constitutis sterilitate terræ et fame afflictis, atque incarceratis in urbibus, magnam miserunt victus substantiam, de fructu manuum suarum rationabile et verum Deo sacrificium offerentes. Hinc sanctorum Patrum hæc est antiquissima ac probata sententia, monachum operantem dæmone uno tentari, otiosum vero innumeris dæmonibus impugnari.

Denique, abbas Paulus, probatissimus Patrum, quum in eremo vastiori ac remotiori moraretur, et ibi ex palmarum fructibus ac modico horto victum haberet sufficientem, nihilo minus quotidie ex palmarum foliis fecit opus manuale, quasi ex illius pretio sustentandus fuisset. Quumque ex operibus totius anni spelunca sua fuisset impleta, omnia concremabat, quoniam tam remote habitabat a villis et oppidis, quod vectura seu deportatio operum suorum ad habitata loca amplius constitisset quam operum pretium fuit : hoc docens exemplo quam necessarium sit monacho opus manuum exercere ad evadendum cogitationes pravas et otiositatem atque acediam.

Insuper, quum abbas Cassianus circa principium habitationis suæ in eremo dixisset sanctissimo abbati Moysi, Quia heri fui ab ipsa acedia gravissime molestatus, nec potuissem liberari ab ea nisi protinus ad cellam cucurrissem Pauli abbatis; ille respondit : Non te liberasti ab ea, nec eam vicisti, sed magis te ei deditum ac subditum præbuisti. Gravius namque te de cetero tanquam desertorem cellæ ac fugitivum spiritus acediæ impugnabit, quem a conflictu vidit fugisse, nisi de cetero ei resistas, non exeundo de cella aut somni admittendo torporem, sed patientia ac insistentia operum bonorum assidua. Unde per experientiam est probatum, tentationem acediæ non declinando esse fugiendam, sed resistendo vincendam. — Idcirco semper aliquid boni agamus, et vicissitudine actuum virtuosorum superemus pigritiam, nunc orando, nunc psallendo, nunc meditando, nunc studendo, nunc scribendo, aut alia opera, maxime a præsidente injuncta, agendo. Quod si istud alicui ad tempus difficile fuerit, inferat sibi ipsi violentiam salutarem per aliquot dies, faciendo sibi usum bonum, quamvis cum tædio et labore, et invocet Dei auxilium ; sicque in brevi experietur profectum, et sentiet gustum in prætactis virtutum operibus.

ARTICULUS XX.

Introductio exemplaris qualiter vana gloria tentat ac decipit hominem.

VANA gloria periculosum et inquietum est vitium, non cessans vexare virum devotum; et quo magis dejicitur, magis insurgit. Perfectos quoque impugnat, et post omnium ceterorum exstirpationem vitiorum mentem invadit. Unde et Ezechiam virum sanctum, ad cujus petitionem centum octoginta quinque millia hominum angelus interemit in castris Assyriorum, et sol rediit retro per lineas decem, vita quoque ejusdem Ezechiæ per quindecim annos est prolongata, post omnia illa superavit gloria vana in legatione nuntiorum regis Babylonis. Similiter Oziam regem post multos actus virtutum vicit hæc pestis, quia sacerdotale sibi usurpavit officium. Denique, quosdam in tantum vincit et

lib. XI, c. 1 et s.

IV *Reg.* XIX, 14-35. *Ibid.* XX, 5-11. *Ibid.* 13. II *Par.* XXVI, 16, 19.

occupat gloria vana, ut putent se veraciter agere quæ solum ex phantastica agunt illusione. Unde dum senex quidam isset ad visitandum quemdam Fratrem in Scythi, et appropinquans cellæ Fratris audisset eum loquentem, substitit parum, cupiens scire quid legeret de Scripturis. Quumque aurem diligentius applicuisset, audivit eum quasi exhortatorium facere in ecclesia sermonem ad populum, et finito sermone, rursus mutato officio, quasi celebrare catechumenis Missam. Tunc senex pulsavit, et Frater eum reverenter accepit, atque interrogavit quando venisset. Cui senex grate jocularíterque respondit : Modo veni, quando tu Missam catechumenis celebrabas.

Eradicemus ergo hoc stolidissimum vitium, scientes omne nostrum meritum esse Dei donum (juxta illud Apostoli : Quid habes quod non accepisti ?), et igitur in Deo dumtaxat esse gloriandum, et ei regratiandum. I *Cor.* IV, 7.

ARTICULUS XXI.

De quorumdam infelici superbia.

lib XII, c. 20, 28. FRATER quidam cuidam probatissimo seniori revelavit se turpissima tentatione vexari. Nam contra usum naturæ, desiderio patiendi magis quam inferendi ignominiam, intolerabili ardore libidinis urebatur. Tunc senex tanquam spiritualis verusque medicus animæ, causam tam vilissimæ tentationis advertens, cum gravi ait suspirio : Nequaquam tam nequissimo spiritui permisisset te Dominus tradi, nisi blasphemasses in eum. Quo audito, Frater ille cecidit ad pedes senis, vehementer admirans quod interiora sua tam cito vidisset, et confessus est se in Dei Filium blasphemasse. Hinc sancti Patres dixerunt, quod propter superbiam meretur homo a Deo relinqui, et carnalibus vitiis implicari ac multipliciter cadere, similiter propter blasphemiam.

Denique, Frater quidam a suo increpatus abbate cur humilitatem, quam principio suæ renuntiationis aliquantulo tenuit tempore, jam paulatim relinqueret, et diabolica inflaretur superbia, illi respondit cum contumacia maxima : Numquid ob hoc me humiliavi ad tempus ut semper sim subditus ? Ad quod tam effrenatum ac sceleratum responsum ita obstupuit abbas et omnis sermo ejus defecit, tanquam qui non ab homine sed a Lucifero verba illa audisset ; nec adversus tantam protervíam potuit aliquid loqui, sed gemitus tantum atque suspiria emittebat, quum de Christo dicat Apostolus, quod factus est obediens usque ad mortem, non ad aliquantulum tempus. — Itaque superioribus nostris semper humiliter respondeamus ; et quo diutius in monasterio vivimus, eo humiliores ac obedientiores esse conemur, ne paulatim tepescentes, superbiæ ac præsumptionis laqueis involvamur, et ambitiosi effecti, optemus magis præesse quam subesse et obedire, prout religiosis non in vera humilitate ac obedientia proficientibus solet contingere. *Philipp.* II, 8.

Hæc exempla ex primo volumine Cassiani, videlicet Institutis Patrum, sunt sumpta. Consequenter recitabuntur quæ in secundo ipsius libro, utputa primo codice Collationum sanctorum Patrum, habentur.

ARTICULUS XXII.

De inseparabili sodalitate Cassiani et abbatis Germani, atque rigore et sapientia abbatis Moysis; de illusione quoque Joannis abbatis.

JOANNI Cassiano ab exordio spiritualis militiæ tam individuum contubernium atque consortium fuit cum abbate Germano, tam in cœnobio quam in eremo, ut omnes in solitudine, ad corroborandam * eorum propositi parilitatem ac amicitiam, dicerent unam mentem ac animam duobus inesse corporibus. Hi pariter abbatem Moysen accesserunt, et verbum ædificationis postulaverunt ab eo cum lacrimis, scientes hunc esse rigorem animi ejus, ut doctrinam perfectionis nequaquam proponeret

* significandam

nisi his qui eam fideliter cupiebant, atque A cum omni cordis affectione ac contritione quærebant.

Denique, inter probatissimos Patres in eremo Scythi morantes, abbas Moyses dulciter fragrans non solum actuali, sed et theorica seu contemplativa perfectione, sublimiter radiabat. Hic duas fecit collationes venerabilibus patribus Cassiano atque Germano : primam de destinatione et fine monachi ; secundam, de gratia discretio-
cap. 21. nis. Porro in prima collatione refert de sancto abbate Joanne quemadmodum a B spiritu indiscretionis fuit semel deceptus. Quum enim abbas ille Joannes exhausto corpore refectionem per duos dies continuos distulisset, postmodum ei ad refectionem eunti apparuit dæmon in forma tetri Æthiopis, et ad Joannis genua ironice se prosternens, dixit : Indulge mihi, abba, quia ego tibi hunc laborem imposui. — Si vero talis ac tantus pater taliter fuit illusus, quantum nos timere oportet ne sub specie boni decipiamur ? Ideo Deum jugiter deprecemur ut ab omni diabolica illu- C sione, circumventione, tentatione nos li-
II *Cor.* XI, 14. beret. Transfigurat namque se Satanas in angelum lucis. Propterea discretionis spiritu maxime indigemus.

ARTICULUS XXIII.

Qualiter quidam in discretione decepti sunt, specialiter senex Heron.

collat. II, c. 3 et s. I *Reg.* XIII, 9 et s.; XV, 22. SAUL primus rex Israel, in discretione deceptus est, et Deum dire offendit, acceptabiliora æstimans Domino sacrifi- D cia sua quam obedientiam præcepti sibi per Samuelem prophetam injuncti. Sic et
III *Reg.* XX, 29 et s. Achab rex Israel fuit deceptus, post miraculosam victoriam contra Syros parcens regi eorum, meliorem judicans suam misericordiam quam divini præcepti rigorosam exsecutionem.

Præterea, tempore abbatis Moysis, fuit in Scythi senex nomine Heron, qui magis quam quinquaginta annis vixit in eremo illa, singularem abstinentiæ districtionem observans, atque deserti secreta ultra omnes ibi habitantes miro fervore amplectens. Hic tantus propter indiscretionem suam a diabolo decipi est permissus, quia proprio judicio maluit regi, quam consiliis et collationibus institutisque Fratrum ac Patrum obedire ac gubernari. Nam tanta districtione servavit sua jejunia et cellæ secreta, quod nec in solennitate paschali acquievit cum Fratribus manducare, sed solus fugit ad cellam, ne vel modica sumptione parvi leguminis videretur suum propositum relaxasse. Qua præsumptione deceptus, et angelum Satanæ pro angelo lucis cum ingenti veneratione accipiens, atque ejus præceptis prompte obediens, ex dæmonis illius persuasione in profundissimum puteum se intempesta nocte projecit : quia promiserat ei diabolus, quod propter labores suos ac merita nullatenus læderetur, sed illæsus exiturus esset de puteo : qui erat tam profundus, quod ejus profunditatem ac fundum oculus corporalis nequibat percipere. De quo dum grandi Fratrum labore fuisset pene exsanguis extractus, et super hoc omnes in eremo vehementissime tristarentur, ipse die tertio moriturus, quod pejus est, in suo permansit obstinatus errore, ita quod nec experimento suæ mortis ei poterat persuaderi quod diabolica fuisset calliditate illusus. Unde a presbytero Paphnutio vix precibus potuit obtineri ut non inter perfidos reputaretur, et memoria atque oblatione defunctorum judicaretur indignus.

Ecce quam detestabile est vitium singularitatis, quam periculosa est indiscretio, quam vitiosa est immansio proprii sensus, et quanta mala oriuntur in religioso ex illis ! Simus ergo in omnibus dociles, dirigibiles, singularitatem, ostentationem et omnem vanitatem odientes ac fugientes ; nec aliquis sit securus, sed omnes simus jugiter timorati, non in annorum numero spem ponentes, nec de corporalibus exercitiis præsumentes, sed de profectu veræ humilitatis ac obedientiæ gloriemur in Domino.

ARTICULUS XXIV.

De duorum Fratrum deceptione, et unius eorum perditione.

DUO Fratres per vastissimam eremum ambulantes, nullam escam sumere decreverunt, nisi quam per se ipsum Deus eis præstaret. Quos quum per deserta errantes atque esurie deficientes Marsitæ (qui sunt ferocissimi homines) conspexissent, eis ex compassione cum panibus occurrerunt. A quibus unus Fratrum illorum, discretione subveniente, cibum accepit, reputans sibi a Deo missam escam quam tam crudelissimi homines sibi contra suam consuetudinem spontanee obtulerunt. Sunt enim homines illi ita feroces, quod non desiderio prædæ, sed sola crudelitate ad effusionem sanguinis impelluntur. Porro alter Frater in sua indiscretione perdurans, cibum ab illis accipere noluit, eo quod a Deo sibi non præstaretur. Et quamvis amborum decretum sive propositum non sumendi cibum nisi a Deo, ex indiscretione ac reprehensibili persuasione descendit, unus tamen, succurrente discretione, id quod incaute ac temere conceperat, emendavit.

Deum ergo quotidie exoremus quatenus lumine sanctæ discretionis, quæ est virtutum auriga, directrix ac custos, corda nostra de die in diem copiosius illustrare dignetur.

ARTICULUS XXV.

Qualiter Satanas in specie angeli sancti monachos duos decepit.

CUIDAM Fratri diabolus diu ac sæpe in forma angeli boni apparuit. Cujus revelationibus credidit ille, tenens quod esset angelus lucis : nam singulis quoque noctibus Satanas ille cellam Fratris replevit luce. Tandem Fratri præcepit ut filium suum secum morantem occidens offerret Deo, quatenus per hoc compararetur Abrahæ patriarchæ. Cui præcepto Frater protinus obedisset, nisi puer videns eum extra consuetudinem cultellum acuere, et vincula quærere quibus se posset ligare, ex timore fugisset.

Præterea, in Mesopotamia monachus fuit in cella solitarius manens, tam rigorosam abstinentiam faciens, quod vix paucissimi poterant eam sequi. Iste multis annis sic vivens, post tantos labores atque virtutes, quibus omnes monachos ibi habitantes excessit, ad extremum ita diabolicis apparitionibus, revelationibus somniisque deceptus est, ut christiana fide relicta, ad Judaismum et circumcisionem corruerit. Volens namque diabolus eum decipere, primo per multos dies ei multa verissima revelavit. Deinde ostendit ei populum christianum cum Apostolis ac ceteris ejus principibus in magna miseria constitutum, Judæos vero cum Moyse et Prophetis in gloria magna; suasitque monacho, ut si vellet beatitudinem adipisci, ad Judaismum converteretur.

Ex his exemplis reddamur cauti et timorati, ne somniis nostris ac vanis phantasmatibus credamus, nec faciliter revelationibus aut apparitionibus fidem adhibeamus; sed in primis illuminationem Spiritus Sancti cordialiter invocemus, quatenus quod verum est, nobis inspirare, atque ab omni deceptione nos præservare dignetur. Hinc etiam non simus curiosi, revelationes aut apparitiones desiderando, ne involvamur periculis ; sed superiorum nostrorum informationibus obtemperemus, et eis ac viris sapientibus, virtuosis, expertis, discretis, cordium nostrorum pandamus secreta, atque eorum consiliis stemus : per hoc namque maxime superatur diabolus, ac vera obtinetur discretio.

ARTICULUS XXVI.

Recitatio abbatis Serapionis.

DIXIT abbas Serapion : Quum adhuc adolescentulus habitarem cum abbate Theona, ex suggestione diaboli quotidie

unum paximacium (id est panem certi A ponderis) abbate ignorante subtraxi et manducavi. Quod quamvis prava consuetudine ac delectatione continuavi, tamen manducatione illa furtiva completa, plus remorsu conscientiæ affligebar quam manducando delectabar. Quum autem quadam vice abbas ille Fratribus ad se venientibus contra gulæ vitium atque tyrannidem loqueretur, et quemadmodum manifestatione propriarum cogitationum et actionum inimicus vincatur; cogitans ego quod Deus revelasset seni quod feceram, post occul- B tos gemitus in apertos singultus lacrimasque prorupi, et paximacium quod subtraxeram producens in medium, veniam in terram prostratus cum multis lacrimis postulavi. Dixitque senex : Confide, o fili, absolvit te de vinculis vitii hujus tua confessio, etiam me tacente ; et adversarium tuum diabolum nunc fortius tua humili confessione vicisti, quam ipse te antea superavit. Adhuc sene loquente, ecce quasi fumus aut lampas accensa de sinu meo egrediens cellamque exiens, ita totam cel- C lam replevit fœtore, ut vix in ea possemus sedere ; nec unquam me amplius tentatio illa invasit. Tunc ait senex : Ecce veritatem verborum meorum Dominus tibi visibiliter demonstravit ; ne hosti jam pulso amplius præstes locum.

ARTICULUS XXVII.

De edacitate cujusdam Fratris.

FUIT institutum in Scythi, ut unusquisque Fratrum quotidie duobus paxima- D ciis esset contentus. Erat autem ibi Frater cui hæc observatio erat difficilis : idcirco protrahebat jejunium usque in tertium diem, ita quod die suam refectionem immediate sequente nihil comedebat, quatenus tertio die quatuor paximacia manducando posset se saturare. Quod pertinaciter fecit ad tempus ; et tandem, quoniam proprio judicio magis quam Patrum informationibus acquievit, a Deo relictus, ad sæculum rediit.

Quid ad istud dicemus? Si tam culpabile reputabatur solo pane se saturare, quid de nobis ipsis sentire debemus, qui cibis diversis et potibus delicatis usque ad saturitatem replemur quotidie? Nonne infinitam habemus rationem, imo (ut sic loquar) coactionem humiliandi nos ipsos et parvi pendendi conversationem hanc nostram ?

ARTICULUS XXVIII.

De vita atque virtutibus sancti abbatis Paphnutii.

IN exercitu illo anachoretarum in Scythi commorantium, qui tanquam splendi- Collat. III, c. 1. dissima astra in tenebris hujus mundi fulgebant, fuit sanctus vir Paphnutius, presbyter congregationis loci illius : qui in solitudine illa vastissima usque ad finem vitæ suæ duravit ; nec cellam mutavit in qua cœpit junior habitare, quum tamen cella sua per quinque milliaria distaret a loci illius ecclesia. Denique sabbato aut die dominica ad ecclesiam veniens, ne vacuus rediret ad cellam, vas aquæ qua per totam utebatur hebdomadam, propriis humeris ad cellam suam portavit ; quumque nonaginta esset annorum et amplius, nunquam permisit vas illud sibi portari ab aliquo juniorum. Hic vir sanctus in adolescentia sua in cœnobio vixit, et ibi in omni humilitate, obedientia ceterisque virtutibus miro fervore profecit. Deinde sublimioris vitæ desiderio inflammatus, eremum est ingressus, et secretiora solitudinis penetravit latibula, ubi tanto fervore divinorum contemplationi et vitæ quietissimæ fuit intentus, quod et anachoretarum superavit virtutes ; et universorum vitavit adspectus, in tantum quod ab ipsis anachoretis difficulter atque rarissime poterat deprehendi, ita quod angelorum quotidiano consortio delectari ac perfrui credebatur. A Patribus quoque ob suam nimiam abstractionem cognominatus est Bubalus.

Tanti igitur Patris accendamur exemplis, ejus humilitate, obedientia et fervore,

perseverantia contemplationisque assiduitate erudiamur ac proficiamus.

ARTICULUS XXIX.

De perfectione abbatis Danielis.

collat. IV, c. 1.

DENIQUE, inter ceteros christianæ sapientiæ Patres fuit Daniel abbas, in eremo Scythi habitans, ceteris Patribus ibi habitantibus compar virtutibus, sed humilitate peculiarius decoratus. Quem merito suæ mansuetudinis ac puritatis, S. Paphnutius fecit ad diaconatus officium promoveri. Imo ejus virtutibus in tantum congratulabatur abbas Paphnutius, quod eum procuravit paulo post ad sacerdotium sublimari, cupiens eum sibi successorem relinquere in sacerdotii actu et ordine. Verumtamen abbas Daniel pristinam humilitatem non deserens, nunquam præsente B. Paphnutio sacerdotale fecit officium, sed celebrante Paphnutio, tanquam diaconus ministravit. Et tamen in hac re pater Paphnutius spe sua frustratus est, quamvis in aliis multis gratiam habuerit prophetiæ : nam abbas Daniel ante eum migravit ad Dominum. Erat autem uterque spiritu sapientiæ mirabiliter adimpletus.

ARTICULUS XXX.

De puritate et eminentia abbatis Sereni.

collat. VII, c. 1 et s.

VIR sanctus, re et nomine Serenus, præclara sanctitate ac continentia fuit ornatus : cujus interior virtus ac sanctitas non solum in actu ejus ac moribus, sed etiam in ipso vultu mirabiliter resplendebat. Specialiter tanta virtus castitatis ei collata est, quod nec in somno neque in vigilia naturalibus carnis incentivis seu motibus inquietabatur. Quum enim Deum die ac nocte incessabilibus precibus, jejuniis atque vigiliis exorasset pro virtute et gratia internæ castitatis cordis ac animæ, et jam se in hac re exauditum experiretur, ita quod nullos concupiscentiæ æstus sensit in corde ; suavissimo castitatis gu-
A stu recreatus et inflammatus, majorem
munditiæ desideravit perfectionem, cœpitque intensioribus jejuniis, vigiliis obsecrationibusque insistere, Deum rogans ut tantam ei castitatis munditiam dignaretur præstare, ut nec naturali ac simplici concupiscentiæ motu pulsaretur in corpore. Quumque præfatis modis Deum diu cum lacrimis invocasset, venit ad eum angelus Dei in visione nocturna, et ventrem ejus quasi aperiens, quamdam igneam carnis strumam seu massam de vi-
B sceribus ejus evellens atque rejiciens, et
omnia intestina locis suis restituens, dixit : Ecce incentiva tuæ carnis abscissa sunt, et obtinuisse te scias perpetuam corporis puritatem quam fideliter poposcisti.

Itaque tam beatissimi Patris exemplo studeamus concupiscentias carnis reprimere et stimulos ejus vitare, omnemque occasionem carnalium desideriorum ac motuum evitare, atque pro gratia ista Dominum assidue invocemus ac fervide ; so-
C brietati quoque operam demus, et tactum
incautum, similiter visum incircumspectum, cogitationes etiam indecentes, impuras, illicitas fugiamus.

ARTICULUS XXXI.

De castigatione paterna abbatis Pauli.

SANCTUS vir abbas Paulus quiete solitudinis atque silentio ad tantam mentis puritatem pervenit, ut non solum vultum feminarum, sed et vestes earum nollet
D adspicere. Quumque cum abbate Arthebio
pergeret ad visitandum quemdam seniorem, et mulierem sibi obviantem videret, tam celeri fuga ad suam rediit cellam, ut nullus a facie leonis aut draconis tam velociter fugeret ; ita quod nec clamore ac precibus abbatis Arthebii potuit revocari. Quod quamvis zelo castitatis ac puritatis ardore sit factum, quoniam tamen non secundum scientiam sed indiscrete præsumptum est, quia non solum familiaritatem feminarum, sed et figuram earum exse-

crabatur; idcirco tali ac tanta castigatione A mox a Deo percussus est, quod totum corpus ipsius fuit paralysi dissolutum, nec ullum membrum ipsius potuit pristinum exercere officium, non manus, non lingua, non oculus. Insuper ad tantam infirmitatem devenit, quod a solis mulieribus poterat ei ministrari ac subveniri. Unde ad sacrarum virginum monasterium deportatus, cibum ac potum, quos nec signo potuit petere, de manibus feminarum accepit; et in cunctis necessitatibus corporis, feminarum servivit ei benignitas per qua- B tuor annos, videlicet usque ad finem vitæ suæ. Qui licet in tantis esset languoribus constitutus, tanta tamen virtutum gratia processit ex eo, quod infirmi uncti oleo quod corpus ipsius tetigerat, protinus curabantur; et tanta fecit miracula, quod etiam infideles consideraverunt infirmitatem ejus ex divina dispensatione ac paterna dilectione sibi esse immissam, gratiam vero sanitatum quas agebat in aliis, sibi a Deo præstari in testimonium suæ puritatis, et pro manifestatione meritorum suo- C
Apoc. III, 19. rum. — Ecce quomodo Deus electissimos suos arguit et castigat in vita præsenti.

ARTICULUS XXXII.

De castigatione consimili abbatis Moysis.

PRÆTEREA, abbas Moyses quum esset vir singularis atque eximiæ sanctitatis, tamen quum cum abbate Macario disputans, unum sermonem durius protulisset contra Macarium, quadam opinione D præventus, tam diro dæmoni confestim est traditus et obsessus, quod humanas egestiones per os suum ejecit sive ingessit. Quod flagellum Deus misericorditer ei inflixit, ne vel modica culpa per aliquantulum tempus maneret in eo, sed mox curaretur ab illa, de cetero quoque consisteret cautior. Unde et statim abbate Macario pro eo orante, spiritus immundus ab ipso fugatus est.

Hinc etiam constat, quod contemnendi non sunt qui immundo traduntur spiritui: quia pro eorum purgatione et salute frequenter hoc accidit.

ARTICULUS XXXIII.

Qualiter duo philosophi et magi per S. Antonium sint conversi.

DUO philosophi magicis artibus instructi, et B. Antonio invidentes propter celebritatem suæ famæ et copiosum concursum hominum ad eumdem, eum quoque despicientes velut imperitum et idiotam, voluerunt eum turbare, et ad minus de cella sua expellere; miseruntque ad impugnandum eum pessimos dæmones. Sentiens autem Antonius cogitationes malignas oriri in se, signum crucis pectori suo ac fronti impressit, suppliciterque oravit, ita quod dæmones ei approximare nequaquam audebant, et sine effectu redierunt ad magos. Tunc magi spiritus nequiores miserunt ut impugnarent sanctum abbatem Antonium. Quibus item nihil proficientibus, cognoverunt magi magnam inesse virtutem fidei christianæ; et venientes ad beatissimum patrem Antonium, narraverunt ei quidquid ei egerunt, et cur eum expellere voluerunt, et petierunt se fieri Christianos. (Collat. VIII, c. 18, 19.)

Discamus ergo et nos universis dæmonum tentamentis, orando, dominicam passionem rememorando, crucis signaculo nos armando, ac cetera virtutum exercitia peragendo, resistere ac prævalere, quemadmodum scriptum est: Resistite dia- Jacob. IV, 7.
bolo, et fugiet a vobis; et rursus: Nolite Ephes. IV,
locum dare diabolo, hoc est, impiis co- 27.
gitationibus nolite immorari, condelectari, consentire.

ARTICULUS XXXIV.

De occisione quorumdam sanctorum eremitarum ab infidelibus.

IN partibus Palæstinæ juxta vicum Thecue, de quo oriundus fuit Amos propheta, amplissima solitudo est usque ad (Collat. VI, c. 1 et s. Amos I, 1.)

Arabiam et Mortuum mare extenta : in qua sanctissimi monachi diu commorati, repente a latrunculis Sarracenorum sunt interfecti. Quorum corpora tam a pontificibus regionis illius quam a populo Arabum tanta sunt veneratione suscepta et inter sanctorum martyrum reliquias condita, quod duarum urbium innumerabiles habitatores inter se usque ad gladiorum conflictum rixati sunt qui illorum Sanctorum corpora obtinerent, aliis de vicinitate commorationis illorum, aliis de originis propinquitate gloriantibus. Porro Cassianus et abbas Germanus, mirantes quod viros tam sanctos permisit Deus ab impiis trucidari, perrexerunt ad abbatem Theodorum habitantem in Cellis : qui locus inter Nitriam et Scythi situs, per quinque milliaria distat a Nitria, et per octoginta milliaria ab eremo Scythi. Itaque interrogaverunt sanctum patrem Theodorum cur justus Deus permiserit tam perfectissimos viros a pravissimis occidi hominibus. Super quo Theodorus fecit eis pulcherrimam collationem, docens quod Deus permittit justos in vita hac a reprobis et perversis multipliciter tribulari ex causa multiplici, ut scilicet a suis quotidianis purgentur peccatis, atque in gratia crescant et gloriosius coronentur, aliis quoque in exemplum patientiæ proponantur, et Christo propter se passo plenius conformentur.

Simus ergo et nos in omni tribulatione veraciter patientes. Et quoniam viri sancti tam durissima adversa perpessi sunt etiam absque propria culpa, quamvis non sine rationabili causa, discamus saltem parva adversa æquanimiter pati, et pro nostris defectibus ac peccatis corripi ac castigari non dedignemur.

ARTICULUS XXXV.

De importuno labore Fratris cujusdam.

collat. IX, c. 6.

QUIDAM probatissimus senior transiens juxta cellam cujusdam Fratris, vidit eum gravi malleo frangentem durissimum lapidem. Vidit quoque Æthiopem juxta Fratrem stantem et secum percutientem, eumque ad operis illius importunam et indiscretam instantiam ignitis facibus instigantem. Quumque Frater præ lassitudine vellet parum quiescere aut operi finem imponere, rursus a dæmone inflammatus cœpit percutere. Quod senior ille diu intuens, et contra tantam diaboli illusionem commotus, divertit ad cellam Fratris, et eum salutans : Quid agis, inquit, o Frater ? At ille : Laboravimus, ait, contra saxum istud durissimum. Dixitque senex : Bene dixisti, Laboravimus : quia non solus eras percutiens, sed adsistit tibi non tam verus adjutor quam violentissimus instigator, quem non vidisti.

Ex hoc exemplo instruimur ne alicui operi exteriori indiscrete insistamus, sed congrua hora cessemus seu interrumpamus, præsertim dum ad divina fit pulsus, aut aliud salubrius est agendum, vel præsidens aliud quid injungit. Verumtamen multi instar præfati Fratris immoderato fervore occupationi insistunt exteriori, et similiter ut Frater ille a dæmonibus illuduntur.

Hucusque introducta sunt exempla ex primo Collationum Patrum volumine. Sequitur narratio exemplorum ex libro Collationum secundo.

ARTICULUS XXXVI.

De S. Arthebio episcopo et beatissimo Chæremone abbate.

VIR sanctus Arthebius, de quo superius facta est mentio, de vita et ordine anachoretarum in episcopum est assumptus, et in episcopatu nihil de pristina humilitate omisit, nihil de rigore et cordis custodia relaxavit. Hic sanctus vir Cassianum et Germanum abbates ad se venientes accepit piissime, atque eorum desiderio cognito, ait : Venite et videte senes non longe a nobis morantes, quorum sanctitas in eorum vultu resplendet, ita quod solus eorum adspectus magnam confert

collat. XI, c. 2 et s. art. XIV.

intuentibus ædificationem. Itaque primo A duxit eos ad abbatem Chæremonem, vultu alacrem et jucundum. Qui quum plus quam centum esset annorum, ita orationum assiduitate et ætatis vetustate incurvatum est dorsum ejus, quod quasi in primævam redactus infantiam, progrediebatur porrectis atque submissis manibus tenens terram : non tamen prioris conversationis dimisit rigorem. Hic abbas dignissimus ad vehementem humillimamque instantiam Cassiani et Germani tres præclaras fecit collationes : primam de B perfectione caritatis, secundam de castitate, tertiam de protectione Dei et libero arbitrio. Denique in collatione illa de castitate ostendit, quod ad illam sublimem castitatem quam evangelicæ legis sapientia docet, nullus philosophorum pervenit, nec aliquis absque supernaturali Dei au-
collat. XIII, c. 5. xilio valet pertingere. Et inter cetera refert quemadmodum quidam physionomiæ peritus, viso Socrate philosophorum famosissimo, dixit : Oculi corruptoris puerorum. Quo audito, discipuli Socratis voluerunt in C virum illum insurgere, et quasi injuriam sui magistri vindicare. Quos ipse compescuit, dicens : Sum quidem, sed contineo.

Itaque exemplo S. Chæremonis studeamus viriliter agere et discretum servare rigorem usque in finem. Postremo, exemplo Socratis, qui ex naturali dispositione fuit tam corruptissimæ inclinationis, et tamen per diligentiam et laborem suum fuit inter suos tanquam optimus, animemur et accendamur ad superandum nos ipsos et proprias infectiones ac pravas af- D fectiones, invocando indesinenter auxilium Spiritus Sancti, et item quod in nobis est instanter atque fideliter peragendo.

ARTICULUS XXXVII.

De justitia cujusdam viri sæcularis qui in conjugio absque carnali copula vixit.

collat. XIV, c. 7. RETULIT Fratribus abbas Joannes, quod quadam vice habens secum quemdam ferocissimo dæmone obsessum, quum adjuraret dæmonem ut exiret, dæmon ejus præcepta et adjurationes despiciens, protestabatur se propter eas non egressurum de homine illo. Quum vero quidam vir sæcularis ad Joannem abbatem intraret, portans ei quasdam primitias frugum suarum, dæmon viri illius adventu perterritus, et nomen ejus cum maxima reverentia exprimens, statim exivit ac fugit. Quod abbas Joannes valde admirans, cœpit a viro illo inquirere quæ esset conversatio sua. Qui dixit se esse sæcularem et uxoratum. Tunc Joannes virtutem et excellentiam gratiæ ejus considerans, diligentius sciscitabatur quænam esset quotidiana ipsius vita. Qui ait : Rusticus sum, et quotidianum victum opere manuum mearum acquiro. Nec alicujus boni mihi sum conscius, nisi quod nunquam ad ruralia opera exeo mane, neque de sero ab eis domum revertor, nisi prius in ecclesia pro quotidiani victus adeptione Deo bonorum omnium largitori gratias agam ; nec unquam de fructibus meis quidquam manduco, nisi prius eorum primitias atque decimas Deo obtulero ; nec unquam boves meos per alienam messem transduco, nisi prius ligavero ora ipsorum, ne aliquid damni inferam proximis meis. Præterea, quum abbas Joannes ista omnia nequaquam tanti meriti reputaret, ut propter ea vir ille sibi præferretur et potentior esset apud Deum, ideoque virum illum diligentissime interrogaret quidnam occulti boni operaretur quo tantæ virtutis et efficaciæ esset ; ille tam sollicita inquisitione adstrictus, respondit : Ante undecim annos, quum monachus fieri vellem, vi et præcepto parentum meorum compulsus, duxi uxorem, quam, alio nullo sciente, usque in præsens virginem loco sororis custodio. Quo audito, sanctus abbas Joannes summe miratus est, et coram viro illo clamavit : Non immerito dæmon qui me despexit, tuam præsentiam tolerare non potuit, quoniam tu tot annis servasti quod ego non solum in juventutis fervore, sed nec modo in senectute mea attentare auderem.

Itaque viri illius exemplo, simus amatores ac indeficientes observatores justitiæ, nec aliquem scandalizemus. Ejus quoque comparatione despiciamus nos ipsos valde, qui nec uno die servaremus quod ille usque in finem vitæ servavit, si tanta atque tam licita nobis esset facultas carnalis commixtionis ut fuerat ei. Nec parvi pendamus homines sæculares, neque nos ipsos eis inaniter præferamus, quoniam quæ occulta bona in eis sint prorsus nescimus ; sed proprium imperfectum, et quod tam parum in religione per tantum tempus profecimus, defleamus.

ARTICULUS XXXVIII.

Qualiter S. Macarius mortuum suscitavit.

Beatus vir Nesteros in collatione sua de spiritualibus charismatibus inter
collat. xv, c. 2 et s. cetera dixit : Perfectionis ac beatitudinis summa non in operatione miraculorum, sed in caritatis puritate consistit. Ideo sancti Patres in eremo nunquam affectabant miracula facere, quamvis virtutem faciendi miracula haberent sibi a Deo collatam, nisi forte extrema et inevitabilis eos coarctasset necessitas : quemadmodum abbas Macarius, qui solitudinem Scythi primus cœpit inhabitare, mortuum suscitavit. Rogatus enim a viris catholicis ut veniens resisteret cuidam hæretico Eunomiano, qui suis philosophicis argumentis et calliditatibus multorum subverterat fidem, ne hæreticus ille plures deciperet, et ut decepti ab eo redirent ad fidem, venit contra hæreticum conflicturus. Quem quum hæreticus arte dialectica aggrederetur, et ad Aristotelis regulas ignorantem vellet adducere,
I Cor. iv, 20. respondit sanctus abbas Macarius : Non in loquacitate est regnum Dei, sed in virtute. Eamus igitur ad defunctorum sepulcra, et Christum invocemus super defunctum qui
Jacob. ii, 18. primo occurret, ut ostendamus ex operibus fidem nostram, et veræ fidei documenta divinæ operationis testimonio approbentur, atque perspicuam veritatem non inani aut fallibili disputatione verborum, sed virtute signorum ac infallibili judicio demonstremus. Quo audito, hæreticus coram adstantibus pudore perfusus, et necessitate quadam constrictus, propositæ conditioni statim assentire et satisfacere expavescens, dixit se die sequente venturum. Porro die sequente, quum plurimi confluxissent cupiditate tanti spectaculi, hæreticus infidelitate conscientiæ suæ perterritus, fugit et universam Ægyptum egressus est. Macarius autem plebem ab illo seductam assumens, ad sepulcra perrexit, et invento antiquissimo quodam cadavere, dixit : O homo, si mecum huc venisset ille hæreticus filius perditionis, et eo adstante nomen Jesu Dei mei super te invocassem, dic anne coram plebe ista ab illo seducta surrecturus fuisses. Tunc ille defunctus consurgens, annuente respondit propria voce. Quem interrogavit Macarius quisnam fuisset aliquando in hac vita, vel in qua hominum fuisset ætate, et an nomen Christi novisset. Responditque ille : Sub antiquissimis regibus vixi, nec unquam tunc nomen Christi audivi. Cui Macarius : Dormi, inquit, in pace, cum ceteris in tuo ordine a Christo in fine sæculi suscitandus. I Cor. xv, 23.

ARTICULUS XXXIX.

De duobus miraculis abbatis Abrahæ.

Retulit quoque abbas Nesteros, vir in omni virtute præclarus, et ingenti scientia decoratus, quod abbate Abraham metendi causa ad Ægyptum pergente, occurrit ei mulier arida habens ubera, portans infantulum suum præ defectu lactis pene defunctum : quæ sanctum virum lacrimis precibusque pulsavit ut sibi atque puerulo succurrere dignaretur. Cui quum abbas Abraham calicem aquæ signo crucis impresso porrexisset potandum, et illa potasset, protinus ubera ejus cœperunt lacte redundare copiose et vere miraculose.

Rursus, quum idem abbas Abraham ad

quemdam descenderet vicum, circumdatus est turbis infidelium subsannantium, atque dicentium ei : Si servus Dei es, sana istum contractum, multis annis potestate ambulandi destitutum, et ut vides, reptantem, ut nomen et fidem Christi, quem colis, vana non esse credamus. Tunc abbas Abraham invocato Christi nomine, se inclinans et aridum pedem hominis apprehendens, traxit eumdem : cujus tactu mox æger ille sanatus est, et lætus abscessit.

ARTICULUS XL.

Narratio exemplaris de sancto abbate Paphnutio.

MULTIS annis sanctus pater Paphnutius in tam præcipua vixit districtione, quod credidit se ab omni infectione ac laqueo carnalis concupiscentiæ penitus liberatum : nam et multis tentationibus dæmonum de concupiscentia illa ipsum tentantium, se sensit prævaluisse. Quumque quibusdam sanctis viris ipsum visitantibus aliquid refectionis pararet, manus ejus in flamma in clibano volitante est læsa. Propter quod contristatus est valde, intra se dicens : Quare flamma ista exterior pacem non habet mecum, qui duriora prælia, videlicet interiorem ignem concupiscentiæ, superavi? Dum igitur talia cogitans aliqualiter obdormisset, apparuit ei angelus Dei, dicens : Cur contristaris, Paphnuti, quod exterior ignis nondum tibi pacatus sit, sed lædat te, quum adhuc carnalium motuum in te resideat stimulus? Cujus radices quamdiu vivunt in te, non permittent ignem exteriorem tibi esse pacificum, quem sine læsione sentire non poteris, nisi omnes interiores concupiscentiæ motus hoc indicio experiaris in te esse exstinctos, ut scilicet nudam pulcherrimamque puellam amplectens, nullo inordinato sensualitatis motu pulseris. Hac revelatione instructus, Paphnutius consolatus est, et humiliavit se ipsum.

Nemo igitur nostrum magnificet semet- A ipsum, aut putet se aliquid esse, quum nihil sit; magisque cupiamus vitiis ac passionibus quam dæmonibus dominari. *Galat.* VI, 3.

ARTICULUS XLI.

De beato abbate Joseph.

FELIX vir iste abbas Joseph, nobili ortus prosapia ex Ægypto, et suæ urbis primarius, non solum lingua Ægyptiaca, sed et Græca facundia fuit diligenter in- B structus : ideo non per interpretem, ut ceteri Patres, sed per se ipsum loquebatur Cassiano atque Germano. Et primam eis fecit collationem de vera amicitia ; secundam, de definitione non temere facienda. Hic Joseph tam sæculari prudentia quam spirituali sapientia excellenter ornatus, in tanta cum suis discipulis abstinentia vixit, quod aquam salsam de mari quotidie bibit. Collat. XVI, c. 1.

ARTICULUS XLII.

C

De magna patientia cujusdam feminæ nobilis in Alexandria.

SANCTUS Piammon abbas, pater et presbyter monachorum, multorum gratia miraculorum valde resplenduit, et in præsentia Cassiani multa fecit miracula ; recitavitque ei duo patientiæ magnæ exempla. Unum hoc fuit : Tempore S. Athanasii Alexandrini archiepiscopi, fuit in Alexandria femina dives ac nobilis, Deo in propria domo fideliter serviens : quæ in vir- D tute patientiæ tantum exercitavit se ipsam, quod et occasiones quæsivit adversitatum. Venit ergo ad S. Athanasium, dicens : Da mihi aliquam de pauperibus sororibus viduis, quam repausem et cui ministrem. Tunc episcopus fecit ei dari viduam ceteris virtuosiorem ac probiorem. Cui quum femina illa ad tempus servisset, et omni hora gratiarum actionem ac debitam reverentiam pro suis obsequiis a paupere vidua reciperet, venit rursus ad archiepiscopum : Rogavi te, inquiens, ut præciperes Collat. XVIII, c. 14, 15.

mihi dari viduam quam ego reficerem. Putans ergo archiepiscopus commissionem suam non esse completam, quæsivit a ministris cur suum non implessent præceptum : a quibus quum cognovisset quod honestior vidua fuerat illi feminæ data, occulte præcepit ut pessimam omnium, utpote magis iracundam, rixosam, loquacem, præfatæ feminæ darent. Itaque talem viduam multo facilius inventam dederunt feminæ illi. Quæ quum viduam tam perversam in domo sua optime tractaret ac procuraret, nihil pro tantis beneficiis ab ea recepit nisi exsecrationes, convitia, maledicta ; et tandem etiam manum violentam injecit perversissima vidua illa in feminam sibi tam piissime ministrantem : quæ omnia femina illa patientissime tulit, et viduæ illi humilius ac diligentius ministravit. Tandem diu et bene exercitata a vidua illa, ad episcopum rediit, ei gratias agens ac dicens : Tandem mihi dedisti unam quam repausarem, nam prima illa me potius suis gratiarum actionibus atque obsequiis refrigeravit.

Hoc feminei sexus exemplo de nostra impatientia confundamur, qui nec unum verbum aliquantulum durum aut injuriosum volumus pati, et si aliquis de beneficio sibi a nobis impenso nobis ingratus esse videtur, statim beneficium illud abstrahimus ei.

ARTICULUS XLIII.

De patientia abbatis Paphnutii, et mira ac malitiosa invidia cujusdam Fratris adversus eum.

QUUM abbas Paphnutius in solitudine Scythi adhuc juvenis habitaret, et omni polleret virtute, atque quotidie in omni cresceret dono ac gratia Spiritus Sancti, Frater quidam ejus famæ atque profectui invidens, et splendorem virtutum ejus maculare desiderans, excogitavit hoc malignitatis venenum. Quum ipse Paphnutius ad ecclesiam dominica die ivis-

A set, Frater ille cellam ejus occulte ingressus, proprium librum abscondit in ea. Deinde quasi innocenter ad ecclesiam venit, et celebratis divinis, presbytero coram omnibus est conquestus librum suum sibi esse furatum. De quo tam inaudito ibi facinore cunctis valde stupentibus, territis atque dolentibus, Frater ille a presbytero procuravit ut ceteris in ecclesia retentis, aliqui mitterentur per cellulas Fratrum, qui quærerent librum. Quo facto, quum illi librum in cella invenissent Paphnutii,
B portaverunt et præsentaverunt librum in ecclesia universis. Porro Paphnutius quamvis innocens esset, tamen, quasi culpabilis, se totum satisfactioni exposuit, locum pœnitentiæ suppliciter postulans. Quumque de ecclesia, in Deo confidens, non mente dejectus, abisset, lacrimis atque jejuniis præ solito insistens, seque coram omnibus summe humilians, disposuit se ad hoc ut sabbato aut die dominica ad ecclesiam veniret, non quasi cum aliis sacram communionem sumpturus, sed ad
C prosternendum se in limine ecclesiæ, atque ad veniam humiliter postulandam. Itaque duabus quasi expletis hebdomadibus, non sustinuit Deus eum diutius tam impie diffamari, sed impius ille ipsius maculator a dirissimo dæmone apprehensus, proprium crimen publicavit, et totum insidiarum suarum manifestavit processum. Quumque gravissime torqueretur a dæmone, nec ab ipso S. Isidoro, loci illius presbytero, neque a ceteris Patribus poterat liberari, imo continue gravissime ve-
D xabatur, quousque Paphnutius oravit pro eo : cujus oratione protinus fuit curatus. — Itaque sancti hujus viri humilitatem, patientiam, pietatem sectemur.

ARTICULUS XLIV.

De patientia Fratris cujusdam.

IN cœnobio Pauli abbatis plus quam ducenti Fratres habitabant. Quumque ad illud cœnobium infinita multitudo mona- collat XIX, c. I et s.

chorum de aliis claustris in quadam con- A venisset solennitate, manducantibus eis, abbas Paulus inter ministrantes discurrens, uni ex monachis suis aliqualiter tarde servienti alapam dedit tam magnam, quod sonitus undique audiebatur. Quod ideo fecit, quatenus patientia Fratris illius omnibus ad eorum ædificationem manifestaretur : nam Frater ille tam patientissime tulit hoc, quod non solum nil loquebatur, nec murmuravit, imo nec aliquod impatientiæ signum aut coloris mutatio in ipso apparuit, nec passione verecundiæ B vincebatur, quum in tot extraneorum intraneorumque Fratrum præsentia tam graviter fuerit cæsus.

Quid dicemus ad hoc, qui nec verbalem correptionem a superioribus nostris æquanimiter toleramus ?

ARTICULUS XLV.

De virtutibus Joannis abbatis, qui ab anachoretica ad cœnobitalem rediit vitam. C

Erat in claustro Pauli abbatis quidam sanctus et antiquissimus Pater, nomine Joannes, qui antequam ingressus est eremum, habitavit in cœnobio annis triginta, et postmodum annis viginti anachoreticam vitam duxit in eremo. Interrogatus autem ab abbate Germano et Cassiano cur altissima illa anachoretica vita relicta, ad cœnobium sit reversus, respondit quod ideo, quoniam dum eremum cœpit inhabitare, adhuc pauci erant anachoretæ et D raro visitabantur, sicque Deo quietius atque liberius vacare poterant quam claustrales ; sed tempore procedente facti sunt multi, et visitabantur a multis frequenter : propter quod oportuit eos sollicitari et occupari pro necessaria refectione visitantibus exhibenda ; et ita a suo proposito et a fine anachoreticæ conversationis multipliciter impediebantur, declinavitque vita illa anachoretarum. Idcirco reverti ad claustrum, et ibi sub obedientia vivere, nec pro necessariis victui sollicitari, reputavit salubrius. Retulit quoque idem abbas veraciter atque humiliter de se ipso, quod quando in solitudine anachoreticam duxit vitam, frequenter tam profunde rapiebatur in Deum, quod a se ipso penitus alienatus et in Deitatis abyssum absorptus, obliviscebatur se esse in corpore, nec aliqua advertebat exteriora, nec corporei cibi exstitit memor. Iste Joannes de fine cœnobitæ et eremitæ pulchram fecit Germano et Cassiano collationem.

Si ergo vir talis ac tantus, tam senex et contemplativus, elegit vitam suam sub obedientia terminare, quanto magis nos imperfecti, pusilli, infirmi, obedientiam fideliter adimplere debemus, et malle alterius judicio quam proprio gubernari, neque de annorum multitudine inaniter gloriari ?

ARTICULUS XLVI.

De abbate Theona.

Theonas in adolescentia sua ex parentum suorum instantia ac præcepto sumpsit uxorem. Cum qua dum uno lustro, id est quinque annorum spatio, habitasset, et S. Joanni abbati decimas et primitias frugum suarum cum ceteris detulisset, ex prædicatione abbatis Joannis vehementer accensus est desiderio vitæ spiritualis atque monasticæ, suamque conjugem multum ac diu hortatus est ut sibi præberet assensum intrandi religionem : qua sibi in hoc nullatenus consentiente, ipse ea relicta ingressus est claustrum, atque in brevi ad magnam perfectionem et sanctitatem pervenit. In miraculis quoque apostolicus fuit, et multa nimis ac gloriosa fecit prodigia. Porro, quod uxore sua non consentiente cœnobium est ingressus, excusatur, quoniam creditur quod occulto Spiritus Sancti instinctu hoc fecit : quia secundum legem communem hoc exsistit illicitum.

Collat. XXI, c. 1 et s.

ARTICULUS XLVII.

De quodam Fratre devoto, qui fragilitatem sustinuit quando debuit communicare.

collat XXII, c. 6. ERAT Frater multum devotus, custoditus et sobrius, qui illis noctibus pollutionem in somno patiebatur, quando diebus sequentibus debebat communicare cum ceteris, non aliis noctibus. Qui quum de hoc non parum contristaretur, et diu a communione abstinuisset, tandem retulit Patribus suam illusionem. Qui quum diligentem inter se habuissent examinationem de conversatione Fratris præfati, et cognovissent sobrietatem, humilitatem diligentiamque ipsius, et quod ceteris noctibus tale nil pateretur, pronuntiaverunt Fratris illius nocturnam fragilitatem non nisi ex dæmonum provenire illusione, idcirco propter hujusmodi fragilitatem non debere eum a communione cessare. Cui sententiæ quum Frater obtemperasset, de cetero tale nil passus est quando fuit communicandum.

Hucusque ex libris Cassiani exempla breviter sunt excerpta, quibusdam quæ in Vitaspatrum habentur omissis. Sequitur ex Climaco.

ARTICULUS XLVIII.

De vita et virtutibus Joannis Climaci.

VIR divinus ac generosus Joannes, cognomento Climacus, quum sedecim circiter esset annorum, monasterium in monte Sinai est ingressus, et ibi in omni virtute mirabiliter mox profecit; quodque mirabile est, quum liberalibus esset artibus valde imbutus, spirituali patri suo quamvis idiotæ, in omnibus obedivit promptissime, et ejus semper acquievit directioni, omni vana sui ipsius complacentia ac propria confidentia prorsus abjectis. Quum decem et novem annis in monastica vita se optime habuisset, spirituali patre suo jam ad regnum cœleste vocato, rece-
A dens a claustro, anachoreticam vitam assumpsit, et in ea annis quadraginta permansit, in divini amoris quotidie crescens ardore, et Deo pura mente vacans assidue, imo de die in diem magis perfecte. Quos ibi labores atque dolores sustinuit, quæ et qualia ibi egit, nulla potest exprimere lingua. Insuper abundantissime habuit fontem salubrium lacrimarum.

Quumque in solitudine taliter moraretur, quidam Moyses nomine, multis obtinuit precibus ut habitaret cum eo. Qui
B quum sub grandi lapide quadam vice dormiret, quidam venerabilis senex, decorus et habitu sancto amictus, in visione apparuit Climaco modice dormienti, et dixit : O Joannes, quomodo dormis, quum Moyses periclitetur? Evigilans itaque Climacus, oravit pro Moyse. Quem circa Vesperas redeuntem Climacus interrogavit an adversum aliquid sibi acciderit. Respondit : Lapis magnus suo casu me oppressisset, nisi subito evigilassem de somno et desilissem de loco, quia videbatur mihi quod te me
C alte clamantem audiebam ; sicque perterritus surgens, vidi confestim lapidem lapsum. Præterea, monachus Isaac nomine, spiritu fornicationis gravissime impugnatus, accessit Climacum, pandens ei quid sustineret. Cui vir sanctus : Pariter, inquit, oremus. Quumque simul orarent, oratione nondum finita sensit se monachus ille a tentatione sua penitus liberatum.

Quum autem Climacus gratia doctrinæ fulgeret, et plurimos ad se venientes copiosissime erudiret, quidam invidia in-
D flammati detraxerunt eidem, mendosum atque verbosum eum esse pronuntiantes ac diffamantes. Quorum malitiæ, ne enormius peccarent, cedens, per annum siluit a doctrina, non verbo, sed silentio ædificans alios. Æmuli ergo et detractores videntes tantam ejus patientiam atque modestiam, et pensantes quantum nocuerunt sibi et aliis quibus tantæ sapientiæ obstruxerant fontem, a propria conscientia redarguti et erubescentes, venerunt ad Climacum, suam culpam recognoscentes,

veniam postulantes, et deprecantes ut more solito eos ac alios informaret : quibus protinus piissime acquievit. Postremo, post hæc multorum victus instantia, factus est abbas monasterii in monte Sinai situati.

Climacus iste ob rogatum Joannis abbatis montis Raithu librum suum composuit. Cui Climaco sic scripsit abbas ille Joannes : Supermirabili, æquali angelo, Patri Patrum, doctori superexcellenti Joanni abbati montis Sinai. Ex qua superscriptione patet quantæ excellentiæ fuit vir iste : in cujus libro valde notabilia videntur exempla jam recitanda.

ARTICULUS XLIX.

De magna contritione et pœnitentia cujusdam prædonis.

Scal parad. grad. IV.

REFERT Climacus se multis diebus post suam anachoreticam vitam fuisse in quodam cœnobio magno et sancto, de quo multa mirabilia et valde ædificatoria scribit : inter quæ istud unum. Quum venisset ad claustrum illud causa conversionis quidam prædo, abbas monasterii, vir valde sanctus ac sapiens, fecit eum per septem dies libere esse ac circuire per claustrum et omnia considerare, ac bene tractari. Post hoc interrogavit prædonem an vellet permanere in claustro. Quo respondente quod imo, quæsivit ab eo quid mali perpetrasset in sæculo. Qui statim aperuit abbati omnia sua peccata. Tunc abbas tentando dixit prædoni : Volo ut omnia vitia tua hæc coram toto Fratrum conventu enarres. Qui peccata sua veraciter odiens atque humanam confusionem contemnens, respondit : Etiam, si vis, in medio civitatis Alexandriæ paratus sum omnibus ea propalare. Deinde abbas die dominica infra Missarum solennia, congregato toto conventu, puta ducentis * triginta Fratribus, fecit prædonem illum coram omnibus adduci, quibusdam ex Fratribus eum trahentibus et temperate percutientibus. Eratque cilicino sacco indutus, et manus suas retro ligatas habens, ac pulvere caput adspersum, ita quod solo adspectu omnes qui aderant movebantur ad planctum et ejulatum. Et erant Fratres stupore repleti, quia non noverant quid factum illud insolitum designabat. Quumque prædo portæ propinquasset ecclesiæ, abbas magna voce clamavit ad eum : Sta, quia indignus es ingressu in sancta hæc. Stupefactus ac territus prædo ex voce illa, quia (ut postmodum affirmavit) non hominis vocem, sed tonitruum se audisse putavit, corruit statim in faciem, et totus horrore concussus atque in terram prostratus, pavimentum lacrimis irrigavit. Tunc jubente sancto abbate, universa sua peccata coram omnibus distincte cum grandi pavore et summa contritione narravit : quæ erant quodammodo inaudita, quia non solum peccata secundum naturam et contra naturam in homines, sed in bruta quoque commisit, et veneficia homicidiaque perpetravit. Quumque omnia protulisset, fecit eum abbas tonderi et Fratribus assimilari.

* trecentis

Porro Climacus de tam inconsueto facto admirans, interrogavit abbatem cur illud exhibuisset spectaculum. Qui dixit : Propter duas causas hoc feci. Primo, ut prædo ille præsenti confusione ab æterna confusione eriperetur : quod et factum est. Non enim surrexit a terra quousque plenam remissionem accepit. Nam unus Fratrum dixit ad me : Vidi quemdam terribilem, tenentem in manu chartam scriptam ac calamum, et quæcumque peccata prædo narrabat, ille protinus cancellabat. Secundo, quoniam quidam ex Fratribus istis habent adhuc peccata nondum confessa. Illos igitur hoc exemplo ad confessionem admonui, ne ex humano pudore sua celent peccata.

ARTICULUS L.

De quibusdam exercitiis atque virtutibus Fratrum conventus illius.

CARITATIS indissolubile vinculum inter illos exstitit Fratres, et erant ab omni verbositate et vana confidentia seu præ-

sumptione immunes; atque ad hoc præ omnibus summe studebant, ne quis conscientiam Fratris sui aliquo modo feriret, seu Fratrem in aliquo læderet. Et si quis videbatur Fratris oditor, hunc abbas exsulabat seorsum, id est, incarcerabat aut expellebat. Unde dum quidam coram eo maledixisset proximo suo, statim fecit eum expelli, dicens : Æque non debet in claustro permitti visibilis et invisibilis diabolus.

Fratres autem ita se invicem sanctis exercitiis excolebant, ædificabant, inflammabant, quod exhortatione abbatis videbantur non indigere. Nam si quis absente abbate aliquem temerarie judicare, maledicere aut verbose loqui cœpisset, mox alius Frater ignoto aliis nutu faciebat eum cessare; et si ita non cessasset, alius ille genua flectens, quasi propriam culpam dicens, recedebat. Indesinenter autem tempore colloquendi loquebantur utilia, atque incessabiliter in eorum colloquio erat recordatio mortis, intenta quoque meditatio districti judicii Dei.

Insuper, speciali quodam signo se ipsos ad orationes assiduas commonebant, etiam in omni mutua obviatione et conventione. Quumque eorum aliquis excessisset, rogabatur a multis ut permitteret eos pro ipso satisfacere ac disciplinari. Ubi apud illos aliquando otiosa verbositas aut sermo scurrilis? Si autem quisquam eorum expetebat vindictam pro injuria sibi facta, hoc nuntiabatur secundo post abbatem, et ille reconciliabat læsum ac lædentem ante solis occasum. Quod si in duritia sua permanebant, non permittebantur comedere ante condignam satisfactionem, aut de claustro ejiciebantur.

Stupendum fuit videre in eis angelicos homines, canos, reverendos, sanctitate decoros, instar parvulorum ad obediendum circumquaque currentes, et propriam humiliationem gloriationem maximam reputantes. Erant ibi nonnulli qui per quinquaginta annos in obedientia fuerant conversati; atque ex hoc in humilitatis

A pervenerunt abyssum, in insuperabilem mansuetudinem, vitantes omnem practicationem, in profundissimam sapientiam, simplicitatem et innocentiam. Denique in increpationibus atque injuriis sibi a præsidente illatis, patientiam habebant inviolatam; sed et se invicem exercebant per adversa, ut perfectam sic discerent patientiam.

Fuit quoque in monasterio isto locus seorsum sine consolatione, qui dictus est carcer, in quo nec ignis fuit, nec vinum, B nec oleum, nec aliquid coctum, sed solum panis et herbæ exiguæ. In hoc loco recludebantur perpetuo, post professionem suam prævaricantes, quousque Deus certificaverat abbatem de unoquoque illorum : quibus et abbas præfecit virum magnum, nomine Isaac, qui orationem quasi indesinentem ab incarceratis quærebat, quibus et palmarum præbebat copiam pro opere manuali contra acediam.

C

ARTICULUS LI.

De compunctione et lacrimis coquinarii.

ERAT in cœnobio illo coquinarius incessabilem habens fletum in sua ministratione. Qui interrogatus et importune rogatus a Climaco unde et quomodo tantam lacrimarum copiam a Deo accepit, respondit : Nunquam cogito me hominibus servire, sed Deo; et omni quiete indignum me judico, atque materialem ignem istum adspiciendo memor sum ignis infernalis.

D Itaque hujus felicis coquinarii exemplo compunctionem, timorem ac lacrimas obtinere ac retinere conemur, virtutes quoque et exercitia monachorum illorum, de quibus præcedenti dicebatur articulo.

ARTICULUS LII.

De S. Isidoro.

VIR fuit principalis et officiatus in Alexandria, Isidorus nomine, qui ad præ-

fatum venit monasterium gratia conver- A sionis. Quem abbas versutum, crudelem, durum et arrogantem esse considerans, ait : Si vere vis jugum Christi portare, volo te ante omnia obedientiam exercere. Respondit Isidorus : Quemadmodum ferrum traditur fabro, sic ego trado me tibi ad obediendum in omnibus, o Pater sanctissime. Et abbas : Volo te, inquit, in porta manere, et omni intranti ac exeunti facere metaniam* (id est genuflexionem) ac dicere : Ora pro me, Pater, quia peccavi. Obedivit autem in hoc Isidorus illi abbati B sicut obedit angelus Deo. Quumque sic obediendo per septem annos, in profundissimam humilitatem et compunctionem venisset, voluit eum abbas monachis associare, et ordinatione dignum efficere, seu in sacro constituere ordine. Isidorus vero per Climacum et alios multipliciter rogavit abbatem ut permitteret eum in illo humili statu vitam suam finire, innuens et verbis obscure insinuans finem vitæ sibi instare. Et factum est ita. Et permanens ibi, post decem dies migravit ad Do- C minum, post septem dies portarium loci assumens, quia promiserat portario, dicens : Si invenero gratiam apud Deum, in brevi mihi inseparabiliter conjungeris in gloria.

* μετάνοιαν

Hunc Isidorum adhuc in carne viventem interrogavit Climacus quid mens ejus cogitavit atque sustinuit ita agendo in porta. Respondit : In principio cogitavi quia pro peccatis meis venditus, faciebam ista ; et ita cum omni amaritudine et violentia usque ad sanguinem feci pœniten- D tiam illam. Primo autem anno evoluto, degebam ibi absque cordis tristitia, mercedem a Deo pro obedientia et patientia mea exspectans. Deinde anno secundo finito, habitatione monasterii, et visu atque colloquio Patrum, ac sacra communione, imo cujuslibet faciei inspectione, ex intimo cordis fundo me reputavi indignum : idcirco introeuntes et exeuntes, oculis in terram fixis, rogavi ut orarent pro me.

ARTICULUS LIII.

De humilitate et obedientia Laurentii sacerdotis.

SEDENTE Climaco juxta abbatem in mensa, dixit abbas secrete ad eum : Vis ostendam tibi divinam prudentiam in antiquissimo sene ? Annuenteque Climaco, vocavit abbas quemdam Laurentium nomine, qui quadraginta octo annis habitavit in claustro, et erat secundus sacerdos congregationis illius. Surgens ergo Laurentius, venit et genua flexit coram abbate ; benedixitque ei abbas, et surgenti nil amplius dixit. Stetit ergo tacens a principio refectionis usque ad finem ejus ante mensam per integram horam aut amplius, ita quod Climacus erubuit adspicere vultum abbatis hoc permittentis. Erat namque ille Laurentius totus canus, octogesimum agens annum. Postmodum Climacus interrogavit venerabilem illum Laurentium quid cogitasset stando tam diu ante mensam. Qui ait : Ego abbatem quasi Christi vicarium considerans, non reputavi mihi aliquid injungi ab ipso abbate, sed a Christo ; nec quasi ante mensam hominum stabam, sed quasi coram altari Dei, et Deum adorabam. Hinc contra abbatem prorsus nil mali cogitavi, plenam habens fidem et caritatem ad ipsum. Nam scriptum est : Caritas non cogitat malum. I Cor. XIII, 5. Imo dum aliquis se ipsum in simplicitatem spontaneam innocentiamque tradiderit, non ultra dabit locum maligno.

ARTICULUS LIV.

De sanctitate et perfectione S. Menæ.

OMNIA quæ erant præfati cœnobii, sanctus vir nomine Menas rexit post abbatem, tanquam vicarius ejus, et erat in virtutibus abbati multum consimilis. Hunc Menam jussit abbas quadam vice expelli de ecclesia absque ipsius culpa : impor-

A tunc hoc ipsum præcipiens, atque ad aliorum ædificationem id faciens. Climacus vero sciens dispensatorem illum inculpabilem esse, excusavit eum apud abbatem. Dixitque Climaco abbas : Novi, o Pater ; sed sicut miserabile atque injustum est ex ore famelici parvuli abripere panem, sic animarum pastor se ipsum lædit ac subditum, si ei non præbet quotidie occasiones seu causas promerendi coronas gloriæ æternalis, quas scit eum posse mereri tolerando adversa, aut alio modo. In tribus etenim læditur maxime talis pastor. B Primo, quoniam ipse increpationis mercede privatur. Secundo, quia ex unius virtute alios valens ædificare, non fecit hoc. Tertio et maxime, quoniam ipsi qui patientes putantur, neglecti sub tempore et tanquam virtuosi a præsidente non increpati, frequenter amittunt patientiam mansuetudinemque quas habebant. Porro Climaco objiciente quod multi ex sua fragilitate, dum sine culpa sua reprehenduntur, fiunt deteriores, sapientiæ domus, id est abbas ille, respondit : Anima Christo vere se C offerens, et pastorem suum sinceriter diligens et de eo plene confidens, usque ad sanguinem sustinens, non indignabitur ei nec recedet ab eo ; si autem caritate et fide ita ligata non sit, miror si non inaniter in congregatione resideat.

Præterea, alia vice vir sanctus Menas rediens domum, ac solito more ad vesperam abbati faciens metaniam seu genuflexionem, abbas præteriit, et eum in genuflexione dimisit usque ad Canonis horam, id est ad horam quamdam divini D Officii, forsitan matutinalis, quia per multas horas sic mansit. Tunc vero abbas revertens et eum benedicens, ac tanquam impatientem et ostentationis amatorem redarguens, præcepit ei ut surgeret. Porro discipulus Menæ eum secrete interrogavit an in illa genuflexione fuisset somno oppressus. Respondit quod non, sed se totum legisse Psalterium in terra prostratum ; nec ad aliquam fuit impatientiam motus.

Postmodum Mena defuncto, quum pro eo ageretur divinum Officium, repente chorus, in quo detinebatur corpus ipsius, suavissimo cœpit odore repleri. Tunc annuente abbate, discooperuerunt loculum, Climaco ibi præsente ; videruntque omnes ex pedibus Menæ duos fontes optimi odoris tanquam unguenti manare. Dixitque abbas : Ecce quam grati fuerunt Deo labores pedum illorum, et qualiter Deo oblati sunt vere sicut unguentum. — Ex quo certe miraculo constat quantum complaceant Deo labores officialium religiosorum pro communi utilitate laborantium, dummodo ex vera caritate et obedientia sancta ministrent, nec ad officia inordinate afficiantur, nec ad propria commoda reflectantur, sed Dei dumtaxat honorem et bonum commune salutemque animæ suæ intendant ac quærant ; secus est si ambitiosi exstiterint.

ARTICULUS LV.

De humilitate et patientia fratris Abbacyri.

FUIT in congregatione illa sanctorum Frater nomine Abbacyrus, qui pene ab omnibus exercebatur et variis modis affligebatur. Nam et sæpe expellebatur a mensa, et frequenter absque refectione ivit dormitum. Erat quippe ex natura aliqualiter incontinens linguæ. Dixit itaque Climacus semel ad eum : Frater Abbacyre, quare te a mensa expelli quotidie video, et frequenter non refectum ire dormitum? Qui ait : Crede mihi, Pater, quia probant me Patres mei an veraciter monachus sim, sed non in veritate hoc faciunt (id est, non tantum me tribulant et exercent sicut promereor) : ideo ego sciens intentionem eorum atque abbatis, sine gravamine cuncta sustineo. Et ecce sic cogito : Quindecim annis hic fui ; atque ut ipsi in ingressu meo mihi dixerunt, per triginta annos probant abrenuntiantes. Et juste,

o pater Joannes : nam absque probatione A non perficitur aurum. Denique, quum decem et septem annis fuisset in cœnobio Abbacyrus, defunctus est. Et mori incipiens, dixit : Gratias ago Domino Jesu Christo et vobis, o Fratres, quia pro eo quod me salubriter exercitastis, ecce infra decem et septem annos non fui a dæmonibus unquam tentatus. Quem abbas tanquam confessorem fecit cum ceteris sanctis ibi quiescentibus honorifice sepeliri.

Hujus igitur humilis Abbacyri humili- B tatem patientiamque sequamur, et exercitationes, increpationes, tribulationes, non solum a præsidente, sed etiam a Fratribus universis æquanimiter toleremus ; eas quoque interpretemur in melius, nequaquam in pejus : imo multo gravioribus afflictionibus dignos nos esse intimo fateamur ex corde.

ARTICULUS LVI.

De virtutibus Macedonii, primi diaconi congregationis præfatæ.

MACEDONIUS diaconus, quum de abbatis licentia perrexisset Alexandriam, et ultra terminum sibi præfixum unius diei spatio foris manens, ad cœnobium rediisset, ab abbate est reprehensus, a diaconatu depositus, et in ultimo incipientium positus loco : quod totum tam patientissime tulit, quasi non ipse, sed alius ista esset perpessus. Quumque post dies D quadraginta sanctus et sapiens abbas restituisset eum in loco priori, rogavit statim post unum diem abbatem ut se in priori illa constitueret disciplina, dicens : Quia irremissibilem quemdam excessum commisi in civitate. Abbas autem ei consensit, quamvis sciret eum ita non excessisse. Et mirabile erat videre senem tam virtuosum et canum in noviciorum loco degentem, et omnes ut pro eo orarent humiliter deprecantem, atque dicentem : Quia in fornicationem inobedientiæ cecidi. Denique, Climaco scire optanti cur ad tantam humiliationem se spontanee obtulisset, Macedonius dixit : Nunquam ita expertus sum evacuationem omnis tentationis impugnationisque vitiorum, atque divinæ lucis dulcedinem, sicut modo.

ARTICULUS LVII.

De diversis exemplaribus factis Fratrum præfatæ congregationis.

QUADAM die abbas tempore orationis vidit quosdam ex Fratribus stantes et colloquentes : quos statim, quamvis seniores et clericos, per unam hebdomadam fecit stare ante fores ecclesiæ, jubens ut universis introeuntibus et exeuntibus facerent metaniam, id est genuflexionem.

Insuper, videns Climacus unum ex Fratribus in principio divini seu matutinalis C Officii ita se habentem in vultu et moribus quasi loqueretur ad aliquos, interrogavit quare sic faceret. Et responsum est ei : In procemio divini Officii mentem et cogitationes animæ suæ recolligit, et ipsis convocatis exclamat : Venite, adoremus et procidamus Christo regi. Idem Frater et alii multi habebant tabulas parvulas ad zonam suam pendentes, in quibus cogitationes suas scripserunt, et eas revelaverunt abbati.

Denique, dum quidam ex Fratribus proximo suo tanquam verboso atque mendoso detraxisset præsente abbate, statim ab eo expulsus est : qui pœnitens, mansit extra et prope portam per unam hebdomadam, deprecans sibi indulgeri et se rursus admitti. Quo cognito, inquirens abbas sollicite, et audiens eum sex diebus nil penitus comedisse, renuntiavit eidem : Si vis iterum intromitti, in pœnitentium ordine te locabo (id est incarcerabo). Quod Frater ille libenter amplectens, est carceri mancipatus.

ARTICULUS LVIII.

De mirabili patientia et humilitate fratris Innocentii.*

*Acacii

FUIT in Asia senex omnino durus et negligens, habens discipulum Innocentium nomine, qui tanta a sene illo sustinuit, ut credi vix possit : quia non verbis et ignominiis tantum, sed et verberibus atque plagis eum afflixit quotidie. Quum ergo quidam vir sanctus videret Innocentium quasi servum empticium summa omni die affectum miseria, obvians ei sæpe dixit ad eum : Quid est, frater Innocenti ? Quomodo hodie fuit tibi ? At ille monstrabat viro sancto interdum oculum lividum, quandoque caput plagatum. Cognoscens itaque sanctus vir ille quia patientiæ operarius esset Innocentius, consolans ac roborans eum, dicebat : Patiens esto, et salvus eris. Quumque sub sene illo crudeli vixisset Innocentius annis novem, migravit ad Christum. Quo sepulto, abiit senex ille post quinque dies ad quemdam magnum senem, dixitque ei : Pater, Innocentius mortuus est. Respondit senior ille : Hoc mihi persuadere non poteris. Et ille : Veni, inquit, et vide. Veniens ergo senior ille ad locum sepulcri, clamavit : Frater Innocenti, mortuus es ? Innocentius autem etiam post mortem obediens, respondit sancto seniori : Pater, quomodo possibile est hominem obedientiæ ac patientiæ operatorem mori ? Quo audito, senex ille crudelis notatum se pensans, et tremens ac pavens, corruit in faciem suam cum lacrimis ; ac juxta Innocentii monumentum construens sibi cellam, in ea de cetero laudabiliter vixit, Patribus semper dicens : Quia homicidium feci.

O fratres carissimi, consideremus et defleamus nos ipsos, et de imperfecto nostro, imo de nostris perversitatibus, coram Deo verecundemur, et emendemus nos valde. Ecce quam magna, quam diuturna, quam insuperabilis fuit obedientia, patientia, humilitas, constantia felicis A Innocentii hujus, qui non solum derisiones, verba, injurias, verbera, sed etiam vulnera absque demerito suo assidue sustinuit ! Quid ad hoc dicimus, qui nec signum nec verbum durum pro Deo volumus pati ?

ARTICULUS LIX.

De obedientia et patientia magni Joannis Antiochi.

B DOCEBATUR Frater quidam in Asia a monacho sene, quieto ac mansueto ; et videns Frater ille a sene illo se honorari ac confoveri, petivit ab eo licentiari, atque de ejus licentia intravit cœnobium quoddam in Ponto. Primaque nocte qua cœnobium ingressus est, vidit se a quibusdam ad reddendam rationem compelli, et post illius terribilis exactionis rationem adhuc manere obligatum in summa centum librarum auri. Evigilans igitur, intellexit visionem, et dixit ad se ipsum : C O tu pauper Antioche, adhuc vere multa tibi restant solvenda. Quumque post hæc per tres annos ibi viveret in obedientia plena et indiscreta, despiciebatur ab omnibus, et tanquam peregrinus atque extraneus tribulationes ab omnibus tolerabat : non enim erat aliquis ibi monachus peregrinus nisi ipse. Et ecce rursus vidit in somno quemdam in manu sua tenentem chartam remissionis et absolutionis decem librarum. Qui mox evigilans, intellexit visionem, et ait : Adhuc non nisi D usque ad decem libras sum absolutus : quando tanti debiti solutionem complebo ? Majori labore et ignominia indigeo. Cœpit ergo ex tunc stultitiam et amentiam simulare, et tamen nil debitum in administratione relinquere. Unde immisericordes Patres omnia graviora cœnobii opera ipsi injunxerunt. Perseveravitque per tredecim annos in tali subjectione ; et iterum vidit eos qui primo ei apparuerunt, ostendentes ipsum esse a debito totaliter liberatum.

ARTICULUS LX.

De carcere et incarceratis monasterii memorati.

grad. v. DESCRIPTURUS Climacus dispositionem carceris, et vitam ac pœnitentiam incarceratorum præinducti cœnobii, taliter incipit : Concurrite et venite, venite et audite, et narrabo vobis, o omnes qui Deum offendistis, quæ ad ædificationem ostensa sunt mihi. Attendite, fratres, verba mea, qui Deum vobis per veram contritionem reconciliare optatis.

Deinde subdit narrationem sub forma ista verborum :

Audiens ego infirmus, esse quamdam miram et inconsuetam pœnitentiam, vitam et humilitatem quorumdam incarceratorum, rogavi abbatem, qui erat luminare luminarium, vir sanctus et justus, animarum amator, qui nunquam voluit animam contristare, ut permitteret me carcerem et incarceratos illos videre ; acquievitque mihi. Quum igitur accessissem in pœnitentium mansionem, atque in regionem vere salubriterque lugentium, vidi verissime quæ nec oculus hominis negligentis adspexit, nec pusillanimis auris audivit, nec in cor hominis otiosi ascenderunt, utputa verba et facta Deum violentare valentia, adinventiones et figuras ejus benignitatem celeriter provocantes.

Quosdam enim illorum incarceratorum vidi cunctis noctibus vigiles stare usque mane, pedes habentes immobiles, et a tali vi naturæ miserabiliter somno confractos, D qui se ipsos dejicientes, ignominiis ac improperiis increpabant se, nullam sibi requiem tribuentes. Alios vidi in cœlum lamentabiliter adspicientes, et inde auxilium cum fletibus, ejulatibus ac vocibus invocantes. Alios vidi in oratione stantes, et more damnatorum manus suas retro ligatas tenentes : qui vultum suum obscurum ac mœstum inclinabant ad terram, indignos se arbitrantes cœlum adspicere ; atque a cogitationibus et confusione con- A scientiæ suæ aporiati, et quod ad Deum dicerent non habentes, neque unde aut quomodo supplicationem facerent invenientes, solam sine voce animam et mutam mentem Domino exhibebant.

Alios vidi in pavimento sedentes in sacco et cinere, qui et faciem suam genibus operientes, frontem in terram percutiebant. Alios vidi suum pectus semper tundentes, et vitam suam ad memoriam revocantes : nempe aliqui suis lacrimis pavimentum irrigabant ; porro alii lacrimari B non valentes, se ipsos disciplinis cædebant ; aliqui quasi super mortuos sic super suas animas ululabant, formidinem atque angustiam sui cordis ferre non potentes ; quidam vero corde frendebant, non valentes se ultra continere.

Vidi ibi quosdam more et mœrore ac meditatione quasi excedentes se ipsos, stupentes ac mutos, et ad omnia quæ sunt mundi tanquam insensibiles factos, mentem suam de cetero profundantes in abyssum humilitatis. Alios vidi repletos mœsti- C tia, sedentes terramque intuentes, et sua capita moventes indesinenter, et instar leonum e medio cordis sui emittentes rugitus, dentibus quoque frendentes, et angustiatos. Quidam eorum bona spe remissionem quærebant culparum, et impetraverunt. Alii ex ineffabili humilitate reputabant se remissione indignos, nec posse satisfacere et rationem Deo reddere clamitabant. Alii deprecabantur in hac vita ad tempus cruciari, et in futuro misericordiam invenire.

Vidi ibi animas humiles et contritas et incurvatas sub pondere oneris, potentes vocibus suis lapideum cor compungere. Sic quippe in terram adspicientes dicebant : Scimus igitur, scimus quoniam omni pœna et tormento consistimus digni, et juste. Neque enim de cetero sumus sufficientes ad satisfactionem et rationem reddendam debitorum nostrorum, etiam si universum convocaverimus orbem pro nobis plorantem. Hoc vero, o Domine, deprecamur : Ne in furore tuo arguas nos, Ps. XXXVII, 2.

nec in ira tua corripias nos, neque justo A judicio tuo nos crucies ; sed parce, et sufficit nobis, atque a multis comminationibus tuis et a tormentis dissimilibus, innominatis et occultis nos libera : quia in finem ad perfectum remissionem petere non audemus, sicut qui professionem nostram non custodivimus, sed ipsam post primam miserationem et remissionem nobis impensam violavimus.

Sane ibi erat manifeste videre impletio-
Ps. xxxvii, 7, 6. nem verborum David, videlicet : homines miseros factos et incurvatos usque in fi- B nem vitæ suæ, tota die contristatos ingredientes, et putrescentes corruptis cicatricibus corporis, et absque omni cura
Ps. ci, 5, 10, 6, 12. exsistentes ; qui obliti erant comedere panem suum, poculum vero aquæ cum fletu miscentes ; qui ossa habebant adhærentia pelli, carnibus jam consumptis, erantque instar fœni penitus arefacti. Nil apud eos erat audire nisi hæc et consimilia : Ah, ah ; væ, væ ; juste, juste ; parce, Domine. Quidam namque dicebant : Miserere, miserere. Alii miserabilius clamitabant : Indul- C ge, Domine, indulge, si possibile est.

Ibi erat videre linguas adustas et instar canum ex ore projectas. Quidam eorum in caumate puniebant se ipsos ; aliqui vero in frigore. Quidam eorum modicum aquæ gustantes, refrigerium capiebant tantum ne siti morerentur. Quidam valde modicum panis sumentes, hunc longe projecerunt a se, dicentes se indignos cibo humano, eo quod irrationabilia opera perpetrassent.

Ubi in illis apparentia risus ? Ubi otio- D sum verbum ? Ubi ira aut furor, qui neque si ira in hominibus esset sciebant, luctu in eis perfecte iram omnem exstinguente ? Ubi apud illos vestigium vanæ gloriæ ? Ubi spes ulla deliciarum ? Ubi cogitatio vini ? Ubi degustatio fructuum ? Ubi præparatio ollæ aut coctionis ? Ubi aliquem judicare ? Certe nihil eorum exstitit apud eos ; sed se ipsos jugiter arguebant, orabant, et inter cetera sic dicebant : Putas appropinquaverunt nobis custodes nostri angeli sancti, an longe a nobis exsistunt ? Illis vero non appropinquantibus, omnis labor noster absque profectu est et utilitate ; nec habet virtutem confidentiæ nostra oratio nec pennam munditiæ ut ingrediatur ad Dominum, nisi præsidentes nobis angeli nostri propinquent nobis, eamque sumentes offerant Deo. Et rursus quidam dicebant : Forte, o fratres, remissionem obtinuimus ? Forte rursus miserebitur nostri Deus ? Alii
quoque dicebant ad ista : Quis novit, sicut *Jonæ* iii, 9.
dixerunt fratres nostri Ninivitæ, si quo modo convertatur Deus, et saltem a supernimio nos redimat cruciatu ? Nos nihilo minus quod in nobis est faciamus : et si quidem aperuerit nobis, bene, bene ; si non, benedictus Dominus Deus nos juste excludens. Verumtamen perseveremus usque in finem vitæ nostræ pulsantes : forsitan enim importunitati nostræ succurret. Quocirca rursus excitabant se ipsos, dicentes : Curramus, fratres, curramus. Cursus enim nobis necessarius est, et cursus nimis magnus, quoniam bonam nostram societatem reliquimus. Curramus, non parcentes corpori nostro materiali ac sordido, sed affligamus illud, quia occidit nos.

Ibi vidi a multitudine genuflexionum genua arefacta, oculos extra factos, et intus in parte concavos ad profundum, capillis privatos, atque a calidarum lacrimarum fervore genas exustas ; facies tabidas ac pallidas, nil in comparatione a mortuis differentes ; pectora plagis dolentia, sanguinisque livores ex frequentibus pectoris tunsionibus congregatos. Ubi in illis lectulus, aut vestis munda ac integra ? Omnia dirupta ac sordida, et pediculis ac pulicibus cooperta. Quid in comparatione doloris ac planctus illorum, dolor et planctus lamentantium super mortuos suos et quantumcumque dilectos ?

Insuper, multi incarceratorum illorum rogabant abbatem, inter homines angelum, circumponi eis in collo ac manibus ferramenta, et compediri pedes suos in ligno, nec ante mortem eos dissolvi. Quum-

que in mortis essent articulo, rogabant et adjurabant abbatem ut nequaquam permitteret eos instar hominum sepeliri, sed tanquam bruta faceret eorum corpora in flumen jactari, aut ad devorandum bestiis tradi.

Præterea, miserabile ac pavendum erat spectaculum, quando senserunt aliquem eorum esse mox moriturum : quia tunc omnes concurrebant ad eum, circumdantesque eum et lugentes ac nimis miserabili more se habentes, atque ex compassione caput moventes, interrogabant infirmum : Quid est, frater et nobiscum captive? Quid dicis? Quid speras? Quid suspicaris? Obtinuisti intentum? Sentis aliquam illuminationem? Quid simpliciter sentis, o frater? Dic nobis, ut et nos ad qualia sumus venturi noscamus. Tuum enim jam finitum est tempus, et non invenies aliud ultra in sempiternum. Ad ista et similia quidam morientium respondebant : Benedictus Dominus, qui non amovit orationem nostram et misericordiam suam a nobis ; alii vero : Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Quidam autem dolorose dicebant : Forsitan pertransibit anima nostra aquam intolerabilem, id est multitudinem spirituum immundorum. Porro nonnulli dolorosius respondebant : Væ tibi animæ meæ non custodienti immaculatam promissionem tuam Deo factam : in hac hora cognosces quid tibi paratum sit. Aliqui demum illorum præ peccati horrore et ex contritionis magnitudine cupiebant a dæmone infestari ; alii infirmitatem magnam incurrere. Alii optabant omnibus spectaculum miserabile fieri.

Ps. LXV, 20. — Ps. CXXIII, 6. — Ibid. 5.

Præterea, qualis erat habitatio ipsa seu locus? Tota fœtens et tenebrosa, tota sordida et caliginosa, rectissime carcer vocata : ita quod solus loci adspectus totius pœnitentiæ ac ploratus erat magister.

His verbis Climacus addit : Ego hæc videns, quasi desperavi me ipsum, et oblitus sum mei ipsius, ut in medio demorarer illorum, et totus simul mente raptus, me ipsum continere nequivi. Quumque post dies triginta ad abbatem rediissem, et ille vidisset me totum immutatum, alienatum, stupentem, dixit ad me : Quid est, pater Joannes? Vidisti certamina pœnitentium, dæmones fatigantium? Respondi : Vidi, Pater, et admiratus sum valde ; et beatiores dixi illos lapsos ac sic lamentantes, non lapsis neque lugentibus. Dixitque abbas : Ita se res habet.

Ecce ex hac narratione salubri et omni compunctione plenissima, multum proficere possumus ac debemus, si rite perpendimus, ut nostram qualemcumque contritionem ac pœnitentiam nullius reputemus esse momenti, et humiliemus nos ipsos in omnibus atque spernamus humiliatione ac aspernatione immensa, omnemque gloriam vanam radicitus evellamus. Enormitatem quoque consideremus peccati, et vehementiorem de cetero habeamus contritionem ; opera quoque satisfactionis virilius ac abundantius exsequamur ; sed et magis solliciti simus ad vitandum omne peccatum, potissime ne nostram in aliquo violemus professionem, nec regulam transgrediamur, sed custoditi ac timorati simus in omnibus. Et intueamur quantus rigor disciplinæ fuit apud antiquos sanctos, vere religiosos ; quam item gratanter ac patientissime illi incarcerati sustinuerunt suam incarcerationem et omnem in carcere afflictionem, nunquam in aliquo contra abbatem indignantes aut murmurantes : quorum utcumque pro infinitæ fragilitatis defectuositatisque nostræ modulo sequamur vestigia, quatenus vere mundus iste nobis sit vallis lacrimarum atque exsilium.

ARTICULUS LXI.

De admirabili contritione et fervore cujusdam Fratris incarcerari optantis.

RECITAVIT abbas cœnobii memorati Climaco, dicens : Ante decem annos habebam hic Fratrem ferventem et agilem atque omnino sollicitum. Quem quum ta-

lem conspicerem, valde verebar ne forte A in celeri cursu præcipitaretur, et a diabolo falleretur : quod etiam factum est. Quumque lapsus fuisset, vespere profundo ad me revertitur, culpam detegit, quærit remedium, vehementissime turbatur. Videns autem me secum durius agere nolle, quia compassione exstitit dignus, prostravit se in pavimentum, pedes meos amplectens ac lacrimis rigans, rogans intrudi carceri quem vidisti. Impossibile (inquiens) est me ibi non poni. Et sic importune viscerositatem meam in duritiam conatus est B vertere. Itaque est incarceratus, et ceteris ibi in luctu ac pœnitentia socius effectus ; et habens cor vulnere contritionis ex caritate plagatum, octava die migravit de exsilio illo ad patriam, ad confitendum Domino in æternum. Quem feci huc reduci atque cum Patribus sepeliri. Hoc quoque tibi pronuntio, quod a meis pedibus non surrexit, priusquam Deum sibi reconciliaret. Nec mirum, quoniam fidem illius fornicatricis (id est sacratissimæ Mariæ
Luc. VII, 37 et seq. Magdalene) in corde resumens, talem cer- C tificationem plenæ remissionis viles pedes meos rigando promeruit.

amplius in diversa mutati ; sic et iste incessit semper attentus, et calidas lacrimas tacitus fundens. Quumque migraturus esset ad Dominum, destruentes ostium Fratres introierunt ad eum, inter quos Climacus fuit ; et multum deprecantes verbum audire ab eo, hoc solum locutus est eis : Indulgete mihi, Fratres, nemo memoriam mortis habens, poterit peccare. Illi autem tantam in eo immutationem videntes, admirati sunt valde. Quum autem post ejus sepulturam modico tempore quæsissent reliquias ejus, non invenerunt : Deo eos per hoc certificante de sancta conversatione illius. — Præterea, fuit et alter Frater circa montem Sinai habitans, qui ex intenta mortis meditatione frequenter patiebatur mentis excessum, et deficiens insensibilisque effectus, interdum quasi absque flatu a Fratribus eum invenientibus reportabatur.

Horum exemplis discamus horam mortis jugiter recordari ; et judicium Dei ac retributionem futuram pensando, studeamus præsentia aspernari, bona cœlestia affectare, omnem dissolutionem, vanitatem negligentiamque vitantes.

ARTICULUS LXII.

De magna emendatione cujusdam solitarii negligentis.

grad. VI. HABITAVIT in Choreb solitarius quidam penitus negligens : qui tandem graviter infirmatus, per unius horæ spatium perfecte migravit a corpore ; rediens- D que ad se ipsum, rogavit Climacum ibi præsentem, et ceteros omnes qui aderant, repente recedere. Quo facto, ostium cellulæ suæ obstruens, per duodecim annos mansit intus, cum nullo hominum habens colloquium, nec præter panem et aquam aliquid gustans. Sicque assidue sedit, et ea quæ vidit in ecstasi mirabatur, incedebatque mœrens, nec unquam de cetero proprium morem mutavit. Sicut de sancta
I *Reg.* I, 18. Anna ait Scriptura, Vultus ejus non sunt

ARTICULUS LXIII.

Exemplum horribile de Stephano anachoreta, et de divini districtione judicii.

STEPHANUS quidam in monte Sinai grad. VII multis annis vitam duxit monasticam virtutibus plenam ; eratque jejuniis ac lacrimis valde ornatus. Qui desiderio vitæ perfectioris, post hæc anachoreticam vitam duxit, angustissimam et superarduam valde, in loco omni consolatione carente, et cunctis quasi inaccessibili. Ipse autem circa finem vitæ suæ ad montem Sinai est reversus, et ibi in pristina cella infirmatus est infirmitate qua obiit. Itaque uno die ante obitum suum in ecstasi factus, intendebat ad dexteram lectuli sui atque sinistram, et quasi ad reddendam rationem

a quibusdam compulsus, dixit ad illos, audientibus cunctis qui aderant, interdum sic : Utique verum est ; sed confessus sum, et tanto tempore jejunavi pro isto ; interdum sic : Nequaquam, sed mentimini, quia istud non feci. Et rursus quandoque dixit hæc verba : Ita vere, istud sic est, sed ploravi et ministravi ; quandoque vero sic : False accusatis et calumniamini me. Aliquando vero dixit : Hoc verum est, nec possum respondere ad hoc ; sed misericordia est in Deo. Eratque horrendum atque terribile exsecutorium exactionis illius, et erat pavendum, quia quæ non fecerat ei objiciebant.

Eia! anachoreta qui per quadraginta annos fuit monachus tam lacrimosus et abstinens, de aliquibus culpis suis dixit : Ad hoc respondere non valeo. De quo etiam ferebatur, quod leopardum ad se venientem aluit in deserto. Et hic talis ac tantus recessit a corpore manifestum et certum signum non relinquens quis fuerit finis ejus in districto judicio Dei. — Quid ergo fiet de negligentibus religiosis, qui modica negligendo, cadunt ad gravia, et paulatim evacuantur? Heu, quanta pœna imminet eis qui in observantiis regularibus sunt
Ephes. IV, 1. remissi, nec exstant solliciti quomodo juxta suæ exigentiam vocationis ambulent digne! Simus ergo de cetero timorati, custoditi ac fervidi incessanter.

ARTICULUS LXIV.

Introductio plurium exemplorum.

grad. XXII. FRATREM quemdam superbientem senex sapiens increpavit et de humilitate admonuit. At ille excæcatus respondit : Ignosce, Pater, superbus non sum. Cui senex : Quod manifestius signum superbiæ tuæ poteris demonstrare, nisi dicas, Superbus non sum?

grad. XXIII. Insuper, monachus fervens atque sollicitus suæ salutis, a diabolo per annos viginti graviter est tentatus : propter quod
A corpus suum jejuniis vigiliisque afflixit. Sed quum ex hoc nullum experiretur relevamen, scripsit in charta suam tentationem, et abiens obtulit eam cuidam viro sancto, prostratus in faciem, nec vultum senis inspicere audens. Senex vero quum chartam legisset subrisit, et Fratrem levans de terra, ait eidem : Fili, impone manum tuam super cervicem meam. Quod quum Frater fecisset, locutus est senex : Super me sit hoc peccatum. Et ecce antequam Frater de cella senis exivit, a sua
B liberatus est tentatione.

Præterea, cuidam Fratri doctissimo apparuerunt dæmones visibiliter, beatificantes eumdem. Qui dixit ad illos : Si me laudare cessaveritis, ex vestro recessu magnum me esse existimabo ; si autem non cessaveritis me laudare, ex vestris laudibus immunditiam meam conjiciam. Aut ergo recedite, et ecce magnus sum ; vel me laudate, et ex hoc me amplius humiliabo, quia laudibus vestris non credo. Et stupentes responsionis altitudinem dæmo-
C nes abierunt. grad. XXV.

Amplius, duo Fratres in amore et proposito fornicandi concordaverunt. Quod sapiens quidam diaconus sciens, seminavit inter eos occulte discordiam. grad. XXVI.

Denique, quidam Patrum narravit : Sedente me inter Fratres, veniens spiritus superbiæ sedit ex latere uno ; spiritus quoque vanæ gloriæ veniens, sedit ex latere altero. Quorum unus suggessit mihi ut recitarem quamdam contemplationem quam habueram in deserto. Cui quum respon-
D dissem, Avertantur retrorsum et confundantur qui volunt mihi mala, mox alter dixit ad me : Euge, euge, bene fecisti, et magnus effectus es. Dixique ei : Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge. grad. XXI. *Ps.* XXXIV, 4 ; XXXIX, 15 ; LXIX, 4. *Ps.* XXXIX, 16 ; LXIX, 4.

Insuper, Frater quidam injuriam passus est, de hoc omnino nil dolens, sed mentaliter Deo cum tranquillitate regratians. Deinde, ut virtutem patientiæ suæ absconderet, cœpit quasi ex impatientia atque tristitia lamentari propter injurias sibi fa- grad. XXVI.

ctas. Alius Frater præesse non cupiens, A simulavit se desiderium præsidendi habere. Alteri solitario allatus est botrus : qui gulosum se fingens, cœpit botrum illum cum impetu manducare. Alius perditis palmarum foliis, finxit se inde tota die dolere.

His recitationibus Climacus addit : Multa mentis vigilantia talibus necessaria est, ne illudere cupientes, quandoque in illusiones labantur. — Verumtamen advertendum, quod ista et consimilia facta, non sunt (regulariter et secundum communem B legem loquendo) agenda aut imitanda, quum dicat Apostolus : Ab omni specie mala abstinete vos ; itemque : Quæ ædificationis sunt, invicem custodiamus. Imo et ipse Salvator : Videte (inquit) ne scandalizetis unum ex pusillis istis ; et, Væ homini per quem scandalum venit. Siquidem proximis debemus bonam famam, bonum exemplum, laudabile nomen. Ex tali quoque fictione daretur hypocritis et iniquis grandis occasio colorandi vitia sua et ambitiones. Quod ergo talia in aliquibus C Sanctis laudantur et excusantur, hinc accidit, quia ex aliquo occulto Spiritus Sancti instinctu ea fecisse creduntur, vel quia ex virtuosa radice occasionaliter processerunt, videlicet ex abundanti humilitate, odio laudis humanæ, promptitudine patiendi irrisiones, aut simili fundamento.

I *Thess.* v, 22. *Rom.* XIV, 19. *Matth.* XVIII, 10, 6. *Ibid.* 7.

ARTICULUS LXV.

De aliquibus documentis et quasi proverbiis Climaci.

grad. I. MONACHUS est qui solum ea quæ Dei sunt cogitat, agit et loquitur, Christo unitus in omni loco atque negotio. Monachus est violentia naturæ indesinens, et custodia sensuum indeficiens. Monachus est sanctificatum corpus, expurgatum os, illuminataque mens. Monachus est ordo et consistentia immaterialium in corpore materiali et sordido consummatus. Monachus est mœrens et dolens anima ex indesinenti mortis memoria. Monachus est non elatus oculus, humilisque animæ intuitus, atque immotus corporis sensus. Monachus grad. XXII. est qui tentatores instar bestiarum advocat et irritat dum ab eo diffugiunt. Monachus est incessabilis excessus, et tristitia vitæ. Monachus est qui ita afficitur et qualificatur virtutibus sicut libidinosus delectationibus vitiosis et concupiscentiis carnis. Monachus est incessabile lumen in oculo cordis. Monachus est abyssus humilitatis omnem spiritum extraneum ex toto præcipitans et suffocans.

Denique, quicumque Dominum nostrum grad. II. Jesum Christum veraciter diligit, et eum in corde ac corpore suo portat, futuram beatitudinem adipisci vere desiderans, contritionem de suis peccatis veraciter habens, memoriam futuri supplicii ac futuri judicii veraciter possidens, recordationem et timorem mortis suæ assidue reassumens : non ultra amabit neque curabit pecunias aut possessiones, nec sollicitus erit de parentibus, non de gloria vitæ terrenæ, non de amicis aut fratribus, aut universaliter de quocumque bono terreno ; sed omnem ad hæc affectionem et habitudinem, omnem de his sollicitudinem odiens atque excutiens, Christum sequetur sine pigritia, et semper in cœlum adspiciet, inde implorans auxilium. Confusio maxima est, post nostram vocationem, qua vocavit nos Deus, et non homo, de aliquo alio curare aut sollicitari nisi quod possit nobis prodesse ad conversationem D hac vocatione condignam : hoc namque est retro respicere. Non corruamus a primo fervore, sed in eo crescamus quotidie, et omni diligentia custodiamus cor *Prov.* IV, 23. nostrum.

Præterea, cœnobium est cœlum terre- grad. IV. num. Propter quod sicut afficiuntur angeli in cœlo circa Deum, ei deservientes, ita afficiamur in claustro, eidem administrantes. Et quia in exsilio atque in valle lacrimarum hic sumus, deploremus nos ipsos.

grad. vii. Luctus est præcipuus post Baptismum A primum baptismus : qui nisi a Deo benigne datus esset hominibus, rari ac difficulter invenirentur qui salvarentur. Quemadmodum nihil sic convenit humilitati ut luctus, ita nihil ei ut risus contrariatur. Considerare non cesses æterni ignis abyssum, immanissimosque ministros, implacabilem Judicem, atque immensum chaos flammæ infernalis, subterraneum quoque pavendum ac terribilissimum locum, et hiatuum angustos ac tetros descensus : quatenus horum imaginatione expellantur B a te cogitationes immundæ, et generetur compunctio. In orationibus tuis sta coram Deo cum tremore, sicut reus judici adstat et supplicat. Esto sicut qui sunt in metallis vincti, continuis horis a publicis custodibus flagellati. Qui enim aliquando luget, aliquando deliciatur ac ridet, similis est ei qui canem cum panibus lapidat : qui specie tenus eum persequitur, sed reipsa allicit eum.

Esto mœrens et lugens absque ostentatione. Timent etenim dæmones salubrem C mœrorem et luctum sicut latrones canem. Ignis æterni memoria singulis vesperis cœnet ac dormiat tecum, ac tecum pariter surgat ; et nunquam dominabitur tibi negligentia tempore psalmodiæ. Itaque luge ; et si non luges, propter hoc luge.

Quando non procurantibus aut studentibus nobis nec quidquam adinvenientibus, fit anima nostra lacrimosa, devota et mansueta, curramus : Dominus enim non vocatus advenit, spongiam nobis sibi D placentis tristitiæ tradens, et aquam refrigerationis devotarum piarumque lacrimarum, ad deletionem offensionum nostrarum. Custodiamus eam ut pupillam oculi : multa quippe est virtus compunctionis istius. Non ergo per levitates et negligentias nostras gratiam Dei perdamus.

Beatus monachus qui per intellectuales virtutes sursum potest adspicere et contemplari cœlestia ; porro qui rigat quotidie genas suas aquis viventibus ex recordatione mortis et culparum suarum, cadere nequit. In principio parvulus patrem suum cognoscens, totus gaudio plenus fit, dum conspicit eum. Patre autem peregrinante atque a peregrinatione redeunte, gaudio puer ac tristitia adimpletur : gaudio, quoniam desideratum inspicit patrem ; tristitia, quia iteratam peregrinationem veretur. Abscondit se mater a parvulo, vidensque eum se cum dolore et luctu quærentem, jucundatur : instruens parvulum ut sibi incessanter adhæreat, atque ad se vehementer in puero accendens amorem. Ita contingit animæ devotæ circa Deum Patrem ac Sponsum cœlestem. Non curat de spectaculis condemnatus ad mortem : ita veraciter lugens, nec iræ aut furori neque deliciis usquam intendit. Vidi quosdam præ plagati cordis tristitia sanguinem ex ore suo effundere.

Non inculpabimur nec accusabimur in exitu animæ nostræ a corpore quare non fecerimus miracula, aut quare non theologizaverimus, aut quare contemplati non fuerimus ; sed omnino rationem dabimus Deo quare pœnitentiam non egerimus, et cur humiles non fuerimus, et quare indesinenter non luxerimus. Mites ergo et humiles simus, et vere pœniteamus.

Mititas est immobilis constantia animæ grad. viii. in diffamia et bona fama, in prosperis et adversis. Iracundus arrepticio similis est. Pœnitentiam veram agenti nihil ita incongruum inexpediensque consistit ut furor. Quum Spiritus Sanctus sit pax animæ, ira autem seu furor conturbatio ejus, nihil sic impedit susceptionem Spiritus Sancti ut ira et furor. Quemadmodum lupus unus totum ovium gregem conturbat, sic unus iracundus sæpe totum conventum, et plurimos lædit. Ligetur igitur furor vinculis mititatis.

Quemadmodum irrationabilis, impru- grad. ix. dens et dolosus amicus est caro, et fota, maxime lædit ; sic religiosus injuriæ sibi illatæ memor fallit se ipsum, et similis est aspidi nidificanti, secum circumferenti venenum mortiferum.

ARTICULUS LXVI.

Prosecutio introductionis documentorum salubrium.

grad. x. Ex odio et recordatione injuriæ procedit detractio, pessima proles ex parente pravissima. Audivi detrahentes, et reprehendi eos. Qui suum excusantes excessum, dixerunt quia ex caritate et cura proximi sic loquerentur. Dixique eis : Cessate a tali caritate, ne mendacem faciatis eum qui dixit : Detrahentem secreto (Ps. c, 5.) B proximo suo, hunc persequebar. Si diligis fratrem, latenter ora pro eo, non detrahas ei. Nec judices temere quemquam. Nam Judas fuit in choro Apostolorum, latro vero in numero homicidarum; et mirum quomodo in uno momento facta est transmutatio. Vidi peccantem manifeste et pœnitentem secrete ; et quem fornicantem judicavi, castum inveni. Non verearis nec audias detrahentem, sed dic ei : Quiesce, frater ; ego quotidie in pejoribus pecco : quomodo illum valeo ju- C dicare? Hoc uno emplastro (id est hac sapienti ac humili responsione) te ipsum lucraris et detractorem. Sicut alienus est ignis ab aqua, sic alium judicare alienum esse debet a pœnitente, præsertim religioso. Observatores aliorum et exploratores operum proximorum seducti sunt, fumum pro sole tenentes. Quum verum sit, (Luc. vi, 37.) Nolite judicare, et non judicabimini, constat quia in quibus vituperamus proximum, sive in spiritualibus sive in corporalibus, in eadem incidemus. Acu- D ti judicatores et observatores aliorum hoc agunt, quia de propriis vitiis nondum irrecurvatam ac perfectam pœnitentiam, curam atque memoriam assumpserunt. Si enim quis propria mala velo arrogantiæ cooperta disvelans, diligenter inspexerit, nequaquam alios judicabit aut observabit, reputans suum tempus sibi non sufficere ad proprium luctum, etiam si centum vixerit annis, atque Jordanem fluvium totum in lacrimis ex suis viderit oculis proce-

A dentem. Judicare, est impudica rapina dignitatis Altissimi.

Per multiloquium sæpe incurrit homo grad. xi. detractionis peccatum. Multiloquium est vanæ gloriæ cathedra, per quam quis se ipsum pompatice manifestat. Multiloquium est insipientiæ argumentum, porta detractionis, minister mendacii, compunctionis resolutio, acuminis intelligentiæ dispersor, mater acediæ, somni præcursor, interioris custodiæ exterminatio, frigefactor fervoris, obscurator orationis, scurrilitatis B adductor. Porro silentium est mater orationis, captivitatis revocatio, mentis custodia, episcopus cogitationum (id est considerator et corrector earum), sapientiæ signum, lacrimarum amicus. Vitia attendens, linguam refrenat ; qui vero multiloquus est, nondum cognovit se ipsum sicut oportet. Amicus silentii Deo propinquat, et colloquens ei, illuminatur ab eo. Propterea acedia, quæ frequenter ex multiloquio oritur, summe vitanda est monacho.

C Acedia est remissio animæ, resolutio grad. xiii. mentis, pusillanimitas exercitationis, odium professionis, beatificatrix hominum mundanorum; attonita in psalmodia, infirmans in oratione, ferrea in operatione. Hospitalitatem suggerit, visitare infirmos persuadet; stantem in choro submergit somno, atque importunis oscitationibus rapit versum ab ore. Acedia et otiositas ex ea proveniens universas virtutum dispergunt divitias. Qui luget se ipsum, non novit acediam. Ligetur iste tyrannus (id est, D acedia eradicetur ab anima) recordatione propriorum malorum, percutiatur opere manuum, trahatur intentione atque attenta meditatione futurorum bonorum. Acedia apud vere obedientes non invenit ubi caput reclinet, et ipsa inobedientiam parit.

Ex acedia quoque oritur gula, et ace- grad. xiv. diosus ac piger jugiter cogitat de sui ventris repletione. Leonem potest quis blanditiis facere mansuetum ; qui vero corpus suum fovet gulose, facit illud magis rebelle. Gaudet Judæus sabbato imminente;

et gulosus monachus, lauta refectione instante. A Vince ventrem antequam vincaris ab eo. Mens jejunantis orat vigilanter ac sobrie; mens autem gulosi orat repleta phantasiis immundis. Qui ventrem suum fovet ac replet, et contendit fornicationis spiritum vincere, similis est volenti cum oleo ignem exstinguere. Tribulato ventre, humiliatur cor; ventre autem repleto, superbit cogitatio. Affige ventrem, et claudes os tuum : ex gula namque loquacitas, somnolentia et pigritia oriuntur. Oculis aggravatis, opus manuum apprehende; B somno autem non instante, illud non tangas tempore orationis : sicut enim non *Matth.* vi, 24. est possibile servire Deo et mammonæ, ita non expedit, quum Deo adsistis, opus manuum facere. I *Tim.* vi, 10. Omnium malorum radix est avaritia in viris mundanis, in religiosis vero gula. Dum bibis, cogitare non cesses *Ps.* lxviii, 22; *Matth.* xxvii, 34, 48. qualiter Rex tuus pro te aceto et felle potatus est; et abstinebis, aut suspirabis et delectaberis minus in potu.

grad. xvii. Locutor et exhortator sibi ipsi contrarius, de plagæ peccati sanatione disputat, C et se ipsum ac alios lædere male agendo non cessat. Contra vitia loquitur, et tamen assidue illicita operatur. Ore contra vitia orat, et pro suo corpore agonizat. De morte philosophatur, et qualis immortalis sic conversatur. De abstinentia disceptat, et pro gula concertat. De vana gloria meditatur, et in ipsa meditatione lectionis inaniter gloriatur. De judicio Dei legit, et ridere incipit. De vigilia disserit, et mox se ipsum somno immergit. Obedientiam beatificat, et ipse primus obedientiam fran- D git. Nil vitiose amantes collaudat, et propter acum et vilia quæque passionatur, nec de sua abusione confunditur. Saturatus, de sua dolet saturitate, et paulo post rursus se replet.

grad. xviii. Qui vere obediens est, plerumque stans in oratione fit totus exsultans et illuminosus. — grad. xix. Vigilans oculus monachi mentem purgavit; multitudo somni animam excæcavit. Vigilans monachus fornicationis est inimicus, somnolentus vero ei est conjugatus. Monachus Dei amator, signo orationis audito, dicit : Euge, euge; negligens vero dicit : Heu, heu! Gulosus visa mensæ præparatione lætatur; amator Dei ea visa tristatur. Agricultoribus in area atque canalibus congregantur divitiæ; monachis vero spirituales divitiæ in vespertinis et matutinis officiis. Somnus multus est conjux injusta : mediam vitam negligentiis rapit. Improbus monachus in fabulationibus est vigil; in psalmodia, oratione et lectione præ somno videre non potuit.

Non sit in te formido vana et puerilis grad. xx. tempore noctis, et dum solus alicubi resides : formido namque est puerilis mos, aversio fidei in exspectatione improvisorum aut displicentium, et contremiscens sensus cordis, de incertis eventibus mentem frangens, consternans et tristem efficiens. Huic formidini subjacent vane gloriosi ac tumidi, quos justus Deus juste relinquit, ideo fragores ac strepitus creaturarum et umbras formidant. Porro, dum improvisa et displicentia cuncta ex cordis contritione prompte exspectamus, tunc vere ab hac formidine liberamur : non enim locorum caligo et solitudo dæmones contra nos invalescere faciunt, sed proprii cordis sterilitas. Nonne ubique est Deus? Nonne angeli sancti nobiscum sunt?

Abjice gloriam vanam : quoniam va- grad. xxi. ne gloriosus, cultor est idolorum, colens Deum secundum apparentiam, hominibus vero placere affectans secundum rem. Vane gloriosus est omnis ostentator. Adulator est dæmonum minister, superbiæ manuductor, compunctionis dispersor, exterminator bonorum, quum scriptum sit : Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi *Is.* iii, 12. te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. Magnum est ab anima laudes hominum amovere, majus vero est laudes dæmonum propulsare. Humilitatem ostendit non qui se ipsum vilificat (quomodo enim non supportabit se ipsum?), sed ab alio improperatus ac spretus, et caritatem ad eum non minuens. Non suscipias dæ-

monem quum tibi episcopatum aut Fratrum ducatum aut magisterium submittit : labor enim est canem hunc a macelli mensa repellere.

grad. XII. Superbia est negatio Dei, inventio dæmonum, despectio hominum, temerarii judicii mater, effugatio divini auxilii. Altum sapiens monachus contradicit vehementer ; humiliter vero sapiens contradicere nescit. Dedignatur cypressus pergere super terram, et arrogans monachus, corde superbus, despicit obedientiam possidere. Vir altus corde desiderat principari. Immundus est coram Deo omnis arrogans corde : et quis eum poterit emundare ? Non confidas neque præsumas quousque sententiam a Judice summo acceperis. Noli arrogans altum sapere, quum sis terrenus : multi namque de cœlo ejecti sunt, quum fuissent immateriales. Non nos reputemus facere magna aut pati condigna. Nam quamvis mille mortes pro Christo sustinuerimus, nondum tamen quod est congruum persolvemus : aliud enim est sanguis Dei, aliud sanguis servorum : aliud secundum dignitatem, non secundum essentiam. Non cessemus nos ipsos quotidie examinare et dijudicare per comparationem ad sanctos Patres qui præcesserunt ; et tunc inveniemus nos necdum calcasse aut inchoasse diligenter ac digne diligentis conversationis vestigium, sed adhuc in sæculari institutione ac vita esse detentos. Monachus superbus non indiget dæmone : ipse enim de cetero sibi ipsi factus est dæmon et impugnator. Unum est solum quo superbiam et vanam gloriam vincere poteris : si non cesses coram Deo te ipsum integre vituperare et accusare.

ARTICULUS LXVII.

Prosecutio harum salutarium doctrinarum.

grad. XXIV. *Matth.* XI, 29. AUDIAMUS Lumen, quod ait : Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Mititas est intransmutabilis constantia mentis, in honoribus et ignominiis se æqualiter habens. In cordibus mitium Dominus requiescit ; anima vero conturbans et conturbata sedes est dæmonum. Anima mitis thronus est simplicitatis ; mens autem iracunda auctrix est malignitatis. Anima mansueta suscipiet et effundet verba sapientiæ. Simulator et furiosus sibi invicem obviaverunt, et in sermocinatione eorum non erat inventum verbum rectum et a malitia purum.

Discite, inquit, a me, id est, non ab grad. XXV. angelo, non ab homine, non a libro, sed a me, id est ex mea in vobis habitatione, illuminatione et operatione, quia mitis sum et humilis corde. Proficiente in nobis regina virtutum, puta humilitate, pro nihilo reputamus universa bona quæ agimus ; desuper vero nobis concessam divinarum abundantiam gratiarum, quasi depositum arbitramur, et supra dignitatem nostram esse, eisdem nos æstimantes valde indignos. Sicque mens insuperabilis manet, se ipsam in pera temperantiæ ac parvitatis recludens. Monachus humilis non curiose scrutatur arcana, superbus vero curiose scrutatur divina judicia. Propheta non ait, Vigilavi, jejunavi, fatigatus sum, laboravi ; sed, Humiliatus sum (ait), et Dominus salvavit me. Nam pœnitentia rele- *Ps* CXIV, 6, juxta LXX. vat peccatorem, luctus vero cœlum pulsat, sancta autem humilitas aperit. Proximos nostros plus nobis habere de gratia arbitremur. Impossibile est ex nive flammam procedere ; impossibilius vero est in eo qui quærit ab hominibus gloriam humilitatem exsistere. Quidam humiliant se ex consideratione dominicæ passionis ; quidam ex consideratione culparum suarum ; alii ex tentationibus, infirmitatibus et offensionibus quæ eis occurrunt. Alii per intensionem charismatum (id est augmentationem gratiarum sibi datarum), matrem gratiarum sibi familiarem fecerunt. Quidam vero ex ipsis Dei donis se ipsos humiliantes secundum horum processum donorum, indignos se talibus divitiis reputant, et sic conversantur quasi suo de-

bito apponentes. Hoc humilitas, hoc beatitudo, hoc perfectum est bravium. Quum videris aliquem in paucis annis sublimiter profecisse, cogita eum hac ultima via transisse. Qui vere humilis est, semper propriam voluntatem ut seductricem et errantem abominatur.

grad. XXVI. Interdum simul cum aqua ranam haurimus, quando videlicet actibus virtutum vitia quædam miscentur, ut gula hospitalitati, nocivæ familiaritates et prava colloquia caritati. Vita monastica in sensu cordis fiat (id est, cum interno exerceatur B sapore intimoque affectu) in cogitationibus, operibus, sermonibus et gressibus : alioqui non erit monastica. Denique lumen monachis est angelus ; lumen vero omnium hominum est vita monastica. Studeant igitur monachi exemplar et forma virtutum fieri universis, ut nec verbis nec
II *Cor.* VI, 3. factis alicui dent ullam offensionem. Multiloquium interdum in monachis oritur ex vana gloria, quandoque ex ventris ingluvie, aliquando ex stultitia alienationeque mentis, quandoque ex dæmonum agitatio- C ne, et sæpe ex pessima consuetudine. Dæmones in omnibus bonis operibus nostris tres nobis suffodiunt foveas. Nam primo luctantur ut a bonis agendis impediant nos ; et quando in hoc vincuntur, conantur ut non secundum Deum fiant ; quumque in hoc quoque succubuerunt, tunc nobis nequiter adulantur, ut extollamur aut vane lætemur. Discedunt interdum a nobis dæmones spontanee, ut absque sollicitudine et cautela ac studio conversemur, et tunc redeundo, miseram animam D nostram omnino diripiant. Sunt plerumque in spiritualibus viris minima vitia a Deo dispensative relicta, ut propter parvos quosdam defectus et culpas exiles se ipsos vehementer vituperantes, divitias imprædabiles humilitatis acquirant.

Quemadmodum in sensu odoratus bene dispositi aromata latenter tenentem cognoscere possunt : sic anima munda suavitatem gratiæ ac virtutum sentit, quam et ipsa ante ex Deo accepit et habuit ; fœ- A torem quoque vitiorum, a quo ipsa liberata est, in aliis exsistere cognoscit. In unoquoque tempore tempori propria et opportuna quæramus et exsequamur. Aer purgatus a vaporibus, clarum ostendit solem ; anima vero a suis præsumptionibus et vitiis liberata, lumen contemplatur divinum. Quando aliquos videmus nos secundum Deum amantes, ad illos quam maxime custodiamus reverentiam, et fugiamus audaciam ac præsumptionis fiduciam : nihil enim ita dissolvere caritatem atque inducere odium naturaliter habet quemadmodum confidentia et audacia. Quando in strato reclinamur, dæmon venit, et sordidis cogitationibus atque memoriis nos sagittat, quatenus detenti pigritia non surgamus ad orationem nec contra eum armemur, sed in immundis cogitationibus obdormientes, sordida quoque somnia habeamus. Est spirituum malignorum quidam præcursor dæmon, qui nos a somno surgentes protinus vocat, magis vero nos suscipit, primitivamque mentis nostræ intelligentiam inquinat. Tu vero da Deo primitias tuæ diei.

Qui arcanas et ineffabiles Dei dispensationes, consolationes, operationes aut visiones in hominibus curiose scrutantur, Deumque esse personarum acceptorem latenter supponunt, filii sunt propriæ reputationis et arrogantiæ. Quicumque volunt voluntatem ac beneplacitum Dei addiscere, proprias voluntates ac complacentias prius debent mortificare, et fide ac simplicitate absque malignitate Patres interrogare, eorumque dicta quasi Dei consulta recipere, quamvis eorum affectioni ac sensui exstent contraria. Non est Deus injustus ut cum humilitate pulsantes excludat. Ideo in judiciis hæsitare et absque certificatione plurimum permanere, non illuminatæ animæ, sed amatricis vanæ gloriæ est argumentum. Cor rectum, a rerum varietate liberum, in navi innocentiæ sine periculo navigat. Si quis corpus castum et cor mundum Christo vult exhibere, inirascibilitate et abstinentia se ipsum in-

tegre servet : absque his enim omnis noster labor est inutilis. Noli esse severus judex et exquisitor eorum qui sermone magnifice docent, et circa practicam aliquantulum pigritantur : plerumque enim defectum operum adimplevit utilitas verbi. Non omnes dona possidemus æqualia : in aliquibus enim sermo opere plus abundat, in aliis econverso. Si quis homines mundanos accessit aut eos recepit et dimisit, et de eorum recessu postmodum fuit tristis, et non magis gavisus est tanquam ab impedimento devotionis et laqueo liberatus, iste a dæmone vanæ gloriæ aut a spiritu malignitatis illuditur. Qui perfectioni student atque propinquant, si interdum a tentatore in aliquo modico superentur, omni utantur industria hoc ipsum confestim a tentatore diripere centuplum.

Abstinentiæ mater est fixa meditatio mortis, stabilisque memoria fellis et aceti regis nostri Jesu Christi. Oratio devota exterminatio est acediæ. Quemadmodum impossibile est serpentem suam antiquitatem exuere nisi intrando per angustum foramen, ita et nos antiquas præassumptiones animæque inveterationem et veteris hominis tunicam non abjiciemus, nisi per angustam et arctam viam jejunii mortificationisque sensuum ac propriæ voluntatis et adversitatum pergamus. Sicut aves quædam multum de carne habentes in cœlum non valent volare, ita et suam carnem nutrientes et delicate foventes cœlestia nequeunt contemplari. Quemadmodum exsiccatum cœnum porcus non amplius curat, sic mortificatam carnem dæmones ultra non inquietabunt. Quemadmodum humidorum multitudo lignorum multum fumum producens, flammam ignis plerumque suffocat; ita immoderata tristitia tenebrosam et passionatam efficit animam, et aquam lacrimarum desiccat in ea. Quemadmodum cæcus sagittator est reprobus, ita discipulus contradicens litigansque perdetur. Sicut ferrum probatum acuit ferrum molle, sic Frater fervens suo A exemplo salvat aliquando negligentem. Quemadmodum equi simul currentes se invicem cohortantur, ita congregatio et bona societas se ipsam ad bona omnia excitat et exercet. Quemadmodum nubes solem abscondunt, ita malignæ intentiones mentem obscurant et perdunt.

Quemadmodum pauper thesauros regios videns, suam paupertatem magis attendit; sic anima magnas Patrum virtutes audiens et legens, se magis humiliat. Quemadmodum aqua subtiliata ascendit, sic anima B sub periculis angustata ad Deum se erigit. Sicut qui portat aromata, etiam nolens deprehenditur ex odore ; ita Spiritum Dei habens, ex verbis suis et humilitate sua fit notus. Sicut spiritus turbant abyssum, sic furor conturbat deliberationem et mentem. Sicut ignis non parturit nivem, ita qui in præsenti quærit honorem, futuri honoris jucunditate non perfruetur. Quemadmodum absque armatura non potest quis fortem bestiam superare, ita sine humilitate non potest quis iram reprimere. C Quemadmodum nemo vivere potest sine esca, ita nunquam convenit negligentiæ locum dare eum qui cupit salvari.

Quemadmodum solis radius domum ingrediens illuminat omnia, et subtilissimum pulverem volitantem in aere facit videri ; sic timor Dei mentem introiens, cuncta sua delicta atque peccata ei ostendit. Quemadmodum cancri velociter progredi nequeunt, quia nunc ante, nunc retro incedunt, et ideo faciliter comprehenduntur ; sic homo quandoque ridens, D aliquando lugens, interdum deliciis utens, quandoque pœnitentia se affligens, nihil proficere potest. Quemadmodum qui contra leonem pugnat, si alibi reflexerit visum protinus vincitur ; ita qui cum carne sua præliatur, si eam fovens quietare voluerit, perditur. Quemadmodum qui in scalam ascendunt teredine putrescentem ac vetustate corruptam, periclitantur ; ita sub honoribus et gloria et prælationibus et fama periclitantur qui amant ea : quia omnia veræ humilitati exsistunt contraria, et ha-

bentem dejiciunt. Sicut impossibile est esurientem panis memoriam non habere, ita impossibile est non recordari mortis atque æterni judicii eum qui salvari festinat. Sicut aqua litteras delet, sic gratia lacrimarum peccata. Quemadmodum quædam litteræ aqua deleri non valent, ita quidam lacrimari non possunt, sed per mœrorem et contritionem atque suspiria peccata diluunt et abstergunt.

Quemadmodum multitudo stercorum multitudinem vermium operatur, ita multitudo escarum multitudinem ruinarum et cogitationum pravarum ac somniorum. Quemadmodum vinctus pedibus ambulare non potest, sic monachus proprium habens aut pecuniam congregans, cœlum non poterit intrare. Quemadmodum navis bonum habens gubernatorem sine periculo in portum, Deo cooperante, ingreditur ; sic anima bonum habens pastorem, etiam si plurima mala peregerit, in cœlum facile intrat. Sicut non habens ductorem, quamvis sit valde prudens, faciliter errat in via ; ita qui sua voluntate et proprio arbitrio præsumit vitam monasticam agere, quamvis omnem mundi sapientiam noverit, faciliter perditur. Sicut de longa infirmitate non contingit uno ictu sanitatem acquirere, sic non est passiones subito superare. Quemadmodum aurum luto commutantes damnificantur, ita qui propter temporalia et laudem humanam spiritualia agunt aut manifestant. Sicut impudens est qui patre suo sepulto mox redit ad nuptias ; ita est indecens peccata sua deflentem velle præesse, aut gloriam vel honorem seu requiem in præsenti ab hominibus quærere. Quemadmodum rex non expellit militem qui pro se in prælio plagas recepit crudeles, sed promovet eum ; sic monachum multa tentamenta a dæmonibus sustinentem supercœlestis Rex coronabit.

grad. xxvii. Dogmatum altitudo, pelagus profundissimum ; mens autem quiescentis sine periculo non exsiliet in ea. Non est tutum in pelago cum veste natare, neque vitium

A habentem theologiam tangere aut studere. Quorum mens vere orare didicit, hi ante Deum positi, ad ipsum loquuntur sicut qui ad aurem regis. Auris quiescentis suscipiet desuper magna et sensum excedentia. Non stabunt quiescentes quousque ad Seraphim pertingant, nec laborare cessabunt donec angeli fiant.

Modicus pilus turbat oculum, et parva sollicitudo quietem mentis exterminat. Qui mentem mundam Deo vult exhibere, et curis ac sollicitudinibus vitæ se tradit, similis est ei qui pedes suos fortiter ligat, et B velociter currere nititur. Qui necdum Deum novit, erit improbus ad quietem. Quies inexpertos et indoctos suffocat : sine gustu enim divinæ dulcedinis exsistentes, in distractionibus et anxietatibus atque acediis tempus consumunt. Qui orationis pulchritudinem tetigit, fugiet turbas ut onager. Quies est incessabilis cultus atque vacatio Dei. Christi memoria tuo flatui uniatur, et tunc cognosces fructum quietis. Lapsus obedienti est propria voluntas ; quiescenti C vero, ab oratione recessus.

Si gaudes super adventu Fratrum ad cellam tuam, cognosce te acediæ et non Deo vacantem. Exemplar quietis sit tibi magnus et æqualis angelo quiescens Arsenius. Memento conversationis angelicæ hujus Arsenii, qualiter quosdam ad se venientes ingredi non permisit, ne quod majus erat, videlicet allocutionem contemplationemque Dei, amitteret. Noverat namque quod dæmones sæpe irrationabilibus gyrovagorum discursibus quiescentes D solitarios a sanctis exercitiis impediunt et inquietant. Et tu ergo vagos et negligentes non verearis contristare, eos non admittendo : forsitan enim ex tristitia tali circuire cessabunt. Verumtamen vide ne gratia hujusmodi intentionis, repellas et perturbes hominem te accedentem desiderio audiendi verbum salutis. In omni vero re necessaria tibi exstat lucerna, id est discretio : ideo Deum ora ut in cunctis te dirigat.

Fides est ala orationis. In carcere vin-

ctus, pœnas judicis metuit ; quiescens autem in cella, Christi veretur judicium, et illud magis formidat, quam vinctus in carcere judicis pœnas. Vinctus et morti adjudicatus, semper intuetur quando ad carcerem veniet judex ; qui autem vere operarius est, semper cogitat quando animam ejus Christus educet de corpore. Quiescenti magnus timor Dei necessarius est : quia nihil ita persequitur acediam sicut timor. Vir patiens ante sepulcrum mortuus est, de cella sibi faciens sepulturam. Lectio Scripturarum non modice illuminat atque B recolligit mentem : verba enim sunt Spiritus Sancti. Sine curiositate opera tua exerce : quia curiositas inquinat quietem valde.

ARTICULUS LXVIII.

De ceteris Climaci documentis.

grad. XXVIII. ORATIO secundum qualitatem suam est unio hominis ac Dei. Secundum operationem autem oratio est consistentia C mundi, reconciliatio Dei, lacrimarum mater et filia, pons tentationum, murus tribulationum, præliorum contritio, animæ alimentum, angelica operatio, fons virtutum, conciliatrix charismatum, opulentia monachorum, illuminatio mentis. Præ omnibus in nostra obsecratione sinceram gratiarum actionem subordinemus. Quomodo stare debeas ante Deum in oratione, disce ex forma qua rei stant ante visibilem judicem, atque ex modo quo infirmi se habent ad medicum, quando exuri aut incidi D debent ab eo. Quemadmodum sal et oleum condiunt pisces, ita lacrimæ et continentia pennatam faciunt orationem. Principium orationis est evagationes expellere ; medium ejus est in verbis et sensu orationis mentem libere detinere ; finis autem ejus est raptus. Si semper studueris mentem tuam non elongare a Deo, tecum erit et in mensa ; si autem sine resistentia evagaris, nunquam tecum Dominus permanebit. Sordes orationis est coram Deo stare et cogi- A tationes atque intentiones inconvenientes habere ; exterminium orationis est curis inutilibus occupari ; furtum orationis est insensibiliter intentionem et mentem deflectere ubi non decet ; querela est qualiscumque insultus nobis orantibus appropinquans.

Nos qui sumus vitiosi et passionati, incessabiliter Deum rogemus, quoniam omnes a vitiis mundati, ex passibilitate ad impassibilitatem ac munditiam profecerunt. Non sic reus suæ pœnæ sententiam timet sicut orationis studiosus exsecutor coram Deo timoratus consistit. Vidi quosdam in obedientia fulgentes et virtute qua poterant assiduam Dei habentes memoriam, qui orando protinus mentem excedebant, et perfundebantur lacrimis affluenter, quoniam ante parati per sanctam obedientiam erant. Psalmodiam quæ fit cum multitudine, prosequuntur evagationes, vanitates, et recurvationes (id est non rectæ intentiones) ; illam vero quæ singulariter fit, impugnat acedia. Quodcumque negotium quis exsequitur, et hora orationis præsente manet in illo, a dæmonibus illuditur. Studiosus et curam gerens orationis, stude esse valde misericors, quia per hoc monachus accipiet centuplum.

Crudele est aquam rapere ex ore sitientis ; crudelius vero, quod anima orans cum compunctione, ante ejusdem terminationem privet se valde desiderabili adsistentia sua coram Deo. Ne cesses ab oratione quousque videris ignem fervoris et aquam lacrimarum cessare : forsitan enim non accipies amplius tale tempus ad remissionem culparum tuarum in omni vita tua. Qui ab oratione exeunt nec inflammati nec illuminati, corporaliter et non spiritualiter oraverunt. Quemadmodum regi terreno abominabilis est ei adsistens, et vultum ab eo avertens ejusque hostibus loquens ; ita est abominabilis Deo qui in oratione exsistens immundas cogitationes suscipit. Advenientem canem (id est vanam gloriam) armatura virtutum persequere, et quotiescumque congreditur ei nullatenus cedas.

Pete lugendo, quære obediendo, pulsa longanimiter sustinendo. Non fiat tibi tempus orationis tuæ tempus provisionum et exteriorum curarum.

grad. xxix. Quemadmodum cœlum stellis ornatur, sic vir impassibilis virtutibus. Impassibilis est, qui corpus suum fecit a concupiscentiis emundatum et a vitiis incorruptum, mentem vero super creata elevavit ad Creatorem, omnes ei sensus subjiciens, et animam suam Deo semper præsentem exhibet supra humanam virtutem. Talis fuit S. Ephrem, qui dixit : Remitte, Domine, undas gratiæ tuæ. Impassibilitatem habet anima quæ ita qualificata est virtutibus sicut vitiosus concupiscentiis. Qui talis est, in omni tribulatione exsistendo, arbitratur requiem se habere ; et maledicente præsente et absente, similiter manet immobiliter in sancta tranquillitate ; atque in universis sermonibus et operibus, intentionibus et deliberationibus, Spiritum Sanctum habet gubernatorem, et omni humana doctrina altior est effectus. Impassibilitas est cœlum mentale, et thronus Regis æterni, atque a vitiis cunctis libertas.

grad. xxx. *Marc.* ix, 22. *Rom.* v, 5. *I Cor.* xiii, 8. Fides omnia potest ; spes misericordiam Dei circumgyrat, et inconfusum facit ; caritas nunquam excidit, nec currere desistit, neque plagatum a beata insania (id est caritatis furore ac fervore vulneratum) quiescere sinit. Caritas secundum qualitatem suam est similitudo Dei ; secundum operationem vero est ebrietas animæ. Beatus qui talem ad Deum habet amorem qualem insanus habet amator ad suam dilectam. Beati qui ita timent Deum sicut rei jam capti timent judicem et exactorem. Beatus qui ita effectus est sollicitus et festinans ad ea ad quæ vere ac salubriter est festinandum, sicut prudentes servi ad dominum suum. Beatus qui sic zelator virtutum exstiterit sicut quidam circa suas uxores exstant zelotypi. Beatus qui in oratione sic coram Deo adsistit quemadmodum servus coram rege.

Non sic mater adhæret lactenti infantulo quemadmodum filius caritatis (id est homo in caritate exsistens) Deo. Nempe qui vere diligit, dilecti faciem semper imaginatur, et hanc ex dilectione nimia intrinsecus amplexatur. Et hic talis neque in somno a concupiscentia desiderati valet quiescere. Ideo quidam hac sagitta plagatus, dixit : Ego dormio, scilicet propter *Cant.* v, 2. naturæ necessitatem, et cor meum vigilat, propter amoris excessum. Si alicujus dilecti hominis facies sua præsentia nos transmutat et claros ac hilares facit, quid non faciet facies Dei ac Regis nostri hospitantis in anima munda? Quando totus homo divinæ caritati coaptatur et jungitur, tunc exterius in corpore quasi in speculo interiorem animæ claritatem ostendit ; talisque homo corporalem frequenter obliviscitur sumere cibum, nec cum delectatione suscipit eum. Qui diligit proximum, nunquam detrahentes sustinebit, sed fugiet ab eis tanquam ab igne. Qui irascitur fratri suo et dicit se Deum diligere, similis est ei qui currit in somnis. — Experientia donorum Dei spem parit, fidem certificat, caritatem accendit. Qui inexpertus est, non sine hæsitatione manet.

Caritas est sapientiæ ministratrix. Caritas est prodigiorum operatrix, illuminationis abyssus. Caritas fons ignis, quantum sursum emanaverit, tantum sitientem accendet. Caritas est pacis mater, sapientiæ fons, immortalitatis et gloriæ radix, angelorum statio, sæculorum profectus.

Annuntia nobis, o pulchra in virtutibus, *Ibid.* i, 6. ubi pascas oves tuas, ubi habites in meridie. Illumina nos, pota nos, manu duc nos : quia ad te ascendere affectamus. Ad laudem et gloriam Omnipotentis essentialiter et incircumscriptibiliter boni atque amabilis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS OPUSCULI DE EXEMPLIS ET DOCUMENTIS AUTHENTICIS.

INDICES

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

TOBIÆ.

JOB.

PSALMORUM.

PROVERBIORUM.

ECCLESIASTÆ.

CANTICI CANTICORUM.

SAPIENTIÆ.

ECCLESIASTICI.

IV, 35. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi, 542 A.

V, 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, 425 A.

— 17. Denotatio pessima super bilinguem, 155 D'.

VII, 6. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, 552 C.

— 40. Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis, 122 C, 232 D', 452 C, 489 D'.

IX, 2, 5. Non des mulieri potestatem animæ tuæ... Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius, 96 B.

X, 2. Secundum judicem populi, sic et ministri ejus ; et qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea, 549 C'.

— 9, 10. Avaro... nihil est scelestius. Quid superbit terra et cinis? Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic enim et animam suam venalem habet, 66 B', 72 C, 73 B, 76 B', 81 B, 467 B', 560 A'.

— 14, 15. Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo : quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia ; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis et subvertet eum in finem, 58 C', 71 B, 79 A', 337 A'.

XV, 21. Nemini dedit spatium peccandi, 235 D'.

XIX, 1. Qui spernit modica, paulatim decidet, 41 A, 184 D, 254 C', 387 C'.

— 13. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat : Non feci ; aut si fecerit, ne iterum addat facere, 230 A, 247 A.

XXI, 2. Quasi a facie colubri fuge peccata, 22 A, 36 B, 364.

XXVII, 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua, 42 C', 188 D', 254 C', 392 A, 470 A', 500.

XXVIII, 6, 8, 10. Memento novissimorum et desine inimicari,... et non irascaris proximo ;... abstine te a lite, 109 B'.

XXXVII, 31. Non... omnia omnibus expediunt, 241 D'.

XLIV, 15. Sapientiam ipsorum narrent populi et laudem eorum nuntiet Ecclesia, 575.

ISAIÆ.

I, 2. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me, 22 A.

II, 12. Dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum et super omnem arrogantem, et humiliabitur, 69 A'.

V, 21. Væ qui sapientes estis in oculis vestris et coram vobismetipsis prudentes, 262 D.

VIII, 13. Dominum exercituum ipsum sanctificate ; ipse pavor vester et ipse terror vester, 188 C.

IX, 15. Longævus et honorabilis, ipse est caput, 32 B'.

XXIII, 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ et ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ, 62 A.

XXVI, 8, 9. Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte ; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te, 439 A'.

— — Quum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis, 56 D'.

— 10, 11. Misereamur impio, et non discet justitiam ; in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini. Domine, exaltetur manus tua, et non videant ; videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret, 57 B, C.

XXVII, 9. Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum, 15 D, 188 A', 366 B'.

XXVIII, 15. Percussimus fœdus cum morte et cum inferno fecimus pactum, 515 D'.

— 21. Dominus... irascetur ut faciat opus suum, alienum opus ejus ; ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus ab eo, 56 D.

XXXII, 1, 8. Ecce in justitia regnabit rex et principes in judicio præerunt ;... princeps vero ea quæ digna sunt principe cogitabit et ipse super duces stabit, 554 D.

XLVII, 10. Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te, 268 C'.

LVIII, 13, 14. Si averteris a sabbato pedem tuum,... sustollam te super altitudines terræ, 224 B.

LXIII, 7. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis... et... quæ largitus est... secundum indulgentiam suam, 442 D.

LXV, 20. Puer centum annorum morietur et peccator centum annorum maledictus erit, 32 C.

JEREMIÆ.

I, 10, 18. Ecce constitui te... super gentes et super regna, ut evellas et destruas et disper-

THRENORUM.

BARUCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

MICHÆÆ.

SOPHONIÆ.

JOANNIS.

ACTUUM.

AD ROMANOS.

I AD CORINTHIOS.

II AD CORINTHIOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

I AD THESSALONICENSES.

I AD TIMOTHEUM.

II AD TIMOTHEUM.

AD TITUM.

AD HEBRÆOS.

JACOBI.

I PETRI.

I JOANNIS.

JUDÆ.

APOCALYPSIS.

INDEX ANALYTICUS

C

D

E

F

G

H

I

J

L

M

N

O

P

S

T

Z

INDEX GENERALIS

LIBER SECUNDUS.

CONTRA PLURALITATEM BENEFICIORUM

CONTRA SIMONIAM LIBRI DUO

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

CONTRA AMBITIONEM

DE GRAVITATE ET ENORMITATE PECCATI

SPECULUM SIVE DIALOGUS DE CONVERSIONE PECCATORUM

DE ARCTA VIA SALUTIS AC MUNDI CONTEMPTU

DE DOCTRINA ET REGULIS VITÆ CHRISTIANORUM LIBRI DUO

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

DE EXEMPLIS ET DOCUMENTIS AUTHENTICIS

Emendanda. Pag. 38A in margine, nota *Scal. parad.* inferius collocanda est, ex adverso textus Joannis Climaci; — 133B in margine : Luc. xx, 17, *lege* Matth. xxiii, 14; — 254A, lin. 12 : sæpius,... sancti; — 295A, lin. 1 et 2, *lege* Quemadmodum Bernardus ait in Glossa super capitulum *Quoniam* Decretalis Innocentii, et in margine, c. 40.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Tornaci.
A. Baudechon typographus.